36
9 F
4

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

24. f

12.

2, 5

19
B

36. 9. F. 4.

Cat. no

Libri Moyſi quinque.

GENESIS.
EXODVS.
LEVITICVS.
NVMERI.
DEVTERONOMIVM.

Cum annotationibus, & obſeruationibus Hebraicis haudquaquam pœnitendis, quæ prolixi commentarii vice eſſe poſſunt.



Cum priuilegio Regis.

PARISIIS
[redacted]
M. D. XLI.

ROB. STEPHANVS TYPOGRAPHVS REGIVS LECTORIBVS.

CONSTITVERAMVS Chriſtiani Lectores, in tertia Bibliorum editione annotationes, vt antehac ſemel à nobis factum fuerat, in interiori margine imprimere: idque ſæpius quàm commode fieri poſſet, tentatum eſt. Verum fruſtra. tam magnũ enim incrementum poſteriores annotationes acceperunt, vt ſolæ iam ſeorſum volumen etiam maximum ſibi poſtulent: tantum abeſt vt marginibus quanuis ampliſſimis capi poſſint. Eam autem acceſſionẽ nolim mihi acceptã ferri: verum DEO illi noſtro optimo maximo, cuius voluntate & impulſu factum eſt vt hîc Lutetiæ Pariſiorum, linguæ Hebrææ profeſſores ſuis ſtipendiis alat & tueatur Chriſtianiſſimus Rex noſter Franciſcus, huius nominis primus. Hoc ſanè tantum præſtitimus, vt nõnulla ex iis quæ profeſſorum Regiorum auditores exceperant, ad vos, quibus per locorum interualla atque alia impedimenta illos audire non licet, typographicæ noſtræ artis beneficio fideliſſime permanarent. Adiecta etiam fuerunt à nobis his annotationibus, quæ in vetuſtiſſimis & caſtigatiſſimis Latinis exemplaribus manu ſcriptis aliter lecta deprehendimus, quàm paſſim impreſſa exemplaria habeant. Quid plura? Fruimini vtimini iam noſtris collectaneis beneuoli Lectores: & ab illis me ſponſore & fideiuſſore ſuauiorem & huberiorem fructũ expectate, quàm à breuibus illis ſcholiis quæ olim in marginibus Bibliorum excudimus. Quàm vero integrà ſit hac in re fides noſtra, quàm incorrupta ſponſio, lectio diligens & accurata vos quàm optimè & facillimè docebit.

Valete.

INDEX Hebraiſmorum, & aliorum quæ in his annotationibus præter verſionem Hebraicam, paulo fuſius explicantur. Numerus, paginas indicat.

A

Abbreuiatus animus 487
abib menſis 287
ablactare fructum 475
abominatio Dei 567.625
abominationes gẽtiũ 295
abſeondere ſe, pro diſſimulare ſe videre 609
abſcondere ſe ad fugiendum 103
abſoluendo non abſoluere 285.462
abſcondere oculos ſuos ab aliquo 378
abſconditum ab eo 322
abyſſus 23
Adã, nomẽ appellatiuũ 9
non addere facere 195
adducere diciturDeº quod locutus eſt, quando implet 53
adipes offerre 14
adeps vini & olei 478
adiutorium ſimile homini 8
adorare Dominum 73
adorare, pro gratias agere 161.162
adorare populum terræ, & adorare coram populo terræ 69
adorare, pr demittere faciem in terram, & inclinare ſe 52.212.494
AEdificari 46
æmulator Deus 554.558
ad æmulationem prouocare Deum 649
æneus ſerpens 487
ænigma 457
æs & ferrum calceamentum eius 659
per ætates veſtras 270
æterni colles 658
Affligere animam 366.392 515
Agitare agitatione hoſtiã 267
agnus perfectus 389
in agri ſuperficie 355.367
agrũ exterminare 398
Ain, nomen loci 532
Alienigena 385.473
alienigena qui non eſt de tribu Leui 477
Ambulare cũ Deo 18, vel coram Deo 48
ambulare cum Deo cum caſu 405
ambulare in conſpectu Dei 75
ambulare in viis Dei 623
amen 625
amraphel 40
Anathema 417
anathema eſſe 567
anima 313
anima viuens 4
animæ viuentis reptile 4
anima pro cadauere 381
anima pro ſanguine 26.27
anima pro victu 616
anima pro vita 536.583
ſecundum animã ſuã 615
anima de populo terræ 321
anima pro homine, ſiue perſona 36.43.119.322. 576
animam affligere 366.392. 515
animam pro anima 395. 604
in animam ſuam peccare 473
animæ percuſſione percutere 602.615
animam tuã quærunt 182
animæ ſuæ dimittes eam liberam 608
in tota anima diligere Deum 639
animas peregrinorum ſcitis 243
animarum votum 408
anima patris ligata eſt cũ anima filii 152
animus abbreuiatus 487
quæ animalia & membra exigat Dominus in ſacrificiis 266
anni dierum 134
annum ſanctificare 396
annum quo menſe incipiant Hebræi 396
ante patrem ſuum, pro viuente patre 35
antecedens pro relatiuo 5.17.24.25.147.310.501.
antiqui colles 658
Aperire vuluam 422
aperire vuluam, pro primogenitum naſci 478
aperiẽdo aperire manum ſuam pauperi 592
apprehendit eum peccatum 525
in apprehẽſionẽ ſeculi 162
appropinquans Deus 552
appropinquare mulieri 60
Aquæ amaræ & maledictæ, 432
aqua aſperſionis 482
aquæ duplices 2
aqua ſancta 432
in ſimilitudinem Aquilæ 632
Arbor vitæ & ſcientiæ 7
arca teſtimonii 271.302
arca fœderis 643
argentum tranſiens per mercatores 70
agitationis pectus 342
argob 548
aries impletionum 267
arietes filii Baſan 649
armilla 228
armus eleuationis 342

arma pro inſtrumẽtis 85
aroma capitis 273
artifex lapidum 260
Aſpicere iniquitatem in aliquo 498
aſpicere poſt cor ſuum & oculos ſuos 469
aſſequitur manus eius 402
Audire afflictionẽ alicuius 47
auferre innoxium ſanguinem 603
augurium nõ eſt in Iacob 498
in auribus aliquorum loqui 61.169
aures ad audiendum 635
in auribus veſtris, pro vobis audientibus 557
in auribus populi dicere, vel tradere 69.103.127
in auribus Domini diſplicere 452
in auribus eorum, pro illis audientibus 643
Azazel 363
azyma 106
azymorum caniſtrum 267

B

Baculus panis 405
in baculo iſto tranſiui Iordanem 108
bamoth 489
bamoth-baal 494
Bdelium 8.452
Beel-phegor 551
belial filii 586
ad bellum egredi 414
benedicere Deo, pro gratias agere 42.75
benedicat vobis, pro faueat vobis 538
benedicere pro fœcundare 17
quando benedixerit tibi Deus 589.592
benedixit tibi Deus in opere manuum 543
benedicat tibi de⁹, quid 437
benedicere benedictionibus cæli 167
benedicere aliquẽ, pro ſalutare eum 258
benedicere alicui quomõ dicatur Deus 35.208 617
benedixit De⁹ animalib⁹ 4
benedicam benedicẽtibus tibi 35
benedixit Deus Noe 26
benedicet Deus panibus tuis 246
benedicere Dei 81.82
benedicere diei ſabbathi quomodo dicatur Deus 6
benedicet fructui ventris tui Deus 566
benedicere in aliquo homine populum 163
benedicere in nomine Domini 574
benedicentur in ſemine tuo 81
benedicẽdo benedicã 67
benedictio pro copia & opibus 21.581
benedictio pro fœlicitate 579
benedictionem eſſe 35
benedictionẽ mãdare 397
benedictionem ſuper mõtem ponere 579
benedictus Dominus 118
benedictus Domini 74
benedict⁹ tu in ciuitate 616
bereſith 2
beſtiæ terræ 4
Bonum AEgypti veſtrum erit 152
à bono ad malum nihil loqui 103
bonum domini ſui erat in manu eius 72
bonas facere lucernas 272
in bonum 640
quod bonum eſt in oculis noſtris facere 46
bonum viſum in oculis eius 253
bos de armento 438
botrus vuarum 459
Brachiũ Dei extentũ 576
in brachio excelſo 187
brachia ſempiterna 660
brachiũ pro principe 659
Byſſus retorta 294

C

Cades 543
cades, pro Cades-barnea 459
cadere dicitur propheta 499
Cæcitas 619
cælum quid 6
cælum pro aere 2
cælum & terra, pro cæleſtibus & terreſtribus creaturis 554
cælum æneum 629
cælum cæli 575
cæli deliciæ 657
cælum ferreum 404
cælum teſtẽ inuocare 646
Caluitiũ facere ſuper mortuum 587
caniſtrũ azymorum 267
canos alicuius deducere ad inferos 143.152
caprea 582
captiuam ducere captiuitatem 608
captiuus gladio 203
captiuitas pro captiuis 521.639
caput diſcooperire 382
in caput conſtituere 617
caput alicuius eleuare vel recenſere 233.234
in caput eſſe 631
in capite populi 605
caput pro rege 659
caro 20
caro pro animante 369
caro pro cognatione 370
caro, vel caro turpidinis pro pudendis 265.360
omnia caſtra colligere 450
cataractæ cæli 13
catenas ceruicum confringere 404
catenæ termini 262
caue à cõſpectu illius 245
cauti eſtote in his quæ dixi 244
Celebritas ſancta 388
cenereth mare, quod & Geneſareth 532

cenſus oblationis 513
ceremoniæ 557
ceruicem indurare 575
ceruix dura 646
ceruus 581
ceſſatio quieta 388
Cherub 150
cherubim 13
chezib 116
chorus 170
Cibus duplex 214
cicatrix combuſturæ 351
ciniphes 193
cinnamomum aromaticum 173
circuncidere præputiũ cordis 575
Clamor eorum aſcendit ad Deum 176
clangor victoriæ 498
claui & lanceæ ipſi ſunt vobis 520
clibanus 405
Coccum bis tinctum 249
cœpit & plantauit 29
cœtus, vel ſolẽnitas eſt 391
cogitare aliquid in bonũ 171
cogitationum opus 193
cognominis loco, dictio filius, ponitur ab Hebræis 414 428
colligi vel addi populis ſuis, pro mori 486 519.
colligere omnia caſtra 450
collectionis feſtum 144
columna nubis 644
comedere panem cum aliquo, pro cibũ cum eo ſumere 176
comedere pinguedinem terræ 153
comedit pretiũ noſtrũ 101
nõ poſſunt comedere Aegyptii cum Iudæis 147
complere ſagittas ſuas in aliquem 650
cõceptus multiplicare 11
concludit mulierem Deus quando ſterilẽ reddit 46
concubina 78
confiteri Domino, pro laudare Dominũ 95
confortamini 641
confortare tu 643
confractio 618
congregari ad populum ſuum 78.168.486
congregatio, aliquando pro ſenatoribus & ſummis in vrbe viris 535
cõſecrare manus ſuas Deo 280
in cõſpectu meo, pro coram arca fœderis 144
in conſpectu meo, & Coram me, idem ſignificant 558
in conſpectu eius, pro Eo viuente 608
in cõſpectu Domini poſitum 167
à cõſpectu mortui ſui 68
à conſpectu Moyſi 194
in conſpectu tuo 98
in conſpectu tuo eſt terra 62.158
conſuetudo mulierum 52.104
conſulere Deum 229
conſummatiõnẽ facere 53
contaminare leproſũ 348
contaminare nomen Dei 378
contentio 646
contra Iericho 532
conuallis illuſtris, vel Mãbre 36.40
conuocatio ſancta 206.516
cor ſuum aggrauare 195
cor ſuum apponere ad aliquid 191
cor eius egreſſum eſt 141
corde eruditus 275
cor incircuncifum 407
cor intelligens 635
iuxta cor alicui⁹ loqui 171
cor malignum 591
cor ponere ad verba alicuius 654
cor ſuum ponere ad ſermonem 197
in corde ponere alicui ad docendum 293
poſt cor ſuum & oculos ſuos aſpicere 469
ad cor reducere 639
corde ſapientes, pro peritis artificib⁹ 259.291.294
ex toto corde 623
in corde tuo verbum 640
corde voluntarius 290
coram Deo terra corrupta 20
coram Deo viuere 50
coram Domino 128
coram Domino, pro in arca teſtimonii 225.270.475.511.526
coram Domino, pro ante tabernaculum conuentus 311
coram Domino, id eſt in atrio 318
coram Domino, pro Deo aſpirante 525
coram Domino, pro in oſtio atrii 315
coram Domino, pro in ea vrbe in qua fuerit tabernaculum Domini 594
coram Domino, pro ſub cælo 31
coram Domino peccator 39
coram fratribus obiit 78
coram me, pro, me inſpectante & vidente 234.494
coram te, pro ſub aduentum tuum 564
coram te eſt ipſa 76
coram vobis erit terra 115
cornua rhinocerotis 658
cum corpore ſuo ingredi 236
corroborare aliquem 541
corruentes dare 616
coruus 410
Cras, pro poſthac 98
creaturam creauit Dominus 471
creſcere in gentes 163

creſcere in mille millia 77
Culter pro quocũque inſtrumento 135
cultu ſempiterno 106
cultus Leuitarum 415
cuſtodire animam, pro cauere ſibi diligenter 553
cuſtodire cuſtodiam 576
cuſtodire cuſtodiam ſanctuarii 413
cuſtodire cuſtodiam tabernaculi 512. 477
cuſtodire cuſtodias Domini 336
cuſtodire miſericordiam in millia 285
cuſtodi tibi, pro obſerua diligenter 186
cuſtodiendo cuſtodire 579
cuſtodia Dei, pro mandatis eius & præceptis. 81. 372.385
cuſtodias habere 422
cuſtodiarum nox 209

D

Dæmones 367
Dare alicui miſericordiã ante alterum 145
dare corruentes 626
datidati, pro dono dati 421
De ſub cælo 610
decalogus 552
decem verba pro decalogo 552
decem vicibus, pro multis vicibus 101
decima decima 512
decimæ quando dabantur 621
dedicare domum 605
definita magnitudo 261
deleri de populo ſuo 49
deliciæ cæli 658
deorſum deorſum 631
deprecari pro aliquo 468
deſcendam tecum 155
deſcendit Deus, quando audit nos 177
deſertum Sinai 413
deſyderio toto animæ 599
deum conſulere 219
dei mons, pro mons magnus 1
dei tonitrua, pro magnis tonitribus 199
deum Pharaonis cõſtituire 189
deus deorum 575
deus Abraham 108
deus viſionis 47
ad deum 132
deum ad æmulationem prouocare 649
poſt deos alienos ire 563
dii pro iudicibus 236
ad deos applicari, pro vocari in ius 240
Deuteronomium 538
ad dexteram vel ad ſiniſtram ire 76
Dicere dei, pro iubere 1
dicere, pro conſtituere apud ſe, vel cogitare 82. 598
dixit Balaam 499
dixit Deus in corde ſuo. 26
dicendo dixit 483
dies antiqui 647
dies numeri 447
dies, pro annalibus & diariis 555
dies pro anno 76
dies pro tempore 6
dies vni, pro pauci 89
dierum plenus 78
dies ſeptem impleti 101
iuxta dies cæli 578
iuxta dies tuos 660
ſecundum diem hanc 131
dierum numerum implere 146
in die qua, pro Ex quo tẽpore 411
per dies 173
differẽtiam ponere inter animal purum & impurum 380
digitus Dei 193
digito Dei, pro Diuinitus 571
dilatet Deus Iapheth 30
dirigere vias 629
diſciplina Domini 576
diſplicere in auribus Domini 452
Do vobis, pro permitto 5
doctrinæ, Vrim 656
ante dominum, pro ante iudices 603
dominus dominantiũ 575
dominus videbit: nomen montis 67
domus, pro familia 174
domum dedicare 605
domus patrum 105
domus ſeruorum, vel domus ſeruitutis 212.221 233.558

E

Ebria & ſitiens 637
Ecce pro vtique 5.46
Eccleſiam Dei ingredi 613
Eden 8
edom, pro rex Idumææ 485
educari ſuper genua Ioſeph 171
Ego Dominus 372
ego ſum qui ſum 178
egredi & ingredi non poſſum 642
egredi ad bellum 414
egredi & ingredi ad verbum ſacerdotis 521
cum egredieris 658
egreſſio laborum 519
Elaſar 40
eleuare pro offerre 444
eleuare falcem ſuper ſegetem 615
eleuare manũ in cælũ 653
eleuationes ſanctificationum 479
elon more 36.40
En morior 81
Ephi 170
ephod 249
ephraím primogenitus benedictiõne 658
Eruditus corde 275
erit in deuorationem 644
Eſſe in nationes 49

Et pro aut 205
et, pro enim, vel quia 66
et, pro id eſt 12.92.167.520
et, pro quòd 28
et, pro tunc 54.312
et pro vt 28.29.49.54.85.
182.183.
Euomet eos terra 372
Excelſa pro principib⁹ 660
excidi de populo ſuo 320
excidi, ſiue perire 369
in excubiis Domini eſſe
447
exercitus cæli 6
exercitus filiorum Iſrael, pro numero maximo
206
execrationem eſſe in populo 423
exire & intrare ante populum 510
in exitu tuo 658
exodus 172
expiare aliquem 468
expiare aliquẽ quomodo dicatur ſacerdos 320.324
expiare animas 271
expiationis dies 391
in expiationem eius 311
expiationem facere 337
expiationis hircus 513
extentũ brachiũ Dei 576
externi, qui de tribu Leui non erant 417
exultatio mea Deus 117

F

in fabulam eſſe 632
facere aliquem in gentem
50.63.178.462
facere aliquẽ in turbas populorum 161
facere quod bonum eſt in oculis noſtris 46
facere iudicium & iuſtitiam Dei 659
factus eſt ſermo Domini ad Abraham 43.44
faciem abſcondere 644
à facie eorum 10
in faciem eorũ, pro dum adhuc viuunt 564
à facie, pro propter 47
facie ad faciem 183
ſuper faciem agri 355.367
facies Dei 427
facie impudenti gens 632
faciem ſuam obfirmare contra aliquem 368
in facie patris, pro Viuente patre 35
faciem pauperis ſuſcipere
374
faciem ſuam ponere contra aliquem 377
à facie ſua 147
faciem alicuius ſuſcipere in re aliqua 58.109
falcem ſuper ſegetem eleuare 615
per familias vel generationes ſuas 188
de femore alicuius egredi
156
ferrum & æs calceamentũ tuum 659
Fidelis Deus 647
per figuras apparebat aliquando Dominus 457
filii, pro nepotibus & iis qui genus ducunt ab aliis 32.110
filii belial 586
filius bouis 165
filius Chananitidis 188
filii Dei 19
filius domus 49
filium facere trãſire alicui idolo 371
filii gregis 107
filius matris, pro vterino
147
filius, cognominis loco ponitur apud Hebræos 414
438
filius relictionis dom⁹ 43
filius ſenectutis eius 112
filii Seth, pro mundo ipſo
500
filia pro nepte 61
filiæ pro pagis 490
filiari 45.46
fimbriæ 469.610
firmamentum 2
Flatus furoris Dei 118
in Fœdus Domini tranſire
636
fœminarũ cõſuetudo 104
fœtere facere aliquẽ apud alios, 116. & coram populo, 185
fons aſcendens è terra 7
fons, pro fluxu ſanguinis
380
fons Iacob 659
fornax ferrea 553
fornicari cum idolis 367
fornicari, pro idola colere
378
fornicatio, pro defectione à Deo 464
fortificare ſe 641
ex tota fortitudine ſua diligere Deum 561
fortitudo & laus mea Deus 117
non eſt fortitudo in manibus eius 630
Frater pro conſanguineo
38.93
frater pro nepote 93
frater pro proximo 17
fructuum præputia & incircuncifio 376
fructus ventris pro liberis
95.626.632
Fuerunt illis mulieres 521
fulgor gladii 653
functio doni 477
funiculus hæreditatis 648
furari aliquem, pro clam eo aliquid facere 103
furari cor alterius 102
furor Dei fumans 657
furor meus indignabitur
142
furor iratus 494
in furore ſuo 165
fuſcinula 257
futurum pro præterito, & præteritũ perfectũ pro plus quàm perfecto 35
futurus in gentem 53

G

Gai 661
Generatio, pro eo quod alicui obuenerit 122.422

generatio cæli, pro, quæ genetauit cælum 6
à generatione in generationem 117
ad generationẽ decimam vſque 613
in generatione hac 22
generationes Noe 31
generatio ſequens 638
in generationibus ſuis 20.48.49.273
in generationibus veſtris 206.276.340.384
per generationes veſtras 466.467
gens pro familia 60
in gentem eſſe 198
in gentem facere 63.462
geneſis 1
Gladio deuorare carnes de capitibus inimicorũ 653
gladii fulgor 655
in gladio & arcu 263
in gladio viuere 89
gloria pro anima 265
gloria Domini 212
in gloriam 264
glorificare aliquẽ 491.495
glorioſe magnificatus 117
Gomer 270.410
gopher 20
Gradi ſuper pectus 11
pro gratiarum actione ſacrificium, & pacificum, idem 329
gratiam dat Deus alicui coram altero 279
gratiam inuenire coram Deo 20, Vel in oculis alicuius 51.283
gratiam inuenire in conſpectu alicuius 97
gratiã alicuius ponere in oculis alterius 131
grauari in oculis ſuis 592
grauis ore & lingua 281
gregis filii 207

H

Habere cuſtodias 412
habitaculum Dei ſanctum 612
habitatio tua in rore cæli 89
Hebdomadarum ſolennitas 288
heliopolis 138
Hepar 266
herem 412
ab heri & nudiuſtertiũ 180.184.238.602
Hin 270.273
hirci caprarum 363
hircus expiationis 513
Hodie 80
holocauſtum quid 267.325
holocauſtum iuge 513
holocauſtum odoris quietis 311.312
homer 410
homo, pro quiſpiam 310
homo Dei 655
in homine ſanguinẽ humanum fundere 27
homo nõ eſt qui, pro, nullus eſt qui 6
homines pecoris 157
homines virtutis 158
honorare aliquem 492
hor, promontorium 532
horeb 538
hoſen 249
hoſtiam agitare agitatione 267
inter humeros, pro in medio 657
Humiliare mulierẽ 608
huſoth vrbs 494

I

Iamim, pro annalibus & diariis 555
ianthinus color 249
Ibat proficiens 82
IEHOVA 286
Ignis pro ſeditione 490
ignis alienus 421
ignis conſumẽs Deus 554
ignis Domini 452
ignis ſuccenſus in ira 650
ignea lex 655
igniti ſerpentes 487
ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatus homo 5
immaculatus agnus 436
immaculata oblatio 315
immundus ſuper anima hominis 446
imperatiuũ pro futuro 35
impius ad moriendũ 536
impletionum aries 267
imponere occaſiones verborum 612
in aduena, & indigena 207
in agno 270
in omnibus ſignis quæ feci, pro Cum tot ſigna fecerim 462
in te, pro in vrbe tua 590
incẽſũ odoris quietis 466
incircunciſio fructuũ 376
incircunciſum cor 407
incircunciſus labiis 287
increpatio 628
infernus pro ſepulchro 215
inferni nouiſſima 650
ingredi ad mortuum 434
ingredi ad vxorem 612
ingredi eccleſiam Dei 613
iniquitas pro pœna iniquitatis 380
iniquitatem in aliquo aſpicere 498
iniquitatem delicti facere portare 386
iniquitas eius ſuper eũ 468
iniquitatem populi viſitare 558
iniquitas ſanctificationũ 264
iniquitatẽ ſanctuarii portare 476
iniquitatem ſuam portare 321.369.373
initiari Beel-phegor 502
innocens à cæde 238
innocens à maledictione 75
inquilinus ſacerdotis 385
inſontẽ non habere 234
inſpirare ſpiraculum vitæ in faciem 7.
inter me & te 69

interire de populo ſuo 368
interfectus populus tanquam vir vnus 462
introeuntibus Aſſyrios 78
inuenire Deum 554
inueniam gratiam 115
inuenire gratiam coram Deo 20, Vel in oculis alicuius 51.283
non inuenire gratiam ante oculos alicuius 615
inuenit eum malū 644
inuentū in manu eius 237
inuocare nomen Dei ſuper aliquem 627
Iochabed 508
Ira caſus, ſeu fortunæ 406
ad iram tardus 461
ire ad patres ſuos 45
ire ad populum ſuum 510
ire poſt deos alienos 563
irrigare hortum pede 577
Iſraelitæ bis numerati 507
Iudicare gentem pro punire 45
iudicare populum, pro ius reddere populo 219
iudicare dicitur Deus populū ſuum quando vindictam ſumit de aduerſariis populi ſui 651
Iudicia pro legibus 551
iudiciū pro pectorali 263
iudicia magna, pro ſuppliciis 187.189
cum iudicium arripuerint manus 653
iudicium facere 54
iudicia facere in aliquibus, pro ipſos punire 209
iudicium & iuſtitiam facere 55
iudicium inclinare 595
hoc erit iudicium ſacerdotum 599
in iudicii ſtatutū 509
iudicia, viæ Dei 647
iumenta 4
iurare per nomen Dei 562
iuſiurandum Domini erit 242
hoc erit ius ſacerdotū 599
iuſtificare impium 243
Iuſtitiam & iudicium facere 53
iuſtitiá habere corá Deo 617
iuſtitiæ ſacrificia 658
iuſtitiam iuſtitiá ſequi 595
iuxta pedem operis 112
iuxta omne præceptum tuum 622

L

Labiorum egreſſio 519
labium vnum 33
labor inuenit eos 218
laborant vt bibant, pro Nō poſſunt bibere 190
lacte & melle fluens terra 277.282.461
lāceæ & claui ipſi ſunt vobis 530
lapides ferrum ſunt in ea patria 568
lapides perfecti 624
lapides plenitudinū 249
lapides repletionum 290.292
laus noſtra Deus 576
de laude terræ 245
Lex holocauſti 315
lex ignea 655
lex lepræ 356
lex Leuitarum 445
legiſlator 659
legitimum 207.265.366
legitima pro ſtatutis 369
legitima gentium 380
leuare manum ad Deū 43
leuiticus 310
Liber pro enumeratione 17
libellus repudii 615
lignum pro arbore 3.7
lignū pro diis ligneis 634
in ligno pendere 609
lignum vitæ & ſciétiæ 7
Locus ſanctus, atrium fœderis 326.341.365
log 270.273
loqui ad cor alicuius 113
loqui non poſſe ad aliquē bonum vel malum 76
loqui in auribus aliquorum 62
loqui iuxta cor alicuius 172
ſicut locutus eſt Dominus, pro ſicut vult 76
locutus eſt malum populo ſuo 278
Lucernæ diſpoſitiōis 306
n luctu meo 612
i

M

Maculá alicui ponere 395
magnalia Dei 214.576
magnalia facit Deus 576
magnificare miſericordiá cum aliquo 58
magnificatus in ſanctitate 218
magnificata manus in fortitudine 218
maledictus in ciuitate 628
maledictus de terra 25
maledictio pro ſterilitate 22
in maledictioné dare 433
in maledictioné eſſe 433
malignum cor 591
malum in oculis tuis 494
malū inueniet eū 151.449
in malo eſſe 279
mādare benedictioné 397
man hu 223
mane & mane 224.294
manna 452
manna leuiſſimum 487
per manſiones ſuas 226
manus Domini, pro virtute eius 544
manus pro potentia 454
manus pro poteſtate 46
de manu mea, pro à me 244
in cuius manu, pro apud quem 149
manum ſuam ſuper aliquem ponere, pro lapidare eum 585
in manu Aaron, pro duce Aarone 528
manus abiit 652
manū ſuam pauperi ape-

riendo aperire 591
cum manus iudicium arri-
puerint 653
manus ſuas cōſecrare Deo
180
manus eius aſſequitur 402
manus eius nō apprehen-
dit duos turtures 323
manus eius contra oēs 47
in manibus eius nō eſt for
titudo 630
manus eius nō poteſt in-
uenire illud 354
manus eius nō poteſt tan-
gere ſufficientiā ouis 322
manus eius ſi inuenerit ſuf
ficientiam 348
manum in cælum eleuare
653
manus excelſa 652
in manu excelſa 114.528
in manu excelſa aliquid
committere 468
quæ in manum veniebant
accepi 109
ſub manu Ithamar 428
manum iungere cum im-
pio &c. 242
in manu forti 564
per manum fortem 186
manus magna 117
manum ſuam mittere ſu-
per aliquem quomodo
dicatur Deus 189.248
manū mittere in rē proxi
mi 140
in manuum munditia ali-
quid facere 60
manus pauperis nutat a-
pud te 400
manꝰ mea, peſtis grauis 196
per manum alicuius 302
per manū Moyſi 429.430.
447.449
manum ſuam ponere ſub
femore alicuius 72
manum ſuam ponere ſu-
per aliquem 510
manus ſuper oculos ali-
cuius ponere 155
manus ſacerdotis implere
264
manꝰ ſuper caput blaſphe
mantis 394
manus ſuper ſolium Dei
227
manus non tanget eū 232
in manus alterius aliquid
tradere 130
manus tua in ceruicibꝰ ini-
micorum tuorum 165
in manu tua poſui 182
mare nouiſſimum 661
maſſa 563
de Medio Leuitarum, pro
è numero Leuitarū 425
in medio tui eſt Deus 567
memoriale 313
memoriale Dei 178
mēſis dierum 93.454.608
menſis nouorum 287
menſis primus 528
menſis ſecundus Hebræo
rum 413
meſſis feſtum 144
meſſis primitiuorum ſo-
lennitas 244
Militare militiam 445
millia Iſrael 414
militia millium 523
miſereri alicuius, pro eum
eripere 57
miſereatur tui Deus 147
miſericordiam cuſtodire
in millia 285
miſericordiam facere cum
aliquo 61.64.76.133
miſericordiam & verita-
tem facere cū aliquo 161
miſerationibus Dei minor
208
miſit, ſubaudi, nūtios 296
Monimentum coram Do
mino 172
morbos quos poſui in AE
gypto 222
moriatur 176
mori in peccato ſuo 509
moriar nunc 257
morte moriatur 378
morte mori 8.10.60
mortem & vitam propo
nere 642
in mortuis quid agebant
AEgyptii 376
ad mortuum ingredi 434
moſera 574
Mulieres fuerunt illis 522
mulierem humiliare 608
mundare leproſū quomō
dicebatur ſacerdos 349
mundum eſſe à iuramen-
to 75
mundi ſtatuto 206
munus 313
mutuabis illi, pro longe
eris illo ditior 632
Myriades millium 452
myrrha libera 273

N

in nationes eſſe 49
Nazaræi 424
nazareatus ſui caput 436
Nebo. 661
ſuper negotio putei 84
negotium phegor 503
negotium tranſgreſſionis
240
nequam in cōſpectu Do-
mini 116
neſcio Dominum 283
Nidus pro pullis 648
nihil loqui à bono ad ma
lum 103
niſam menſis 205
Nomen Abrahæ inuoca-
re ſuper populum 163
nomen Dei 178
nomē Dei aſſumere 234
nomen Dei inuocare ſu-
per aliquem 625
ex nomine Dei loqui po-
pulo 185
nomē Dei cōtaminare, ſi-
ue polluere 374.378.387
nomen Dei tetragramma
ton 394
in nomine Domini mini-
ſtrare 599
vt ſit nomen eius in eo lo
co 581
nomen fratris ſui ſuſcita-
re 619

iuxta nomina illorũ 162
nomen malum educere ſuper aliquem 611
nomen meũ in illo 245
in nomine meo IEHOVA non fui notus eis 286
ex nomine noui te 281
iuxta nominum numerũ 415
nomen ſanctitatis 384
per nomina ſua 412
nominis viri 469
non do 184
non cum patribus veſtris, pro, Non tantum cum patribus &c. 557
non vocabitur Iſrael, pro Non ſolum vocabitur Iſrael 557
nouaculã nõ trãſire ſuper caput quid ſignificet 424
non nouit mecum quicquam 130
noui te ex nomine 283
noſſe Dominum facie ad faciem 661
Nuditas hominis, pro verendis 30
nuditas, ſiue turpitudo mulieris 370
nuditatẽ mulieris reuelare vel diſcooperire 370
nuditas patris 370
numerati eorum 415
iuxta numerum nominũ per capita ſua 415
O
Obfirmare faciem ſuam contra aliquem 368
oblatio ignita 167
oblatio ignita domino 270
in oblationem de area reputare 480
obliuiſci Dominum 569
Occaſiones verborum imponere 611
occurrere Deo 497
occurrere alicui, quomodo dicatur Deus 72
oculos ſuos abſcondere ab aliquo 378
oculus benignus 592
oculo ad oculum conſpici à populo ſuo dicitur Deus 461
ab oculis congregationis factũ per errorem 467
oculi deficientes 634
in oculis ei ſtetit plaga 349
in oculos eſſe alicui 450
in oculis ſuis grauari 592
oculus improbus 592
in oculis eius malus 90
oculus nequam, vel malignus 633
oculus obthuratus 499
oculus non parcet 603
in oculis populi loqui 69
poſt oculos ſuos, & cor ſuum aſpicere 469
ſuper oculos alicuius ponere manus 155
oculi teneri 93
in oculis eius bonũ viſum eſt 153
oculi veſtri ne indignentur 151
Odorari odorem ſuauem quomodo dicatur De⁹ 26
odor quietis 267
odoris quietis holocauſtũ 311.312
Offendiculum 186
quaſi olera virentia dedi vobis omnia 26
oleum 313
oleum vnctionis 266
in oleo pedẽ tingere 659
olina olei 568
Omnis pro vllus 15
On, regionis nomen 138
onager 47
onerando onerare 592
Oolibama 119
Opus pro familia 112
ab opere ſuo 194
opus cogitationum 293
opus ſeruile 514
Oraculum 140
orare pro expiare 444.468
Os alicuius interrogare 77
in ore tuo ero 181
in ore alicuius ponere verba ſua 600
in ore duorum, pro teſtimonio duorum 596
in ore gladii 216.226
ore & lingua grauis 182
os meũ & caro mea eſt 93
os meum loquitur ad vos 151
ſecundũ os paruulorũ 159
in ore ponere canticũ 645
os tuum erit 181
in ore tuo verbum 640
P
Pactũ pro ſigno pacti 49
pactum ſalis ſeculi 479
palæ 157
panis pro cibis & eſcis 147
panis afflictionis 594
panis baculus 405
panis Dei 382
panes facierum 152
panem noſtrum quotidianum da nobis hodie 221
panes offerre Deo, id eſt ſacrificium 387
pane veſci in ſudore vultus 22
parabola 496
parabola aſſumpta ait 497
parabolantes 490
parcet illi Dominus 518
paſtorem eſſe, pro vagari 464
pater Chanaan 29
pater Edom, id eſt origo Idumæorum 120
ad patres ſuos ire 45
pater habitantium in tentoriis 26
patera 157
pauperem apprehendere 400
pauperis manus nutat apud te 400
pax ei eſt 92
paxne eſt patri? 146
pax erit mihi 657
pax vobiſcum 146
vide pacem fratrum tuorum 114
pacem reſpondere 605
de pace mutuo ſe interrogare 128

In pace, pro incolumes 149
pacificus 115
pacifica ſacrificia 235
pacificum ſacrificium, & pro gratiarum actione, idem 329.330
paxilli 358
Peccare in animá ſuá 473
peccauit populus tuus 185
peccatum apprehendit eú 525
peccatum erit in te 614
peccatum in eo 591
peccatum inducere ſuper aliquem 61.179
peccatum ponere ſuper aliquem 457
peccatú ſuú portare 446
in peccato ſuo mori 509
pro peccato 444
pro peccato hoſtia 311
pecoris homines 257
pectus agitationis 341
pectorale 249
pectorale iudicii 261
pecunia plena tradere hæreditaté aliquam 69
pecunia veſtra venit ad me 146
ad pedem meum 98
pede hortum irrigare 577
è pedibus eius 633
ſub pedibus alicuius eſſe 204
in pedibus ſubſtantia 577
pendêre in ligno 609
per Deum poſſidere hominem 13
per ſaluté Pharaonis 141
per ſe dare tranſitum 546
percutere pro interficere 395
percuſſit Madian 222
percutiẽdo percutere 586
percuſſione animæ percutere 602.615
perfectiones, Thũmim 656
pergere ad populos ſuos 486
perire de populo ſuo 372
perſonæ mutatio 502.521
perſonæ mutatio frequẽs apud Hebræos 409
petor 491
petra 648
Phaſe 205.207
phaſga 661
phutiphar 225
Pinguedines terræ det tibi Dominus 87
Plaga lepræ in domibꝰ 358
plagis ſeptem 406
plenitudo volarum 364
pluit Dominus à Domino de cælo 58
pluuia temporanea & ſerotina 578
plurale pro vno è pluribus 9
Pœnitere Dei 652
pœnitet Deum ſuper malo 278
polluere 235
polluere nomen Dei 374 387
polluere ſe in pecore 381
pondus in pondere 174
ponere benedictioné ſuper montem 579
ponere canticum in ore 645
ponere oculos ſuos ſuper aliquem 150
ponere peccatum ſuper aliquem 457
ponam te in gentibus 48
ponere verbum in ore alicuius 496 & 497
pontus 40
populus Chamos 490
populus ſolus 496
ad populum ſuum congregari, colligi, vel pergere 487. 519
ad populum ſuum ire 510
ante populum exire & intrare 510
de populo ſuo excidi, vel interire, vel perire 330 368.372
de populo ſuo perire 372
in populos erit 163
populis ſuis addi vel colligi 486
porta, pro curia in qua erant ſenatores 619
porta pro vrbe 595
portam ciuitatis egredientes, id eſt ciues 115
portas inimicorum ſuorum poſſidere 67.77
intra portas tuas 582
qui intra portas tuas eſt 135
portare iniquitatem ſanctuarii 476
portare iniquitaté ſuam 311.369.373
portare peccatum ſuum 446
in poſſeſſionem ſempiternam 161
poſt dies 14
poſt eum, pro Eo mortuo 268
poſt hæc verba, pro, his tranſactis 43
poſt vos 28
potens in terra 31
Præcipere alicui 644
præcepta conſtituere populo 220
præcepta alicui dare 510
præputium cordis circuncidere 575
præputia fructuum 376
præteritum perfectũ pro plusquamperfecto, 2.& 8.& 35
præteritum pro futuro 16. 648
pretiũ, vel redemptio 272
ad præuaricandum præuaricationem 430
primitiæ gentium Amalec 501
primitiæ manuum 580
primitiæ vuæ 458
primitiuorum dies 514
primogenitura 80
princeps Dei es apud nos 68
princeps domorũ per familias 187
principes veſtri & tribus, pro principes tribuum

veſtrarum 636
principiú fortitudinis patris ſui, id eſt primogenitus patris 608
hæ ſunt profectiones 450
per profectiones ſuas 449
in profectionibus ſuis omnibus 309
prophanare vineam 605
propheta tuus, id eſt interpres 189
propitiari animabus 272
propitiatorium 250
propitius fuiſti, pro Peperciſti 461
protector Deus 43
prouerbium exiit ab hoc 31
in prouerbium eſſe 631
Puer pro miniſtro 283
pulcher aſpectu 37
puluis 11.619
putei putei 41

Q

Quærere Deum tota anima 554
quærere Dominum, pro conſulere Dominũ 281
que coniunctio, pro vt 49
Quieta ceſſatio 388
quis det, aut tribuat &c. 455.560

R

Redemptor 398
redemptio, ſiue pretiũ 272
reducere ad cor 639
regnum ſacerdotale 231
relatiuum pro antecedente 441
relictionis domus filius 43
religio 366
reliquias alicui ponere 552
res diei in die ſuo 184.392
rem diei in die ſuo colligere 219
renes 266
renes tritici 649
repetitio frequens in ſacris literis 62
repletionũ lapides 290.292
reptare 5
repudii libellus 615
reputare in oblationẽ de area 480
reſiduum euaſionis 100
reſpicere ad oblationem alicuius 471
reſpicere poſt tergum 57
reſpicere quomodo dicatur Deus ad munera 14
reſpondit coram Domino, pro reſpondit Domino 187
reſpondebit mihi cras iuſtitia mea 98
reuelare nuditatem mulieris 370
reuelare turpitudinem mulieris 379
reuertar mihi 494
reuertendo reuertar 52
Riſum fecit mihi Dominus 62
in Rore cæli habitatio tua 89
Rumorem falſum aſſumere 242

S

Sabbathum pro hebdomade 396
ſabbathum Dei 234
ſabbathũ eſt Domino 224
in ſabbatho eius 512
ſabbathũ requietionis 366
ſacerdotium pro ſummo pontificatu 470
ſacrificium pro gratiarum actione, & pacificũ, idem 310.330
ſacrificium gratiarũ actionis pacium 330
ſacrificia quare inſtituta 511
ſacrificia iuſtitiæ 658
ſagittas ſuas complere in aliquem 650
ſagittas inebriare ſanguine 653
ſal fœderis 314
ſalis ſeculi pactum 479
ſaluare animã ſuam, pro eripere è periculo 57
ſaluari in Domino 660
ſalua facta eſt anima mea 110
ſanctificare 422
ſanctificare pro conſecrare 211
ſanctificare, pro præparare 252
ſanctificari, pro in vſum ſacerdotum cedere, dicitur res aliqua 318
ſanctificauit ſe in illis Deus 484
ſanctificare Deum 510
ſanctificare Domino 592
ſanctificare aliquid, pro offerre Deo 477
ſanctificare annum 396
ſanctificare Deum 655
ſanctificare diem ſabbathi quomodo dicatur De⁹ 6
ſanctificare populum ſuum quid dicatur De⁹ 176
ſanctificare ſacerdotẽ 219
ſanctificare ſacerdotẽ, pro habere illum in honore 382
ſanctificari quid dicatur aliquid 273.327
ſanctificari quomodo dicatur Deus 339
ſanctificata 384
ſanctificationes, ſiue ſancta 383
ſanctificationum iniquitas 264
ſanctitas pro tabernaculo 342
ſanctitas Domini eſt 264
ſanctitas Domino 276.303
ſanctitas erunt Domino 390
ſanctitas ſacerdotis 436
ſanctitas ſanctitatum eſt 308.355
ſanctitas ſanctitatum, pro Tabernaculo 478
ſanctitas ſanctitatum Domino 271.274.316.283
ſanctitas ſanctitatum filiis

tuis 477
ſanctitates Iſrael, id eſt quæ Deo obtulit 384
ſanctus erit, pro ſacerdotio fungetur 470
ſancti eſtote 373
ſanctũ, deo cõſecratũ 314
ſanctum Domini 303
ſanctum erit 274
ſancta ſanctorum 273
ſanctum ſanctorum Domino 271.274.316
ſanctum ſanctorũ de oblationib' Domini 313.394
ſanctuarium, pro rebus ſacratioribus 450
ſanctuarium Dei 612
ſanctuaria 383
ſanguis pro cæde 367
ſanguis pro homine 625
ſanguis pro morte 55
ſanguis pro pœna cædis 607
ſanguis eius ſuper eũ 378
ſanguis innocens 607
ſanguis, ſedes animæ 16.17
ſanguinis vltor 534
ſanguis vuæ 649
ſanguinem hominis de manu hominis requirere quomodo dicatur Deus 17
ſanguinem innocentem dare populo 607
contra ſanguinem alicuius ſtare 374
ſanguinem innoxium auferre 603
ſanguines nõ ſunt illi 239
ſanguinum ſponſus 185
ſanguines ſuper eum 602
ſanguines ſunt illi 239
ſapientes corde, pro peritis artificibus 259.291.294
ſapientes pro incantatoribus 190
Scala Iacob 91
ſciris animas peregrinorum 243
ſcientiæ lignum 7
ſculpturæ annuli 264
in ſeculum 236
ſeculis ſuis 308
ſecundinæ 633
ſede-ſophim 497
ſegor 40
ſemel 282
ſemen pro liberis 44
ſemen pro nepotibus 49
ſeminare ſemine mulierem 433
ſennaar 40
ſeptuagies ſepties 16
ſeptuplum puniri 15.404 405
ſequi Deum 540
ſermo pro re 71.333.337
ſermo Domini ad Abraham factus eſt 43.44
ſermo egreſſus à Domino eſt iſte 76
ſermo loquentis cum eo finitus 50
ſermones complere 654
ſerotina pluuia 578
ſerpens æneus 487
ſerpentes igniti 487
Si, pro quia vel certe 461
ſiclus 409
ſiclus templi, ſiue ſanctuarii 275
ſicut hoc tempore 498
ſicut iſtud 254
ſicut tu, ſicut Pharao 150
in ſignum 562
in ſignum eſſe 504.632
ſignum ponere in aliquo 55
in ſigna ſunt luminaria duo magna in cælo 3
ſingulare pro plurali, frequens apud Hebræos 3
ſitiens, & ebria 637
contra Solem 502
ſolennitas eſt 392
ſomniare ſecundum interpretationẽ ſomnii 135
ſoror pro nepte 61
Spiraculum vitæ inſpirare 7
ſpiritus Dei 2
ſpiritus furoris Dei 218
ſpirituum Deus 510
ſponſus ſanguinũ tu mihi es 182
Stabilire aliquem frumento 89
Stabit verbum in ore duorum 603
ſtare corã aliquo, pro miniſtrare illi 541
ſtare contra aliquem 579
ſtare contra ſanguinem alicuius 374
ſtatuere vota 519
in ſtatutum iudicii 509
ſtatuto mundi 206
ſtatutum perpetuũ in generationibus veſtris 389
ſtola 253
in ſtuporem eſſe 631
Sua, nomen viri 126
ſub vmbra tigni mei 56
ſubſtantia in pedibus 577
ſufficientiam ſi inuenerit manus eius 348
ſuper me ouet 212
ſurgere pro patribus 525
non ſurrexit, pro non natus eſt 662
ſurge Domine 451
ſurſum ſurſum 632
ſuſcipere faciem alicuius in re aliqua 58.509
ſuſcipere faciem pauperis 374
ſuſcitare ſemen fratri ſuo 226
ſuſcitabit te ſibi Deus in populum 627

T

Tabernaculum 253
tabernaculũ cõuẽtiõis 475
tabernaculũ cõuentus 270
tabernaculi oſtium, pro oſtio atrii 356
tabernaculum ſanctum 219
tabernaculũ ſuũ ponere in medio populi ſui quid dicatur Deus 404
tabernaculũ teſtimonii 314
tabernaculum teſtimonii, quare dictum 417

tabernaculum teſtimonii, conuentionis, vel fœderis 259
in tabernaculis 658
tabulæ teſtimonii 277
talentum 272
tanquam vir vnus interfectus populus 462
tantummodo eris oppreſſus 629
tardus ad iram 462
Templū pro iis qui in templo verſantur 377
in tempora ſunt luminaria duo in cælo 3
temporanea pluuia 578
Non tentare Deum 563
termini catenæ 262
terra, pro hominibus terræ incolis 10
terra ænea 404
terra torrētium aquarum 568.574
terram comedere 22
terra ferrea 629
terra-viſionis 65
in terrorem eſſe 629
teſtificatio, ſiue teſtimonium 250
teſtimonium pro arca teſtimonii fœderis 364.404
teſtimoniū, pro libro fœderis 150
Theſauri, pro pectore 652
thus 323
thymiama 249
Tibi, vacat aliquando 222
timor Iſaac 105
Torrētium aquarum terra 568.574
Tranſire facere filium alicui idolo 371
tranſire in fœdus Domini 636
tritici renes 649
Turpitudinē mulieris reuelare 379
turpitudinem mulieris videre 379
turpitudo patris, vel nuditas 370.625
turpitudo tua eſt 370
turpitudo pro vxore 37

V

Vade tibi 35
Vaheb vrbs 488
vallis ſylueſtris 40
vanitates pro idolis 650
in vanum 234
vas omne, pro, quicquid 361.362
vas operis 523
vaſa, pro ſupellectile 105
Vectis 459
in velum non ingredi 383
vena, pro fluxu ſanguinis 380
venire à veniēdo, pro reuerti 77
venit coram me finis terræ 10
veniam ad te, pro, exaudiam te 235
veni, vice aduerbii hortantis 106
ventris fructus 626
verbum pro re 196
verbum pro re & cauſa 57
verbum in ore tuo, & corde tuo 640
verbum ponere in ore alicuius 496.497.600
verbū ſtabit in ore duorum 603
verbi repetitio frequēs apud Hebræos 22
iuxta verbum eius fecit 193
iuxta verbum tuum 463
verba Balac 492
dare verba eloquētiæ 167
verba decem, decalogus 188.574
verba fœderis ſiue pacti 635.636
verborum occaſiones imponere 612
veritas Dei 108
veritatem facere cum aliquo 162
ad veſperam 205
à veſpera vſque ad mane 393
inter duas veſperas 205.445.512
veſtimenta miniſterii 275.292.306
vexillum meū Deus 217
vexilla quatuor in profectionibus filiorum Iſrael 420
Viæ Dei iudicia 647
viam ſuam corrūpere 20
videre pro audire 235
videat Dominus 285
terra quam vidiſtis 540
videre turpitudinem mulieris 379
videndo vidimus Deū eſſe tecum 84
vineam prophanare 605
de vinea Sodomorū 652
viri pro aliquibus 238.612
vir pro vnoquoque 27.180
vir vir, pro quicūque ſiue quilibet 367.384
vir à fratre ſeparauerunt ſe 39
vir ad proximū dixit, pro alter ad alterum 33
vir agri 80
vir fratri ſuo iurauit 84
vir ſermonum 180
vir terræ 29
viri nominis 469
virago 9
virga Dei 182
vires terræ 25
virtutis homines 158
viſionis Deus 47
in viſiōe nocturna aliquando apparebat Dominus 456
viſitauit eum Dominus, pro fecit quod illi promiſerat 61
viſitare iniqtatē populi 558
viſitans iniquitatē &c. 234
viſitans viſitaui 179
vitæ lignum 7
vitam & mortem proponere 642
viuo ego 463

vt viuatis, pro, vt ſitis incolumes 568
viuere coram Deo 50
viuificare, pro incolumem ſeruare 564
viuificare aliquem, pro ſeruare eum in vita 37
viuificaſti nos 160
viuificabant mares 173
viuificare in liberationem magnam 152
viuificare populum 170
viuificare ſemen 58
Vltio mea eſt 652
& vltra, pro perpetuo 219
vltor ſanguinis 534
Vmbra pro præſidio 461
Vnctus, pro ſummo ſacerdote 318
vnguentum 149
vnicum in vnico 174
vnus pro primo 2.8
vnum ex his 324
Vocauit, ſubaudi, is qui vocauit 65.452
vocabitur tibi ſemen in Iſaac 65
vocare aliquem ex nomine 175.193
vocem alicuius audire 180
ſecundum voluntaté ſuam aliquid facere 373
volarum plenitudo 364
voluntarius corde 290
votum animarum 408
votum, pro ſpontanea oblatione 194
vota ſtatuere 519
Vſquequo 501
vſque ad decimam generationem 615
Vrim 512
vrim & thummim 162
Vuluam aperiens 287.422
vuluam aperire, pro primogenitum naſci 478
vuluam concluſit illi Dominus 62
ad Vxorem ingredi 622

Z

Zelotes Deus 286.558
zelotypiæ lex quare lata 432

Annotationes in Ge-
N E S I N.

LIBER GENESIS, HEBRAICE BERESITH.

Librum hunc Septuaginta interpretes GENESIN inſcripſerũt, quòd in eo, in ipſo ſtatim principio oſtendatur mundum à Deo conditum fuiſſe, neque illum eſſe creationis expertẽ, vt nonnulli Philoſophi exiſtimauerunt: aut quòd generis humani, reliquorúmque animantium ortus: breuiter, omnium quæ terra capit, hoc libro comprehendatur. Hebræi verò, BERESITH, à prima totius libri dictione, appellauerunt. Bereſith enim, ſignificat In principio.

CAPVT I.

IN principio ‖creauit Deus cælum & terram. Terra Act.14.c.17.f. pſal.32.a.135.a. eccli 18.a.
autẽ erat ʻinanis & vacua, & ʻtenebræ erãt ſuper fa-
ciem abyſſi: & ʻſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

IN principio creauit Deus cælum & terrã. Terra autem) Dilucidius ſic vertitur, In principio, ſiue Initio quũ creauit Deus cælũ & terrã, tum terra &c. Proponit initio rem totam, vt author eius agnoſcatur. Notãdum eſt autem hic terram appellari per occupationem, nondum enim ita vocabatur, ſed poſtea nudata aquis, ita vocari cœpit.

INANIS & vacua,) Vel, informis & inanis. Voces Hebraicæ ferè vnũ & idem ſignificãt. Chaldæus paraphraſtes vertit, Squalida ſeu deſolata, atque vacua. LXX autem verterunt, inuiſibilis & incompoſita. Id eſt, nullis adhuc erat veſtita plãtis, nullis herbis vel arboribus ornata.

TENEBRAE erant ſuper faciem abyſſi:) Id eſt, tenebræ tegebant immenſam aquarum vim & profunditatem.

SPIRITVS Domini ferebatur) Spiritus Dei volitabat. Scripta exẽplaria vetera S. Dionyſii & Germani, editio item Complutẽſis, legunt Spiritus Dei. Hoc annotat & Sorbonicũ Correctoriũ. Quidã Hebræorũ intelligunt de vento: vt ſit Hebraiſmus, Spiritus Dei, pro, ventus à Deo excitatus. Ita Pſal.147.b, Flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ. Vel dicitur Spiritus Dei, id eſt vẽtus magnus. Cum enim Hebræi magnitudinẽ alicuius rei ſignificare volunt, adiiciũt hoc nomen DEVS. vt pſal.67.c, Mõs Dei, mons pinguis. Potior ea videtur eſſe opinio, quæ de Spiritu diuino intelligit: vt hic ſit ſenſus, Spiritus diuinus volitabat, id eſt agitabat ſeſe ſuper aquas, hoc eſt fouebat ſubſtantiã illam aqueam & terream. Vox enim Hebræa MERAHEPHETH, pro qua interpres vertit ferebatur: ſignificat volitare, incubare. Quidã vertunt, mouebat ſe. Chaldæus Paraphraſtes flabat: vt ad vẽtum referatur. Hæc autem ventum, & moueri, idem eſt.

[Margin: Spiritus Dei. — Deus. — מְרַחֶפֶת]

ʻDixítque Deus, ‖ʻFiat ʻlux. Et facta eſt lux. Et vidit Heb.11.a.
Deus lucem quòd eſſet ʻbona: & ʻdiuiſit lucem à tene-
bris. appellauítque lucem diem, & tenebras noctem: fa-
ctúmque eſt veſpere & mane ʻdies vnus.

DIXIT) Dicere pro iubere, & præcipere vtuntur Hebræi. Alii accipiunt Dicere pro velle, vel decernere: & ita vertunt, Decreuit, aut voluit Deus lucem fieri: & facta eſt. [Margin: Dicere.]

FIAT) Sit, aut Exiſtat. Sic in ſequentibus vertendum eſt.

LVX) Per lucem hoc loco intelligēda eſt lux ſubobſcura, & ſuis numeris nōdum abſoluta: quæ poſtea creato ſole, illuſtrior & ſplendidior reddita eſt.

BONA) Vox Hebræa, TOB, ſignificat bonū, ſuaue, delectabile, amoenū, & vtile

טוב DIVISIT) Poſt hanc vocem repetitur DEVS apud Hebræos: atque ita legitur in Codice Dionyſiano oblongo.

DIES vnus.) diei vnius. Id eſt primi. Eſt enim genitiui caſus, vt ex Chaldæo paraphraſte liquet. quaſi dicat, Atque ita trāſactus eſt dies primus. Meminit prius veſperæ, quàm mane, quòd Hebræi diem ſuū naturalem à veſpera incipiant. Alii dicūt per mane, diem intelligi: & per veſperam, noctem. Sic in ſequentibus vertendum.

Vnus. Vnum pro primo vſurpāt Hebræi: vt in Euangelio, Vna ſabbathorum, Id eſt prima.

Pſal. 135 a. Iere. 10. b. Pſal. 148. a.

Dixit quoque Deus, ‖ Fiat 'firmamētū in medio aquarū: & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuiſitque aquas quæ erāt ſub firmamento, ab his ‖ quæ erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita. Vocauítque Deus firmamentū, 'cælum: & factum eſt veſpere & mane 'dies ſecundus.

רקיע FIRMAMENTVM) Vox Hebræa RACIA, ſignificat extēſionē, & expāſionē, vt Pſal. 103. a, Extēdens cælū ſicut pellem.

Firmamentū Quidā diffuſionē ſignificare dicūt, atque ita vertūt, Sit diffuſum quoddā corpus inter aquas ſupernas & infernas. Nā de aere intelligit.

Aquæ. Sūt autē duplices aquæ: aliæ marinæ & fluuiatiles: aliæ ſunt in media regione aeris quæ ſunt nubes, aquæ potentia: quas dicit diuidi ab iſtis inferioribus per aerem. Cōuertit enim deus aquas illas, quæ circundabant terrā, in corpus illud extēſum quod eſt inter cælum & terram: id eſt vertit in aerem.

Cælum. CAELVM:) Hic cælum accipitur pro eo corpore quod eſt inter terrā & cælum, nempe pro aere & æthere. vt in Pſalmo 8, Volucres cæli. Id eſt aeris.

DIES ſecundus.) diei ſecundi. Aut, factum eſt tempus ſerotinum & matutinum diei ſecundi. Id eſt, ita tranſactus eſt dies ſecundus.

Pſal. 32. b 35. b. 88. b. Iob 38. a.

'Dixítque verò Deus, ‖ Congregentur aquæ quæ ſub cælo ſunt, in locum vnū: ' & appareat arida. 'Et factū eſt ita. Et vocauit Deus aridam, terrā: congregationéſque aquarum appellauit maria.

Præteritum perf. pro plus quàm perf. DIXIT verò Deus,) Verti debet hic locus per præteritū plus quàm perfectum, Iam verò dixerat Deus. Hoc enim pertinet ad opus ſecundi diei. Frequens autem eſt apud Hebræos, præteritum perfectum poni pro plus quàm perfecto.

ET appareat) vt videatur.

ET factū eſt ita. Et vocauit Deus &c.) Et factū fuerat ita: vocaueratque Deus aridam, terram: congregationéſque aquarum appellauerat maria.

Et vidit Deus quòd eſſet bonū, & ait, 'Germinet terra 'herbam virentem & facientem ſemen, & 'lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. Et factū eſt ita. 'Et protulit terra herbam 'virentē, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, lignúmque faciens fructū, & habens vnū-

quodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Et factum eſt veſpere & mane 'dies tertius.

GERMINET) Vox Hebræa TADSE impropriè ſignificat herbificet, ſiue herbam producat. תַּדְשֵׁא

HERBAM virentem) Hebraico more, ſingulare pro plurali poſitum eſt. Sunt autem duo verba Hebraica herbam ſignificantia: verum alterum DESE, herbam tenellam ſignificat: alterum HESEB, herbam quæ produxit germē, & adoleuit. Verti poteſt, Germinet terra germen, appoſitiue herbam facientem ſemen. Vel ſubaudienda coniunctio, Germinet terra germen, & herbam, &c. דֶּשֶׁא עֵשֶׂב

LIGNVM pomiferum) Lignum pro arbore: & ſingulare pro plurali poſitū, Arbores fructiferas facientes fructum. Lignum.

ET protulit) Protulit enim.

VIRENTEM, & facientem) Inter duo hæc verba nō ponitur coniunctio &, apud Hebræos.

DIES tertius.) diei tertii. Id eſt, ita tranſactus eſt dies tertius.

Dixit autem Deus, 'Fiant luminaria in firmamento cæli, '& diuidant diem ac noctem: & ‖ſint in 'ſigna & tēpora, & dies & annos: vt luceant in firmamento cæli, & illuminēt terram. Et factum eſt ita. Fecítque Deus 'duo luminaria magna: luminare maius, vt 'præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti: & ſtellas. & 'poſuit eas in firmamento cæli, vt lucerent ſuper terrā, & præeſſent diei ac nocti, & diuiderent lucem 'ac tenebras. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Et factum eſt veſpere & mane 'dies quartus. Pſal.135.b.

FIANT luminaria) Sol quarto die creatus eſt, & ante eum lux, herbæ, & arbores: ne homines ſibi perſuaderent ſolem eſſe primam cauſam lucis, & generationis herbarum & arborum: atque ita acciperent anſam idololatriæ.

ET diuidant diem ac noctem:) vt ſeparent diem à nocte.

SIGNA & tempora,) Quidam intelligunt per ſigna, momēta ipſa: per tēpora, horas: vt per motionem illorum corporum cæleſtium deſignentur momenta, horæ, dies, & anni. Alii ſubaudiunt hoc pacto, In ſigna, ſerenitatis ſcilicet, aut tempeſtatis: & tēpora, nempe veris, æſtatis, autumni, hyemis. Sunt qui per ſigna, intelligant miracula & prodigia: vt Ioſue 10.c. Eſa.15.b.c. Non deſunt qui per ſigna, ſolennitates & feſta velint accipi. Signa. Tempora.

DVO luminaria) Duo illa luminaria. ſic enim explicatur litera Hebræa HE, quæ emphaſim habet aliquando præpoſita dictionibus.

PRAEESSET) Hebraice legitur, In dominiū diei. Id eſt, vt dominaretur diei. Hoc autem intelligendum eſt de luce quam adminiſtrat ſol diei. Idem ſentiendum de luna. Hoc eſt, vt interdiu luceret ſol, & luna noctu.

POSVIT eas in firmamento) Quidā referunt EAS, ad ſtellas. Poſſumus tamē referre etiā ad lunā, ſolem, & ſtellas: & vertere per neutrū genus, Poſuit ea in firmamento. nam mox ſequitur, Vt præeſſent diei ac nocti. Hebræi autem poſt dictionem EA, legunt DEVS, hoc modo, Poſuit ea Deus in firmamento. atque ita legitur in oblongo codice ſcripto S. Dionyſii, & Complutenſi editione.

AC tenebras.) à tenebris.

DIES quartus.) diei quarti. Id eſt, Ita tranſactus eſt dies quartus.

Dixit etiam Deus, 'Producat aquæ 'reptile animæ viuentis, & 'volatile ſuper terram ſub 'firmamento cæli. Creauítque Deus 'cete grandia, & 'omnem animam viuentem atque 'motabilem, quam produxerant aquæ 'in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundum genus ſuum. Et vidit Deus quòd eſſet bonum, 'benedixítque eis, di-
.1. cens, 'Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris: auéſque multiplicentur ſuper terram. Et factum eſt veſpere & mane 'dies quintus.

יִשְׁרְצוּ PRODVCANT) Vox Hebræa IISRESV, ſignificat repere faciant, ſiue Producant in magna abundantia.

Animæ viuentis. REPTILE animæ viuentis,) Hebraiſmus eſt, pro reptilia viuentia.

VOLATILE ſuper terrã) Hebraice legitur, Volatile volet ſuper terram. Eſt autem ſingulare pro plurali, Volatilia volent.

SVB firmamento cæli.) Id eſt, in aere.

תַּנִּינִם CETE grandia,) Vox Hebræa THANNINIM, proprie ſignificat animalia illa oblonga quæ præ ſe ferunt formã ſerpentis, vt legitur Pſal. 148, Laudate Dominum de terra dracones, & omnes abyſſi. Hîc tamen non debet verti dracones: ſed accipitur pro animalibus aquatilibus immenſæ magnitudinis.

Anima viuẽs OMNEM animam viuentem) Hebraiſmus, pro, omnia animalia viuentia.

MOTABILEM,) reptãtem, Latine natantẽ. eſt enim propriũ piſcium natare.

Benedictio. IN ſpecies ſuas.) iuxta ſpecies ſuas.

BENEDIXÍTQVE eis,) Benedictio in ſacris literis ſignificat abundantiam. Id eſt, dedit illis fœcunditatem verbo ſuo.

CRESCITE, & multiplicamini,) Vel, Fructificate & augeſcite.

DIES quintus.) diei quinti. Id eſt, Ita tranſactus eſt dies quintus.

Dixit quoque Deus, Producat terra 'animam viuentem in genere ſuo, 'iumenta & reptilia & 'beſtias terræ, ſecũdum ſpecies ſuas. Factúmque eſt ita. Et fecit Deus beſtias terræ iuxta 'ſpecies ſuas, iumẽta & omne reptile terræ in genere ſuo.

Anima viuens. ANIMAM viuẽtẽ in genere ſuo,) Singulare pro plurali, more Hebraico. Præterea, animam viuentem, vocat animantia. Sic igitur verte, Animalia viuentia, Vel, animãtes viuẽtes ſecundum ſpecies ſuas. Id eſt, varia genera animantium.

בְּהֵמָה Iumenta. IVMENTA) BEHEMA, id eſt iumẽtum, ſingulare pro plurali. Vox Hebræa ſignificat ſpecies animalium quæ herbas comedunt, ſiue ſint domeſtica, ſiue ſylueſtria. Partitur autẽ animantia omnia in tria, in iumenta, reptilia, & feras.

Beſtiæ terræ BESTIAS terræ,) Per beſtias terræ, intelliguntur feræ, & animalia quæ carnibus veſcuntur, vt lupi, leones.

SPECIES ſuas, iumenta) Apud Hebræos interponitur cõiũctio ET, Et iumẽta. Sic legitur & in ſcriptis Latinis codicibus S. Dionyſii, Germani, & Victoris.

Et vidit Deus quòd eſſet bonũ, & ait, 'Faciamus ho-

12

minem ‖ad imaginem & ſimilitudinem noſtrā, & præ- ℣.5 a 9.a.
ſit piſcibus maris,& volatilibus cæli,& beſtiis, vniuerſǽ- coloſ.3.b. 1.cor.11.b.
que terræ, omníque reptili quod mouetur in terra. 'Et
creauit Deus hominem 'ad imaginem & ſimilitudinem
ſuam, 'ad imaginem Dei creauit illum,‖'maſculum & Matth.19.a.
fœminam creauit eos. Benedixítque illis Deus, & ait, eccli.17 a.
‖Creſcite,& multiplicamini,& replete terram, & ſubii- ℣.8.c.9 a.
cite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus
cæli, & vniuerſis animantibus 'quæ mouentur ſuper
terram.

FACIAMVS) Verbo plurali vtitur hic Moyſes,vt occulte ſacræ triadis myſterium indicet.

HOMINEM ad imaginem & ſimilitudinem noſtram,& præſit) hominem in imagine noſtra, iuxta ſimilitudinē noſtram, & dominentur,&c Singulare pro plurali homines,poſitum eſt.nam verbum plurale ſequitur,dominētur.Vocibus imago,& ſimilitudo, eiuſdem ſignificationis, maximā ſimilitudinem ſignificat: quaſi dicat,nobis ſimillimos:vt quantum fieri poterit,accedant ad naturam noſtram.Intelligit autem ſimilitudinem animi, non corporis,quæ conſiſtit in immortalitate,innocentia,& iuſtitia,reliquiſque animi dotibus. Ad imaginē & ſimilitudinem Dei.

ET creauit) Creauit itaque.

AD imaginem & ſimilitudinem ſuam) Hebraice non leguntur hoc loco duo hæc verba,ad ſimilitudinem:neque etiam in ſcriptis Latinis codicibus S.Dionyſii, Germani,& Victoris,ſed neque in Complutenſi editione.

AD imaginem Dei creauit illum) Eſt repetitio cum eleganti Hebraiſmo:pro, ad ſimilitudinem ſui creauit illos.Solent enim Hebræi antecedens pro relatiuo pronomine vſurpare. Quater autem meminit huius creationis hominis, vt intelligamus perfectionem creationis ipſius hominis. Antecedens pro relatiuo

MASCVLVM & fœminam creauit eos.) Relatiuum plurale retulit ad marem & fœminam:nequis putet,marem tantum ad ſimilitudinem Dei creatum. Verti Poteſt,Creauit autem marem & fœminam.

QVAE mouentur) quæ reptant.id eſt gradiuntur & incedunt. Sic paulo póſt. Reptare.

Dixítque Deus,'Ecce dedi vobis omnem herbam af-
ferētem ſemen ſuper terram,& vniuerſa ligna quæ ha-
bent in ſemetipſis ſementē generis ſui,‖vt ſint vobis in ℣.9.a.
eſcam, & cunctis animantibus terræ, omníque volucri
cæli, & vniuerſis quæ mouentur 'in terra, & 'in quibus
eſt anima viuens, 'vt habeant ad veſcēdum. Et factum
eſt ita. ‖Vidítque Deus cūcta quæ fecerat:& erant val- Eccli.39.c. mar.7.d.
de bona.Et factum eſt veſpere & mane 'dies ſextus.

ECCE dedi) Ecce,apud Hebræos pro ſane vel vtique,frequentiſſimum.DEDI autem,præteritum pro præſenti,quaſi dicat, Permitto vobis vt comedatis omnē herbam,&c. Ecce.

IN terra,& in quibus) Coniunctio ET, non legitur Hebraice.

IN quibus eſt anima viuens) Id eſt, viuentibus.

VT habeant ad veſcendum) omne inquam olus herbæ erit in cibum. Id eſt, omnes veſcentur herba virente. Eſum carnium non permittit ante diluuium, quem in principio capitis noni concedit poſt diluuium.

DIES ſextus.) diei ſexti. Hoc eſt, Ita tranſactus eſt dies ſextus.

CAPVT II.

IGITVR perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorũ. Cópleuítque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat: & ‖ requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat. Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum: quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo quod creauit Deus vt faceret.

Exod.20.b. heb.4.b.

Exercitus cæli.

ORNATVS eorũ.) exercitus eorũ. Id eſt, omnia quæ ſunt in cælo & in terra.

COMPLEVÍTQVE Deus die ſeptimo) Perfecitque Deus ſub diẽ ſeptimũ, Vel, Eluceſcente, ſiue adueniẽte die ſeptimo, extremam manum impoſuit Deus operi ſuo. Poſſet verti præteritum perfectũ in plus quàm perfectum, hoc modo, Perfecerátque Deus cum iam aduenit dies ſeptimus.

QVOD fecerat:) Id eſt, quod tam excellenti ordine diſpoſuerat.

Benedicere & Sanctificare diem.

BENEDIXIT diei ſeptimo,& ſanctificauit illum:) Et, pro id eſt, hîc ponitur: exponit enim quid ſignificet benedixit, Id eſt ſanctum ac celebrem haberi voluit. Sunt qui pro ſanctificauit, vertát ſegregauit: Id eſt, voluit diem ſeptimũ ſibi tribui. Sanctificare aliquẽ diẽ, eſt in eo ceſſare ab omni opere, & agere gratias Deo pro beneficiis acceptis. Dicitur autem hîc per occupationem ſeptimũ diem ſanctificari: nam ſeptimus dies ſanctus fuit data lege, non anté.

VT faceret.) Id eſt, vt eo ordine quo nunc eſt diſponeret.

Iſtæ ſunt generationes cæli & terræ, quando creatæ ſunt, in die quo fecit Deus cælum & terrã, & omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnémque herbam regionis priuſquã germinaret: non enim pluerat Dominus Deus ſuper terram, & homo nõ erat qui operaretur terram.

Generatio.

ISTAE ſunt generationes, &c.) Actiue ſumitur generatio: quaſi dicat, Hæc ſunt quæ generauerũt cæli & terra poſteaquam creata ſunt, eo ſcilicet tempore quo Dominus Deus creauit ea, vnà cum omnibus arboribus, prius quàm eſſent in terra: & vnà cum omnibus herbis agrorum, prius quàm germinarent. Paſſiue etiam poteſt verti, hoc pacto, Sic cælum creatum fuit vnà cum terra, modo ſcilicet quo diximus. In priore parte, cælum accipitur pro toto corpore cæleſti: in poſteriore verò pro toto illo corpore expanſo à terra vſque ad cælum. Præterea diem accipit pro tempore.

Cælum.

Dies.

FECIT Deus) Hebraice legitur, Fecit Dominus Deus. ſic & in ſcriptis vetuſtiſſ. codicibus Latinis S. Dionyſii & Germani legitur, & Complutenſi, Baſilienſique editione.

Homo.

HOMO) Hebraiſmus eſt, pro nullus: quaſi dicat, Non eſt quod quiſquã hoc tribuat vel pluuiæ, vel humanæ induſtriæ, quum Dominus nondum pluiſſet, neque

vllus homo eſſet qui agros coleret.

'Sed fons aſcēdebat è terra, irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ. 'Formauit igitur Dominus Deus hominē de limo terræ, '& inſpirauit in faciē eius ſpiraculū vitæ, & ‖factus eſt homo 'in animam viuentem. Plantauerat autem Dominus Deus 'paradiſum voluptatis à principio: in quo poſuit hominem quem formauerat. 1.Cor.15.f.

SED fons aſcendebat è terra,) Vapor autē aſcendebat è terra. Vel, Porro vapor aſcēderat è terra. Repetit Moyſes creationem hominis: narrátque quomodo præparauit Deus materiam ex qua ipſum hominem creauit. Vox Hebræa ED, ſignificat vaporē: pro qua alii fontem vertunt, alii nubem, vt Chaldæus paraphraſtes: quia nubes fit ex vaporibus eductis è terra per calorem ſolis, qui aſcendunt in mediam regionem aeris, vbi propter eius frigiditatē conuerſi in aquam, deſcendunt, & irrigant terram. אֵד

FORMAVIT igitur) Et formauit, vel finxit. quaſi dicat, Cum autem calore ſolis vapores ſurſum ferrentur, & terra illis in pluuiam verſis irrigaretur: tum Deus è terra aqua macerata finxit hominem.

ET inſpirauit in faciem eius ſpiraculū vitæ,) Id eſt, halitu ſuo animā illi dedit. Spiraculū vitæ inſpirare.

IN animam viuentem.) Id eſt, factus eſt anima viuens, cœpitque viuere.

PARADISVM voluptatis à principio:) hortum in Eden ad Orientem. De Eden legitur Eſa.37.c.

'Produxítque Dominus Deus de humo 'omne lignū pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue: 'lignum etiam vitæ in medio paradiſi, 'lignúmque ſciētiæ boni & mali. Et 'fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita: nomen 'vni ‖Phiſon: ipſe eſt qui circūit omnem terram Heuilath. vbi naſcitur aurum, & aurū terræ illius optimū eſt, ibíque inuenitur 'bdeliū, & lapis onychinus. Et nomen fluuii ſecundi Gehon. ipſe eſt qui circumit omnem terrā 'AEthiopiæ. Nomen verò fluminis tertii, Tigris: ipſe vadit 'contra Aſſyrios. Fluuius autem quartus, ipſe eſt Euphrátes. Eccli.24.c.

PRODVXÍTQVE) Fecitque germinare.

OMNE lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue:) Singulare pro pluralis & lignum pro arbore poſitum. Vertendum, Omnes arbores deſyderabiles viſu, & ad veſcendum ſuaues. Lignum.

LIGNVM etiam vitæ) arborē etiā vitæ. Id eſt, de cuius fructu qui comediſſent, ſemper vixiſſent: vt in fine capitis ſequentis declarat ipſe Dominus, quum inquit, Sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. Lignū vitæ.

LIGNVMQVE ſcientiæ boni & mali.) arborémque ſcientiæ, &c. Ab euentu ſic dicta arbor: quia per eam Deus erat probaturus, eſſétne obediens homo, an nō. Aut, quia cognouit Adam per eſum fructus vetiti eius arboris, bonum quod Lignū ſciētiæ

amiſerat, & malum in quod incurrerat. Ita videtur Dominus ipſe interpretari ſequēti capite quū his verbis poſtquā comediſſet Adam fructū, conqueritur, Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum. Per occupationē autem ſic dicta eſt arbor: nondum enim ita appellabatur.

FLVVIVS egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandū paradiſum, qui inde diuiditur) Videtur ſingulare pro plurali, more Hebræorū, poſitū eſſe, Fluuii
Eden. egrediebantur de Eden, ad irrigandum hortum, qui inde diuidebantur &c. Eden pro quo vertit interpres, de loco voluptatis: regio eſt nō procul ab Haran vrbe Meſopotamiæ, vt colligitur ex 17. cap. Ezechielis, ex qua regione fluuii egrediebantur, qui confluebant ad irrigandum hortum: ad quem quum peruenerant, diuidebantur in quatuor flumina ad irrigandum ipſum hortum.

Vnus VNI) Id eſt primo. Hebraiſmus.

Bdelium. BDELIVM) Quidam dicunt eſſe nomen lapidis pretioſi. Alii nomen arboris. Scribit enim Plinius bdelium eſſe arborem quæ creſcit non longe à ſinu Perſico, in finibus Meſopotamiæ. Vnde colligitur, partem Meſopotamiæ eſſe paradiſum: ſaltem paradiſum in Meſopotamia eſſe.

AETHIOPIAE.) De AEthiopia orientali intelligit.

CONTRA Aſſyrios.) ad orientalem plagam Aſſyriæ.

Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum ᵃin paradiſum voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum: præcepítque ei, dicens, ᵇEx omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, ᶜmorte morîeris.

IN paradiſum voluptatis,) in hortum Eden.

EX omni ligno paradiſi comede: de ligno autem, &c.) Id eſt, E fructu omniū arborum horti facio tibi comedendi poteſtatem: at de arbore &c. Hebraiſmus.

Morte mori. MORTE morieris.) Hoc eſt, mortalis eris, obnoxius eris morti. Hebraiſmus.

ᵃDixit quoque Dominus Deus, Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum: ᵇfaciamus ei adiutorium ſimile ſibi. ᶜFormatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animātibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli, adduxit ea ᵈad Adā, vt videret ᵉquid vocaret ea. ᶠomne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius. Appellauítque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & vniuerſa volatilia cæli, & omnes beſtias terræ: ᵍAdæ verò non inueniebatur adiutor ſimilis eius.

DIXIT quoque Dominus) Per præteritū plus quàm perfectum verti debet, Dixerat autem Dominus: ſubaudi, die ſexto, quo die fuit creata mulier: hic autē oſtendit quo modo: quod ipſe prætermiſerat.

Simile ſibi. FACIAMVS ei adiutorium ſimile ſibi.) Faciam illi auxilium iuxta illum. Id eſt, illi conueniens, aut ſimile illi. Alii vertunt, Faciam illi adiutorium quaſi coram eo: ſiue quaſi ante eum. hoc eſt, quod ſtet coram eo: vel quod ſit ſemper in conſpectu eius ad obſequendū ei. LXX verterunt, Cōgruētem illi, Id eſt, ſimi-

litudine morum illi reſpondentem. Antiqui codices Latini, S. Dionyſii & Germani legunt, adiutorem ſimilem ſui.

FORMATIS igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli,) Formauit præterea Dominus Deus de humo omnẽ feram agreſtem, & omne volatile. Præteritum perfectum pro plus quàm perfecto: & ſingulare pro plurali poſitum eſt. Vertendúmque hoc modo, Formauerat præterea Dominus Deus de humo omnes feras agreſtes, & omnia volatilia cæli. Vel, Cum autem formaſſet omnia, &c. adduxit ad Adam.

AD Adam) ad hominem. Hic Adam non eſt proprium nomen, vt vulgo exiſtimatur: neque in ſequentibus locis.

QVID vocaret ea.) Id eſt, quod nomen inderet illis.

OMNE enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius. Appellauítque Adam nominibus ſuis cuncta, &c.) Dilucidius ſic vertetur, Nomen autem quod homo indidit omnibus animãtibus, ipſum fuit (vel, erat) nomen eorum. Impoſuit igitur homo nomina ſingulis animantibus, &c.

ADAE vero non inueniebatur adiutor ſimilis eius.) At homini non inuenit adiutorium quod eſſet coram ſe. Hebraiſmus elegans: de ſe loquitur in tertia perſona, At homini, id eſt ſibi, non inuenit adiutorium per omnia ſibi reſpondens. Iſtud enim non dicitur de Deo, ſed de primo parente.

'Immiſitque Dominus Deus ſoporẽ in Adam: cúmque obdormiſſet, 'tulit vnam de coſtis eius, &' repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus 'coſtam quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixítque Adam, ‖ 'Hoc nunc, 'os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: 'hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt. ‖ Quam ob rem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit vxori ſuæ: & ‖ erunt duo 'in carne vna. Erat autẽ vterque nudus, Adã ſcilicet & vxor eius: & non erubeſcebant.

1.Cor.11.b.
Matth.19.a.
mar.10.a.
ephes.5.g.
1.Cor.6.d.

IMMISÍTQVE) Immiſit ergo. Ita legunt vetera ſcripta exẽplaria Latina S. Dionyſii & Germani.

TVLIT vnam de coſtis eius,) Vel, Tulit vnã (ſubaudi, portionẽ) de lateribus eius, pro, aliquam portionem ex vno laterum eius. Eſt enim Hebraiſmus. Sic alio loco legitur, Sepultus eſt in vrbibus Iuda, pro, in vna vrbium.

Plurale pro vno è pluribus.

REPLEVIT carnem pro ea.) clauſit carnẽ pro ea. Id eſt, repleuit carne locũ illum vnde ſumpſerat materiam.

COSTAM quam tulerat) Vel, Latus quod acceperat. Hoc eſt, portionem eam carnis quam acceperat de latere hominis.

HOC nunc) Hac vice. ſubaudi, inueni adiutorium.

OS ex oſſibus &c.) Id eſt, communicat mecum carne & ſanguine. Leguntur autem hæc per admirationem.

HAEC vocabitur virago,) Propter hanc rem vocabitur virago. Si ſermo Latinus pateretur, dicẽdum eſſet vira, à vir: nam ſic apud Hebræos, adiectione vnius literæ, mulier denominata eſt à viro. Illi enim virum ſiue maritum, IS dicunt: & mulierem ſiue vxorem ISSA. איש אשה

IN carne vna) in carnem vnam. Id eſt, erunt velut vna caro, & vnum corpus.

CAPVT III.

Sapien.2.d. SED & ‖ſerpens 'erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierē, 'Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno paradiſi? Cui reſpondit mulier, De fructu lignorũ quæ ſunt in paradiſo, 'veſcimur: de fructu verò 'ligni quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Dixit autem ſerpens ad mulierem, ‖'Nequaquã
2.Cor.11.a.
morte moriemini. 'ſcit enim Deus quòd in quocũque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri: & eritis 'ſicut dii ſcientes bonum & malum.

SED & ſerpens) Serpens autem.

ERAT callidior cunctis animantibus terræ,) Verti poteſt per ſuperlatiuum, hoc pacto, Erat calidiſſimus, ſiue aſtutiſſimus omnium beſtiarum agri. Id eſt, ferarum agreſtium.

CVR præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno paradiſi?) Etiã (ſubaudi, éſtne verum) quòd præcepit Deus ne ex vllius arboris fructu comederetis? Videtur truncata fuiſſe ſentẽtia: vt poſt alia multa quæ ſerpens dixerit mulieri, ſubiunxerit, Etiámne eſt verum quòd &c. Poſſet verti vt & Chaldæus paraphraſtes tranſtulit, Verúmne eſt quòd Deus &c.

VESCIMVR:) Id eſt, veſci nobis licet.

LIGNI quod eſt in medio paradiſi,) arboris quæ eſt in medio horti.

Morte mori. NEQVAQVAM morte moriemini.) Morte mori, Hebraiſmus, pro certiſſime, & ſine dubio mori. Sunt qui interpretẽtur locũ iſtum hoc pacto, Nequaquã verum eſt vos eſſe morituros ea hora qua comedetis ex eo fructu: ſed ideo vetuit, nõ quòd mors ſequatur eſum fructus, ſed vt tollat à vobis ſcientiã perfectiſſimã.

SCIT enim) ſed ſcit.

SICVT dii) Id eſt, eritis ſimiles Deo. Alii vertunt, Sicut angeli: nam vtrũque
אֱלֹהִים ſignificat vox Hebræa ELOHIM.

Vidit igitur mulier 'quòd bonũ eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, 'aſpectúque delectabile:
Eccli 25.d.
1. tim. 2.d.
& tulit de fructu illius, & ‖comêdit: deditque 'viro ſuo, qui comêdit. Et aperti ſunt oculi amborum: cúmque cognouiſſent ſe eſſe nudos, cõſuerunt 'folia ficus, & fecerunt ſibi 'perizomata.

QVÒD bonum eſſet lignum) Hebraiſmus, quòd bonus eſſet fructus arboris.

ASPECTVQVE delectabile:) Hebræi exponunt, Concupiſcibilis eſſet arbor ad intelligẽdum. Id eſt, ad faciendum intelligere, ad prudentiam comparandam. Verũ vox Hebræa LEHASKIL, hoc loco potius ſignificat cõtẽplari: debétque
לְהַשְׂכִּיל ſic verti, Ad contemplandum deſyderabilis. Id eſt, quòd oculos cõtemplantium ſe, remoraretur.

VIRO ſuo,) Hebraice additur, ſecū. Id eſt, viro ſuo qui ſecum erat. Hinc quidam dicūt Heuam ſeductam fuiſſe præſente Adam viro ſuo. Verū Hebræi ſubaudiunt, vt ederet: ſicque coniungunt, Dedit viro ſuo, vt ederet vnà cum ipſa.

FOLIA) Vel, frondes.

PERIZOMATA.) Cingula. quibus ſcilicet tegerent pudenda.

Et cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo 'ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adā & vxor eius à facie Domini Dei 'in medio ligni paradiſi. Vocauítque Dominus Deus Adam, & dixit ei, Vbi es? Qui ait, 'Vocem tuam Domine audiui in paradiſo: & timui, eo quòd nudus eſſem, & abſcondi me. 'Cui dixit Dominus, Quis enim indicauit tibi quòd nudus eſſes, niſi quòd ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti? Dixítque Adam, Mulier quam dediſti mihi ſociā, dedit mihi de ligno, & comedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierem, 'Quare hoc feciſti? Quæ reſpondit, Serpens decepit me, & comedi.

AD auram poſt meridiem,) ad auram diei. Id eſt, ſub veſperam, quo tempore ventus ſeſe attollere ſolet.

IN medio ligni paradiſi.) Lignū pro arbore: & item ſingulare pro plurali poſitum. vertendum igitur, In medio arborum horti.

VOCEM tuam Domine audiui) In Hebraico codice non legitur DOMINE: ſed neque in Latinis ſcriptis, S. Dionyſii & Germani: neque in Cōplutenſi & Baſilienſi editione.

CVI dixit Dominus, Quis enim indicauit) Dictiones DOMINVS & ENIM, non legūtur Hebraice: neque in lato S. Dionyſii codice, & Germani vtroque: neque in Baſilienſi editione.

QVARE hoc feciſti?) Quid hoc eſt quod admiſiſti? Id eſt, quale eſt facinus quod admiſiſti? Admiratiue dictum.

Et ait Dominus Deus ad ſerpētem, Quia feciſti hoc, 'maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ: 'ſuper pectus tuum gradiêris, & terram comedes cūctis diebus vitæ tuæ. 'INIMICITIAS PONAM inter te & mulierem, '& ſemen tuū & ſemen illius: 'ipſa conteret caput tuum, & 'tu inſidiaberis calcaneo eius.

MALEDICTVS es inter omnia animātia, & beſtias terræ:) Maledictus es tu præ omnibus animantibus & feris agreſtibus. Intellige hîc duos ſerpētes, externum & internum & per externam maledictionem intellige internā. eſt enim Satanas maledictus præ omnibus ſpiritibus.

SVPER pectus tuū gradieris) ſuper ventrem tuum gradieris. Hoc loco ſuper ventrem gradi, & terram comedere, eſt verſari in imis & obſcuriſſimis terræ cauernis, anguſtis admodum, & non altis. ſunt enim cauernæ multæ ita anguſtæ,

Gradi ſuper pectus.
Comedere terram.

& depreſſæ, vt in illis nemo erigere ſe poſſit, niſi manibus exporrectis innitatur.

INIMICITIAS) Et inimicitias.

ET pro id eſt. ET ſemen tuum.) Et, pro id eſt, ponitur hoc loco.

IPSA cõteret caput tuũ) Ipſum cõteret te in capite. Ipſũ, ſubaudi ſemẽ, qui eſt CHRISTVS. LXX verterũt ipſe, CHRISTVM intelligentes. aut αὐτὸς refert, non σπέρμα, ſed τὸν σπόρον: quòd ſit eiuſdem cum dictione σπέρμα, ſignificationis: ídque Hebraico more. atque ita legitur in vetere codice oblongo S. Germani.
זֶרַע ZERA quod Latine ſemẽ ſignificat, maſculinũ eſt apud Hebræos: & HV relatiuũ ſimiliter maſculinum. Apud Latinos autem, ſemẽ neutrum eſt, vnde relatiuum
הוּא neutrum eſſe debet.

INSIDIABERIS calcaneo eius.) conteres ipſum in calcaneo.

Mulieri quoque dixit, 'Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, '& ſub viri po-
1. Corin. 14. f. teſtate eris, & ‖ipſe dominabitur tui.

Repetitio verbi. MVLTIPLICABO ærũnas tuas, & conceptus tuos:) Multiplicãdo multiplicabo dolorem tuum, & conceptum tuũ. Repetitio verbi apud Hebræos frequẽs, ſignificat certitudinẽ rei: quaſi dicat, Haud dubie augebo. Præterea, duo ſubſtantiua ſæpius coniunctione ET, coniungunt Hebræi, quorũ alterũ eſſet genitiui ca-
Conceptus. ſus apud Latinos: vt hic, dolorem tuũ, & conceptũ tuũ: pro dolorẽ conceptus tui. Poſtremo, conceptũ hoc loco pro vteri geſtatione accipere debemus, quod etiã
הֵרוֹן ipſa vox Hebræa HARON ſignificat. Sic igitur dilucide vertes, Haud dubie augebo dolorem tuũ, dolorem inquam qui tibi erit ex conceptu & geſtatione vteri. Verti etiã poſſet, Iterando iterabo dolorẽ tuũ, dolorẽ inquã cõceptus tui Id eſt, Iterabo tibi cũ dolorem quẽ ſenties in primo tuo conceptu, ſiue vteri geſtatione tua prima. Multis vicibus afficiam te dolore, nempe quoties concipies.

ET ſub viri poteſtate eris) & ad virum tuum concupiſcentia tua ſiue deſyderiũ tuum. Id eſt, in dolore paries filios, & nec ſic tamen refugies congreſſum viri tui. Vel, Pendebis à viro tuo ſemper.

Adæ verò dixit, Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti 'de ligno ex quo præceperã tibi ne comederes, 'maledicta terra in opere tuo: in laboribus 'comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. 'In ſudore vultus tui veſcêris pane tuo, donec reuertaris in terrã 'de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuertêris.

DE ligno ex quo) de arbore de qua, &c.

Maledictio. MALEDICTA terra in opere tuo:) Maledicta terra propter te. Id eſt, pro-
Benedictio. pter peccatũ tuũ. Maledictio apud Hebræos ſignificat ſterilitatẽ: ſicut benedictio copiam & abundantiam. Paulus ad Heb. 6, declarat hanc terræ maledictionem.

COMEDES ex ea) Comedes eam, hoc eſt, ex fructibus eius.

Veſci pane. IN ſudore vultus tui veſcêris pane tuo) Hebraiſmus, pro, Victum parabis tibi cum ſudore. Vetera Latina ſcripta exẽplaria S. Germani & Victorjs, conſentiẽte Complutenſi editione, non legunt pronomen TVO.

DE qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuertêris) quia ex ea ſumptus es: lutum enim es, & in lutũ reuertêris. Vel, puluis es, & in puluerem reuer-
עָפָר têris Siue, terra es, & in terrã reuertêris. Vox Hebræa HAPHAR, ſignificat puluerem, lutum, humum, terram.

Et vocauit Adam nomen vxoris ſuæ, Heua: eo quòd 'mater eſſet cunctorum viuentium. Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. Et ait, 'Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum. 'nunc ergo ne fortè mittat manũ ſuam, & ſumat etiam 'de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.

MATER eſſet) Hæc referri debẽt ad tempus quo ſcripſit Moyſes: quare præteritum debet verti per futurum, hoc modo, Mater futura eſſet.

ECCE Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens) Ecce homo factus eſt quaſi vnus noſtrum, ſciendo, &c. Vel, quantum ad cognitionem boni & mali attinet. Hæc per ironiam dicũtur: quaſi dicat, Longe aliter res ſe habet, ac putauit homo.

NVNC ergo ne forte, &c.) Cõciſus ſermo: ſubaudiri debet aliquid, Nunc ergo vos angeli, videte ne mittat, &c.

DE ligno vitæ,) Id eſt, de fructu arboris vitæ. De hac dictũ eſt capite ſecundo.

'Emiſit eum Dominus Deus 'de paradiſo voluptatis, vt operaretur terrã de qua ſumptus eſt. Eiecítque Adã: & collocauit 'ante paradiſum voluptatis cherubim, & 'flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendã 'viam ligni vitæ.

EMISIT) Et emiſit. Sic etiã legitur in veteri ſcripto codiec oblõgo S. Germani.

DE paradiſo voluptatis,) de horto Eden.

ANTE paradiſum voluptatis cherubim,) ab oriente horti Eden cherubim. Id eſt, angelos humanam formam habentes. Cherubim.

FLAMMEVM gladium atque verſatilẽ,) laminam gladii verſatilis. Id eſt, gladium verſatilem. Vel, laminam gladii vtrinque acuti. Sunt qui putant hos angelos non vnum habuiſſe gladium, ſed plures ſtrictos enſes ſplendentes & fulgentes admodum: poſitúmque eſſe ſingulare pro plurali.

VIAM ligni vitæ.) Id eſt, viam qua itur ad arborem vitæ.

CAP. IIII.

ADAM verò cognouit vxorem ſuam Heuam: quæ concepit, & peperit Cain, dicens, 'Poſſedi hominẽ 'per Deum. Rurſumque peperit fratrem eius Abel. Fuit autem Abel paſtor ouium, & Cain agricola.

POSSEDI) Vel, Acquiſiui.

PER Deum.) cũ Domino. Id eſt, fauente Domino, Dei dono & munere. Vetus codex oblongus S. Germani, & Complutenſis editio legunt Per Dominum. Per deum.

Factum eſt autem 'poſt multos dies vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & 'de adipibus eorum: & 'reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad

Cain autem, & ad munera illius nõ reſpexit: iratúſquẽ eſt Cain vehementer, & 'cóncidit vultus eius. Dixítque Dominus ad eum, Quare iratus es? & cur cóncidt facies tua? 'Nónne ſi bene egeris, recipies? ſin autẽ male, 'ſtatim in foribus peccatum tuum aderit: ſed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.

Poſt dies. POST multos dies) à fine dierũ. Id eſt, poſt aliquot annos. Dies enim pro annis hoc loco accipiuntur.

Adipes. DE adipibus eorum:) Id eſt, de pinguioribus ouibus. Hebraiſmus.

Reſpici à Deo. RESPEXIT Dominus ad Abel, &c.) Hebraiſm⁹, pro, Abel placuit Domino, & munera eius: Cain autem nõ placuit eí, neque eius munera. Reſpicit Dominus nõ tã res externas, quàm internas, id eſt animũ donantis, potius quàm dona ipſa.

CONCIDIT vultus eius.) Id eſt, cœpit eſſe vultu demiſſo, more triſtium hominum. maxime indignatus eſt, motus inuidia.

NÓNNE ſi bene egeris, recipies?) Subaudi, mercedem. Variè hic locus verti

שְׂאֵת poteſt. Nã verbũ Hebraicũ SEETH, pro quo interpres vertit recipies: ſignificat etiã cõdonare, ſiue remittere, attollere, & leuare. Quidã igitur vertunt, Nónne ſi bene egeris, condonabit? Subaudi, tibi peccatum tuum. Alii ſic, Nónne ſi bene egeris, attolles? Subaudi, vultum. id eſt, Nónne incedes recto vultu, viuéſque in gaudio & lætitia? Poſtremo alii hoc pacto, Nónne ſi bene egeris, exaltatio erit tibi? Quaſi dicat, Tu videris dolere quòd frater tuus ſit elatus & euectus ſupra te: tu verò ſi ſtudueris benefacere, attolleris vt ille. Hebraicæ veritati conuenit magis hæc poſtrema opinio.

STATIM in foribus peccatum tuum aderit: ſed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.) pœna peccati in foribus cubat, & ad te deſyderiũ eius: at tu dominaberis ei. Id eſt, Punitio in foribus præſto eſt, & te manet, cupítque tibi adhærere. Gallice dicimus, Elle ne demãde que de t'empoigner. Verum ſi voles, dominaberis illi pœnæ, effugies pœnam illam: gratia mea ſcilicet. Poteſt extrema particula verti per imperatiuum, hoc pacto, At tu dominare ei: Id eſt, vita illam punitionem, emẽdando vitam tuam. Hebraice non legitur pronomen TVVM, neque in veteribus ſcriptis codicibus S. Dionyſii & Germani, ſed neque in Complutenſi & Moguntina editione. Hoc & admonet Correctorium Sorbonicum.

'Dixítque Cain ad Abel fratrem ſuũ, Egrediamur foras. Cúmque eſſent in agro, conſurrexit Cain aduerſus

Sapi.10.a. fratrem ſuũ Abel, & ‖interfecit eũ. Et ait Dominus ad

matth.23.c. Cain, Vbi eſt Abel frater tuus? Qui reſpondit, Neſcio:

1.iohan.3.b. iudæ 1.d. nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? Dixítque ad eum, Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur 'maledictus eris ſuper terram: quæ aperuit os ſuũ, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, nõ dabit tibi 'fructus ſuos; vagus & profugus eris ſuper terrã. Dixítque Cain ad Dominum, 'Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniã

merear. Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis igitur qui inuenerit me, occîdet me. Dixítque ei Dominus, Nequaquam ita fiet: ſed omnis qui occiderit Cain, ſeptuplũ punietur. Poſuítque Dominus in Cain ſignũ, vt non interficeret eum omnis qui inueniſſet eũ. Egreſſúſque Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Eden.

DIXÍTQVE Cain ad Abel fratrem ſuũ, Egrediamur foras.) Hæc verba, Egrediamur foras, non leguntur Hebraice: neque in ſcriptis codicibus Latinis S. Germani & Dionyſii, neque in editionibus Complutẽſi & Moguntinenſi. Verum ex Septuaginta deſumpta ſunt, qui illa adiecerũt propter ſequentia, Cúmque eſſent in agro. Nõnulli pro Dixit, vertũt, Narrauitque Cain Abel fratri ſuo. ſubaudiúntque, Omnia quæ dixerat ei Deus. Alii ſic, Allocutus eſt Cain fratrem ſuum Abel: verbis ſcilicet duris, vt inde haberet occaſionem inſurgendi in eum.

VOX ſanguinis fratris tui clamat ad me) Per ſanguinem, mortem intelligit. Hîc autem rei inanimatæ tribuitur vox. Quaſi dicat, Sanguis fratris tui à te effuſus in terram, teſtatur te illum occidiſſe. Sanguis.

MALEDICTVS eris ſuper terra:) Maledict⁹ es de terra. Id eſt, ex parte ipſius terræ, reſpectu ipſius terræ. Hoc eſt, terra quã coles, erit maledicta: quæ iam maledicta eſt propter peccatum primi parentis, iterũ propter te maledicetur. Quid autem ſit, Terrã maledici, exponit, cum dicit, Cum operatus fueris terram, &c. Maledictus ſuper terram.

FRVCTVS ſuos:) Vires ſuas. Id eſt, fructus ſuos. Hebraiſmus. Vires terræ.

MAIOR eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.) Maior eſt iniquitas mea, quàm vt condonari mihi poſſit. Sic verterunt LXX. Poteſt & ſic verti, Punitio mea maior eſt, quàm vt ferre poſſim. Nam dictio Hebræa vtrumque ſignificat.

A FACIE tua abſcondar, & ero vagus) Id eſt, non apparebo poſthac in conſpectu tuo offerens aliquid. ero enim vagus, &c.

NEQVAQVAM ita fiet: ſed omnis qui &c.) Imò, ſiue Profectò omnis qui, &c.

QVI occiderit Cain,) Hebraiſmus, pro, Qui occiderit te. alloquitur enim eũ in tertia perſona.

SEPTVPLVM punietur.) Hebraiſmus, pro, Grauiſſimas pœnas dabit. accipitur enim numerus certus pro incerto. quaſi dicat, Septies grauiore pœna punietur, quàm ſi interficeret aliquem alium. Septu puni

POSVÍTQVE Dominus in Cain ſignũ,) Id eſt, Dedit ei aliquod ſignum, quo indicaret ei, neminem eum impune interfecturum.

OMNIS) Hebraice, pro vllus.

PROFVGVS in terra) in terra Nod. Quæ ita dicebatur à perfugio. Aut certe, in terra perfugii. id eſt, in qua erat profugium ipſis profugis.

Cognouit autem Cain vxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Henoch: & ædificauit ciuitatem, vocauítque nomen eius ex nomine filii ſui, Henoch. Porrò Henoch genuit Irad, & Irad genuit Maüiael, & Maüiael genuit Mathuſael, & Mathuſael genuit Lamech. Qui accepit

duas vxores, nomẽ vni Ada, & nomen alteri Sella. ᶠGenuítque Ada Iabel, ᵍqui fuit pater habitantium in tentoriis, atque paſtorum: & nomen fratris eius Iubal, ipſe fuit ʰpater canentiũ cithara & organo. Sella quoque ⁱgenuit Tubal-cain, ᵏqui fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri. Soror verò Tubal-cain, Noema. Dixítque Lamech vxoribus ſuis Adæ & Sellæ, Audite vocem meam ˡvxores Lamech, auſcultate ſermonẽ meũ: quoniam ᵐoccídi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum. ⁿſeptuplùm vltio dabitur de Cain: de Lamech verò ſeptuagies ſepties.

QVI accepit) Qui Lamech accepit.

GENVÍTQVE) Peperítque.

Pater.

QVI fuit pater habitantium in tentoriis, atque paſtorũ:) Qui fuit pater inhabitantis tentorium, & paſcentis. Subaudi, gregem. Id eſt, Hic primus adinuenit artem habitandi in tabernaculis vt paſceret gregem.

PATER canentium cithara & orgãno.) Id eſt, inuentor muſices.

GENVIT) peperit.

QVI fuit malleator & faber in cũcta opera æris & ferri.) acuentẽ & expolientem omnia opera æris & ferri. Id eſt, authorem artis fabrilis.

VXORES Lamech,) Hebraiſmus, pro, Vxores meæ. Solent enim Hebræi de ſe loqui in tertia perſona.

Præteritum pro futuro,

OCCIDI virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meũ.) Hîc præteritum pro futuro ponitur, vertíque debet ad hunc modum, Sane hominẽ interficerem in vulnere meo, etiam adoleſcentem in liuore meo. Hoc eſt, Si à quoquam, etiam viro fortiſſimo, vel ab adoleſcente qui viribus valet, vulnus acciperem, illum interficerem: valeo enim viribus. Non eſt igitur quod mihi aut liberis veſtris timeatis, ô vos vxores meæ. Videbat enim vxores ſuas triſtes.

SEPTVPLVM vltio dabitur de Cain: de Lamech verò ſeptuagies ſepties.) Subaudiendũ, Scitote inquã, quòd ſeptuplùm vindicabitur Cain, at Lamech ſeptuagies ſepties. Id eſt, Scitote quòd grauiſſime punietur à Domino ille qui Cain interfecerit: multo autem grauius qui me. Quaſi dicat, Si Deus affirmauit ſe grauiſſime puniturum eum qui occiderit Cain: multo magis eſt eum puniturus qui me interfecerit, quum neminem occiderim, ſed ne vulnerauerim quidem. Quòd autem hîc dicitur, Septuagies ſepties: numerus certus pro incerto ponitur, more Hebræorũ. Sic Matth. 18. c, Nõ dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.

Septuagies ſepties.

ᵒCognouit quoque adhuc Adam vxorem ſuam: & peperit filium, vocauítque nomen eius Seth: dicens, Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occídit Cain. ᵖSed & Seth natus eſt filius, quem vocauit Enos. ᑫiſte cœpit inuocare nomen Domini.

COGNOVIT quoque) Cognouit autem.

SED & Seth) Sed & ipſi Seth.

ISTE cœpit inuocare nomen Domini.) Tunc cœptum eſt inuocari nomen Domini. Id eſt, Tunc cœpit paſſim coli Deus.

CAP. V.

HIC eſt 'liber generationis Adam. In die qua creauit Deus 'hominē,‖'ad ſimilitudinē Dei fecit illum. Sapien.2.d. eccli 17.a. ſ.1. d.ſ.9.a.
Maſculum & fœminam creauit eos: & 'benedixit illis: & vocauit nomen eorū 'Adam, in die quo creati ſunt.

Vixit autem Adam centum triginta annis: & 'genuit filium ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, vocauítque nomen eius Seth. Et facti ſunt dies ‖Adam poſtquam 1.Para.1.a.
genuit Seth, octingenti anni: 'genuítque filios & filias. Et factū eſt omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus eſt.

LIBER generationis) Liber pro enumeratione, Hebraico more. quaſi dicat, Iſta eſt enumeratio eorum quos genuit Adam: ſiue eorun qui originem habuerunt ab Adam. Liber.

HOMINEM,) Vel, ipſum Adam. incertum enim vtrum hoc loco ſit nomen proprium, an appellatiuum.

AD ſimilitudinem Dei) Hebraiſmus, pro Ad ſimilitudinē ſuam. Antecedens pro relatiuo. Antecedens pro relatiuo.

BENEDIXIT illis:) Hebraiſm⁹, pro fœcūdauit illos, dedit illis vim procreādi liberos ipſis ſimiles: vt ſubditur, Genuit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Benedicere.

ADAM,) hominem. Tam marem quàm fœminam, vocauit hominem.

GENVIT filium) Dictio, FILIVM, non legitur Hebraice: neque in veteribus ſcriptis codicibus S. Dionyſii & Germani. ſubauditur tamen.

GENVÍTQVE filios & filias.) Id eſt, multos alios genuit, quorū non meminit ſcriptura, quia ab illis CHRISTVS originem non traxit. Hic Moyſes deducit generationem ipſius Adæ vſque ad Abraham per quē erat CHRISTVS deſcenſurus: Matthæus autem deducit ab Abraham vſque ad CHRISTVM, & incepit ab eo in quo finiuit Moyſes.

Vixit quoque Seth centum quinque annis, & genuit Enos. Vixítque Seth poſtquam genuit Enos, octingentis ſeptem annis, genuítque filios & filias. Et facti ſunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus eſt. Vixit verò Enos nonaginta annis, & genuit Cainan. Poſt cuius ortum vixit octingentis quindecim annis, & genuit filios & filias. Factíque ſunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mortuus eſt.

Vixit quoque Cainan ſeptuaginta annis, & genuit Malaleel. Et vixit Cainan poſtquam genuit Malaleel, octingētis quadraginta annis, genuítque filios & filias. Et facti ſunt omnes dies Cainan nongēti decem anni,

& mortuus eſt. Vixit autem Malaleel ſexagintaquinque annis,& genuit Iared.Et vixit Malaleel poſtquam genuit Iared,octingentis triginta annis: & genuit filios & filias. Et facti ſunt omnes dies Malaleel octingenti nonagintaquinque anni,& mortuus eſt. Vixítque Iared centum ſexagintaduobus annis, & genuit Henoch. Et vixit Iared poſtquam genuit Henoch octingentis annis, & genuit filios & filias. Et facti ſunt omnes dies Iared nongenti ſexagintaduo anni, & mortuus eſt.

Eccl'i 44.c. Heb.11.a.

¶Porrò Henoch vixit ſexagintaquinque annis, & genuit Mathuſalam. Et 'ambulauit Henoch cum Deo: & vixit Henoch poſtquam genuit Mathuſalam, trecentis annis, & genuit filios & filias. Et facti ſunt omnes dies Henoch trecenti ſexagintaquinque anni. 'ambulauítque cum Deo, & 'non apparuit: quia tulit eum Deus. Vixit quoque Mathuſala centū octogintaſeptē annis, & genuit Lamech. Et vixit Mathuſala poſtquā genuit Lamech, ſeptingentis octogintaduobus annis & genuit filios & filias. Et facti ſunt omnes dies Mathuſalæ nongenti ſexagintanouē anni,& mortuus eſt.

AMBVLAVIT Henoch cum Deo:) Hebraiſmus, pro, Rectè, inculpatéque vixit & diuinam vitam egit. Quaſi dicat, Iſte non eſt Henoch filius Cain, ſed eſt Henoch qui deſcendit ab Adam per Seth, & fuit vir ſanctiſſimus.

Ambulare cū Deo.

AMBVLAVÍTQVE cum Deo,) Repetitio eſt, quaſi dicat, Ambulauit inquā cum Deo, diuinam inquam vitam egit.

NON apparuit: quia tulit eum Deus.) & eſſe deſiit: quia rapuit eum Deus. Id eſt, nuſquam comparuit, quia ſuſtulit eum de medio Dominus. Vide vndecimum caput ad Hebræos.

Vixit autem Lamech centum octogintaduobus annis, & genuit filium: vocauítque nomen eius Noe, dicens, Iſte 'cōſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum in terra cui maledixit Dominus. Vixítque Lamech, poſtquam genuit Noe, quingentis nonagintaquinque annis, & genuit filios & filias. Et facti ſunt omnes dies Lamech, ſeptingenti ſeptuagintaſeptē anni, & mortuus eſt. Noe verò cum quingentorum

eſſet annorum, genuit Sem, Cham, & Iapheth.

CONSOLABITVR nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum in terra) Vel, Ceſſare, aut quieſcere nos faciet ab opere noſtro, & dolore manuũ noſtrarum ex parte terræ. Id eſt, requiem dabit nobis à laboribus & moleſtiis quas ſubimus propter agriculturam. Hoc videtur dicere propterea quòd iſte Seth inuentor fuit inſtrumentorum agriculturæ.

CAP. VI.

CVMQVE cœpiſſent homines multiplicari ſuper
terrã, & filias procreaſſent, vidẽtes filii Dei filias ho
minum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex
omnibus quas elegerãt. Dixítque Dominus, Non per-
manebit ſpiritus meus in homine in æternũ, quia caro
eſt: erúntque dies illius centum viginti annorum.

FILII Dei) filii magnatũ, vel principũ ac potentũ, vt vertit Chaldæus paraphraſtes. Alii, filios Dei, homines Deũ agnoſcẽtes interpretãtur, id eſt filios Seth. Filii Dei.

NON permanebit ſpiritus meus in homine in æternum,) Id eſt, nõ diu viuet. Spiritum enim ſuum vocat, quem dedit homini. Alii vertunt, Non diſceptabit ſpiritus meus cũ homine in æternũ. Quaſi dicat, Nõ poteſt ferre ſpiritus meus nequitiã hominis. Alii intelligunt, Non diſceptabit ſpiritus meus cum homine, vel pro homine, Quidnam facturus ſim de homine, non diu diſceptabo, debeámne eum punire, necne, quaſi Deus ſecum loquens, dicat, Tandem decernam quidnam facturus ſim de homine: quia totus deditus eſt voluptatibus, iamiam puniã: neque longius tempus dabo ei ad reſipiſcendum, quàm CXX annos.

CARO eſt) Id eſt, carnalis, voluptatibus carnalibus deditus.

Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis.
poſtquam enim ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominũ,
illǽque genuerũt, iſti ſunt potẽtes à ſeculo viri famoſi.

GIGANTES autem &c.) Gigantes autem fuerant ſuper terram in diebus illis, & etiam poſtea quando ingreſſi filii magnatum ad filias hominum, & illæ pepererunt illis. Id eſt, in diebus Cain & Henoch fuerant gigantes, homines magnæ ſtaturæ: & etiam poſtea fuerunt, quando filii principum congreſſi ſunt cum filiabus plebeiorum, & illæ filiæ pepererunt illis filios.

ISTI ſunt potentes à ſeculo viri famoſi.) Verba ſunt Moſis, Iſti erant fortes illi heroes qui à ſeculo fuerunt, de quibus tanta fuit fama.

Videns autem Dominus quòd multa malitia homi-
nũ eſſet in terra, & cũcta cogitatio cordis intenta eſſet 3.8.d.
ad malum omni tempore, pœnituit eum quòd hominẽ matth.15.b.
feciſſet in terra. Et præcauẽs in futurum, & tactus do-
lore cordis intrinſecus, Delebo, inquit, hominem quem
creaui, à facie terræ, ab homine vſque ad animantia, à
reptili vſque ad volucres cæli. pœnitet enim me feciſſe
eos. Noe verò inuenit gratiam coram Domino. Hæ
ſunt generationes Noe: Noe vir iuſtus atque perfectus Eccli 44.c.

fuit 'in generationibus ſuis, 'cũ Deo ambulauit. Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Iapheth.

ET cuncta cogitatio cordis intẽta eſſet ad malum) & quòd omnis imaginatio cogitationum cordis eorum tantummodo eſſet malum.

ET præcauens in futurum,) Hæc verba non leguntur in codicibus Hebraicis, neque in Complutenſi editione, quod & admonet Correctorium Sorbonicum.

Inuenire gratiam coram Deo.

INVENIT gratiam coram Domino.) Hebraiſmus, pro, Gratus fuit Deo.

HAE ſunt generationes Noe:) Verti etiã poteſt, Hæc ſunt quæ acciderunt tẽporibus Noe. Id eſt, Iſta eſt hiſtoria de Noe.

In generationibus ſuis.

IN generationibus ſuis,) Id eſt, inter homines ſui ſeculi, cum quibus vixit.

CVM Deo ambulauit.) Hebraice præponitur coniunctio ET, Et cum Deo ambulauit. Hoc eſt, diuinam vitam egit: timuit Deum, neque ab eo receſſit.

'Corrupta eſt autem terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate. Cúmque vidiſſet Deus terram eſſe corruptam (omnis quippe 'caro corruperat viam ſuam ſuper terram) dixit ad Noe, 'Finis vniuerſæ carnis venit 'coram me: repleta eſt terra 'iniquitate 'à facie eorum, & ego diſperdam eos 'cum terra. Fac tibi arcam de lignis 'leuigatis: mãſiunculas in arca facies, & 'bitumine linies intrinſecus & extrinſecus. Et ſic facies eam, Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. Feneſtrã in arca facies, '& in cubito cõſummabis ſummitatem eius: oſtium autẽ arcæ pones ex latere: 'deorſum, cœnacula & triſtega facies in ea.

Terra. Coram Deo.

CORRVPTA eſt autem terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate.) Iam verò corrupta erat terra coram Deo, & repleta erat fraude. Vel, inuidia, aut dolo. hæc omnia ſignificat vox Hebræa. Terra pro hominibus terræ incolis accipitur per Metonymiam: qui non ſapiebant quæ cæleſtia erant, ſed quæ terrena. Id eſt, Ante hæc tempora iam cœperant homines flagitioſiſſime viuere, vidente ac ſciente Deo. quaſi dicat, Iam erat maximus contemptus Dei.

Caro. Via.

CARO corruperat viam ſuam) Carnẽ vocat homines qui viam ſuam, hoc eſt rationem ſuam viuendi corruperant, carnis opera facientes, non ſpiritus.

Venit coram me finis.

FINIS vniuerſæ carnis venit coram me:) Id eſt, Statutũ eſt apud me, delere omnia viuentia terræ. Hebraiſmus.

CORAM me:) Apud Hebræos ſequitur QVIA, Coram me: quia repleta &c.

INIQVITATE) Vel, iniuria, rapina, fraude, ſiue calumnia. Hæc omnia ſignificat vox Hebræa.

A facie eorũ.

A FACIE eorum,) Hebraiſmus, id eſt per eos, opera ipſorũ, ipſis authoribus. quaſi dicat, Ipſi repleuerunt terram rapinis & calumniis.

CVM terra.) Id eſt, cum ornatu totius terræ, cum arboribus & plãtis. Alii vertunt, de terra.

LEVIGATIS:) gopher. Genus vnũ eſt ex quatuor ſpeciebus abietis, cedrum

eſſe nonnulli putant. Alii dicunt eſſe lignum leuiſſimum, & ad fluitandum ſuper aquam aptiſſimum, quod nunquam putreſcit.

BITVMINE) Vocem Hebræam ſignificare genus luti nõnulli dicunt: alii picem interpretantur.

ET in cubito conſummabis ſummitatẽ eius:) in cubito finies illam deſuper. Id eſt, in ſummo & cacumine arcæ facies feneſtram, quæ habeat cubiti longitudinem. Latitudinem feneſtræ non deſcribit Moyſes, quam minimam eſſe oportuit: quidã colligunt ex longitudine, latitudinem fuiſſe ſextæ partis vnius cubiti.

DEORSVM, cœnacula, & triſtega facies in ea.) Inferiora, & ſecunda, & tertia facies in ea. Sic habent Hebræa. Latine ſic redduntur, Tria tabulata facies in ea: infima, media, ſuprema.

'Ecce ego adducam aquas diluuii ſuper terram, vt interficiam omnẽ carnẽ in qua ſpiritus vitæ eſt ſubter cælum, & vniuerſa quæ in terra ſunt, 'conſumentur. Ponámque fœdus meũ tecũ: & ingredieris arcã tu & filii tui, vxor tua, & vxores filiorũ tuorum tecũ. Et ex cunctis animantibus vniuerſæ carnis bina induces in arcã, vt viuant tecum: 'maſculini ſexus & fœminini. De volucribus iuxta genus ſuũ, & de iumentis in genere ſuo, & ex omni reptili terræ ſecũdum genus ſuum: bina de omnibus 'ingredientur tecum, vt poſſint viuere. 'Tolles igitur tecum ex omnibus eſcis quæ mandi poſſunt, & comportabis apud te: '& erunt tam tibi, quàm illis in eſcã. Fecit igitur Noe omnia quæ præceperat illi Deus.

ECCE ego) Ego verò, vel, Quod verò ad me attinet.

CONSVMENTVR.) expirabunt: vel, morientur.

MASCVLINI ſexus & fœminini.) maſculus & femella erunt.

INGREDIENTVR tecum, vt poſſint viuere.) veniẽt ad te, vt viuifices illa. Id eſt, vt ſerues vitam illorum tecum. Quaſi dicat, Tam varia, & præſertim ſylueſtria animalia nõ venatione ex deſertis & inſulis colliges, ſed illa, propria ſponte, imò iuſſu meo ad te venient, vt conſeruentur.

TOLLES) Tolle, imperatiuum.

ET erunt) Hebraiſmus, pro, vt ſint.

CAP. VII.

DIXÍTQVE Dominus ad eum, ‖Ingredere tu & omnis domus tua in arcã: 'te enim vidi iuſtũ coram me 'in generatione hac. Ex omnibus animantibus mundis tolles ſeptena & ſeptena, maſculũ & fœminã: de animantibus verò immũdis 'duo & duo, maſculũ & fœminã. Sed & de volatilibus cæli ſeptena & ſeptena maſculum & fœminã: vt ſaluetur ſemen ſuper faciem 2.Pet.2.b.

vniuerſæ terræ. 'Adhuc enim, & poſt dies ſeptem ego pluam ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus: & delebo omnem ſubſtantiam quam feci, de ſuperficie terræ.

TE enim vidi) te enim deprehendi.

In generatione hac. IN generatione hac.) Id eſt, inter homines huius tẽporis infideles & peſſimos.

DVO & duo,) Hebraiſmus, Bina.

ADHVC enim, & poſt dies ſeptẽ) Hebraiſmus, Quia ſeptimo abhinc die. Iſtud refertur ad illud quod præceſſit, Ingredere: quia &c.

Fecit ergo Noe omnia quæ mãdauerat ei Dominus. Erátque ſexcentorum annorum quando diluuii aquæ inundauerunt ſuper terram. Et ‖ingreſſus eſt Noe & filii eius, vxor eius & vxores filiorum eius cum eo in arcã, propter aquas diluuii. De animantibus quoque mundis & immundis, & de volucribus, & ex omni quod 'mouetur ſuper terrã, 'duo & duo ingreſſa ſunt ad Noe in arcam, maſculus & fœmina, ſicut 'præceperat Dominus Noe. 'Cúmque tranſiſſent ſeptem dies, aquæ diluuii inundauerunt ſuper terram.

Matt.24.d. luc.17.f. 1.pet.3.d.

MOVETVR) reptat, ſiue graditur.

DVO & duo ingreſſa ſunt) bina venerunt.

PRAECEPERAT Dominus Noe) præceperat Deus Noe. Sic etiam legũt vetera ſcripta exemplaria S. Dionyſii & Germani, editio item Complutenſis.

CVMQVE trãſiſſent ſeptem dies,) Et factũ eſt ſeptimo die. Id eſt, cũ illuxiſſet dies ſeptimus. Chaldæus paraphraſtes, Factũ eſt autẽ poſt tempus ſeptem dierum.

Anno ſexcenteſimo vitæ Noe, menſe ſecundo, 'ſeptimodecimo die 'menſis, rupti ſunt omnes 'fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cæli apertæ ſunt: & facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus. 'In articulo diei illius ingreſſus eſt Noe, & Sem, & Cham, & Iapheth filii eius: & 'vxor illius, & vxores filiorum eius cum eis in arcam: ipſi & omne animal ſecundum genus ſuum, vniuerſáque iumenta in genere ſuo, & 'omne quod mouetur ſuper terrã in genere ſuo, cunctúmque volatile ſecundum genus ſuum, vniuerſæ aues, omnéſque volucres ingreſſæ ſunt ad Noe in arcã, bina & bina ex omni carne, in qua erat ſpiritus vitæ. Et quæ ingreſſa ſunt, maſculus & fœmina ex omni carne

introierũt,ſicut præceperat ei Deus: & 'incluſit eũ Dominus deforis.

SEPTIMODECIMO die menſis,) "Hebraiſmus,pro,ſeptimodecimo die eiuſdem.Quidam dicunt hũc ſecũdum mẽſem fuiſſe Aprilem, alii Septembrem, alii Octobrem: quia diuerſæ ſunt opiniones de principio anni.

MENSIS,) Hebræi addunt,In die hac rupti &c.

FONTES abyſſi magnæ,& cataractæ cæli apertæ ſunt.) Per abyſſum intellige immẽſam illã & profundã aquarũ copiã quæ eſt ſubter terram. Fõtes autẽ abyſſi, ſunt abyſſi ſcaturigines. Cataractæ cæli,ſiue feneſtræ apertæ,id eſt nubes. Quaſi dicat, Mare inundauit,& aquæ in terra multiplicatæ ſunt ſupra modũ: erumpebãt enim vndique: præterea nubes cito condenſatæ ſunt,& verſæ in magnam vim aquarum: deſcenditque pluuia magno impetu,velut feneſtris cæli apertis. Abyſſi. Cataractæ cæli.

IN articulo diei illius) In illo ipſo die.

VXOR illius,& vxores) Hebraice legitur, Vxor illius,& tres vxores. Sic & in veteri ſcripto exemplari S. Dionyſii lato,& in editione Complutenſi.

OMNE quod mouetur) reptile quod reptat.

INCLVSIT eum Dominus deforis.) clauſit Dominus (ſubaudi,oſtium) ſuper eum. Quidam vertũt, Clauſit Dominus pro eo. neque enim poterat ipſe Noe extrinſecus claudere.

Factúmque eſt diluuium quadraginta diebus ſuper terram:& multiplicatæ ſunt aquæ,& eleuauerũt arcam in ſublime à terra. 'Vehementer enim inundauerunt, & omnia repleuerunt in ſuperficie terræ:porrò arca ferebatur ſuper aquas. Et aquæ præualuerũt 'nimis ſuper terram: opertíque ſunt omnes montes excelſi ſub vniuerſo cælo. Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes quos operuerat. ‖Conſumptáque eſt omnis caro quæ mouebatur ſuper terram, volucrum, 'animantium,beſtiarum, omniúmque reptilium quæ reptãt ſuper terram. Vniuerſi homines & cuncta 'in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terra,mortua ſunt.'Et deleuit Deus omnem ſubſtantiam quæ erat ſuper terram,ab homine vſque ad pecus,tam reptile quàm volucres cæli: & deleta ſunt de terra: remanſit autem ſolus Noe & qui cũ eo erãt,in arca. 'Obtinuerúntque aquæ terram centum quinquaginta diebus. Sap.10.a eccli 39.c

VEHEMENTER enim inundauerunt,) Et præualuerũt aquæ. Vel,fortes fuerũt: videlicet ſua fortitudine arbores eradicantes,& fortiſſima ædificia deiicietes.

NIMIS) valde.

ANIMANTIVM,beſtiarum,) beſtiarum,ferarum.

IN quibus ſpiraculum vitæ,&c.) quæ vitã habebant,quæ erant in terra,iam interierãt. Deletúmque eſt omne quod ſubſiſtebat,quódque erat in ſuperficie ter-

ræ,ab homine vſque ad iumentum,& vſque ad reptilia & volucres cæli:deleta inquam fuerunt de terra.Remanſit autem,&c.

ET deleuit Deus) Cōplutenſis editio & Baſilienſis,conſentientibus Hebraicis & vetuſtiſs. Latinis codicibus S. Germani & Dionyſii non legūt hoc loco DEVS.

OBTINVERVNTQVE aquæ terram) Inualuerúntque aquæ ſuper terram.

CAP. VIII.

RECORDATVS autē Dominus Noe,cunctorúmque animantiū & omniū iumentorū quæ erāt cum eo in arca, adduxit ſpiritum ſuper terram,& imminutæ ſunt aquæ.Et clauſi ſunt fontes abyſſi, & cataractæ cæli: & prohibitæ ſunt pluuiæ de cælo. Reuerſǽque ſunt aquæ de terra euntes & redeuntes:& cœperūt minui poſt centum quinquaginta dies. Requieuítque arca menſe ſeptimo, viceſimoſeptimo die menſis ſuper montes Armeniæ. At verò aquæ ibant & decreſcebant vſque ad decimū menſem:decimo enim menſe, prima die menſis apparuerunt cacumina montium.

RECORDATVS autem Dominus) Recordatus autem Deus. ſic etiam legunt vetera Latina exēplaria S.Germani & Dionyſii,conſentiente editione Cōplutēſi.

ADDVXIT ſpiritum ſuper terram,& imminutæ) tranſire fecit ventum ſuper terram,& ſedatæ,&c. Venti enim ſiccare ſolent.

EVNTES & redeuntes:) Id eſt,fluctuando.

VICESIMOSEPTIMO die menſis) decimoſeptimo die menſis. Eſt autem Hebraiſmus, pro, decimoſeptimo die eiuſdem. Sic paulo poſt, Decimo menſe, prima die eiuſdem,apparuerunt,&c.Antecedens lóco relatiui.

Antecedens loco relatiui.

Cúmque tranſiſſent quadraginta dies, aperiens Noe feneſtrā arcæ quam fecerat, dimiſit coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram. Emiſit quoque columbam poſt eum, vt videret ſi iam ceſſaſſent aquæ ſuper faciem terræ. Quæ cum nō inueniſſet vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eū in arcam:(aquæ enim erant ſuper vniuerſam terram)extendítque manum ſuam,& apprehenſam intulit in arcam. Expectatis autē vltrà ſeptem diebus aliis, rurſum dimiſit columbam ex arca. At illà venit ad eū ad veſperam,portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore ſuo.intellexit ergo Noe quòd ceſſaſſent aquæ ſuper terrā.Expectauítque nihilominus ſeptem alios dies: &

emiſit columbam, quæ non eſt reuerſa vltrà ad eum.

EGREDIEBATVR, & non reuertebatur,) egreſſus eſt, & rediit, abſque negatione NON: quæ neque in ſcriptis vetuſtis codicibus Latinis legitur S. Dionyſii oblongo, & vtroque S. Germani, neque in Complutenſi editione: cuius rei admonet etiam Correctorium Sorbonicum.

POST eum,) à ſe.

VIRENTIBVS foliis) quem decerpſerat.

Igitur ſexcenteſimo primo anno, 'primo mẽſe, prima
die menſis imminutæ ſunt aquæ ſuper terrã: & aperiens
Noe tectum arcæ aſpexit, vidítque quòd exiccata eſſet
ſuperficies terræ. Menſe ſecundo, ſeptimo & viceſimo
die menſis areſacta eſt terra. 'Locutus eſt autem Dominus ad Noe, dicens, Egredere de arca tu & vxor tua,
filii tui & vxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animantia quæ ſunt apud te, ex omni carne tam in volatilibus quàm in beſtiis & vniuerſis reptilibus quæ reptant
ſuper terrã, educ tecum, '& ingredimini ſuper terram:
‖creſcite & multiplicamini ſuper eam. Egreſſus eſt ergo 5.1.c.d.7.9.a
Noe & filii eius, '& vxor illius, & vxores filiorũ eius cũ
eo. 'Sed & omnia animantia, iumẽta, & reptilia quæ reptãt ſuper terrã ſecũdũ genus ſuũ, egreſſa ſunt de arca.

PRIMO mẽſe, prima die menſis) Vertendum, Primo menſe, prima die eiuſdem, exiccatæ ſunt aquæ. Sic & paulo poſt, Menſe ſecundo, ſeptimo & viceſimo die eiuſdem areſacta, &c. Eſt enim antecedens loco relatiui, more Hebræorum. Antecedens loco relatiui.

LOCVTVS eſt autem Dominus) Locutus eſt autẽ Deus. Sic legunt ſcripti codices vetuſtiſſ. S. Dionyſii, & Germani oblongus, editióque Complutenſis.

ET ingredimini ſuper terrã: creſcite & multiplicamini) & gignãt in terra, & creſcãt (vel, fructificent) & multiplicẽtur. Poteſt etiã verti per futurum, Et propagabunt genus ſuũ, & creſcẽt, & multiplicabuntur. Rectius tamen per imperatiuũ.

ET vxor illius,) Coniunctio ET, Hebraice nõ legitur, neque in codicibus ſcriptis S. Dionyſii, Germani, & Victoris.

SED & omnia animantia, iumenta, & reptilia) Sed & omnes feræ, omnia reptilia, & omnia volatilia, & omnia reptantia quæ &c.

AEdificauit autem Noe altare Domino: & tollens de
cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare. odoratúſque eſt Dominus 'odorem
ſuauitatis, '& ait ad eum, Nequaquam vltrà maledicã
terræ propter homines: ‖ſenſus enim & cogitatio huma 5.6.a.mat.15.b
ni cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua: nõ
igitur vltrà percutiam 'omnem animam viuẽtem ſicut

feci. 'Cunctis diebus terræ, ſementis & meſſis, frigus & æſtus, 'æſtas & hyems, nox & dies non requieſcent.

Odorari odorem ſuauem dicitur Deus.

ODOREM ſuauitatis,) odorẽ quietis. Id eſt, quieſcere facientis iram Dei. vel, odoratus eſt Dominus odorem ſuauem. hoc eſt, Gratum habuit ſacrificium Noe. Sacra ſcriptura loquitur de Deo, humano more, propter nos. Chaldæus paraphraſtes, Et ſuſcepit Dominus cum beneplacito oblationem eius.

Dicere in corde ſuo.

ET ait ad eũ,) Et dixit Dominus in corde ſuo. Id eſt, decreuit Dominus apud ſe hunc in modum, Nequaquam, &c.

SENSVS enim & cogitatio humani cordis in malũ prona ſunt ab adoleſcẽtia ſua:) Figmentũ enim (id eſt, cogitatio) humani cordis malũ eſt à pueritia ſua.

OMNEM animam viuentem) cuncta viuentia.

CVNCTIS diebus) Hebraice legitur, Adhuc cunctis diebus terræ. Id eſt quandiu terra erit.

AESTAS) & æſtas. hoc loco ET pro id eſt, ponitur. quaſi dicat, frigus & æſtus, id eſt æſtas & hyems hyems enim frigida eſt.

CAP. IX.

ſ.1.c.8.c.

BENEDIXÍTQVE Deus Noe & filiis eius. Et dixit ad eos, Creſcite, & multiplicamini, & replete terram. Et 'terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cæli, 'cum vniuerſis quæ mouentur ſuper terram: omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt. 'Et omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia.

Benedicere.

BENEDIXIT) Id eſt, beneficium fœcunditatis impertiit Noe & toti familiæ eius. Hic benedictio ſignificat fœcunditatem, vt maledictio aliquando ſterilitatem, Deo referri debet accepta fœcunditas: ipſe enim eſt qui dat prolem.

CRESCITE,) Vel, Fructum afferte.

TERROR veſter ac tremor, &c.) Id eſt, Volo vos iniicere terrorem omnibus animalibus, quantũcunque immanibus, volo vobis omnia animalia ſubiecta eſſe.

CVM vniuerſis, &c.) & in omnibus quæ calcant terrã, & in omnibus piſcibus maris: manui veſtræ traditi ſunt.' Ante hæc poſtrema verba, ſubaudiendũ NAM: vt hic ſit ſenſus, Terror veſter ſit omnibus animalibus quæ incedunt ſuper terram, ſiue quæ calcant terrã, & omnibus piſcibus maris: nã volo ea vobis ſubiici.

Quaſi olera virentia.

ET omne &c.) Omne quod reptat, & quod viuit, erit vobis in eſcã: quaſi olus herbæ dedi vobis omnia. Quaſi dicat, Quæcunque reptant ſiue gradiuntur, & eadem viuunt, erunt vobis in cibum: permitto vobis veſci carnibus omniũ animalium, ſicut ante diluuium oleribus virentibus. Iam non herbas tantum do vobis in cibum, ſed etiam ipſa animalia, quòrum carnibus poteritis veſci.

Excepto quòd carnem cũ ſanguine non comedetis.

Anima. Sanguis.

Sic vertendum, Veruntamen carnem cũ anima ſua, ſanguine ſuo, non comedetis. Hic vocat animam, ſanguinem: quia ſanguis, eſt ſedes ipſius animæ. Id eſt, Mẽbrum de viuente animali abſciſſum non comedetis, quandiu ſcilicet anima eius eſt in illo: neque ſanguinem eius comedetis. Alii vertunt, Carnem in anima ſua, quæ eſt ſanguis eius, non comedetis. Significat enim ſæpe apud Hebræos anima, eam vitam quæ ſanguine & halitu continetur. Prohibetur autem hîc ne crude-

les ſimus in beſtias: hincque admonemur ne nobis licitum putemus, vt pro qualibet cauſa hominem interficiamus, ac ſi pecus aliquod eſſet. Totus enim hic locus de homicidio eſt.

Sanguinem enim animarũ veſtrarũ requirã de manu cunctarum beſtiarum: & de manu hominis, de manu viri & de manu fratris eius requiram animã hominis.

Hebraice hæc verba, & de manu, non repetuntur ſecundo loco: neque etiam in vetuſtiſſimis Latinorũ codicibus S. Dionyſii, & Germani, neque in Complutenſi & Baſilienſi editione, quod & admonuit Correctorium Sorbonicum. Tota hæc periodus ſic legitur Hebraice, Et ſane ſanguinem veſtrum animarum veſtrarum requiram, de manu cunctorum animalium requiram illum: quanto magis de manu hominis, de manu viri fratris eius requiram animam hominis? Sanguinem veſtrum, ſubaudi, qui eſt ſedes animarum veſtrarum. Quaſi dicat, Adeò mihi diſplicet effuſio ſanguinis, cædes & homicidium, vt etiam feræ ipſæ datur æ ſint mihi pœnas ſi hominem occiderint. Vos igitur multo grauiores, ſi cædem admiſeritis. Eſt autem Hebraiſmus, Requirere ſanguinem hominis de manu hominis, pro ſupplicio extremo afficere aliquẽ qui hominem occiderit, & ſanguinem eius fuderit. Quod autem dicit, De manu viri fratris eius: quidam ſic interpretãtur, De manu vniuſcuiuſque, proximum eius requiram. vel, De manu vniuſcuiuſque qui frater & proximus erat ei quem interfecit. Frequentiſſimũ enim eſt apud Hebræos, fratrem pro proximo accipi, & virum pro vnoquoque. Eſt autẽ repetitio Hebraica, De manu hominis requiram animam hominis, de manu viri fratris ſui, &c. Quaſi dicat, Dabit pœnas homo ille quicunque erit qui proximum occiderit. Chaldæus paraphraſtes vertit, De manu viri qui effuderit ſanguinem fratris ſui, requiram, &c.

Sanguis. Anima. Requirere ſãguinẽ hominis de manu hominis. Frater. Vir.

[a]Quicunque ‖ effuderit [b]humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius: ‖ [c]ad imaginem quippe Dei factus eſt homo. ‖ Vos autem creſcite & multiplicamini, & [d]ingredimini ſuper terram, & [e]implete eam.

Matt. 26. e. apoc. 13. c. ſ. 1. d. ſ. a. ſ. 1. c. d. 8. d.

HVMANVM ſanguinem,) Hebræi addunt, in homine, Humanum ſanguinẽ in homine, fundetur ſanguis illius. Id eſt, in conſpectu omnium & publice. Aut, in homine, pro, Si adfuerint teſtes, teſtificantibus hominibus. ita Chaldæus paraphraſtes. ac tum ſingulare pro plurali ſumetur, more Hebraico. Quidam referũt ad ſequentia, In homine fundetur ſanguis eius. Quaſi dicat, propterea quòd hominem occidit, fundetur ſanguis illius. Vel, in homine, Id eſt propterea quòd hominem occiderit, fundetur ſanguis illius, iuſſu ſcilicet & mandato ipſius magiſtratus. ita videtur innuere poteſtatem ipſius magiſtratus. Non deſunt qui vertũt, Per hominem fundetur ſanguis illius.

In homine.

AD imaginẽ quippe Dei factus eſt homo.) quia ad ſimilitudinẽ Dei fecit illũ. Hebraiſmus frequens, pro, Quia ad ſimilitudinem ſuam fecit illum Deus.

INGREDIMINI) gignite liberos. Vel, operam date proli gignendæ.

IMPLETE eam.) multiplicemini in ea.

Hæc quoque dixit Deus ad Noe, & ad filios eius [f]cũ eo, Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro [g]poſt vos: & [h]ad omnem animam viuentẽ quæ eſt vobiſcum, tam in volucribus quàm in iumẽtis & [i]pecudibus terræ, [k]cũctiſque quæ egreſſa ſunt de arca,

Eſa.54.c & vniuerſis beſtiis terræ. ‖Statuam pactum meum vobiſcum, '& nequaquam vltra interficietur omnis caro aquis diluuii, neque erit deinceps diluuiũ 'diſſipans omnem terram.

CVM eo, Ecce ego ſtatuã) Cũ eo, dicendo, Et ego, ecce ſtabiliam. Hebraiſmus, pro, Quantum ad me attinet, paratus ſum ſtatuere. id eſt, ratum habere pactum meum. Vel, Equidem faciam vt ratum ſit pactum meum quo pollicitus ſum fore vt ſeruemini, & ſemen veſtrum poſt vos.

POST vos:) Id eſt, vobis vita functis.

AD omnẽ animam viuentem quæ eſt vobiſcum,) cum omnibus animalibus viuentibus quæ ſunt vobiſcum, &c.

PECVDIBVS) animalibus.

CVNCTIS QVE quæ egreſſa ſunt de arca, & vniuerſis beſtiis terræ. Statuam pactũ) Ab omnibus quæ egreſſa ſunt de arca vſque ad omnia animantia terræ. Statuam inquam pactum, &c.

Et pro quòd. ET nequaquam) ET pro QVÒD poſitum eſt, Quòd nequaquam vltra, &c.

DISSIPANS omnem terram.) ad perdendam terram. Id eſt, homines. Dictio OMNEM, neque in editionibus Complutẽſi & Baſilienſi, neque in vetuſtiſſimis ſcriptis codicibus S. Germani & Dionyſii legitur.

Dixítque Deus, 'Hoc eſt ſignum fœderis, 'quod do inter me & vos, & 'ad omnem animam viuentem quæ eſt vobiſcũ 'in generationes ſempiternas: Arcum meũ 'ponam in nubibus, '& erit ſignum fœderis inter me &

Eccli 43.b. inter terram. ‖Cúmque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus 'cæli: & recordabor fœderis mei quod pepigi vobiſcum & cum omni anima viuente 'quæ carnem vegetat: & non erunt vltra aquæ diluuii ad delẽdam 'vniuerſam carnem. Erítque 'arcus meus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis ſempiterni quod pactum eſt 'inter Deum & omnem animam viuẽtem vniuerſæ carnis quæ eſt ſuper terrã. Dixítque Deus ad Noe, 'Hoc eſt ſignum fœderis quod conſtitui inter me & omnem carnem ſuper terram.

HOC eſt.) vel, Hoc erit.

QVOD do) vel, quod pono.

AD omnem animam) inter omnem animam.

IN generationes ſempiternas:) in generationes ſeculi: Id eſt, per oẽs ætates.

PONAM in nubibus,) pono in nubibus. Præſens pro futuro.

Et pro vt. ET erit ſignum) Hebraiſmus, pro, vt ſit ſignum.

CAELI:) Hæc dictio hoc loco non legitur in editionibus Complutenſi & Baſiliẽſi, neque in ſcriptis Latinis cod. vetuſtiſſ. S. Germanì & Dionyſii. Sicut neque ſtatim poſt hæc verba, QVOD PEPIGI.

QVAE carnem vegetat:) in omni carne. Id eſt, in omni genere animalium.
VNIVERSAM carnem.) Id eſt, vlla viuentia.
ERITQVE arcus meus) Pronomen MEVS, hoc loco nō legitur Hebraice; neque in editione Complutenſi.
ET recordabor) Hebraiſmus, pro, vt recorder.
INTER Deum & omnem animam) De ſe loquitur in tertia perſona, Inter me & inter omnem animā. Scripti codices antiqui S. Germani & Dionyſii repetūt præpoſitionē INTER, hoc modo, Inter Deū, & inter omnē animā, &c.
HOC eſt) Vel, Hoc erit, in futuro. Sic legunt ſcripti codices S. Dionyſii, Germani & Victoris.

Erant ergo filii Noe qui egreſſi ſunt de arca, Sem, Cham, & Iapheth: porrò Cham ipſe eſt 'pater Chanáā. Tres iſti, filii ſunt Noe: & 'ab his diſſeminatum eſt omne genus hominum ſuper vniuerſam terram. 'Cœpítque Noe vir agricola exercere terram, & plantauit vineam. Bibénſque vinum inebriatus eſt, & 'nudatus iacuit in tabernaculo ſuo. Quod cum vidiſſet Cham pater Chanáan, 'verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata,' nuntiauit duobus fratribus ſuis foras. At verò Sem & Iapheth pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum, operuerunt verenda patris ſui: faciéſque eorum auerſæ erant, & patris virilia non viderunt. Euigilans autē Noe ex vino, cum didiciſſet quæ fecerat ei filius ſuus minor, ait, 'Maledictus puer Chanáā, 'ſeruus ſeruorū erit fratribus ſuis. 'Dixítque, Benedictus Dominus Deus Sem, ſit Chanáā 'ſeruus eius.' Dilatet Deus Iapheth, & 'habitet in tabernaculis Sem, ſítque Chanáan ſeruus eius. Vixit autē Noe poſt diluuiū trecētis quinquaginta annis.. & impleti ſunt omnes dies eius nongentorū quinquaginta annorum: & mortuus eſt.

PATER Chanáan.) Id eſt, author Chananæorum. Sic paulo poſt. Pater.
AB his diſſeminatū eſt omne genus hominū ſuper vniuerſam terram.) Ab his ſparſa eſt vniuerſa terra. Id eſt, Ex his nati ſunt qui diſperſi ſunt per totam terram, quotquot terram inhabitant.
COEPITQVE Noe vir agricola exercere terram, & plantauit vineam.). Et cœpit Noe vir terræ, & plantauit vineam. Hebraiſmi duo, Vir terræ, pro agricola: & Cœpit & plātauit, pro cœpit plātare. Sic igitur verti debet, Cœpítque Noe agricola plantare vineam. Vir terræ. Cœpit & plātauit.
NVDATVS iacuit in tabernaculo ſuo.) nudauit ſe in medio tabernaculi ſui. Dictio IACVIT, neque in Complutenſi editione, neque in vetuſtiſſ. La-

tinis codicibus S. Germani, Dionyſii, & Victoris legitur.

Nuditas hominis. VERENDA ſcilicet patris ſui eſſe nudata,) nuditatem patris ſui. Sic habet Hebræum, pudice de verendis loquens.

MALEDICTVS puer Chanáan,) Hebræi hanc dictionem PVER, non legũt neque etiam vetuſtiis. ſcripta exemplaria S. Dionyſii, Germani, & Victoris, neque editio Moguntinenſis & Complutenſis.

SERVVS ſeruorum erit fratribus ſuis.) Id eſt, Seruus erit inter fratres ſuos. Quaſi dicat, Quamuis ſit ſeruus natura, erit tamen etiam conditione ſeruus.

DIXITQVE) Dixit contrá. VAV Hebræum quod verti ſolet per QVE in antitheſi ſignificat contra.

למו SERVVS eius) Quidã dicunt pronomen Hebræũ LAMO, pro quo vertitur

להם EIVS, poſitũ eſſe pro LAHEM. id eſt, illis, Sem ſcilicet & Iapheth. Sic paulo poſt.

DILATET Deus Iapheth,) Id eſt, propaget Deus genus ipſius Iapheth. Vel, proles Iapheth occupet ampliſſimas regiones.

HABITET in tabernaculis Sem,) Quidã ſubaudiũt DEVS, alii IAPHETH, Habitet Deus in tabernaculis Sem. Chaldæus paraphraſtes vertit, Dilatet Deus Iapheth, & hábitet gloria eius in tabernaculis Sem.

CAP. X.

HAE ſunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham,
1. Para. 1. & Iapheth: natíque ſunt eis filii poſt diluuium. Filii Iapheth: Gomer, & Magog, & Madai, & Iauan, & Thubal, & Móſoch, & Thiras. Porrò filii Gomer: Aſcenez & Riphath & Thógorma. Filii autem Iauan: Eliſa & Tharſis, Cethim & Dodanim. Ab his diuiſæ ſunt inſulæ Gentium in regionibus ſuis, vnuſquiſque ſecundum linguam ſuam & familias ſuas in nationibus ſuis. Filii autem Cham: Chus, & Meſráim, & Phut, & Chanáan. Filii autem Chus: Saba, Heuila, & Sabatha, & Regma, & Sabathacha. Filii Regma: Saba, & Dadan. Porrò Chus genuit Nemrod: ipſe cœpit eſſe potens in terra, & erat robuſtus venator coram Domino. ab hoc exiuit prouerbium, Quaſi Nemrod robuſtus venator coram Domino. Fuit autem principium regni eius Babylon & Arach, & Achad, & Chalanne, in terra Sennaar. De terra illa egreſſus eſt Aſſur, & ædificauit Niniuen, & platéas ciuitatis, & Chale. Reſen quoque inter Niniuen & Chale: hæc eſt ciuitas magna. At verò Meſráim genuit Ludim, & Anamim, & Laabim, & Nephthuim, & Phetruſim, & Chaſluim: de quibus egreſſi ſunt Philiſthiim, & Caphtorim.

HAE ſunt generationes &c.) Id eſt, Hi ſunt quos genuerunt filii Noe.

NATIQVE ſunt eis) nati ſunt enim eis. De his propriis nominibus, abunde ſatis in libello noſtro De interpretatione nominum Hebraicorum.

AB his diuiſæ ſunt inſulæ Gentium) Ab his ſeparati ſunt inhabitatores inſularum. Id eſt, Ab iſtis profecti ſunt qui varias inſulas inhabitauerunt.

SABA, Heuila,) Saba, & Heuila. Sic etiam legitur in ſcriptis veteribus Latinis codicibus S. Dionyſii & Germani.

IPSE cœpit eſſe potens in terra,) Id eſt, Hic Nemrod primus omnium affectauit tyrannidem, & cœpit dominari in gente ſua.

CORAM Domino.) Hebraiſmus, pro ſub cælo. Id eſt, Fortiſſimus erat omnium hominum qui ſub cælo erant. Coram Domino.

AB hoc exiuit prouerbiũ, Quaſi &c.) Ob hoc dici ſolet, Velut &c. Id eſt, exiit prouerbium, dicebatúrque de homine fortiſſimo, quòd eſſet alter Nemrod. Vetera Latina exemplaria S. Victoris, Dionyſii, & larum S. Germani legũt Ob hoc.

DE terra illa egreſſus eſt Aſſur,) Vel, Ex hac regione egreſſus eſt Aſſur. Id eſt, Aſſur cum videret Nemrod affectare tyrannidem, ceſſit illi. Alii legunt, Ex hac regione egreſſus eſt in Aſſyriam, vt ſcilicet eam ſubiugaret.

ET plateas ciuitatis,) Vel, Et Rehoboth ciuitatem.

HAEC eſt ciuitas magna.) Id eſt, Niniue eſt illa clariſſima ciuitas.

PHILISTHIIM, & Caphtorim.) Vel, Philiſthæi & Cappadoces.

Chanáan autem genuit Sidônem primogenitum ſuum, 'Hethæum: 'Et Iebuſæum & Amorrhæum & Gergeſæum & Heuæum & Aracæum, Sinæum & Aradiũ, Samaræum & Hamathæũ: & 'per hos diſſeminati ſunt populi Chananæorum. Factíque ſunt 'termini Chanáan 'venie̅tibus à Sidône Geraram, vſque ad Gazam, donec ingrediaris Sodomam & Gomorrham, & Adamam & Seboim vſque Laſa. 'Hi ſunt filii Cham in cognationibus & linguis & generationibus, terríſque & gentibus ſuis.

HETHAEVM:) & Heth. Poſt hanc vocem diſtingũt Hebræi. Vide infra cap. 23.

ET IEBVSAEVM, &c.) Omnia iſta nomina non ſunt virorum propria, ſed populorum: quaſi dicat, ab iſto Chanáan originem duxerunt Iebuſæi, &c.

PER hos diſſeminati ſunt populi) poſtea diſſeminatæ ſunt cognationes, &c. vel, diſperſæ.

TERMINI Chanáan) Id eſt, Termini Chananæorum.

VENIENTIBVS à Sidône Geraram vſque ad Gazam, donec ingrediaris Sodomam) à Sidône dum tu vadis verſus Geraram, vſque ad Gazam, & dum tu pergis Sodomam.

HI ſunt filii Cham) Id eſt, iſti omnes ſunt qui origine̅ traxerũt & genus ſuũ ab ipſo Chã; iſti ſunt nepotes Cham ſecundũ cognationes ſuas, & ſecundũ linguas ſuas, id eſt varia idiomata: per terras & regiones ſuas. hoc eſt, varias habe̅tes familias, varias linguas, varias regiones & gentes. Sic in ſequentibus intelligendum.

'De Sem quoque nati ſunt, patre omnium filiorum Heber, 'fratre Iapheth maiore. Filii Sem: AElam & Aſſur & 'Arphaxad, Lud & Aram. Filii Aram: Hus & Hul

& Gether & Mes. At verò Arphaxad genuit Sale, de quo ortus eſt Heber. Natíque ſunt Heber filii duo. nomen vni Phaleg, eo quòd in diebus eius 'diuiſa ſit terra: & nomen fratris eius Iectan. Qui Iectan genuit Elmodad & Saleph, & Aſarmoth, Iare & Adoram & Vzal & Decla & Hebal & Abimael, Saba & Ophir & Heuila & Iobab. omnes iſti, filii Iectã. Et facta eſt habitatio eorum de Meſſa 'pergentibus vſque Sephar montem orientalem. 'Iſti ſunt filii Sem ſecundum cognationes & linguas & regiones in gentibus ſuis. Hæ familiæ Noe iuxta 'populos & nationes ſuas. Ab his diuiſæ ſunt Gẽtes in terra poſt diluuium.

DE Sem quoque nati ſunt, patre omnium filiorũ Heber,) Ipſi quoque Sem nati ſunt liberi, qui fuit pater omnium filiorum Heber. Id eſt, Hebræorum.

FRATRE Iapheth maiore.) & fratri Iapheth maiori. Subaudi, nati ſunt filii. Conſtantiſſime aſſerunt Iudæi, Iapheth fuiſſe maiorem natu.

ARPHAXAD, Lud) Arphaxad & Lud. Sic in ſcriptis Latinis codicibus S. Dionyſii, Germani, & Victoris legitur.

DIVISA ſit terra:) Id eſt, variis linguis vſi ſint habitatores terræ. Iſtud refertur ad diuiſionem linguarum & habitationum: de qua ſequenti capite.

PERGENTIBVS vſque Sephar) pergente te vſque Sephar.

ISTI ſunt filii Sem) Vel, Hactenus recenſuimus filios ſiue nepotes, & eos qui genus traxerunt à Sem.

POPVLOS) Vel, cognationes.

CAP. XI.

Sapi. 10. a. ERAT autem terra 'labii vnius, & ſermonũ eorundem. 'Cúmque proficiſcerẽtur de Oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo. Dixítque 'alter ad proximum ſuum, Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habuerúntque lateres pro ſaxis, & 'bitumen pro cæmento: & dixerunt, Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen noſtrum 'antequam diuidamur in vniuerſas terras.

ERAT autem terra) Erat autem vniuerſa terra.

LABII vnius, & ſermonum eorundem.) labium vnum, & verba eadem. Id eſt, Eadem omnes vtebantur lingua.

CVMQVE proficiſcerẽtur de Oriente, inuenerunt campum) Contigit autem dum proficiſcerentur de Oriẽte, vt inuenirent planitiem. De Oriente, inquit, id eſt ab Armenia. Veriſimile eſt, tranſacto diluuio, poſteros Noe aliquot annos manſiſſe in Armenia vbi ſubſtiterat arca. Cum autem ſupramodũ creuiſſent,

coacti ſunt deducere colonos, & aliò migrare, vbi ſedem conſtituerent.

ALTER ad proximum ſuum,) vir ad proximum ſuum. Hebraiſmus, pro, alter ad alterum. Vir ad proximum.

VENITE,) Eia, vel age ſiue agite. hortantis aduerbium.

BITVMEN) Vel, lutum.

ANTEQVAM) Ne forte. Id eſt, Vt ſi contingat nos diſpergi per varias terras, poſſimus huc quando voluerimus, redire.

Deſcendit autem Dominus vt videret ciuitatem & turrem quàm ædificabant 'filii adam, & dixit, Ecce, vnus eſt populus, & 'vnum eſt labium omnibus: 'cœperúntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant. Venite igitur, 'deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non 'audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui. Atque ita 'diuiſit eos Dominus ex illo loco in vniuerſas terras, & ceſſauerunt ædificare ciuitatem. Et 'idcirco vocatum eſt nomen loci illius Babel, quia ibi "confuſum eſt labium vniuerſæ terræ: & inde diſperſit eos Dominus ſuper faciem 'cunctarum regionum.

FILII adam,) filii hominum: id eſt homines.

VNVM eſt labium omnibus:) Id eſt, ſermo idē. quaſi dicat, Pauci adhuc ſunt, vt qui vna eadémque lingua vtantur: quid expectandum quū in varios populos, ob multitudinem, diſperſi erunt? Nihil certe non audebunt. Labiū vnum.

COEPERVNTQVE hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.) Et hoc eſt quod facere cœperunt, & non prohibebitur ab illis quod facere decreuerunt. Id eſt, Nihil eſt futurum quod eos prohibeat quin quod ſtatuerunt exequantur, niſi initio reſiſtamus eis.

DESCENDAMVS,) Vtitur verbo plurali, vnde intelligitur pluralitas perſonarum in vnitate diuinitatis.

AVDIAT vnuſquiſque vocem proximi ſui.) exaudiant (vel, intelligant) vocem proximi ſui Id eſt, vt alter alterum non intelligat.

DIVISIT) diſperſit.

IDCIRCO vocatum eſt nomen loci illius Babel,) Idcirco vocauit nomē eius Babel. Hæc vox BABEL, ſignificat Venit confuſio. Complutenſis, Baſilienſis item editio, vetera præterea ſcripta exēplaria Latina S. Dionyſii, & latum S. Germani legunt, Nomen eius Babel

CONFVSVM eſt labium vniuerſæ terræ:) confudit linguam totius terræ: Id eſt linguam hominum incolentium totam terram.

CVNCTARVM regionum.) omnis terræ.

'Hæ ſunt generationes Sem. Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio poſt diluuium. Vixítque Sem poſtquam genuit Arphaxad, quingentis annis: & genuit filios & filias. Porrò Arphaxad vi-

xit trigintaquinque annis,& genuit Sale. Vixítque Arphaxad poſtquam genuit Sale, 'trecentis tribus annis: & genuit filios & filias. "Sale quoque vixit triginta annis,& genuit Heber. Vixítque Sale poſtquã genuit Heber, quadringentis tribus annis:& genuit filios & filias. Vixit autẽ Heber trigintaquatuor annis,& genuit Phaleg. Et vixit Heber poſtquam genuit Phaleg, quadringẽtis triginta annis:& genuit filios & filias. Vixit quo-

1.Para.1.b. que Phaleg triginta annis, & genuit Reu. ‖Vixítque Phaleg poſtquam genuit Reu, ducentis nouem annis: & genuit filios & filias. Vixit autem Reu'trigintaquinque annis,& genuit Sarug. Vixit quoque Reu poſtquã genuit Sarug,ducentis ſeptem annis: & genuit filios & filias. Vixit verò Sarug triginta annis, & genuit Nachor. Vixítque Sarug poſtquam genuit Nachor, ducentis annis:& genuit filios & filias. Vixit autem Nachor vigintinouem annis, & genuit Thare. Vixítque Nachor poſtquam genuit Thare, centum decẽ & nouem annis:& genuit filios & filias.

HAE ſunt generationes &c.) Hæc omnia quæ dicuntur, vſque ad caput duodecimum, pertinent ad CHRISTVM, vt oſtendatur Deus verax in promiſſionibus. repetit enim ſeriem illius generationis deletæ ex qua deſcendere debebat MESSIAS.

TRECENTIS tribus annis:) quadringentis tribus annis. Ita etiam legitur in ſcriptis codicibus S. Dionyſii, Germani & Victoris, Baſilienſi quoque editione.

TRIGINTAQVINQVE annis,) trigintaduobus annis. Sic etiam legitur in editione Complutenſi, Baſilienſi, & veteribus ſcriptis exemplaribus S. Dionyſii, & Germani.

Vixítque Thare ſeptuaginta annis:& genuit Abram

1.Para.1.b. & Nachor & Aran. ‖Hæ ſunt autẽ generationes Tha-

Ioſue 24.a. re, Thare genuit Abram, Nachor & Aran. Porrò Aran genuit Lot. Mortuúſque eſt Aran 'ante Thare patrem ſuum, in terra natiuitatis ſuæ 'in Vr Chaldæorũ. 'Duxerunt autem Abram & Nachor vxores: nomen vxoris Abram, Sarái: & nomen vxoris Nachor, Melcha, filia Aran 'patris Melchæ & patris Ieſchæ. Erat autem Sarái ſterilis, nec habebat liberos, Tulit itaque

Thare Abram filium ſuum, & Lot filium Aran filium Ioſue 24.a.
filii ſui, & Sarái nurum ſuam, vxorem Abram filii ſui, nehem.9.b. iudith 5.a.
'& eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanáan: venerúntque vſque Haran, & habitauerunt ibi. Et facti ſunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus eſt in Haran.

ANTE Thare patrem ſuum,) in facie Thare patris ſui. Hebraiſmus eſt, pro Viuente patre ſuo Thare. Ante patrem.

IN Vr Chaldæorum.) Si ſubaudias NEMPE, clarior erit ſententia, In terra natiuitatis ſuæ, nempe in Vr Chaldæorum.

DVXERVNT autem) Vel, Duxerant autem.

PATRIS Melchæ & patris Ieſchæ.) Hebraiſmus, pro, qui fuit pater ipſius Melchæ, & ſororis eius Ieſchæ.

ET eduxit eos de Vr) & egreſſi ſunt de Vr.

CAP. XII.

DIXIT autem Dominus ad Abrã, 'Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam 'monſtrauero tibi. Faciámque te in gentem magnam, '& benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, 'eríſque benedictus. 'Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque IN TE benedicentur vniuerſæ cognationes terræ. Act 7.a. Galat.3.b.ſ.18. c.21.d.26.a.

DIXIT autem Dominus) Hebraice per futurum legitur, quod pro præterito perfecto ponitur: & perfectum pro plus quàm perfecto. lege Actorũ caput ſeptimum in principio. Vertendum igitur, Iam verò dixerat Dominus. Futurum pro præterito.

EGREDERE) Hebraice ad verbum legitur, Vade tibi, pro abi, Diſcede. Vacat enim hoc loco TIBI. Vade tibi.

MONSTRAVERO) In ſcriptis codicibus Latinis S. Dionyſii & Germani legitur monſtrabo, in futuro indicatiui.

ET benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum,) Hebraiſmus, pro, Reddam te fœlicem & fortunatum, cumulabo te bonis omnibus & animi & naturæ: reddámque nomen tuum celebre. Benedicere Dei.

ERÍSQVE benedictus.) & eſto benedictio. Hebræi elegãter imperatiuum pro futuro ponũt, Eris benedictio, Id eſt, ſi credideris mihi, omnes homines bene precabuntur tibi: præterea quum quis beneprecabitur alteri poſthac, precabitur euenire illi ſicut tibi euenit, dicétque, Vtinam tibi faciat Deus ſicut fecit Abræ. Sunt qui benedictionem pro benedicto poſitum dicant. Imperatiuũ pro futuro.

BENEDICAM benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi,) Hebraiſmus, fauebo amicis tuis: at de inimicis tuis ſumam vindictam. Quaſi dicat, Maxima pars orbis terrarum fauebit tibi: pauci verò erunt tibi inimici. Benedicã benedicentibus tibi.

IN te) Vel, propter te. Id eſt, propter ſemen tuum CHRISTVM, vt exponit B. Paulus in epiſtola ſua ad Galatas, capite tertio.

Egreſſus eſt itaque Abram ſicut præceperat ei Do-

minus,& iuit cum eo Lot: 'ſeptuagintaquinque annorum erat Abram cum egrederetur de Haran. 'Tulítque Sarái vxorem ſuam, & Lot filium fratris ſui, vniuerſámque ſubſtantiam 'quam poſſederant, '& animas quas fecerant in Haran: & egreſſi ſunt vt irent in terra Chanaan. Cúmque veniſſent in eã, pertranſiuit Abram terram vſque ad locum Sichem, & 'vſque ad Conuallẽ illuſtrem: 'Chananæus autem tunc erat in terra.

SEPTVAGINTAQVINQVE annorum erat) Erat autẽ ſeptuaginta quinque annorum.

TVLÍTQVE Sarai) Apud Hebræos additur Abram, Tulítque Abram Sarai.

QVAM poſſederant) quam poſſidebant.

Animæ. ET animas quas fecerant in Haran:) Vel, perſonas quas acquiſierãt: vt de ſeruis in domo natis, aut pecunia emptis intelligatur. Chaldæus paraphraſtes vertit, quas legi ſubiecerant.

Conuallis illuſtris. Elon More. VSQVE ad Conuallem illuſtrem:) vſque ad Elon More. Nomen loci eſt in Sichem à More Chananæo. Quidam Elon More eundem eſſe locum volunt qui & Mambre, ſiue Mamre dicitur. Alii verò, Elon ſignificare planitiem dicunt.

CHANANAEVS autem) Singulare pro plurali, Chananæi autem.

Deut.34.b. J.13.d.15.d.26.a ‖'Apparuit autem Dominus Abrã, & dixit ei, Semini tuo dabo terram hãc. Qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei, '& inuocauit ibi nomen eius. Et 'inde tranſgrediens ad montem qui erat cõtra Orientem Beth-el, tetendit ibi tabernaculũ ſuum, ab Occidente habens Beth-el, & ab Oriente Hai: ædificauit quoque ibi altare Domino, '& inuocauit nomen eius. Perrexítque Abram vadens & vltra progrediẽs ad Meridiem.

APPARVIT autem Dominus) Apparuítque Dominus. Ita etiam legitur in codicibus veteribus ſcriptis S. Dionyſii, Germani & Victoris.

ET inuocauit ibi nomen eius.) Hæc verba non leguntur apud Hebræos: neque in codicibus ſcriptis antiquioribus, S. Dionyſii vtroque, S. Germani oblongo: neque in editionibus Complutenſi & Baſilienſi: de quibus & Correctorium Sorbonicum admonet, non reperiri in vetuſtioribus.

INDE tranſgrediens) inde tranſtulit: ſubaudi, ſeſe, vel tentorium.

ET inuocauit nomen eius.) Vel, Et precatus eſt Dominum. Alii vertunt, Et prædicauit aliis in eo loco Dominum.

Facta eſt autem fames 'in terra: deſcendítque Abram in AEgyptum, 'vt peregrinaretur ibi: præualuerat enim fames in terra. 'Cúmque propè eſſet vt ingrederetur AEgyptum, dixit Sarai vxori ſuæ, 'Noui quòd pulchra

ſis mulier: & quòd quum viderint te AEgyptii, dicturi ſunt, Vxor illius eſt. & interficient me, '& te reſeruabunt. ‖Dic ergo, obſecro te, quòd ſoror mea ſis: vt bene ſit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui. J.10.c

IN terra) Vel, ea regione, quæ alioqui fertiliſſima erat.

VT peregrinaretur ibi:) Verti poteſt, Vt ad tempus habitaret ibi.

CVMQVE prope eſſet vt ingrederetur AEgyptum,) Accidit autem, quum ingrederetur, vel ingreſſurus eſſet AEgyptum.

NOVI quòd pulchra ſis mulier: & quòd quum viderint te &c.) Ecce nunc, vel Profectò quidem noui quòd pulchra aſpectu ſis mulier: vnde accidet vt quū viderint te &c. Pulchra aſpectu, pro formoſiſſima, Hebraiſmus. Pulcher aſpectu.

ET te reſeruabunt,) & te viuificabunt. Hebraiſmus, pro, Seruabunt te in vita ſiue incolumem. Viuificare aliquem.

Cum itaque ingreſſus eſſet Abram AEgyptum, viderunt AEgyptii mulierem quòd eſſet 'pulchra nimis. 'Et nuntiauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum: & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis, 'Abram verò bene vſi ſunt propter illam. Fuerúntque ei oues & boues & aſini & ſerui, & famulæ & aſinæ & cameli. Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius 'propter Sarái vxorem Abram. Vocauítque Pharao Abram, & dixit ei, Quidnam eſt hoc quod feciſti mihi? quare non indicaſti mihi quòd vxor tua eſſet? Quam ob cauſam dixiſti eſſe ſororem tuam, 'vt tollerem eam mihi in vxorē? Nunc igitur ecce coniunx tua, accipe eam, & vade. Præcepítque Pharao ſuper Abram, viris: '& deduxerunt eum & vxorem illius, & omnia quæ habebat.

PVLCHRA nimis.) pulchra admodum.

ET nuntiauerunt principes Pharaoni,) Et contemplati ſunt eam principes Pharaonis.

ABRAM verò bene vſi ſunt propter illā. Fuerúntque ei oues &c.) Abræ vero benefecit propter illam. Fuerunt enim ei oues &c. Id eſt, Multa beneficia Pharao contulit Abræ, propter Saram: nam dedit ei oues &c.

PROPTER Sarai) Hebraice legitur, Super verbo Sarai. Hebræi enim vtuntur hac dictione, VERBVM, pro re & cauſa. Hic igitur recte vertit interpres. Verbum

VT tollerem eam) & accepi eam.

ET deduxerunt eum) vt deducerent eum.

CAP. XIII.

ASCENDIT ergo Abram de AEgypto, ipſe & vxor eius, & omnia quæ habebat, & Lot cum eo

'ad Auſtralem plagam. Erat autem diues 'valde'in poſſeſſione auri & argenti. Reuerſúſque eſt 'per iter quo venerat, à meridie in Beth-el, vſque ad locũ vbi prius fixerat tabernaculũ inter Beth-el & Hai: 'in loco altaris

Ʒ.11.2. ‖ 'quod fecerat prius, & 'inuocauit ibi nomẽ Domini.

A D Auſtralem plagam.) ad Auſtrum, hoc eſt, ad locum vbi prius tetẽderat tabernaculum ſuum, qui erat Auſtralis, reſpectu terræ Iſrael, ſed quæ tunc erat terra Chanáan.

V A L D E in poſſeſſione) Valde Abram in poſſeſſione. Ita legitur in oblongo ſcripto exemplari S. Germani.

I N poſſeſſione auri & argenti.) in pecoribus, auro & argento. Quaſi dicat, deſcenderat in AEgyptum pauper, & ex illa reuerſus eſt ditiſſimus.

P E R iter quo venerat,) Reuerſúſque eſt per manſiones ſuas, ſiue profectiones.

I N loco altaris) nimirum ad locum altaris.

Q V O D fecerat prius,) quod fecerat ibi prius.

I N V O C A V I T ibi nomen Domini.) Vel, Prædicauit ibi Dominum. Chaldæus paraphraſtes vertit, Orauit illic Dominum.

Sed & Lot qui erat cum Abram, 'fuerunt greges ouium & armenta & tabernacula. .Nec poterat eos cape-

Ʒ.36.2. re 'terra, vt habitarent ſimul: ‖erat quippe 'ſubſtantia eorum multa, & nequibant habitare cõmuniter. 'Vnde facta eſt rixa 'inter paſtores gregum Abram & Lot. Eo autẽ tempore Chananæus & Pherezæus habitabant in terra illa. Dixit ergo Abram ad Lot, Ne quæſo ſit iurgium inter me & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos: 'fratres enim ſumus. 'Ecce vniuerſa terra coram te eſt: recede à me obſecro. 'ſi ad ſiniſtrã ieris, ego dexterã tenebo: ſi tu dexterã elegeris, ego ad ſiniſtrã pergam.

F V E R V N T greges) erant greges.

T E R R A,) regio illa.

S V B S T A N T I A eorum) poſſeſſio eorum.

V N D E facta eſt) Vnde & facta eſt. Sic etiã legunt ſcripta exẽplaria Latina S. Dionyſii & Germani.

I N T E R paſtores gregum Abram & Lot.) Hebraice legitur, Inter paſtores pecoris Abram, & inter paſtores pecoris Lot.

Frater. F R A T R E S enim ſumus.) Id eſt, conſanguinei. Lot enim erat filius Aran fratris Abræ.

E C C E vniuerſa terra coram te eſt,) Nónne tota regio poſita eſt ante oculos tuos? Quaſi dicat, Licet tibi eam partem regionis eligere quæ tibi placuerit.

S I ad ſiniſtram ieris,) ſi tu ſiniſtram (ſubaudi, elegeris. id eſt, Si tu ad Septentrionem ieris) ego ad dexteram (id eſt, ad Meridiem) ibo.

Eleuatis itaque Lot oculis, 'vidit 'omnẽ circa regionẽ Iordanis, quæ vniuerſa irrigabatur antequam ſub-

uerteret Dominus Sodomam & Gomorrham, ſicut paradiſus Domini, & ſicut AEgyptus venientibus in Segor. Elegítque ſibi Lot regionem circa Iordanem, & receſſit ab Oriente: diuiſíque ſunt alterutrum à fratre ſuo. Abram habitauit in terra Chanáan: Lot verò moratus eſt in oppidis quæ erant circa Iordanem, & habitauit in Sodomis. Homines autem Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores coram Domino nimis.

VIDIT) Vel, conſyderauit.

OMNEM circa regionem) omnem regionem, vel planitiem.

SICVT paradiſus Domini,) inſtar horti Domini. vel, ſimilis erat horto Domini. Intellige hortum illũ quem plantauerat Dominus, & inſtruxerat in Eden: vt habes capite ſecundo huius libri.

VENIENTIBVS in Segor.) Vel, qua itur. aut, veniente te in Segor.

LOT regionem) Lot omnem regionem.

DIVISÍQVE ſunt alterutrũ à fratre ſuo.) ſeparauerúntque ſeſe vir à fratre ſuo. Hebraiſmus, pro, Separatúſque eſt alter ab altero. Vir à fratre ſuo.

IN oppidis quæ erant circa Iordanem, & habitauit in Sodomis.) in ciuitatibus planitici, & tetendit tabernaculum Sodomam vſque. De ea planitie loquitur quæ erat circa Iordanem.

PECCATORES coram Domino nimis.) peccatores contra Dominum valde. Vel, peccatores coram Domino, id eſt, Dei iudicio, non hominum. hîc taxat iudicium hominum, qui quæ ſua ſunt quærunt, neglectis bonis moribus. Coram Domino.

¶Dixítque Dominus ad Abram poſtquam diuiſus eſt ab eo Lot, Leua oculos tuos in directum, & vide à loco in quo nunc es, ad Aquilonẽ & Meridiem, ad Orientem & Occidentem. Omnem terram quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum. Faciámque ſemen tuum ſicut puluerem terræ: ſiquis poteſt hominum numerare puluerẽ terræ, ſemen quoque tuum numerare poterit. Surge ergo, & perambula terram in lõgitudine & in latitudine ſua: quia tibi daturus ſum eã. 5.n.b. / 3.15.b.16.a

LEVA oculos tuos in directum, & vide) Leua quæſo (vel, nunc) oculos tuos, & vide. Scripti codices S. Dionyſii & Germani non legunt In directum: neque etiam Complutenſis editio. de quibus & admonet Correctorium Sorbonicum.

OMNEM terram) Omnem enim terram.

SIQVIS poteſt hominum) Quòd ſiquis poſſit hominum. Oblongum exẽplar ſcriptum S. Dionyſii & Germani habet POSSIT.

NVMERARE poterit.) Numerari poterit. paſſiuum. Ita legitur in oblongo codice S. Germani, & in Complutenſi editione. Id eſt, Poſteri tui numerari non poterunt.

SVRGE ergo, & perambula) Surge, & perambula. Vetera exemplaria S. Dionyſii & Germani non legunt ERGO.

Mouens igitur tabernaculum ſuum Abram, venit,& habitauit 'iuxta conuallem Mambre, quæ eſt in Hebron: ædificauítque ibi altare 'Domino.

Conuallis Mamre. Elone.

IVXTA conuallem Mambre.) iuxta Elone Mamre. Nomen loci eſt. Mamre, vir fuit Amorrhæus, vt ſequenti capite dicitur. Elon igitur Mamre, planities quædam erat arboribus conſita, quales ante mœnia ciuitatum plantari ſolent, vt quidam Hebræorum dicunt. Elone, alii interpretantur conuallem: alii quercetum: Chaldæus paraphraſtes, planitiem.

DOMINO.). Id eſt, in honorem Domini.

CAP. XIIII.

F'Actum eſt autem in illo tēpore, vt Amraphel rex Sennaar, & Arioch rex Ponti, & Chodorlahómor rex AElamitarum, & Thadal rex Gentium inirent bellum contra Bara regem Sodomorum, & contra Berſa regem Gomorrhæ, & contra Senaab regem Adamæ, & contra Semêber regem Seboim, contráque regem Balæ, 'ipſa eſt Segor. Omnes hi conuenerunt 'in vallem Syluestrem quæ nunc eſt 'mare ſalis. Duodecim enim annis ſeruierant Chodorlahómor, & tertiodecimo anno 'receſſerunt ab eo.

Amraphel. Sennaar. Pontus. Elaſar. Goim.

FACTVM eſt autem &c.) Accidit autē vt Amraphel rex Sennaar, & Arioch rex Elaſar, & Chodorlahómor rex Elam, & Thadal rex Goim, in diebus ſuis facerent bellum, &c. In diebus, inquit, ſuis, Id eſt, tempore quo regnabant. Amraphel putatur fuiſſe Nemrod. Sennaar, ſecundū Chaldæum paraphraſtem, erat Babylon. Elaſar non potuit eſſe Pontus, quum Pontus ſit regio longe diſtans à terra Chanaan, eáque ad Occidentem quum terræ aliorum regum ad Orientem ſitæ ſint. Goim, Gentes ſiue populi dicuntur. Aut eſt prouinciæ nomen, quæ fuérit vicina AElamitis, id eſt Perſis, & Sennaar.

Segor.

IPSA eſt Segor.) Per occupationem hîc dicitur Segor, & paulo poſt: quum poſtea ſic nominata fuérit, Gene. 19. e.

Vallis Syluestris.

IN vallem Syluestrem) in vallem Siddim. hoc eſt camporum, ſiue campeſtrem. ſignificat enim agros aratos.

MARE ſalis.) Vel, mare ſalſum.

RECESSERVNT ab eo.) rebellauerunt contra eum. Vel, defecerunt ab illo: denegauerunt tributum quod perſoluere ſolebant.

Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahómor, '& reges qui erant cum eo: percuſſerúntque 'Raphaim 'in Aſtaroth & Carnáim, '& Zuzim cum eis, '& Emim in Saue Cariatháim, & Corrhæos 'in montibus Seir, vſque ad campeſtria Pharan, 'quæ eſt in ſolitudine. Reuerſíque ſunt, & 'venerunt vſque ad fontem Miſphat,

ipſa eſt Cades:& percuſſerunt omnem regionem Amalecitarum '& Amorrhæorum qui habitabant in Aſaſon-thamar. Et egreſſi ſunt rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, réxque Adamæ, & rex Seboim, necnon & rex Balæ, quæ eſt Segor:& 'direxerunt aciem contra eos in valle Sylueſtri, ſcilicet aduerſus Chodorlahómor regem AElamitarum, & Thadal regem Gētium, & Amraphel regem Sennaar, & Arioch regē 'Ponti; quatuor reges aduerſus quinque. 'Vallis autem Sylueſtris habebat puteos multos bituminis. Itaque rex Sodomorum, '& rex Gomorrhæ terga verterunt, cecidérúntque ibi: & qui remanſerant, fugerunt ad montem. Tulerunt autem omnem ſubſtantiam Sodomorū '& Gomorrhæorum, & vniuerſa quæ ad cibum pertinent, & abierunt: 'necnon & Lot & ſubſtantiam eius, filium fratris Abrā, qui habitabat in Sodomis.

ET reges qui erant cum eo) Vel, cum regibus ſociis.

RAPHAIM) gigantes vertit Chaldæus paraphraſtes. Alii exiſtimant fuiſſe nomen vrbis.

IN Aſtaroth & Carnaim,) Legendum in Aſtaroth-carnaim. eſt enim nomē vrbis. Neque vetera exemplaria S. Dionyſii & Germani, neque editio Complutenſis legunt coniunctionem ET.

ET Zuzim cum eis, & Emim) Et Zuzæos in Ham, & Emæos.

IN montibus Seir,) in montibus eorum, Seir. vel, nempe Seir. Alii vertunt, Dum aſcenderent in Seir.

QVAE eſt in ſolitudine.) quæ eſt iuxta deſertum.

VENERVNT vſque ad fontem) Præpoſitio VSQVE, non legitur in Hebræo, conſentientibus ſcriptis codicibus antiquis S. Dionyſii & Germani.

ET Amorrhæorum qui habitabant in Aſaſon-thamar.) etiā Amorrhæos habitantes in Aſaſon-thamar.

DIREXERVNT aciem) inſtruxerunt aciem.

PONTI) Ellaſar. Vide primam annotationem huius capitis.

VALLIS autem Sylueſtris habebat puteos multos bituminis.) Porro Vallis Siddim, putei putei bituminis. Hebraiſmus, quē reddidit interpres. Id eſt plena erat, vel ſcatebat puteis bituminis. Putei putei.

ET rex Gomorrhæ) Dictio REX, hoc loco non repetitur apud Hebræos, neque etiam in codicibus ſcriptis S. Dionyſii & Germani. Sed hoc leuiculū ſubaudiendum enim eſt.

ET Gomorrhæorum,) In antiquis codicibus ſcriptis S. Dionyſii & Germani, legitur Gomorrhæ.

NECNON & Lot) Lot etiam acceperunt.

Et ecce vnus qui euaſerat, nūtiauit Abram Hebræo, qui habitabat 'in conualle Mābre Amorrhæi fratris Eſ-

chol,& fratris Aner:hi enim pepigerant fœdus cum Abram. Quod cum audiſſet Abram, captum videlicet Lot fratrem ſuum, 'numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo: & perſecutus eſt eos vſque Dan. 'Et diuiſis ſociis, irruit ſuper eos nocte: percuſſitque eos,& perſecutus eſt eos vſque 'Hoba & Phœnicen,quæ eſt ad læuam Damaſci. Reduxítque omnem ſubſtantiam,& Lot fratrem ſuum cum ſubſtãtia illius, mulieres quoque & populum. Egreſſus eſt autem rex Sodomorum in occurſum eius poſtquam reuerſus eſt à cæde Chodorlahómor, & regum 'qui cum eo erant 'in valle Saue,quæ eſt 'vallis regis.

IN conualle) In Elone. Vide poſtremam annotationem capitis præcedentis.

NVMERAVIT expeditos vernaculos ſuos) armis inſtructos eduxit tyrones, vernaculos ſuos vel, nempe vernaculos ſuos. Vox Hebræa pro qua hic vertitur tyrones, ſignificat inſtructos,& aſſuetos militiæ, aut alii cuipiam arti.

ET diuiſis ſociis, irruit ſuper eos nocte:) Et ſeparauit ſeſe, & irruit in illos noctu ipſe & ſerui eius. Separauit ſeſe: ſubaudi, ab aliis. Vel vt alii volunt, turmã ſuam diuiſit in partes duas,& irruit, aſſumpta altera.

HOBA & Phœnicen, quæ eſt &c.) Hebraice non legitur,& Phœnicen: neque in vetuſtis exemplaribus S. Dionyſii & Germani: neque in editione Baſilienſi & Complutenſi. cuius rei & Correctorium Sorbonicum admonet.

QVI cum eo) Pronomen EO, refert Chodorlahómor.

IN valle Saue,) in vallem Saue, accuſatiuus caſus eſt. venit inquam in vallem Saue.

VALLIS regis.) Vel, Vallis Hamelech.

Heb. 7. a. At vero ‖Melchi-ſedec rex Salem, 'proferens panem & vinum (erat enim ſacerdos Dei altiſſimi) benedixit ei, & ait, Benedictus Abram 'Deo excelſo 'qui creauit cælum & terrã: & benedictus Deus excelſus, 'quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt. 'Et dedit ei decimas 'ex omnibus.

PROFERENS panem & vinũ, erat enim ſacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei) protulit panem & vinũ: erat enim ſacerdos Deo altiſſimo,& benedixit ipſi. ſubaudi, Deo. Id eſt, gratias illi egit de victoria data Abræ. Vetus exemplar ſcriptum S. Dionyſii oblongum, legit, benedixitque: ſimiliter S. Victoris. Cum ait Moyſes, Protulit panem & vinum, intellige, vt ſacrificaret, vel, vt offerret Deo. nam, inquit, erat ſacerdos Deo altiſſimo.

Benedicere.

DEO excelſo) Id eſt, apud Deum excelſum. quaſi dicat, Valde fauet Deus Abræ, qui dedit ei tantam victoriam, tam paruis copiis inſtructo.

Benedictus Deo excelſo.

QVI creauit cælum & terrã:) qui dominus eſt, (vel poſſeſſor) cæli & terræ.

QVO protegẽte hoſtes in manibus tuis ſunt.) qui tradidit hoſtes tuos in manus tuas.

ET dedit) ſubaudi,Abram.

EX omnibus.) ſubaudi,quæ hoſtibus detraxerat.

Dixit autem rex Sodomorum ad Abram, Da mihi animas, cætera tolle tibi. Qui reſpondit ei, Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorẽ cœli & terræ, quòd à filo ſubtegminis vſque ad corigiam caligæ, non accipiã ex omnibus quæ tua ſunt, ne dicas,Ego ditaui Abram.exceptis his quæ comederunt iuuenes,& partibus virorum qui venerunt mecũ, Aner,Eſchol,& Mambre: iſti accipient partes ſuas.

DA mihi animas) Pro hominibus ponit animas,more Hebraico, id eſt homines captiuos. *Anima.*

CAETERA tolle tibi.) ſubſtantiam accipe tibi.

LEVO manum meã ad Dominũ &c.) Id eſt,ſublata manu iuro Domino &c. *Leuare manũ ad Deum.*

QVÒD à filo ſubtegminis vſque ad &c.) Si à filo vſque ad &c.In his iuramẽtis ſubaudiunt aliquid Hebræi,hoc pacto,Si quicquã accepero,faciat mihi Deus hoc & hoc. Hic autem iurat,ne filum quidem veſtimenti, aut corigiam ſe acceptururum.

ISTI accipient) Vel, Iſti accipiant,quaſi dicat,Per me licet, ſi velint accipere,accipiant.

CAP. XV.

HIs itaque tranſactis, factus eſt ſermo Domini ad Abram per viſionem, dicẽs,Noli timere Abram, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Dixítque Abram,Domine Deus quid dabis mihi? ego vadã abſque liberis: & filius procuratoris domus meæ iſte Damaſcus Eliézer. Addidítque Abram, Mihi autẽ non dediſti ſemen: & ecce vernaculus meus, hæres meus erit.

HIS itaque trãſactis) Poſt verba hæc. Hebraiſmus,quem docte reddidit interpres.Hoc capite declaratur fides Abræ,& commendatur Abram à Deo. *Poſt hæc verba.*

FACTVS eſt ſermo Domini ad Abram,) Hebraiſmus ,pro Locutus eſt Dominus Abræ. *Factus eſt ſermo Domini ad Abram.*

PROTECTOR) ſcutum,Id eſt propugnator. *Protector.*

MERCES tua magna nimis.) Id eſt, ampliſſima te manet huius tuæ fidei merces,quòd tam potentiſſimos reges auſus es aggredi, auxilio meo fretus.

EGO vadam) quum ego abeam.Id eſt conſeneſcam,& ad vltimam fere ætatem peruenerim.

ET filius procuratoris domus meæ iſte Damaſcus Eliézer.) Et filius relictionis domus meæ eſt Eliézer de Damaſco.Hebraiſmus eſt,filius relictionis domus meæ,pro, Is cui curam omnem rei familiaris meæ ego reliqui & commiſi:diſpẽſator & procurator domus meæ. Alii vertunt,Filius diſcurſationis domus meæ, Id eſt,qui diſcurſat per domum meam,vt ſolet œconomus in rebus diſpenſandis & adminiſtrãdis.quaſi dicat,Quicquid dabis mihi,illud nõ erit liberorũ meorũ quos nullos habeo:ſed huius œconomi Eleazari Damaſceni.Quidã hoc pa

Dictúmque eſt ad eum, ‖Scito prænoſcẽs quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua: '& ſubiicient eos ſeruituti, & affligent quadringẽtis annis. Veruntamen gentẽ cui ſeruituri ſunt, 'ego iudicabo: & poſt hæc egredientur cum magna ſubſtãtia. Tu autem 'ibis ad patres tuos in pace, ſepultus in ſenectute bona. ‖Generatione autem quarta reuertentur huc: 'necdum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus. Cum ergo occubuiſſet ſol, facta eſt 'caligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diuiſiones illas. Act.7.a Exod.12.f.

In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens, Semini tuo dabo terram hanc ‖à fluuio AEgypti vſque ad fluuium magnum Euphrãten, Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos, & Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoque, & Amorrhæos, & Chananæos, & Gergeſæos, & Iebuſæos. ſ.12.b.13.d. ſ.26.a. deut.34.b 2.Par.9.f. 3.reg.4.c.

SCITO prænoſcens) Sciendo ſcias. Id eſt, certo ſcias. Hebraiſmus.

ET ſubiicient eos ſeruituti, & affligent) & ſeruient illis qui eos affligent.

EGO iudicabo:) Hebraiſmus, pro Puniam. Iudicare.

IBIS ad patres tuos in pace,) Hebraiſmus, pro, Morieris morte optima, in ſenectute bona. Ire ad patres ſuos.

NECDVM enim completæ &c.) Id eſt, nondum perpetrauerunt Amorrhæi ea ſcelera quæ perpetrare debent prius quàm expellantur ſua terra.

CALIGO tenebroſa,) adiectiuum TENEBROSA, non legitur Hebraice. Hic cæſa animalia & diuiſa in partes, comburuntur in confirmationem fœderis. Lege Ieremiæ caput 34. circa finem.

CAP. XVI.

IGITVR Sarái vxor Abram 'non genuerat ſibi liberos: ſed habens ancillam AEgyptiam nomine Agar, 'dixit marito ſuo, 'Ecce, 'concluſit me Dominus, ne parerem: 'ingredere ad ancillam meam, 'ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios. 'Cúmque ille acquieſceret deprecanti, tulit Agar AEgyptiam ancillam ſuam poſt annos decem quàm 'habitare cœperat in terra Chanáan: & 'dedit éam viro ſuo vxorem. Qui 'ingreſſus eſt ad eam. At illa concepiſſe ſe videns, 'deſpexit dominam

ſuam. Dixítque Sarái ad Abrã, 'Iniquè ãgis contra me: ego dedi ancillam meam in ſinum tuum, quæ videns quòd conceperit, deſpectui me habet. 'iudicet Dominus inter me & te. Cui reſpondens Abram, Ecce, ait, ancilla tua 'in manu tua eſt, 'vtere ea vt libet.

NON genuerat ſibi liberos:) non genuerat ipſi liberos.

Ecce. Concludere mulierẽ dicitur Deus Filiari.

ECCE,) Vel ſane. Apud Hebræos ſequitur NVNC, Ecce nunc.

CONCLVSIT me Dominus) Hebraiſmus, pro, ſterilem reddidit.

INGREDERE ad ancillam) ingredere nunc (vel obſecro) ad ancillam. Id eſt congredere nunc cum ancilla. Rem turpem honeſte exprimit.

SI forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios.) fortaſſe filiabor (vel, ædificabor) ex ea. Hebraiſmus, pro, Fortaſſe ex ea procreabis mihi liberos.

CVMQVE ille acquieſceret deprecanti, tulit Agar) Cúmque ille acquieuiſſet voci Sarai, tulit Sarai vxor Abram Agar, &c. Codex oblongus S. Dionyſii ſcriptus legit acquieuiſſet.

HABITARE cœperant) habitare cœperat ipſe Abram.

DEDIT eam viro ſuo vxorem.) Id eſt, vt ea vteretur vice vxoris.

INGRESSVS eſt ad eam.) ingreſſus eſt ad Agar.

DESPEXIT dominam ſuam.) Hebraice legitur, Viluit domina eius in oculis eius. Id eſt, habuit contemptui heram ſuam præ ſe. Solent homines beneficiis diuinis ſuperbire. Interpres docte reddidit Hebraiſmum. ſic paulo pòſt, Deſpectui me habet. quo loco Hebraice legitur, Vilui in oculis eius.

INIQVE agis contra me:) Iniuria quæ mihi infertur, ſuper te eſt. Id eſt, tibi imputanda eſt, Iuſte poſſum de te conqueri.

IVDICET Dominus &c.) Id eſt, iudicet Dominus de mea cauſa & de tua. quaſi dicat, Non deberes id ferre.

Manus. Fac quod bonum eſt in oculis tuis.

IN manu tua eſt,) Manum pro poteſtate poſuit.

VTERE ea vt libet.) Fac illi quod bonum eſt in oculis tuis. Hebraiſmus, pro, fac illi quod tibi lubet.

Affligẽte igitur eam Sarái, fugam iniit. Cúmque inueniſſet eam angelus Domini iuxta fontem aquæ in ſolitudine 'quæ eſt in via Sur in deſerto, dixit ad illam, Agar ancilla Sarái vnde venis? & quò vadis? Quæ reſpõdit, 'A facie Sarái dominæ meæ ego fugio. Dixítque ei angelus Domini, Reuertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu illius. 'Et rurſum, Multiplicans, inquit, multiplicabo ſemen tuum, '& non numerabitur præ multitudine. Ac deinceps, Ecce, ait, 'concepiſti, & paries filium: vocabíſque nomen eius Iſmael, 'eo quòd audierit Dominus afflictionem tuam. Hic erit 'ferus homo: 'manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum: & e regione vniuerſorum fratrum ſuorum fi-

get tabernacula. Vocauit autem Agar nomen Domini qui loquebatur ad eã, Tu Deus qui vidiſti me. Dixit enim, Profectò hîc vidi poſteriora vidẽtis me. Propterea appellauit puteum illũ, Puteum viuentis & videntis me. ipſe eſt inter Cades & Barad. Peperítque Agar Abræ filium: qui vocauit nomen eius Iſmael. Octoginta & ſex annorum erat Abram quando peperit ei Agar Iſmaelem.

Galat. 4. c

QVAE eſt in via Sur in deſerto, dixit ad illam,) iuxta illum inquam fontem qui eſt in via Sur, dixit ei. In via Sur, id eſt qua itur in Sur.

A FACIE Sarai) Id eſt, propter Saram.

A facie.

ET rurſum, Multiplicans,) Et rurſum angelus Domini, Multiplicans &c.

ET non numerabitur) vt numerari non poſſit.

CONCEPISTI,) prægnans es.

EO quòd audierit Dominus afflictionem tuam.) Id eſt, propterea quòd exaudiuit orationem tuam quam feciſti quum affligereris.

Audire afflictionẽ alicui.

FERVS) onager. Id eſt, vir ſimilis onagro, aſino ſylueſtri, ferus, ciuilium morum expers, durus & agreſtis. Vel, Inter homines velut onager: quia habitabit in deſertis.

Ferus. Onager.

MANVS eius contra omnes, &c.) Hoc eſt, Inuadet omnes, & ab omnibus inuadetur, infenſus erit omnibus: nõ timebit ſibi neque à vicinis, neque à fratribus.

Manus eius cõtra omnes.

VOCAVIT autem Agar nomen, &c.) Res nullius momẽti eſt, quòd hoc loco apud Hebræos non legitur dictio AGAR, neque in veteribus ſcriptis codicibus S. Dionyſii & Germani, neque in editione Baſilienſi. ſubaudienda tamen. Quidã vertunt, Inuocauit nomen Domini qui loquebatur ad eam, dicendo, Tu es Deus viſionis. Id eſt, Deus qui vides omnia. vt hîc ſit principium orationis Agar, Tu &c. Non erat autem Dominus qui loquebatur ei, ſed angelus: verum alloquitur miſſum perinde acſi eſſet is qui miſit. Deum viſionis etiam vocat, Deum qui apparere ſoleat ſanctis ſuis & afflictis.

Deus viſionis.

PROFECTO hîc vidi poſteriora videntis me.) Num etiam hîc vidi poſt videntem me? Interrogatio eſt quæ reſponſionem negatiuam poſtulat. quaſi dicat, Vidine illum abeuntem qui vidit me, ſiue apparuit mihi? Non vidi. vnde cognoui eſſe angelum Domini. nam quandiu colloquebatur mecum, videbam illum: mox ita diſparuit vt videre non potuerim: quem abeuntem videre potuiſſem ſi homo fuiſſet. Vere igitur cognoui Dominum miſiſſe mihi angelum ſuum qui me conſolaretur. A ſubita diſparitione collegit angelum eſſe Domini.

APPELLAVIT,) Subaudi, Abram. Vel potius, Propterea is qui impoſuit nomen, vocauit fontem viuẽtis, ſcilicet angeli. Quaſi dicat, Poſtea vocatus eſt puteus ille, Puteus &c.

CAP. XVII.

POſtquam verò nonaginta & nouem annorum eſſe cœperat, apparuit ei Dominus: dixítque ad eũ, Ego Dominus omnipotẽs: ambula coram me, & eſto perfectus. Ponámque fœdus meum inter me & te: & multiplicabo te vehementer nimis. Cecidit Abrã pro-

nus in faciem.

COEPERAT, apparuit) Dictio ABRAM, hoc loco legitur Hebraice, Cœpit Abram, apparuit &c.

EGO Dominus omnipotens) ego Deus omnipotens. Ita legunt vetuſti codices Latini S. Dionyſii & Germani.

Ambulare coram Deo.

AMBVLA coram me, & eſto perfectus.) Hebraiſmus, pro, Ita viuito in hoc mundo, vt quæcunque egeris, mihi grata ſint, dáque operam vt viuas inculpate.

VEHEMENTER nimis.) ſupra modum.

Eccli 44.c. rom.4.c.

‖Dixítque ei Deus, 'Ego ſum, & ponam pactum meũ tecum, eríſque pater multarum gentium. Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram: ſed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium 'conſtitui te. Faciámque te creſcere vehementiſſime, & 'ponã te in gentibus, regéſque ex te egredientur. Et ſtatuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum 'poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno: vt ſim Deus tuus & ſeminis tui poſt te. Dabóque tibi & 'ſemini tuo terram peregrinationis tuæ, & omnem terram Chanáan in poſſeſſionem æternam, 'eróque Deus eorum.

EGO ſum, & ponam pactum meum tecum.) Ego ecce fœdus meum tecum. Id eſt, Ego quidem iamiam ferio fœdus tecum.) Dictio PONAM, neque Hebraice legitur, neque in vetuſtis Latinorum codicibus S. Dionyſii & Germani.

CONSTITVI te.) Præteritum pro futuro, Conſtituam te.

Ponam te in gentibus.

PONAM te in gẽtibus,) Hebraiſmus, Faciam vt ex te gentes multæ naſcãtur.

In generationibus ſuis.

POST te in generationibus ſuis) Id eſt, te mortuo, temporibus ſuis & ætate ſua. Quaſi dicat, Tui curam ſemper geram, tu verò adorabis me, & tanquam à patre pendebis à me.

SEMINI tuo terram) Semini tuo poſt te terram. Sic legit vetus exẽplar S. Victoris, & editiones Complutenſis & Moguntinenſis.

PEREGRINATIONIS tuæ, & omnem) Peregrinationis tuæ, omnem &c. Coniunctionem ET, vetera exemplaria non habent S. Dionyſii, Germani, & Victoris: nec editiones Complutenſis & Moguntinenſis. Terra enim peregrinationis Abræ, in qua peregrinatus fuerat, erat terra Chanáan. Dabo igitur, inquit, tibi terram peregrinationis tuæ, nempe omnem terram Chanáan.

ERÓQVE Deus eorum.) Quaſi dicat, Dabo eis terram Chanáan, verum ea lege vt ſim Deus eorum.

Act.7.a.

‖Dixítque iterum Deus ad Abraham, Et tu ergo 'cuſtodies pactum meum, '& ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis. 'Hoc eſt pactum meum quod obſeruabitis inter me & vos & ſemen tuum poſt te, 'Circuncidetur ex vobis omne maſculinum: & circuncidetis carnem præputii veſtri, vt ſit ‖in ſignum fœderis inter me

Rom.4.b.

& vos.¶Infans octo dierum circuncidetur in vobis,omne maſculinum in generationibus veſtris:tam vernaculus quàm 'emptitius circuncidetur, & quicunque non fuerit de ſtirpe veſtra: 'erítque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum.Maſculus cuius præputii caro circunciſa non fuerit, 'delebitur anima illa de populo ſuo:quia pactum meum irritum fecit. Luc.2.c.

CVSTODIES) cuſtodias.Vel,cuſtodi.

ET ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis.) Id eſt,nepotes tui,tempore ſuo.Hebraiſmus. Semen.

HOC eſt pactum meum) Hoc loco pactum,ſiue fœdus, pro ſymbolo fœderis accipitur:vt mox exponitur,his verbis,Vt ſit in ſignũ fœderis inter me & vos. Pactum pro ſigno pacti.

CIRCVNCIDETVR ex vobis omne maſculinum: & circuncidetis) Circuncidatur à vobis omne maſculinum:& circuncidite.vel,curate circũcidi.Hoc loco infinitiuus loco futuri ponitur apud Hebræos,& futurum vice imperatiui.

INFANS octo dierum circuncidetur in vobis,omne maſculinum in generationibus veſtris:) Infans itaque octo dierum circuncidatur à vobis,omnis ſcilicet maſculus in generationibus veſtris.Id eſt,temporibus veſtris.Ordo eſt inuerſus,qui ſic cõſtrui debet, Omnis maſculus octo dies natus circuncidatur à vobis.

EMPTITIVS circũcidetur,& quicunque non fuerit de ſtirpe veſtra:) filius domus,(id eſt vernaculus)& emptitius quem emiſti à quocunque alienigena qui non eſt de ſemine tuo.Circuncidendo circũcidetur filius domus tuæ (id eſt vernaculus) & emptus argento tuo. Fili᷑ domus.

ERÍTQVE pactum meum in carne veſtra in fœdus æternũ.) Hebraiſmus, Que pro,Vt ſit ſignum pacti mei in carne veſtra perpetuum. Que pro Vt

DELEBITVR anima illa de populo ſuo:) Hebræi addunt aduerbium affirmandi,& legunt,Vtique delebitur &c.Id eſt, homo ille non cenſebitur in populo meo,nec pertinebunt ad illum promiſſiones factæ à me populo meo.Non erit particeps eius rei quæ deſignatur per hoc ſignum:hoc eſt,non erit particeps paſſionis CHRISTI.nam per circunciſionem ſignificatur paſſio CHRISTI.item quòd ſpiritu circunciſi eſſe debemus. Deleri de populo ſuo.

Dixit quoque Deus ad Abraham, Sarái vxorem tuã non vocabis Sarai,ſed Saram.Et benedicam ei,& ex illa dabo tibi filium, 'cui benedicturus ſum, 'erítque in nationes, & reges populorum 'orientur ex eo. Cecidit Abrahã in faciem ſuam, & riſit: in corde ſuo dicens,Putáſne 'cẽtenario naſcetur filius? & Sara nonagenaria pariet? Dixítque ad Deũ,'Vtinam Iſmael viuat corã te.

CVI) ſcilicet Saræ:eſt enim fœmininum apud Hebræos.

ERÍTQVE in nationes,) nempe Sara. & eſt Hebraiſmus, pro, Ex ea gentes multæ naſcentur. Eſſe in nationes.

ORIENTVR ex eo.) orientur ex ea.Fœmininum pronomen eſt.

CENTENARIO) Non vult Moyſes Abraham eum genuiſſe filium quo tempore centeſimum agebat annum: ſed ſibi centenario filium miratur naſcituru. Cum enim hæc dicebat,nondum centeſimum agebat annum,ſed nonageſimum

nonum. Erat verò futurus centenarius in natiuitate Iſaac.

Viuere corã Deo.

VTINAM Iſmael viuat coram te.) Hebraiſmus. Id eſt, Vtinam Iſmael ita viuat vt tibi placeat, & obediat mãdatis tuis. quaſi dicat, Satis mihi fuerit, ſi Iſmael filius meus obediat mandatis tuis.

ſ.18.b.& 21.a

‖Et ait Deus ad Abraham, 'Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabíſque nomẽ eius Iſaac, & 'conſtituam pactum meum illi in fœdus ſempiternum, & ſemini eius poſt eum. Super Iſmael quoque exaudiui te. ecce benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eũ valde: duodecim duces generabit, & 'faciam illum creſcere in gẽtem magnam. 'Pactum verò meum ſtatuam ad Iſaac quem pariet tibi Sara, tempore iſto 'in anno altero.

SARA vxor tua) Verè Sara vxor tua &c.

CONSTITVAM pactum meum &c.) Vel, Ratum faciam pactum &c. quaſi dicat, pactum illud quod pepigi tecum, perueniet ad poſteros, non per Iſmaelem, ſed per Iſaac quem tibi pariet Sara. Deſcendet enim CHRISTVS ex Iſaac, non ex Iſmaele.

Facere aliquẽ in gentem.

FACIAM illum creſcere in gentem magnam.) Vetera exemplaria ſcripta, S. Germani, & Dionyſii, non legunt verbum CRESCERE. Eſt autem Hebraiſmus, Faciam illum in gentem magnam, pro, Efficiam vt populus magnus naſcatur ex illo.

PACTVM verò meum ſtatuam ad Iſaac) Pactum verò meum ſtatuam cum Iſaac. Id eſt, Ex te per Iſaac CHRISTVS deſcendet.

IN anno altero.) Vel, anno ſequente.

'Cúmque finitus eſſet ſermo loquentis cum eo, aſcendit Deus ab Abraham. Tulit autem Abraham Iſmael filium ſuum, & omnes vernaculos domus ſuæ, vniuerſóſque 'quos emerat, & cunctos mares ex omnibus viris domus ſuæ: & circũcídit carnem præputii eorum 'ſtatim in ipſa die, ſicut præceperat ei Deus. Abraham nonaginta & nouem erat annorum quando circuncídit carnem præputii ſui. Et Iſmael filius ſuus tredecim annos impleuerat tempore circũciſionis ſuæ. 'Eadem die circunciſus eſt Abraham & Iſmael filius eius. Et omnes viri domus illius, tam vernaculi, quàm 'emptitii & alienigenæ pariter circunciſi ſunt.

Sermo loquẽtis cum eo finitus.

CVMQVE finitus eſſet ſermo loquentis cum eo, aſcendit Deus ab Abraham.) Hebraiſmus, pro, Cum finem loquendi cum eo feciſſet Deus, reliquit ipſum Abraham: vel diſceſſit ab eo.

QVOS emerat,) Hebræi addunt, Argento ſuo. Præterea cõiunctionem ET, quæ præcedit CVNCTOS, non habent, neque etiam antiqui codices S. Dio-

nyſii, Germani, & Victoris.

STATIM in ipſa die,) eo ipſo die.

EADEM die) In eo ipſo die. quo ſcilicet Deus imperauerat vt circumciderentur.

EMPTITII & alienigenæ) emptitii quos emerat ab alienigenis.

CAP. XVIII.

APPARVIT autẽ ei Dominus 'in conualle Mãbre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui 'in ipſo feruore diei. Cúmque eleuaſſet oculos, apparuerũt ei tres viri ſtantes prope eum: quos cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorũ de oſtio 'tabernaculi ſui, & 'adorauit in terrã. Et dixit, Domine, 'ſi inueni gratiã in oculis tuis, 'ne tranſeas ſeruum tuum: 'ſed afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes veſtri, '& requieſcite ſub arbore. Ponámque buccellam panis, '& confortetur cor veſtrũ, poſtea tranſibitis; idcirco enim declinaſtis ad ſeruum veſtrum. Qui dixerunt, Fac vt locutus es. Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixítque ei, 'Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericios panes. Ipſe verò 'ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum: dedítque puero, qui feſtinauit & coxit illum. Tulit quoque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & poſuit coram eis: ipſe verò ſtabat iuxta eos ſub arbore. Heb. 13. a.

IN conualle Mambre) Vide poſtremam annotationem capitis XIII.

IN ipſo feruore diei.) quũ incaleſceret, ſiue calere cœpiſſet dies: ſub meridiẽ.

TABERNACVLI ſui,) Pronomẽ SVI, non legitur in veteribus ſcriptis codicibus S. Dionyſii & Germani.

ADORAVIT in terram.) Id eſt, Demiſit faciem in terram vſque, reuerentiæ & honoris cauſa. Hoc enim ſignificat vox Hebræa. Marcus, cap. 1. de leproſo loquens, poſuit Genu flectebat: vbi Matthæus eãdem narrans hiſtoriam, Adorabat eum, ſcripſit. Adorare.

SI inueni gratiam in oculis tuis,) Hebraiſmus, pro, Si tibi gratus ſum. Inuenire gratiã in oculis alicuius.

NE tranſeas ſeruum tuum:) ne obſecro tranſeas à ſeruo tuo. Ne prætereas domum ſiue hoſpitium famuli tui.

SED afferam pauxillum aquæ, & lauẽtur pedes veſtri.) capiatur obſecro (ſubaudi, à te domino meo) parum aquæ, & lauetis pedes veſtros.

ET requieſcite) Vox Hebræa ſignificat inniti alicui rei, quo cõmodius quieſcamus. quaſi dicat, Innitimini baculis veſtris, aut re alia ſub arbore. erat enim arbor ante oſtium tabernaculi.

ET confortetur cor veſtrum,) vt confirmetur cor veſtrum. Vel, vt fulciatis cor veſtrum. Vetera ſcripta exemplaria, S. Dionyſii oblongum & latum, & S. Germa-

d. ii.

ni oblõgum,legunt CONFORTATE.Pſalmo 113.b.legimus,Et panis cor hominis confirmet.

ACCELERA,tria ſata &c.) Id eſt,cito accipe tria ſata optimæ farinæ,& ſubige aqua.

AD armentum) Vel,ad boues.

J.21.a. ‖Cúmque comediſſent,dixerunt ad eum,Vbi eſt Sara vxor tua? Ille reſpondit, Ecce in tabernaculo eſt. Çui

Rom.9.b. dixit, ‖'Reuertens veniã ad te 'tempore iſto vita comite, '& habebit filium Sara vxor tua. 'Quo audito Sara riſit poſt oſtiũ tabernaculi.Erant autẽ ambo ſenes prouectáque ætatis, & 'deſierant Saræ fieri muliebria.Quæ 'riſit occultè,dicens, Poſtquam conſenui, & dominus meus vetulus eſt,voluptati operã dabo!Dixit autẽ Dominus ad Abraham,Quare riſit 'Sara vxor tua,dicens, Nũ verè paritura ſum anus? 'Nunquid Deo quicquã eſt difficile? Iuxta condictũ reuertar ad te 'hoc eodem tempore vita comite, & habebit Sara filium. Negauit Sara,dicens,Non riſi.timore perterrita.Dominus autem, Non eſt,inquit,ita: ſed riſiſti.

Reuertendo reuerti. REVERTENS veniam) Reuertendo reuertar.Hebraiſmus,pro Haud dubie reuertar.

TEMPORE iſto vita comite,) circa hoc tempus,& viuente.ſubaudi, Sara.Id eſt,Sara vxore tua incolumi.

ET habebit) Hebræi addunt aduerbium affirmãdi,Et certe,vel ſane habebit.

QVO audito Sara riſit poſt oſtium tabernaculi.) Porrò Sara auſcultabat ad oſtium tabernaculi:& ipſum (ſub.oſtium) erat à tergo ipſius. Quaſi dicat,angelus erat auerſa facie ab oſtio.ſiue angelo loquenti erat oſtium ad tergum.

Conſuetudo mulierum. DESIERANT Saræ fieri muliebria.) deſierat eſſe ipſi Saræ conſuetudo mulierum.Id eſt,Deſierat Sara pati menſes. Hebraiſmus.

RISIT occulte,) riſit intra ſeſe.

SARA vxor tua,dicens,) Hæc duo verba VXOR TVA,non leguntur in antiquis Latinis codicibus S. Dionyſii,Germani, & Victoris. De quo & admonet Correctorium Sorbonicum.

NVNQVID Deo quicquam eſt difficile?) Nunquid Deo quicquam eſt occultum? Aut, Lateréne quicquam poteſt Deum? Alii vertunt, Nunquid Deo quicquam mirabile? Quaſi dicat, Poteſt quicquam eſſe tam mirabile & excellẽs,quod à Deo fieri non poſſit?

HOC eodem tempore vita comite,) circa hoc tempus,& viuente.Sub.Sara. Id eſt,Sara vxore tua incolumi.

Cũ ergo ſurrexiſſent inde viri,direxerunt oculos cõtra Sodomam:& Abraham ſimul gradiebatur,deducẽs eos.Dixítque Dominus,Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum: 'cum futurus ſit in gentem magnã

ac robuſtiſſimam, & 'BENEDICENDAE ſint in illo omnes nationes terræ? 'Scio enim quòd præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe vt cuſtodiant viam Domini, '& faciant iudiciũ & iuſtitiã: 'vt adducat Dominus propter Abraham omnia 'quæ locutus eſt ad eum. Dixit itaque Dominus, 'Clamor Sodomorũ & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum 'aggrauatũ eſt nimis. Deſcendam, & videbo vtrũ clamorem qui venit ad me, opere compleuerint: an nõ eſt ita, vt ſciam.

CVM futurus ſit in gentem magnam ac robuſtiſſimam.) Id eſt, Quum maximus populus & fortiſſimus naſciturus ſit ex eo. Hebraiſmus. *Futurus in gẽtem.*

BENEDICENDAE ſint in illo) Id eſt, per ſemen illius, qui eſt CHRISTVS, vt capite XXVI exponitur, Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.

SCIO enim quòd præcepturus ſit filiis ſuis,) Noui enim eum (ſub quòd iuſtus ſit & pius) vt præcipiat filiis ſuis. Ne ſcilicet eodem pœnæ genere multentur.

ET faciant iudicium & iuſtitiam:) Hebraiſmus, pro, rectè & iuſte viuant. *Facere iudiciũ & iuſtitiã.*

VT adducat Dominus) Id eſt, Impleat Dominus. De ſe loquitur in tertia perſona: hoc eſt, vt impleam quæ promiſi illi. *Adducit deus quæ locut' eſt*

QVAE locutus eſt) Id eſt, pollicitus.

CLAMOR Sodomorum) Clamor quidem Sodomorum.

AGGRAVATVM eſt nimis.) Vel, Inualuit ſupra modum.

DESCENDAM, & videbo vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint: an non eſt ita, vt ſciam) Legitur Hebraice, Deſcendam nunc, & videbo vtrum iuxta clamorem eius (ſub. vrbis) qui venit ad me, fecerint conſummationem: ſin minus, ſciam. Id eſt, videbo an opere compleuerint id quod audio eos feciſſe. Vel, fecerint conſummationem, hoc eſt, an peccata patrarint extrema punitione digna. Sin minus, vt ſciam. Id eſt, vt cognoſcam quomodo res ſe habeat.

'Conuerterúntque ſe inde, & abierunt Sodomam: Abraham verò adhuc ſtabat coram Domino. Et appropinquans ait, Nunquid perdes iuſtum cum impio? 'Si fuerint quinquaginta iuſti in ciuitate, peribunt ſimul? & non parces loco illi propter quinquaginta iuſtos, ſi fuerint in eo? Abſit à te vt rem hanc facias, '& occidas iuſtum cum impio, 'fiátque iuſtus ſicut impius. 'non eſt hoc tuum, qui iudicas omnem terram: nequaquam facies 'iudicium hoc. Dixítque Dominus ad eũ, Si inuenero Sodomis quinquaginta iuſtos in medio ciuitatis, 'dimittam omni loco propter eos. Reſpondénſque Abraham, ait, 'Quia ſemel cœpi, loquar

ad Dominum meum,'cum ſim puluis & cinis.' Quid ſi minus quinquaginta iuſtis quinque fuerint? delebis propter quadragintaquinque vniuerſam vrbem? Et ait, Non delebo,ſi inuenero ibi quadragintaquinque. Rurſúmque locutus eſt ad eum,'Si autem quadraginta ibi inuenti fuerint, quid facies? Ait, Non percutiam propter quadraginta. Ne quæſo,inquit,indigneris Domine, ſi loquar. 'Quid ſi ibi inuenti fuerint triginta? Reſpondit,Non faciã,ſi inuenero ibi triginta. 'Quia ſemel,ait, cœpi,loquar ad Dominum meum.Quid ſi ibi inuenti fuerint viginti? Ait, Non interficiam propter viginti. Obſecro,inquit,ne iraſcaris Domine, ſi loquar 'adhuc ſemel.'Quid ſi inuenti fuerint ibi decẽ?Et dixit, Nõ delebo propter decem. Abiítque Dominus poſtquam ceſſauit loqui ad Abraham: '& ille reuerſus eſt in locum ſuum.

CONVERTERVNTQVE ſe inde,& abierunt Sodomam:) Conuerterant autem iam ſe inde,& ibant Sodomam.

SI fuerint quinquaginta &c.) Fortaſſe ſunt quinquaginta iuſti in ea ciuitate: nunquid etiam perdes,(vel,delebis vrbem illam) neque parces ipſi loco propter quinquaginta iuſtos qui ſunt in ea? Subaudi,vrbe.

Et,pro Vt. ET occidas) ET pro VT poſitum eſt.

FIATQVE iuſtus ſicut impius.) Id eſt,talis futura ſit apud te conditio iuſti, qualis conditio impii.

Facere iudicium. NON eſt hoc tuum,qui iudicas omnem terram? nequaquam facias iudicium hoc.) Abſit inquam à te:nunquid iudex omnis terræ non faciet iudicium? Id eſt nunquid iudex omnis terræ non recte iudicabit? Quaſi dicat, Par eſt vt recte iudicet.

Et,pro Tunc. DIMITTAM omni loco) Et dimittam omni loco.hîc ET,pro TVNC poſitum eſt.

QVIA ſemel cœpi,loquar) Ecce nunc cupio (vel, cœpi) loqui.

CVM ſim puluis & cinis.) Id eſt,tametſi ſim abiectiſſimus.

QVID ſi minus,&c.) Fortaſſe deerũt ex quinquaginta illis iuſtis quinque:delebis propter quinque vniuerſam vrbem? In oblongo codice S.Germani & Complutenſi editione legitur,Propter quinque vniuerſam vrbem?

SI AVTEM quadraginta &c.) Fortaſſe inuenientur illic quadraginta.Ait, Non faciam propter quadraginta.Subaudi,conſummationem. Id eſt,non perdã.

QVID ſi ibi inuenti fuerint triginta?) Fortaſſe inuenientur illic triginta.

QVIA ſemel &c.) Rurſum dixit,Sane nũc geſtio alloqui Dominum meum, Fortaſſe inuenientur ibi viginti.

ADHVC ſemel.) Vel,ſaltem hac vice.

QVID ſi inuenti fuerint ibi decem?) Fortaſſe inuenientur ibi decem.

ET ille reuerſus eſt) & Abraham reuerſus eſt,&c.

CAP. XIX.

VENERVNTQVE 'duo angeli Sodomam veſpere, ſedente Lot in foribus 'ciuitatis. Qui 'cum vidiſſet eos, ſurrexit, & iuit obuiã eis: 'adorauítque pronus in terram, & dixit, Obſecro domini, declinate in domum 'pueri veſtri, & manete ibi: lauate pedes veſtros, & 'mane proficiſcemini in viam veſtram. Qui dixerunt, Minime, ſed in platea 'manebimus. Compulit illos oppidò vt diuerterent ad eum: ingreſſiſque domũ illius, 'fecit conuiuium, & coxit azyma, & comederunt. Heb.13.a.

DVO angeli) duo illi angeli.
CIVITATIS.) Sodomæ.
CVM vidiſſet eos, ſurrexit,) In antiquis codicibus ſcriptis S. Dionyſii & Germani oblongis, non legitur relatiuum EOS: ſubauditur tamen.
ADORAVÍTQVE pronus) incuruauit ſeſe. honoris ſcilicet cauſa.
PVERI veſtri, & manete ibi:) ſerui veſtri, & pernoctate ibi. vel, fruimini hoſpitio, manete, & dormite.
MANE proficiſcemini) mane ſurgetis, & proficiſcemini.
MANEBIMVS.) pernoctabimus, vel dormiemus.
FECIT conuiuium,) fecit illis conuiuium.

Prius autẽ quàm irent cubitũ, 'viri ciuitatis vallauerunt 'domũ illius à puero vſque ad ſenem, 'omnis populus ſimul. Vocauerúntque Lot, & dixerũt ei, Vbi ſunt viri qui introierunt ad te nocte? 'educ illos huc, vt cognoſcamus eos. 'Egreſſus ad eos Lot, poſt tergum accludens oſtium, ait, Nolite quæſo 'fratres mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quæ necdum cognouerunt virum: 'educam eas ad vos, & abutimini eis ſicut vobis placuerit, 'dummodo viris iſtis nihil mali faciatis: quia ingreſſi ſunt 'ſub vmbra culminis mei. At illi dixerunt, Recede illuc. Et rurſus, 'Ingreſſus es, inquiunt, vt aduena, nunquid vt iudices? 'te ergo ipſum magis quàm hos affligemus. 'Vímque faciebant Lot 2.Pet.2.b. vehementiſſime: iámque propè erat vt effringerent fores. 'Et ecce miſerunt manum viri, & introduxerunt ad ſe Lot, clauſeruntque oſtium: '& eos qui foris erant, percuſſerunt cæcitate à minimo vſque ad maximum, Sapien.19.c

'ita vt oſtium inuenire non poſſent.

VIRI ciuitatis vallauerũt) Viri ciuitatis, viri inquã Sodomæ, vallauerũt &c.

DOMVM illius à puero &c.) Pronomen ILLIVS, non legitur in codicibus ſcriptis S. Dionyſii & Germani: tametſi ſubintelligatur.

OMNIS populus ſimul.) omnis populus, ab extremo. Subaudi, vrbis. Id eſt, qui habitabant in extrema parte vrbis.

EDVC illos huc,) educ illos ad nos.

EGRESSVS ad eos Lot, poſt tergum) Et egreſſus ad eos Lot ad oſtium, poſt tergum accludens &c.

FRATRES mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas &c.) fratres mei malum tantum facere nolite. Habeo ſane duas &c. Vel, Ecce nunc habeo duas &c.

EDVCAM eas ad vos,) educam nunc eas ad vos.

DVMMODO viris iſtis nihil mali faciatis: quia ingreſſi ſunt) Tantum viris iſtis nihil faciatis, quia idcirco ingreſſi &c. Ne ſcilicet malum eis fieret.

Sub vmbra culminis.

SVB vmbra culminis mei.) ſub vmbra tigni mei. Id eſt, in domum meam. Hebraiſmus.

RECEDE illuc.) Faceſſe hinc.

INGRESSVS es, inquiunt, vt aduena, nunquid vt iudices?) Vnicus, inquiũt, venit vt habitaret, & iudicat iudicando? Obiurgantis ſermo: quaſi dicat, Solus venit vt habitaret apud nos, & vult eſſe iudex noſter? Vel, venitne iſte peregrinus vt iudicaret nos?

TE ergo ipſum magis) Tantum Hebraice legitur, Te magis.

VIMQVE faciebant Lot) additur apud Hebræos, Vímq; faciebât in virũ Lot.

ET ecce miſerunt manum viri, & introduxerunt ad ſe Lot,) Et miſerunt manum ſuam viri illi, & attraxerunt ad ſe Lot in domum. Id eſt, extenderunt manum ſuam angeli illi &c.

ET eos qui foris erant,) & homines qui ad oſtium domus erant.

ITA vt oſtium inuenire non poſſent.) ita vt defatigarentur quærendo oſtiũ.

'Dixerunt autem ad Lot, Habes hîc quempiam tuorum? generum, aut filios aut filias: omnes qui tui ſunt, educ de vrbe hac: 'delebimus enim locum iſtum, eo quòd increuerit clamor eorum coram Domino, qui miſit nos vt 'perdamus illos. Egreſſus itaque Lot, locutus eſt ad generos ſuos qui 'accepturi erant filias eius, & dixit, 'Surgite, & egredimini de loco iſto: quia delebit Dominus ciuitatẽ hãc. Et 'viſus eſt eis quaſi ludens loqui. Cúmque eſſet mane, 'cogebant eum angeli, dicentes, Surge, tolle vxorem tuam & duas filias 'quas habes: ne & tu pariter pereas 'in ſcelere ciuitatis. 'Diſſimulante illo, 'apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, 'eo quòd parceret Dominus illi.

DIXERVNT autem &c.) Dixerunt autem viri ad Lot, Quos habes hîc præterea? generum & filios tuos, & filias tuas, & omnes qui &c. Generum, pro gene

ros,ſingulare pro plurali. Item,Præterea:id eſt præter hos quos videmus.

DELEBIMVS) perdemus

PERDAMVS illos.) perdamus iſtum. Subaudi,locum.

ACCEPTVRI erant) acceperant. Subaudi,in vxores. Id eſt,qui abduxerant ad ſe filias eius,& acceperant ſibi in vxores.

SVRGITE,& egredimini) Leuiculũ admonere,quòd cõiunctio ET, Hebraice nõ legatur,nec in oblõgo S.Dionyſii. Surgite,egredimini, id eſt cito egredimini.

VISVS eſt eis quaſi ludens loqui.) viſus eſt vt iocans,in oculis generũ ſuorũ. Id eſt,putauerunt eum non ſerio hæc dicere.

COGEBANT eum angeli,) cogebant Lot angeli. Vel,Cœperunt feſtinare,& properare cum Lot angeli.

QVAS habes:) quas habes in promptu. Vel,filias quæ inueniuntur.

IN ſcelere ciuitatis.) Vel,in punitione ciuitatis.

DISSIMVLANTE illo,) Tardante autem illo. Vel,Moram autẽ illo faciẽte.

APPREHENDERVNT manũ) apprehenderunt homines manũ. Homines vocat angelos.

EO quòd parceret Dominus illi.) eo quòd Dominus miſereretur eius. Id eſt, vellet eum eripere. Miſereri.

‖Eduxerúntque eum, & poſuerunt extra ciuitatem. Sapien.10.a
'Ibíque locuti ſunt ad eum, dicentes, 'Salua animam tuam: 'noli reſpicere poſt tergum,nec ſtes 'in omni circà regione: ſed in monte ſaluum te fac, ne & tu ſimul pereas. Dixítque Lot ad eos, 'Quæſo Domine mi,quia inuenit ſeruus tuus gratiam coram te, & magnificaſti gloriã & miſericordiã tuam quã feciſti mecum' vt ſaluares animam meam, 'nec poſſum in monte ſaluari,ne forte apprehendat me malũ,& moriar: 'Eſt ciuitas hîc iuxtà,ad quam poſſum fugere,parua,& ſaluabor in ea: nunquid non modica eſt, & viuet anima mea? Dixítque ad eum,Ecce etiam 'in hoc ſuſcepi preces tuas, vt non ſubuertam vrbem pro qua locutus es. ‖Feſtina, & Sapien.10.a.
ſaluare ibi: quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc. Idcirco 'vocatum eſt nomen vrbis illius Segor. Sol egreſſus eſt ſuper terram,& Lot ingreſſus eſt Segor.

IBÍQVE locuti ſunt ad eum,dicentes,) Et factum eſt,quũ eduxiſſent eos foras,dixit. Subaudi,alter angelus. nam quamuis duo eſſent angeli,tamen vnus educto Lot foras,euertere cœpit illas ciuitates.

SALVA animam tuam:) Saluum te fac pro anima tua. Id eſt,fuga conſule vitæ & ſaluti tuæ. Saluare animam.

NOLI reſpicere poſt tergum,) id eſt,ne te incœpti pœniteat. Similis loquendi modus Luc.9.g, Nemo mittens manum ad aratrum,& reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Reſpicere poſt tergum.

IN omni circà regione:) in vllo loco planitiei.

QVAESO domine mi, quia inuenit ſeruus tuus gratiam coram te,& magnificaſti gloriam & miſericordiam) Quæſo domini mei, nequaquam ita fiat: ecce nunc (vel, ſane, aut certe) inuenit ſeruus tuus gratiam coram te,& magnificaſti miſericordiam &c. Alterum angelorum alloquitur. quaſi dicat, Video me gratum & acceptum tibi fuiſſe: nam magnificaſti miſericordiam tuam quam feciſti mecum: hoc eſt maxime miſericors fuiſti erga me. Hebraiſmus eſt. Complutenſis editio,& vetera Latina S. Dionyſii & Germani exemplaria non legunt hæc verba, GLORIAM ET. De hoc admonet etiam Correctorium Sorbonicum.

Magnificare miſericordiã ſuã cũ aliquo

VT ſaluares) Vel, ſaluando.

NEC poſſum) ego autem non potero.

EST ciuitas hic juxta,&c.) Verum vrbs iſta (ſubaudi, quam vides) eſt propinqua, ad quam poſſum fugere: & illa eſt parua: obſecro vt ſaluer in ea. nunquid non exigua res eſt? & viuet anima mea. Verti poteſt, pro Et illa eſt parua: Nempe illa parua. aut, vt volunt quidam, res illa eſt parua. Vetera Latina ſcripta exemplaria S. Germani & Dionyſii legunt HAEC, fœminino genere, ciuitas hæc: conſentiente Complutenſi editione.

IN hoc ſuſcepi preces tuas.) in hoc ſuſcepi faciẽ tuam. Hebraiſmus eſt, pro, exaudiui te in hac re.

Suſcipere faciẽ alicuius.

VOCATVM eſt nomen,) Vocauit nomen. Id eſt, is qui illi nomen indidit, vocauit Segor. Hoc eſt, vocauerúntque nomen illius Segor.

Iſa 13.d.
iere.50.f.
ezech.16.f
oſee 11.c.
amos 4.d
luc.17.f.
iudæ 1.c.
Luc.17.g.
&18.a

¶Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cælo: & ſubuertit ciuitates has & omnem circà regionem, vniuerſos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia. ¶Reſpiciénſque vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.

Pluit Dominus à Domino de cælo.

DOMINVS pluit à Domino de cælo) Hebraiſmus eſt, pro Dominus pluit de cælo.

ET omnem circà regionem, vniuerſos &c.) & omnem planitiem, (vel, conuallem) & vniuerſos &c.

Reſpiciénſque vxor eius poſt ſe,) Reſpiciénſque vxor eius poſt illum. Id eſt, auerſa à tergo illius, reſpexit) poſt ſe. Ipſa enim illum ſequebatur.

IN ſtatuam) Vel, in cumulum.

Abraham autem conſurgens mane vbi ſteterat prius cum Domino, intuitus eſt Sodomam & Gomorrham, & vniuerſam terram regionis illius: viditque aſcendẽtem fauillam de terra quaſi fornacis fumum. Cum enim ſubuerteret Deus ciuitates regionis illius, recordatus eſt Abrahæ: & liberauit Lot de ſubuerſione vrbium in quibus habitauerat.

VBI ſteterat prius cum Domino, intuitus eſt Sodomã) ad locum vbi ſteterat prius coram Domino, & proſpexit verſus Sodomam &c. Id eſt, Iuit ad locum vbi toties antea interrogauerat Dominum.

VNIVERSAM terrã regionis illius:) vniuerſam faciẽ terræ planitiei illius.

FAVILLAM de terra) fumuſm terræ. Id eſt fumum regionis illius.

CVM enim ſubuerteret Deus ciuitates regionis illius,) Accidítque dum deleret (vel, perderet) Deus vrbes illius planitiei.

DE ſubuerſione vrbium in quibus habitauerat.) de medio ſubuerſionis, quũ ſubuerteret ciuitates illas, in quibus (id eſt, in quarum vna) habitabat Lot.

Aſcendítque Lot de Segor, & manſit in monte: duæ quoque filiæ eius cum eo (timuerat enim manere in Segor) & manſit in ſpelunca ipſe, & duæ filiæ eius cum eo. Dixítque 'maior ad minorem, Pater noſter ſenex eſt, & nullus virorum remanſit in terra qui poſſit ingredi ad nos iuxta morem vniuerſæ terræ. 'Veni, inebriemus eum vino, dormiamúſque cum eo: 'vt ſeruare poſſimus ex patre noſtro ſemen. Dederunt itaque patri ſuo bibere vinum nocte illa. Et ingreſſa eſt maior, dormiuítque cum patre: at ille non ſenſit, nec quando accubuit filia, nec quãdo ſurrexit. 'Altera quoque die dixit maior ad minorem, Ecce, dormiui heri cum patre meo, demus ei bibere vinum etiam hac nocte, '& dormies cum eo, vt ſaluemus ſemẽ de patre noſtro. Dederúntque etiam & illa nocte patri ſuo bibere vinum. ingreſſáque minor filia, dormiuit cum eo: & nec tunc quidem ſenſit quãdo concubuerit, vel quando illa ſurrexit. Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre ſuo. Peperítque maior filium, & vocauit nomen eius Moab: ipſe eſt pater Moabitarum vſque in præſentem diem. Minor quoque peperit filium, & 'vocauit nomen eius Ammon, id eſt filius populi mei: ipſe eſt pater Ammonitarum vſque hodie.

MAIOR) Subaudi, natu.

VENI,) Verbum pro aduerbio, Eia, age.

VT ſeruare poſſimus) vt viuificemus. Hebraiſmus eſt, pro, vt ſuſcitemus ſemen: hoc eſt, excitemus poſteritatem ex patre noſtro. Sic paulo póſt. Viuificare ſemen.

ALTERA quoque die dixit) Et fuit poſtridie, & dixit. Hebraiſmus, pro, Poſtri die autem dixit.

ET dormies cum eo,) & ingredere, & dormi cum eo.

VOCAVIT nomen eius Ammon, id eſt filius populi mei.) Vocauit nomen eius Ben-ammi. Hæc verba, Filius populi mei, non leguntur Hebraice: verum ab interprete adiecta ſunt, vt explicaret quid ſignificaret Ben-ammi.

CAP. XX.

PROFECTVS inde Abraham in terram Auſtralem, habitauit inter Cades & Sur: & 'peregrinatus

eſt in Geraris. 'Dixítque de Sara vxore ſua, Soror mea eſt. Miſit ergo Abi-mélech rex Geraræ, & tulit eam. Vênit autem Deus ad Abi-mélech per ſomnium nocte,& ait illi, En 'moriêris propter mulierem quam tuliſti; 'habet enim virum. Abi-mélech verò 'non tetigerat eam,& ait, Domine, 'num gentem ignorantem & iuſtam interficies? Nónne ipſe dixit mihi, Soror mea eſt: '& ipſa ait, Frater meus eſt? 'in ſimplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc. 'Dixítque ad eum Deus, Et ego ſcio quòd ſimplici corde feceris: '& ideo cuſtodiui te ne peccares in me,& non dimiſi vt tangeres eam. Nunc ergo redde viro ſuo vxorem, '& orabit pro te: quia propheta eſt,& viues. ſi autem nolueris reddere, ſcito quòd 'morte morieris tu & omnia quæ tua ſunt.

PEREGRINATVS eſt) Vel,habitauit.

DIXÍTQVE de Sara) Dixítque Abraham de Sara. Subaudi, interrogantibus quæ eſſet ipſa.

MORIERIS) mortuus es.Id eſt,actum eſt de vita tua.

HABET enim virum) maritata eſt enim marito.

Appropinquare mulieri. NON tetigerat eam,) non appropinquauerat illi.Latine,Non fuerat cõgreſſus cùm ea.

NVM gentem ignorantem & iuſtam interficies?) num gentem etiam iuſtam interficies? Audiuerat enim Abi-mélech ſupplicium ſumptũ fuiſſe de Sodomitis. Gens. Gens pro familia. Hæc verba, IGNORANTEM ET, non leguntur Hebraice.

ET ipſa ait,) & ipſa etiam ait.

In munditia manuum. IN ſimplicitate &c.) Vel, in integritate.Id eſt, Cum illam retinui, ſimplici animo feci, nihil mali cogitans, nec exiſtimaui me propterea quicquam mali facere.Hebraiſmus.

DIXÍTQVE ad eum Deus,) Dixítque ad eum Deus per ſomnium, Vel,in viſione nocturna.

ET ideo &c) retinui itaque ego te, ne peccares in me, atque ideo non permiſi vt attingeres illam.

ET orabit pro te:quia propheta eſt,& viues.) eſt enim propheta,& orabit pro te,& viue.Imperatiuus pro futuro, viues.

Morte mori. MORTE morieris) Hebraiſmus eſt,pro,Certo morieris.

Statímque 'de nocte conſurgens Abi-mélech, vocauit omnes ſeruos ſuos: '& loquutus eſt vniuerſa verba hæc in auribus eorum, timuerúntque omnes viri valde. Vocauit autem Abi-mélech etiam Abraham, & dixit ei, Quid feciſti nobis? quid peccauimus in te, quia

'induxiſti ſuper me & ſuper regnum meum peccatum grande? 'quæ non debuiſti facere, feciſti nobis. Rurſúmque expoſtulans ait, Quid vidiſti, vt hoc faceres? Reſpondit Abraham, Cogitaui mecum, dicens, 'Forſitan non eſt timor Dei in loco iſto, & interficient me propter vxorem meam: 'aliàs autem & vere ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem. Poſtquam autem 'eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam, 'Hanc miſericordiam facies mecum, In omni loco ad quem ingrediemur, 'dices quòd frater tuus ſim.

DE nocte) mane.

ET loquutus eſt vniuerſa verba hæc in auribus eorum, timuerúntque omnes viri valde.) Modus loquendi Hebraicus. Latine, Narrauit illis hæc omnia quæ illi dixerat Deus. Dictio OMNES, non legitur Hebraice. *Loqui in auribus aliquorũ.*

PECCAVIMVS) peccaui: ſingularis numeri eſt.

INDVXISTI ſuper me &c.) id eſt, quare fuiſti in cauſa vt tam grauiter peccarem in Deum? *Inducere peccatũ ſuper aliquem.*

QVAE non debuiſti facere, feciſti nobis. Rurſúmque expoſtulãs ait, Quid vidiſti, vt hoc faceres?) quæ non debuerunt fieri, feciſti mecum. Adiecítque Abimélech, & Abrahamo ait, Quid conſyderaſti, vt hoc faceres? Id eſt, quid tibi venit in mentem, vt hoc faceres?

FORSITAN non eſt timor &c.) Certè non eſt timor &c. Id eſt, Huius loci homines non timent Deum.

ALIÀS autem & vere ſoror mea eſt, filia &c.) Præterea (vel, & etiam: aut, certe) ſoror mea eſt &c. Soror eius fuit, ſicut Lot frater eius. Dixit enim ſuprà cap. 13. b, Fratres enim ſumus: quum Lot, fratris filius eſſet. Thare pater Abraham genuit Arã. Aran autem genuit Sarai. Ita Sarai erat filia, id eſt neptis Thare patris Abrahæ. Nam apud Hebræos, nepos vocatur frater: & neptis, filia. Soror igitur mea eſt, id eſt, neptis ex fratre: neptis patris mei ex filio: non autẽ neptis matris meæ. nam Aran fratrem meum ſuſtulit pater meus ex alia vxore, quàm ex matre mea. Alii ſic interpretantur, Vere ſoror mea eſt, filia Thare patris mei, ſed ex alia vxore, quàm ex matre mea. Creditur enim Thare duas habuiſſe vxores, ex quarum altera Saram ſuſtulerit, ex altera Abrahamum & fratres eius. *Filia pro nepte. Soror pro nepte.*

EDVXIT me Deus) errare me fecit, (vel peregrinari) Deus.

HANC miſericordiam facies mecum,) Hebraiſmus, Hoc mihi beneficiũ præſtabis, vt dicas, vbicunque erimus, quòd &c. *Miſericordiã facere alicui.*

DICES quòd) Addunt Hebræi, Dices propter me (vel de me) quòd &c.

Tulit igitur Abi-mélech oues & boues & ſeruos & ancillas, & dedit Abraham: reddidítque illi Sarã vxorem ſuam, & ait, 'Terra coram vobis eſt, vbicunque tibi placuerit habita. Saræ autem dixit, Ecce mille 'argenteos dedi fratri tuo, 'hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum ſunt: & quocunque perre-

xeris,memento te deprehenſam. Orante autem Abraham,ſanauit Deus Abi-mélech & vxorem,ancilláſque eius: & pepererunt. ᵛconcluſerat enim Dominus omnẽ vuluam domus Abi-mélech propter Saram vxorem Abrahæ.

TERRA coram vobis eſt, vbicunque tibi placuerit habita.) Ecce,terra mea in conſpectu tuo eſt: in quacunque libuerit parte,quæ videbitur tibi optima,habita. In conſpectu tuo,Id eſt,vides omnem regionem mihi ſubditam.

In conſpectu tuo.

HOC erit tibi in velamen &c.) certe ipſe eſt tibi velamen oculorum,& omnibus quæ tecum ſunt: & cum omnibus his correpta fuit. Id eſt,quicunque tibi eſſe virum nouerit, oculos à te auertet & ab ancillis tuis. Per hæc autem omnia quæ illi acciderunt ſub Pharaone & Abi-mélech,caſtigata & erudita fuit,ne poſtea diceret ſe ſororem eſſe Abrahami.

Concludere vuluam.

CONCLVSERAT enim Dominus omnem vuluam domus Abi-mélech.) Id eſt,ſteriles reddiderat mulieres totius familiæ Abi-mélech.

CAP. XXI.

ſ̄.17.c.18.b. VISITAVIT autẽ Dominus Saram ſicut ‖promiſerat: ᵃ& impleuit quæ locutus eſt. Concepítque, & ‖peperit filium in ſenectute ſua, tempore quo

Gala.4.c. heb.11.c. prædixerat ei Deus. Vocauítque Abraham nomen filii ſui quem genuit ei Sara,Iſaac,& ᶜcircuncîdit eum octauo die,ſicut ‖præceperat ei Deus,ᵈcum centum eſſet annorum:

ſ̄.17.d. matth.1.a hac quippe ætate patris,natus eſt Iſaac. Dixítque Sara,ᵉRiſum fecit mihi Deus:& quicunque audierit, corridebit mihi. Rurſúmque ait, ᶠQuis auditurus crederet Abraham quòd Sara lactaret filium quem peperit ei iam ſeni? ᵍCreuit igitur puer, & ablactatus eſt: fecítque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.

Viſitare.

VISITAVIT autẽ Dominus Saram &c.) Hebraiſmus,fecit Saræ Dominus ſicut promiſerat.

ET impleuit quæ locutus eſt.) fecit enim Dominus Saræ quemadmodum locutus fuerat. Repetitio eſt frequẽs in ſacris literis. Idem enim eſt, Viſitauit Saram Dominus ſicut promiſerat,&,Fecit Saræ Dominus ſicut locutus fuerat, id eſt promiſerat.

PEPERIT filium in ſenectute ſua,) peperit Sara ipſi Abrahæ filium in ſenectute eius. Id eſt,iam ſeni Abrahamo.

CIRCVNCÎDIT eum octauo die) circuncîdit eum Abraham octauo die.

CVM centum &c.) Abraham autẽ erat centenarius quum natus eſt ei Iſaac filius eius.

Riſum facere alicui.

RISVM fecit mihi Deus:& quicũque &c.) Hebraiſmus, Deus affecit me gaudio, lætam me reddidit: quicunque audierit me peperiſſe, gaudebit mecum,con-

graтulabitur mihi. In codicibus ſcriptis S. Dionyſii & Germani, nõ legitur coniunctio ET ante QVICVNQVE.

QVIS auditurus &c.) 'Quis dixit Abrahæ, Saram lactaturã eſſe filium? nam peperi filium ſenectuti illius. Id eſt, Marito meo iam ſeni. Quaſi dicat, Oportet Deum fuiſſe, non hominem, qui prædixerit viro meo me lactaturam ipſi filium.

CREVIT igitur puer,) Latine ſic verteretur, Cum autem creuiſſet puer, ablactatus eſt, &c.

Cúmque vidiſſet Sara filiũ 'Agar AEgyptiæ 'ludentem cum Iſaac filio ſuo, dixit ad Abraham, ‖Eiice ancillam hanc, & filium eius: non enim erit hæres filius 'ancillæ cum filio meo Iſaac. 'Dure accepit hoc Abraham pro filio ſuo. Cui dixit Deus, Non tibi videatur aſperum ſuper puero & ſuper ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara, 'audi vocem eius: quia ‖'in Iſaac vocabitur tibi ſemen. Sed & filium ancillæ 'faciam in gentem magnam, quia ſemen tuum eſt.

Galat. 4. d

Rom. 9. b heb. 11. d.

AGAR AEgyptiæ) addunt Hebræi poſt hæc, quem pepererat ipſi Abrahæ.

LVDENTEM cum Iſaac filio ſuo, dixit) Vel, ſubſannantem, aut, eſſe deriſorem. Dicunt enim quidam docti Hebræi, Cum faceret magnum conuiuium Abraham, omnéſque congratularentur ipſi Abrahæ, quòd Dominus in ſenectute dediſſet illi Iſaac, filium ancillæ deriſiſſe & ſubſannaſſe illos: idque Saram marito indicaſſe. Hæc verba, Cum Iſaac filio ſuo: non leguntur Hebraice.

ANCILLAE cum filio meo Iſaac.) ancillæ iſtius, cum filio meo, nẽpe Iſaac.

DVRE accepit &c.) Diſplicuit hoc Abrahæ propter filium ſuum. Cui dixit Deus, Non diſpliceat tibi ob puerum & ancillam tuam. Quaſi dicat, Non ægre feras eiectionem filii & matris.

AVDI vocem eius:) Id eſt, acquieſce omnibus quæ dixerit tibi Sara.

IN Iſaac vocabitur tibi ſemen.) Hebraiſmus, hoc eſt, Filii ac nepotes Iſaac dicentur filii ac nepotes tui: non autem qui ex Iſmaele naſcentur.

Vocabitur tibi ſemen.

FACIAM in gentem magnam) Hebraiſmus, pro, Faciam vt multi populi naſcantur ex eo. Apud Hebræos non legitur MAGNAM.

Facere in gentem.

Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem & vtrẽ aquæ, impoſuit 'ſcapulæ eius, tradidítque puerum, & dimiſit eam. Quæ cum abiiſſet, errabat in ſolitudine Ber-ſabee. Cúmque conſumpta eſſet aqua in vtre, abiecit puerũ ſubter vnam arborem 'quæ ibi erat. Et abiit, ſedítque eregione 'procul quantum poteſt arcus iacere. 'dixit enim, Non videbo morientem puerum. & ſedens contrà leuauit vocem ſuam, & fleuit. Exaudiuit autem Deus vocẽ pueri: vocauítque angelus Dei Agar de cælo, dicens, 'Quid agis Agar? noli timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco in quo eſt. Surge,

tolle puerum,& tene manum illius: quia in gentē magnam faciam eum. Aperuítque oculos eius Deus: quæ videns puteum aquæ,abiit,& impleuit vtrem,dedítque puero bibere.'Et fuit cum eo:qui creuit,& moratus eſt in ſolitudine,factúſque eſt iuuenis ſagittarius. Habitauítque in deſerto Pharan,& accepit illi mater ſua vxorem de Terra-AEgypti.

SCAPVLAE eius,) ſcapulæ Agar.

QVAE ibi erat.) Hæc verba non leguntur Hebraice.

PROCVL,quantum poteſt arcus iácere.) elongans ſe ſcilicet, quantum poteſt arcus iacere.Vel,Seceſſit ſecundum magiſtrum arcus. Id eſt, quantum ſagittarius ſolet ſecedere quum collimat.

DIXIT enim,) vel,dicebat enim.

QVID agis Agar?) Quid tibi eſt Agar? Id eſt,cur ploras?

ET fuit cum eo:) Oblongum exemplar vetus ſcriptum S.Germani, legit Et fuit Deus cum eo.

Eodem tempore dixit Abi-mélech, & Phichol princeps exercitus eius ad Abraham, Deus tecum eſt in vniuerſis quæ agis.'Iura ergo per Deum, ne noceas mihi & poſteris meis,ſtirpíque meæ:ſed 'iuxta miſericor-
3.10.d. diam quam feci tibi,facies mihi & terræ in qua verſatus es aduena. Dixítque Abraham,Ego 'iurabo.

IVRA ergo per Deum,ne noceas mihi & poſteris meis,ſtirpíque meæ:) Iura ergo mihi hîc per Deum quòd non mentieris mihi, & filiis meis, & nepotibus meis.Id eſt,te mihi & meis ſeruaturum fidem. Quidam vertunt,Iura te non defecturũ à me. Alii,Quòd nõ iniquè ages mecũ,& cum filiis & nepotibus meis.

Facere miſericordiã alicui. IVXTA miſericordiam quam feci tibi,) Hebraiſmus, Quemadmodum de te bene meritus ſum, tu quoque ſtudebis & de illis benemereri,& de incolis inter quos agis.

IVRABO.) iuro.præſentis temporis.Id eſt,paratus ſum iurare,

Et 'increpauit Abi-mélech propter puteũ aquæ quẽ vi abſtulerant ſerui eius. Reſpondítque Abi-mélech, Neſciui quis fecerit hanc rem : ſed & tu non indicaſti mihi, & ego non audiui præter hodie. Tulit itaque Abraham oues & boues,& dedit Abi-mélech : percuſſerúntque ambo fœdus. Et ſtatuit Abraham ſeptem agnas gregis ſeorſum.Cui dixit Abi-mélech,Quid ſibi volunt ſeptem agnæ iſtæ, quas ſtare feciſti ſeorſum? 'At ille, Septem,inquit, agnas accipies 'de manu mea: vt ſint mihi in teſtimonium quoniam ego fodi puteum

iſtum. Idcirco 'vocatus eſt locus ille Ber-ſabee: quia ibi vterque iurauit. Et inierunt fœdus 'pro puteo iuramenti. Surrexit autem Abi-mélech, & Phicol princeps exercitus eius, reuerſique ſunt in terrã Paleſtinorum. Abraham verò plantauit nemus in Ber-ſabee, & inuocauit ibi 'nomen Dei æterni. Et fuit colonus terræ Paleſtinorum diebus multis.

INCREPAVIT Abi-mélech) increpauit Abraham ipſum Abi-mélech. Vel, expoſtulauit Abraham cum Abi-mélech.

AT ille, Septem) At ille, Quia ſeptem.

DE manu mea:) id eſt, à me.

VOCATVS eſt locus ille) vocauit locum illum. Is ſcilicet qui indidit nomen loco illi, vocauit illũ Ber-ſeba, id eſt Puteus ſeptem. Subaudi agnarum. nam poſt præſtitum iuramentum dedit ſeptem agnas.

PRO puteo iuramenti.) in Ber-ſabee.

NOMEN Dei æterni.) nomen Domini Dei æterni. Sic legitur in veteribus exemplaribus S. Dionyſii & Germani, & in Complutenſi editione.

CAP. XXII.

QVAE poſtquam geſta ſunt, tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum, 'Abraham, Abraham. At ille reſpondit, Adſum. Ait illi, 'Tolle filiũ tuũ vnigenitũ quem diligis Iſaac, & vade 'in Terram-viſionis: atque ibi 'offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium quem monſtrauero tibi. Igitur Abraham 'de nocte conſurgens ſtrauit aſinum ſuum: ducens ſecum 'duos iuuenes, & Iſaac filium ſuum: cúmque concidiſſet ligna in holocauſtum, 'abiit ad locum quem præceperat ei Deus. Die autem tertio, eleuatis oculis, vidit locum procul, dixítque ad pueros ſuos, 'Expectate hîc cũ aſino: ego autem & puer 'illuc vſque properantes, poſtquam adorauerimus, reuertemur ad vos. Tulit quoque ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum: ipſe verò portabat in manibus ignem & gladium.

Iudith 8.c. hebr.a.d.

ABRAHAM, Abraham.) Semel tantum legitur Abraham, in codicibus Hebraicis, & ſcriptis veteribus Latinis S. Dionyſii & Germani: in Complutenſi quoque editione: quod & admonet Correctorium Sorbonicum.

TOLLE filium) Tolle nunc filium.

VNIGENITVM quem diligis) vnigenitum tuum quem diligis.

IN Terram-viſionis:) in Terram-Moria. De loco iſto inter omnes fere Iudæos conuenit, quòd ſit locus in quo Cain & Abel, & poſtea Noe ſacrificia obtu-

lerunt: vbi & Salomonicum templum fuit extructum. Moria autem, myrrhã Dei ſignificat, non autem viſionem. Chaldæus paraphraſtes interpretatur Terram-moria, Terram-diuini cultus.

OFFERES) offer. Imperatiuus modus.

DE nocte) mane.

DVOS iuuenes,) Hebræi addunt SVOS.

ABIIT ad locum) Hebraice legitur, Surrexit, & abiit ad locum.

EXPECTATE) Sedete.

ILLVC VSQVE properantes, poſtquam) illuc vſque ibimus: & poſtquã &c.

Cúmque 'duo pergerent ſimul, dixit Iſaac patri ſuo, Pater mi. At ille reſpondit, 'Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis & ligna: 'vbi eſt victima holocauſti? Dixit autem Abraham, Deus prouidebit ſibi 'victimam holocauſti, fili mi. Pergebant ergo pariter: & venerunt ad locũ in quem 'oſtenderat ei Deus, in quo 'ædificauit altare, & deſuper ligna compoſuit: cúmque alligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum. Extendítque manum, & arripuit gladium vt immolaret filium ſuum. Et ecce angelus Domini de cælo 'clamauit, dicens, Abraham, Abraham. Qui reſpondit, Adſum. Dixítque ei, Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quicquam: 'nunc cognoui quòd timeas Dominum, & nõ pepercisti vnigenito filio tuo propter me. Leuauit Abraham oculos ſuos, vidítque poſt tergum 'arietem inter vepres, hærẽtem cornibus: quem aſſumẽs obtulit holocauſtum pro filio. Appellauítque nomẽ loci illius, 'Dominus-videt. 'Vnde vſque hodie dicitur, In mõte Dominus-videbit.

DVO) ambo.

QVID VIS fili?) Ecce adſum, fili mi.

VBI eſt victima holocauſti?) vbi eſt agnus in holocauſtum? quem ſcilicet immolaturi ſumus?

VICTIMAM holocauſti,) agnum in holocauſtum.

OSTENDERAT) dixerat.

AEDIFICAVIT altare,) ædificauit Abraham altare.

CLAMAVIT,) vocauit eum.

NVNC cognoui quòd timeas Dominum, & non pepercisti vnigenito filio) nunc enim cognoui quòd timeas Deum: quia non pepercisti vnigenito tuo filio &c. In veteribus ſcriptis codicibus S. Dionyſii & Germani, legitur DEVM. Eſt præterea Hebraiſmus, Et non pepercisti, pro, quia non. Vel, nõ enim pepercisti.

Et, pro enim vel quia.

ARIETEM inter vepres, hærentem cornibus:) arietem detentum cornibus

inter perplexas vepres. Vel, inter arbuſta denſa & implicata.

DOMINVS videt.) Dominus prouidebit. Hoc dixit, viſo miraculo. Ita enim reſponderat paulo antè filio ſuo interroganti: quia prouiderat Dominus de agno immolando.

VNDE vſque hodie dicitur, In monte Dominus videbit.) De quo dicitur etiam hodie, In monte (ſub cui nomen eſt) Dominus videbitur. Vel, apparebit. Ego exiſtimauerim B. Hieronymũ ſcripſiſſe videbitur: tametſi in nullo veteri ſcripto exẽplari aliter legatur. Prophetia erat quòd illic CHRISTVS naſceretur & cõſpiceretur: vt & factum credimus. Habuit autẽ hic locus duo nomina. Nã primo Abraham indidit illi nomen, Dominus prouidebit. poſtea mutatum fuit nomen illud: & dictus eſt mons ille, Dominus apparebit. Ceſſit enim nomen vmbræ, nomini veritatis. LXX verterunt, In monte Dominus viſus eſt. Dominus videbit.

Vocauit autem angelus Domini Abraham ſecundò de cælo, dicens, Per memetipſum iuraui, dicit Dominus: quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito 'propter me, 'benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam quæ eſt in litore maris: poſſidebit ſemen tuum 'portas inimicorum ſuorum, & 'BENEDICENTVR in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ. Reuerſus eſt Abraham ad pueros ſuos, 'abierúntque Ber-ſabee ſimul, & habitauit ibi. His itaque geſtis nuntiatum eſt Abrahæ quòd Melcha quoque 'genuiſſet filios Nachor fratri ſuo, Hus primogenitum, & Buz fratrem eius, & Camuel patrem Syrorũ, & Caſed, & Azau, Pheldas quoque, & Iedlaph, ac Bathuel, de quo nata eſt Rebecca. octo iſtos genuit Melcha, Nachor fratri Abrahæ. Concubina verò illius nomine Roma, peperit Tábee & Gaham & Thaas & Maacha.

PROPTER me,) Hæc verba non leguntur etiam in ſcriptis codicibus Latinis S. Dionyſii & Germani, neque in Complutenſi editione.

BENEDICAM tibi, & multiplicabo ſemen tuum) benedicendo benedicam tibi, & multiplicando multiplicabo ſemen tuum. Id eſt, certiſſime benedicam, & multiplicabo. Hebraiſmus. Loquitur autem hic non tam de ſemine carnis, quàm de ſemine ſpiritus. Benedicendo benedicam.

PORTAS inimicorum) Id eſt, propugnacula quæ in portis eſſe ſolent. Eſt autem Hebraiſmus, prꝙ, Hoſtibus ſuis erunt ſuperiores. Portæ inimicorum.

BENEDICENTVR in ſemine tuo omnes gentes terræ,) benedicent ſe per (vel, propter) ſemen tuum omnes &c. Id eſt, reputabunt ſe fœlices & beatas propter ſemen tuum CHRISTVM. Vel, in illo ſolo ſemine ſe beatificandos veriſſime dicent.

ABIERVNTQVE,) Hebræi præponunt, Et ſurrexerunt.

GENVISSET filios Nachor) genuiſſet filios ipſi Nachor.

CAP. XXIII.

VIXIT autem Sara centum'vigintiſeptem annis. Et mortua eſt 'in Ciuitate-Arbee, quæ eſt Hebron,in Terra-Chanaan:' veníque Abrahã vt plangeret & fleret eã. Cúmque ſurrexiſſet'ab officio funeris,locutus eſt ad filios Heth,dicens, Aduena ſum & peregrinus apud vos:'date mihi ius ſepulchri vobiſcũ,vt ſepeliã 'mortuũ meũ. Reſponderũt filii Heth,dicẽtes, Audi nos Domine,'princeps Dei es apud nos:'in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuũ tuũ,'nullúſque te prohibere poterit quin in monumento eius ſepelias mortuũ tuũ.'

VIGINTISEPTEM annis.) Addunt Hebræi,Hi ſunt anni vitæ Saræ. Vel, Tot enim annos vixit Sara.Latine ita verteretur,Cum autem Sara vixiſſet vigintiſeptem annos (tot enim annos vixit) mortuá tandem eſt in &c.

IN Ciuitate-Arbee,) in Cariath-Arbe.

VENITQVE Abraham &c.) Quidam exiſtimant Saram mortuam fuiſſe abſente Abrahamo: & propterea VENIT dixiſſe Moyſem. Alii vertendũ putant, Cœpítque plangere,& flere eam.

A conſpectu mortui ſui. AB officio funeris,) à conſpectu mortui ſui. Id eſt,cadaueris vxoris ſuæ defunctæ. Quaſi dicat,Cum autem Abraham ſatis ſupérque planxiſſet Saram,relicto corpore,profectus eſt ad filios Heth,&c.

DATE mihi ius ſepulchri) date mihi poſſeſſionem ſepulturæ.Id eſt,permittite vt ſepeliam mortuos meos cum veſtris.

MORTVVM meum.) Hebræi addunt,A facie mea.Id eſt,elatum è domo mea ad ſepulchrum,ne poſtea videam.

Princeps dei. PRINCEPS Dei es apud nos:) id eſt,pro magno principe te habemus.

IN electis ſepulchris noſtrii) id eſt,in elegantiſſimo ſepulchrorum noſtrorũ.

NVLLVSQVE te prohibere poterit quin in monumento eius ſepelías mortuum tuum.) nemo noſtrum ſepulchrum ſuum denegabit tibi quo minus ſepelias cadauer tuum.Id eſt,vxoris tuæ mortuæ.

Surrexit Abraham,& 'adorauit populum terræ,filios videlicet Heth:dixítque ad eos,'Si placet animæ veſtræ vt ſepeliam 'mortuum meum, audite me,& intercedite pro me apud Ephron filium Seor: vt det mihi 'ſpeluncam duplicem quam habet in extrema parte agri ſui: 'pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in poſſeſſionem ſepulchri. Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth. 'Reſpondítque Ephron ad Abraham cunctis audientibus 'qui ingrediebantur portam ciuitatis illius,dicens, Nequaquam ita fiet domine mi, ſed tu magis auſculta quod loquor, Agrum trado tibi,

& ſpeluncã quæ in eo eſt, 'præſentibus filiis populi mei, ' ſepeli mortuum tuum. 'Adorauit Abraham corã Domino & populo terræ.

ADORAVIT populum terræ.) Id eſt, gratias egit cum geniculatione aut geſtu corporis decoro, populo regionis.

Adorare populum.

SI placet animæ veſtræ) Si eſt in animabus veſtris. Id eſt, Si vobis placet. Hebraiſmus.

MORTVVM meum,) Addunt Hebræi, A facie mea. Id eſt, vt efferam illud è domo mea ad ſepulchrum.

SPELVNCAM duplicem) Quidam exiſtimant ſpeluncam iſtam vocari duplicem ab agro in quo erat.

PECVNIA digna tradat eam mihi coram vobis) pecunia inquam plena tradat eam mihi in medio veſtri. Vel, inter vos. Plenam pecuniam vocat, iuſtum ac ſufficiens pretium Hebraiſmus.

Plena pecunia.

RESPONDITQVE Hephron) Hebraice additur, Hethæus.

QVI ingrediebantur portam ciuitatis illius,) id eſt, publice & coram omnibus, non priuatim.

PRAESENTIBVS filiis populi mei,) in auribus populi terræ. Id eſt, audiente populo regionis. Hebraiſmus.

In auribus populi.

ADORAVIT Abraham coram Domino & populo terræ.) Et adorauit Abraham coram populo terræ. Sic legunt vetera ſcripta exẽplaria S. Dionyſii & Germani, & paruum eiuſdem: item Complutenſis editio. Id eſt, incuruauit ſe populo terræ, gratias agens.

Et locutus eſt ad Ephron 'circunſtante plebe eius, 'Quæſo vt audias me, Dabo pecuniam pro agro: 'ſuſcipe eam, & ſic ſepeliam mortuum meum in agro. Reſpondítque Ephron, Domine mi, audi me: 'terra quã poſtulas, quadringentos ſiclos argenti valet: iſtud eſt pretium inter me & te: 'ſed quantum eſt hoc? 'ſepeli mortuum tuum.

CIRCVNSTANTE plebe eius,) in oculis filiorum populi mei. Hebraiſmus, pro, Videntibus, audientibus, & præſentibus popularibus meis.

In oculis populi.

QVAESO vt audias me.) Verũ ſi tu, quæſo audias me. Id eſt, Si tu id facturus es quod dicis, ſi tu daturus es mihi agrum vt pollicitus es, quæſo audias me. Alii aliud ſubaudiunt, Sed ſi tu gratis dederis mihi, non accipiam.

SVSCIPE eam,) Hebraice additur, à me.

TERRA quam poſtulas, quadringentos ſiclos argenti valet: iſtud eſt pretium inter me & te:) terra quadringentos ſiclos argenti valet inter me & te. id eſt, ratione amicitiæ: & quia te noui virum iuſtum & ſanctum. Quaſi dicat, alteri nõ darem tam vili pretio.

Inter me & te

SED quantum eſt hoc?) Quaſi dicat, paruo emis, ſi ſpectes loci amœnitatem & fertilitatem.

SEPELI) Itaque ſepeli.

'Quod cum audiſſet Abraham, appendit pecuniam quam Ephron poſtulauerat, audientibus filiis Heth, quadringentos ſiclos 'argenti probatæ monetæ publi-

cæ. Confirmatúſque eſt ager quondã Ephronis 'in quo erat ſpelunca duplex reſpiciens Mambre: 'tã ipſe quàm ſpelunca, & omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum, Abrahæ in poſſeſſionem, videntibus filiis Heth, & cunctis qui intrabant portam ciuitatis illius. 'Atque ita ſepeliuit Abraham Saram vxorem ſuam 'in ſpelunca agri duplici, quæ reſpiciebat Mambre, hæc eſt Hebron in Terra-Chanaan. Et confirmatus eſt ager & antrum quod erat in eo, Abrahæ in poſſeſſionem monumenti à filiis Heth.

CVM audiſſet Abraham) Hebræi addunt, ipſum Hephronem. Id eſt, quum acquieuiſſet dictis Ephronis.

Argentum tranſiens per mercatores.

ARGENTI probatæ monetæ publicæ.) argenti tranſeuntis per mercatores. id eſt, quod inter mercatores ſine vlla cõtrouerſia recipitur. Chaldæus paraphraſtes vertit, argenti quod recipiebatur pro mercimoniis in vnaquaque prouincia.

IN quo erat ſpelunca duplex reſpiciens Mambre:) qui ſitus erat in Machphela, in conſpectu Mambre.

TAM ipſe quàm ſpelunca, & omnes arbores eius) tam ager, quàm ſpelunca quæ in eo erat, & omnes arbores quæ erant in eo agro.

ATQVE ita ſepeliuit) Et poſtea ſepeliuit.

IN ſpelunca agri duplici quæ reſpiciebat Mambre,) in ſpelunca agri Machphela, qui reſpiciebat Mambre. Oblonga exemplaria S. Dionyſii & Germani, cũ paruo eiuſdem, & Victoriano, legunt QVI, maſculino genere.

CAP. XXIIII.

ERAT autem Abraham ſenex, dierúmque multorum: & Dominus in cunctis benedixerat ei. Dixítque ad ſeruum ſeniorem domus ſuæ, qui præerat omnibus quæ habebat, ‖'Pone manum tuam ſubter femur meum: 'vt adiurem te per Deum cæli & terræ, 'vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: ſed 'ad terram & cognationẽ meam proficiſcaris, & inde accipias vxorem filio meo Iſaac. Reſpondit ſeruus, 'Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, 'nunquid reducere debeo filiũ tuum ad locum de quo tu egreſſus es? Dixítque Abraham, Caue nequando reducas filium meum illuc. 'Dominus cæli & terræ, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui locutus eſt mihi, & iurauit mihi, di-

ſ.47.g.

cens, [Semini tuo dabo terram hanc:ipſe mittet ange- F.n.b.
lum ſuũ coram te, '& accipies inde vxorem filio meo.
ſinautem mulier noluerit ſequi te, non teneberis iura-
mento: filium meum tantum ne reducas illuc. Poſuit
ergo ſeruus manum ſub femore Abraham domini ſui,
& iurauit illi 'ſuper ſermone hoc.

PONE manum tuam ſubter femur meum:) Pone nunc (vel, quæſo) manum tuam ſub femore meo. Quaſi dicat, tu es mihi ſubditus, tu es ſeruus meus. Sic ſolebant ſerui agnoſcere obedientiam. & hic mos obſeruatur adhuc apud Indos.

VT adiurem te per Deum) Vel, vt iurare te faciam per Dominum Deum. Vetera exemplaria ſcripta S. Dionyſii & Germani, Complutenſis item editio legunt Per Dominum Deum.

VT non accipias vxorem) quòd non accipies vxorem.

AD terram & cognationem meam) ad terram meam in qua natus ſum. Id eſt, in Vr Chaldæorum.

SI noluerit mulier) Fortaſſe non volet mulier.

NVNQVID reducere debeo) nunquid reducam.

DOMINVS cæli & terræ, qui &c.) Dominus Deus cæli, qui &c. Ita legunt vetera exemplaria ſcripta S. Dionyſii, Germani, & Victoris.

ET accipies inde vxorem) Vel, vt accipias inde vxorem.

SVPER ſermone hoc.) de hac re. Id eſt, iurauit ſe facturum quod petebat Abraham. Sermo.

'Tulítque decem camelos de grege domini ſui, &
abiit, ex omnibus bonis eius portans ſecum, profectúſ-
que perrexit in Meſopotamiã 'ad vrbẽ Nachor. Cúm-
que camelos feciſſet 'accumbere extra oppidum iuxta
puteum aquæ veſpere, eo tempore quo ſolent mulie-
res egredi 'ad hauriendam aquam, orauit Dominum,
dicens, Domine Deus domini mei Abraham, 'occurre
obſecro mihi hodie, & fac miſericordiam cum domi-
no meo Abraham. Ecce ego ſto prope fontem aquæ, &
filiæ habitatorum huius ciuitatis 'egredientur ad hau-
riendam aquam. 'Igitur puella cui ego dixero, 'Inclina
hydriam tuam vt bibam: & illa reſponderit, Bibe, quin
& camelis tuis dabo potum: 'ipſa eſt quam præparaſti
ſeruo tuo Iſaac, & per hoc intelligam quòd feceris mi-
ſericordiam 'cum domino meo Abraham.

TVLITQVE decem camelos de grege domini ſui, & abiit, ex omnibus bonis eius portãs ſecum,) Accepítque decem camelos ex camelis domini ſui, & abiit, & erat omne bonum domini ſui in manu eius. Singulare pro plurali. Id eſt, pretioſa quæque domini ſui erant in poteſtate illius: præerat omnibus rebus domi-

ni ſui. Aut, ſecum deferebat de pretioſiſſimis quibuſque domini ſui.

AD vrbem Nachor.) Id eſt, in qua habitabat Nachor.

ACCVMBERE) requieſcere.

AD hauriendam aquam, orauit Dominum, dicens,) ad hauriendam aquam, dixit. Ita in veteribus codicibus S. Dionyſii & Germani legitur: & in Baſilienſi editione. De hac lectione etiam admonet Correctorium Sorbonicum.

Occurrit Deus alicui.

OCCVRRE obſecro mihi hodie,) Id eſt, exaudi preces meas. Alii vertunt, Fac mihi occurrat obſecro hodie. Subaudi, id quod opto. Chaldæus paraphraſtes vertit, præpara: ſcilicet quod peto.

EGREDIENTVR ad hauriendam aquam.) egrediuntur ad &c. præſentis temporis.

IGITVR puella) Igitur fac accidat, vt puella &c.

INCLINA hydriam) Inclina quæſo hydriam.

IPSA eſt quam præparaſti) ipſa ſit quam &c.

CVM domino meo Abraham.) Hebræi hoc loco non legũt Abraham, neque antiqui Latini codices S. Dionyſii & Germani, neque Complutenſis editio.

'Necdum intra ſe verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel filii Melchæ vxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam 'in ſcapula: puella 'decôra nimis, virgóque pulcherrima, & incognita viro. deſcenderat autem ad fontem, & impleuerat 'hydriam aqua, ac reuertebatur. 'Occurrítque ei ſeruus, & ait, Pauxillum aquæ mihi ad bibẽdum præbe de hydria tua. Quæ reſpondit, Bibe domine mi. Celeritérque depoſuit hydriam 'ſuper vlnam ſuam, & dedit ei potum. Cúmque ille bibiſſet, adiecit, Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. 'Effundénſque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum vt hauriret aquam: & hauſtam omnibus camelis dedit. 'Ipſe autem contemplabatur eam tacitus, ſcire volens vtrum proſperum iter ſuum feciſſet Deus, an non. Poſtquam autem biberũt cameli, protulit vir inaures aureas, 'appendentes ſiclos duos: '& armillas totidem pondo ſiclorum decem. Dixítque ad eam, Cuius es filia? indica mihi. eſt in domo patris tui 'locus ad manendum? Quæ reſpondit, 'Filia ſum Bathuelis filii Nachor, quem peperit ei Melcha. Et addidit, dicens, Palearum quoque & 'fœni plurimum eſt apud nos, & locus 'ſpatioſus eſt ad manendum. Inclinauit ſe homo, & 'adorauit Dominũ,

dicens, Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abſtulit miſericordiam & veritatẽ ſuam à domino meo, & recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei.

NECDVM intra ſe verba compleuerat,) Needum deſierat loqui.

IN ſcapula:) Hebraice additur SVA. quod legit vetus excplar S. Victoris ſcriptum, Complutenſis item editio & Moguntinenſis.

DECORA nimis, virgóque pulcherrima, & incognita viro.) decôra aſpectu valde, & virgo: nam virum non cognouerat.

HYDRIAM aqua,) Hoc loco AQVA non legitur apud Hebræos, neque in vetuſtiſs. Latinis codicibus S. Germani, Dionyſii & Victoris.

OCCVRRITQVE ei ſeruus,) Cucurrit itaque in occurſum eius ſeruus.

SVPER vlnam ſuam,) ſuper manum ſuam.

EFFVNDENSQVE hydriam) Effundénſque feſtina hydriam.

IPSE autem contemplabatur eam) Vir autem obſtupeſcebat in ea. Id eſt, mirabatur de illa.

FECISSET Deus,) feciſſet Dominus. Sic vetera habent ſcripta exemplaria S. Dionyſii & Germani.

APPENDENTES ſiclos duos:) quarum pondus erat dimidium ſicli.

ET armillas totidem pondo ſiclorum decem.) & armillas duas ſuper manus illius (ſubaudi, poſuit) pondo aureorum decem.

LOCVS ad manendum?) locus nobis ad pernoctandum?

FILIA ſum Bathuelis filii Nachor, quem peperit ei Melcha.) Filia ſum Bathuelis filii Melchæ, quem peperit ipſi Nachor. Sic etiam legunt vetera exemplaria S. Dionyſii & Germani. & ita eſſe legendum, admonet Correctorium Sorbonicum.

FOENI) pabuli.

SPATIOSVS) Hoc verbum Hebraice non legitur.

ADORAVIT Dominum,) Id eſt, genu flexit Domino, & gratias egit.

Adorare Dominum. Auferre miſericordiã & veritatem ab aliquo.

QVI non abſtulit miſericordiam & veritatem ſuam à domino meo,) qui non ſubſtraxit miſericordiam &c. Id eſt, Qui miſericors fuit & verax erga dominum meum.

IN domum fratris) in domum fratrum. plurali numero.

Cucurrit itaque puella, & nuntiauit in domum matris ſuæ omnia quæ audierat. Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban: qui feſtinus egreſſus eſt ad hominem vbi erat fons. Cúmque vidiſſet inaures & armillas in manibus ſororis ſuæ, & audiſſet cuncta verba referentis, Hæc locutus eſt mihi homo: venit ad virum qui ſtabat iuxta camelos & prope fontem aquæ, dixítque ad eum, Ingredere benedicte Domini: cur foris ſtas? præparaui domum & locum camelis tuis. Et introduxit eum in hoſpitium: ac deſtrauit camelos, deditque paleas & fœnum, & aquam ad lauandos pedes

camelorum,& virorum qui venerant cum eo. Et appoſitus eſt in conſpectu eius panis.

QVI feſtinus egreſſus eſt) Dictio FESTINVS,non legitur Hebraice.

VBI erat foris.) ad fontem.

ET audiſſet cuncta verba referentis,Hæc locutus eſt mihi homo:) & audiſſet verba Rebeccæ ſororis ſuæ,dicentis, Sic locutus eſt mihi homo ille.

Benedictus Domini.

INGREDERE benedicte Domini:) id eſt,à Domino.Hoc eſt,ô homo apud Deum gratioſe,& cui Deus fauet.

CVR foris ſtas?præparaui domum) cur foris ſtabis,quum ego præparauerim domum &c.

CAMELIS tuis.) Leuiculum eſt admonere,pronomē TVIS,non legi in veteribus ſcriptis exemplaribus S.Dionyſii & Germani.

ET introduxit eum in hoſpitium:ac deſtrauit camelos,deditque paleas & fœnum,& aquam) Venit itaque vir ille domum: deditque (ſub. Laban) paleas,& pabulum camelis, & aquam ad &c.

PEDES camelorum,) pedes eius.ſcilicet ſerui Abrahami.

Qui ait,Non comedā,'donec loquar ſermones meos. Reſpondit ei, Loquere. At ille,Seruus, inquit, Abrahā ſum. Et Dominus benedixit domino meo valde, 'magnificatúſque eſt:& dedit ei oues & boues,argentum & aurum,ſeruos & ancillas, camelos & aſinos. Et peperit Sara vxor domini mei filium domino meo in ſenectute ſua. dedítque illi omnia que habuerat. Et adiurauit me dominus meus dicens, 'Non accipies vxórem filio meo de filiabus Chananæorum, 'in quorum terra habito: ſed ad domum patris mei perges,& de cognatione mea accipies vxorem filio meo. Ego verò reſpondi domino meo,'Quid ſi noluerit venire mecum mulier? Dominus, ait, 'in cuius conſpectu ambulo, mittet angelum ſuum tecum,& diriget viam tuam: 'accipiéſque vxorem filio meo de cognatione mea, & de domo patris mei.'Innocens eris à maledictione mea, quū veneris ad proximos meos, & non dederint tibi. Véni ergo hodie ad fontem aquæ,& dixi, Domine Deus domini mei Abraham, 'ſi direxiſti viam meā in qua nunc ambulo, ecce ſto iuxta fontem aquæ, '& virgo quæ egredietur ad hauriendam aquam audierit à me, Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum,de hydria tua:& dixerit mihi,Et tu bibe, '& camelis tuis hauriā: 'ipſa eſt mulier

quam præparauit Dominus filio domini mei. 'Dúmque hæc tacitus mecum voluerem, apparuit Rebecca veniens cum hydria, quam portabat in ſcapula: deſcendítque ad fontem, & hauſit aquam. Et aio ad eam, 'Da mihi paululum bibere. Quæ feſtinans depoſuit hydriã de humero, & dixit mihi, Et tu bibe, & camelis tuis tribuam potum. 'Bibi, & adaquauit camelos. Interrogauíque eam, & dixi, Cuius es filia? Quæ reſpondit, Filia Bathuêlis ſum filii Nachor, quẽ peperit ei Melcha. Suſpẽdi itaque inaures ad ornandam faciem eius, & armillas poſui in manibus eius. Pronúſque adoraui Dominum, 'benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, vt ſumerem filiam fratris domini mei filio eius.

DONEC loquar ſermones meos.) donec dixero ſermones meos. Id eſt, donec expoſuero qua de cauſa huc venerim.

MAGNIFICATVSQVE eſt: & dedit) magnúſque effectus eſt: nã dedit &c.

NON accipies) Ne accipias. Futurum pro imperatiuo. Sic paulo poſt, Pergas pro Perge & Accipies, pro Accipe.

IN quorum terra) Vel, in quorum regione.

QVID ſi noluerit venire mecum mulier?) Fortaſſe non veniet mulier poſt me. Id eſt, nolet me ſequi.

IN cuius conſpectu ambulo,) Vel, In cuius conſpectu ambulaui. Id eſt, quem ſemper timui, & cuius mandata ſemper ſeruaui Hebraiſmus. In conſpectu Dei ambulare

ACCIPIESQVE vxorem) vt accipias vxorem.

INNOCENS eris à maledictione mea, quum veneris ad proximos meos,) Tunc mundus eris à iuramento mihi præſtito, quum veneris ad cognationem meam. Mundum eſſe à iuramento præſtito, ſignificat abſolui, & non teneri iuramento. Mundũ eſſe à iuramento.

SI direxiſti viam) ſi proſperam facis viam.

ET virgo quæ egredictur) ſit ergo vt virgo quæ egredietur, &c.

ET camelis) & etiam camelis.

IPSA eſt mulier quam præparauit Dominus) ipſa ſit mulier &c. Eſt autem Hebraiſmus, Præparauit Dominus, pro Præparaſti Domine. Tertia perſona pro ſecunda. alloquitur enim ipſum Dominum, Ipſa ſit mulier quam tu præparaſti Domine filio domini mei. Id eſt, quam tu vis eſſe vxorem filii domini mei.

DVMQVE hæc tacitus mecum voluerem, apparuit Rebecca) Ego, antẽ quàm finiſſem loqui in corde meo, & ecce Rebecca. Modus loquendi Hebraicus, pro, Nondum hæc tacitus apud me dixeram, quum ecce Rebecca venit.

DA mihi paululum bibere) Da mihi quæſo bibere.

BIBI, & adaquauit) Bibi itaque, & adaquauit.

BENEDICENS Domino Deo) id eſt, Gratias agẽs Domino Deo. Hebraiſmus. Benedicere Deo.

¶Quam ob rem 'ſi facitis miſericordiam & veritatem cum domino meo, indicate mihi. ſin autẽ aliud placet: ſ.20.c.

& hoc dicite mihi, vt vadam 'ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram. Reſponderúntque Laban & Bathuel, 'A Domino egreſſus eſt ſermo : 'non poſſumus extra placitum eius quicquam aliud loqui tecum. 'En Rebecca coram te eſt, tolle eam, & proficiſcere, & ſit vxor filii domini tui, 'ſicut locutus eſt Dominus. Quod cũ audiſſet puer Abraham, prócidẽs adorauit in terrã Dominum. Prolatíſque vaſis argẽteis, & aureis, ac veſtibus, dedit ea Rebeccæ pro munere: 'fratribus quoque eius, & matri dona obtulit. 'Inito cõuiuio veſcentes pariter & bibentes, manſerũt ibi. Surgens autẽ mane, locutus eſt puer, Dimitte me, vt vadam ad dominum meum. Reſponderúntque 'fratres eius & mater, 'Maneat puella ſaltẽ decem dies apud nos, & poſtea proficiſcetur. Nolite, ait, me retinere, 'quia Dominus direxit viam meam : dimittite me vt pergam ad dominum meum. Et dixerunt, 'Vocemus puellam, & quæramus ipſius voluntatem. Cúmque vocata veniſſet, ſciſcitati ſunt, Vis ire cũ homine iſto? Quæ ait, 'Vadam.

Facere miſericordiã cum aliquo.

SI facitis miſericordiam & veritatem cum domino meo,) Si nunc facturi eſtis miſericordiam &c. Eſt autem Hebraiſmus, Si facturi eſtis miſericordiam & veritatem cum domino meo, pro, Si vere collocaturi eſtis beneficium in dominum meum: ſi eſtis daturi filiam veſtram filio heri mei, ídque liberaliter & libero animo.

Ad dexteram

AD dexteram, ſiue ad ſiniſtram.) Id eſt, vt faciam prout Dominus diriget mentem meam.

A Domino egreſſ' ſermo

A DOMINO egreſſus eſt ſermo) A Domino egreſſa eſt hæc res. Hebraiſmus eſt, pro, Hoc negotium à Deo eſt, geritúrque diuino nutu.

Loqui ad aliquem bonũ vel malum.

NON poſſumus extra placitum eius quicquam aliud loqui tecum.) non poſſumus loqui ad te bonum vel malum. Id eſt, non poſſumus contradicere tibi vlla in re Hebraiſmus.

Coram te eſt.

EN Rebecca coram te eſt,) Hebraiſmus, pro, præſto eſt, & in tua poteſtate.

Loqui.

SICVT locutus eſt Dominus.) Locutus eſt, pro vult, frequẽtiſſimum apud Hebræos. Sicut vult Dominus.

FRATRIBVS quoque eius,) fratri quoque eius. ſingulari numero. De Laban intelligit.

INITO conuiuio &c.) Comederunt itaque, & biberunt, ipſe & viri qui erãt cum eo, & ibi pernoctauerũt. Cum autem mane ſurrexiſſent, dixit, Dimitte &c.

FRATRES eius) frater eius. ſingulari numero. ſic etiam legit editio Complutenſis.

Dies pro ãno

MANEAT puella ſaltem decem dies) Maneat puella dies, vel decem. Id eſt, vt Hebræi intelligunt, per annum, vel decem menſes. Dies enim pro anno apud

eos accipitur, quòd annus eſt velut orbis ac circulus dierum.

QVIA Dominus direxit viam meam:) quum Dominus proſperam fecerit viam meam.

VOCEMVS puellam, & quæramus ipſius voluntatem.) Vocemus puellam, & interrogemus os eius. Hebraiſmus, Audiamus quid dictura ſit. Chaldæus paraphraſtes, Inquiramus eius voluntatem. Interrogare os alicuius.

VADAM) vel, Volo ire.

Dimiſerunt ergo eam, & 'nutricem illius Deboram, ſeruúmque Abraham, & comites eius, imprecãtes 'proſpera ſorori ſuæ, atque dicentes, Soror noſtra es, 'creſcas in mille millia, & poſſideat ſemen tuum 'portas inimicorum ſuorum. Igitur Rebecca, & puellæ illius aſcenſis camelis ſecutæ ſunt virum: 'qui feſtinus reuertebatur ad dominum ſuum.

NVTRICEM illius Deboram,) Apud Hebræos nomen nutricis hoc loco nõ legitur, nec in veteribus codicibus ſcriptis S. Dionyſii & Germani, nec in Mogũtinenſi & Complutenſi editione.

PROSPERA ſorori ſuæ:) proſpera, Rebeccæ.

CRESCAS in mille millia,) Hebraiſmus, pro, ſit ſemen tuum numeroſiſſimum. Creſcere in mille millia.

PORTAS inimicorum ſuorum.) Id eſt, propugnacula vrbium inimicorum ſuorum, quæ ſolent in portis eſſe. Hoc eſt, ſint inimicis ſuperiores. Poſſidere portas inimicorũ

QVI feſtinus reuertebatur ad dominum ſuum.) qui tulit Rebeccam, & abiit.

'Eo autem tempore deambulabat Iſaac per viã quæ ducit ad puteum, ‖cuius nomen eſt Viuentis & viden- ſ.16.d.
tis: habitabat enim in terra Auſtrali. 'Et egreſſus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iã die: cúmque eleuaſſet oculos, vidit camelos 'venientes procul. 'Rebecca quoque conſpecto Iſaac, deſcendit de camelo, & ait ad puerum, Quis eſt ille homo qui venit per agrum in occurſum nobis? 'Dixítque ei, Ipſe eſt dominus meus. At illa tollens 'cito pallium ſuum, operuit ſe. Seruus autem cuncta quæ geſſerat, 'narrauit domino ſuo Iſaac. 'Qui introduxit eã in tabernaculum Saræ matris ſuæ, & accepit eam vxorem: '& intantum dilexit eam, vt dolorem qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.

EO autem tempore &c.) Porro Iſaac veniebat à veniendo (id eſt, reuertebatur) à puteo Viuentis & videntis. Venire à veniendo.

ET egreſſus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die:) Vel, Et egreſſus fuerat ad orandum in agro, appetente iam veſpera. Sic vertit Chaldæus paraphraſtes. LXX, Vt exerceret ſe. Vox Hebræa proprie ſignificat ſubmiſſa voce lo-

qui & murmurare: vt orantes, vel meditantes, vel apud nos de re aliqua mirantes, facimus.

VENIENTES procul.) Dictio PROCVL, non legitur Hebraice.

REBECCA quoque) Addunt Hebræi, Leuauit oculos ſuos, & conſpecto &c.

DIXITQVE ei,) Hebraice additur SERVVS.

CITO) Non legitur in codice Hebræo.

NARRAVIT domino ſuo Iſaac.) Hæc verba DOMINO SVO, Hebraice non leguntur.

QVI introduxit) Qui Iſaac, introduxit.

ET intantum &c.) Et dilexit eam, conſolationémque accepit poſt matrem ſuam. Id eſt, temperauit dolorem quem acceperat de morte matris ſuæ.

CAP. XXV.

ABRAHAM verò aliam duxit vxorem nomine Cetûrâ: quæ peperit ei Zamram, & Iecſan, & Madan, & Madian, & Ieſboc, & Sue. Iecſan quoque genuit Saba & Dadan. Filii Dadan fuerunt 'Aſſûrim, & Latuſſim, & Laômim. At verò ex Madian ortus eſt Epha, & Epher, & Henoch, & Abida, & Eldaa. omnes hi filii Ceturæ. Dedítque Abraham cuncta quæ poſſederat, Iſaac: 'filiis autem concubinarum largitus eſt munera, & ſeparauit eos ab Iſaac filio ſuo dum adhuc ipſe viueret, ad plagam Orientalẽ. Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ centum ſeptuagintaquinque anni. Et deficiẽs mortuus eſt in ſenectute bona, prouectáque ætatis, & 'plenus dierum: 'congregatúſque eſt ad populũ ſuum. Et ſepelierunt eum Iſaac & Iſmael filii ſui in ſpelunca duplici, quæ ſita eſt in agro Ephron filii Seor Hethæi, eregione Mambre, 'quam emerat à filiis Heth. ibi ſepultus eſt ipſe & Sara vxor eius. Et poſt obitum illius benedixit Deus Iſaac filio eius, qui habitabat iuxta puteum nomine Viuentis & videntis.

Supra 16.d.

ASSVRIM, & Latuſſim & Laomim.) Sunt iſta nomina gentium & populorum qui originem traxerunt à filiis Dedan.

Concubina. FILIIS autem concubinarum) Hebræi per concubinam intelligunt ancillam viro in concubitum abſque ſcripto & ſubarratione & legitimis ceremoniis addictam. Et proles ex tali nata coniugio, non ſuccedit patri in hæreditatem, ſed muneribus dotari poteſt. Sic Agar fuit concubina Abraham. In codice autem Hebræo poſt verbum Cõcubinarum adduntur hæc, Quas habebat ipſe Abrahã.

Plenus dierũ PLENVS dierum.) ſatur dierum. Id eſt, ſaturata erat anima eius, non optabat dies ſuos innouari.

Congregari ad populum ſuum. CONGREGATVSQVE eſt ad populum ſuum.) Modus loquendi apud Hebræos, pro, Mortuus eſt quemadmodum & maiores ſui poſt alios.

QVAM emerat) Addunt Hebræi, Abraham.

¶Hæ ſunt generationes Iſmael filii Abrahæ quem peperit ei Agar AEgyptia, famula Saræ: & hæc 'nomina filiorũ eius in vocabulis & generationibus ſuis. Primogenitus Iſmaëlis Nabaioth, deinde Cedar, & Adbeel, & Mabſam, Maſma quoque, & Duma, & Maſſa, Hadad, & Thema, & Ietur, & Naphis, & Cedma. iſti ſunt filii Iſmaelis: & hæc nomina per caſtella & oppida eorum, duodecim principes 'tribuum ſuarum. Et facti ſunt anni vitæ Iſmaelis centum trigintaſeptem, deficiénſque mortuus eſt, & appoſitus ad populum ſuum. 'Habitauit autem ab Heuila vſque Sur, quæ reſpicit AEgyptũ 'introeũtibus Aſſyrios. 'corã cunctis fratribus ſuis obiit. 1. Paral. 1. b.

HAE ſunt generationes) Hæ autem ſunt generationes.

NOMINA filiorum eius in vocabulis & generationibus ſuis.) nomina filiorum Iſmaelis, ſecundum nomenclaturas & generationes ſuas.

TRIBVVM ſuarum.) fuerunt per populos ſuos. Vel, in familiis ſuis.

HABITAVIT) Habitauerũt: plurali numero. de omnibus enim filiis Iſmaelis dicitur qui ea loca inhabitauerunt.

INTROEVNTIBVS Aſſyrios.) dum pergis ad Aſſyrios. Vel, qua itur ad Aſſyrios. Introeũtibus

CORAM cunctis fratribus ſuis obiit.) Hebraiſmus, pro, Superſtitibus omnibus fratribus. Chaldæus paraphraſtes vertit, Coram cunctis fratribus cecidit. Subaudi, ſors eius. Id eſt, non procul habitauit à fratribus: ſors illius propinqua erat hæreditati fratrum ſuorum. Sic LXX. Prior interpretatio magis placet doctis. Coram cunctis fratribus obiit.

Hæ quoque ſunt generationes Iſaac filii Abraham. Abraham genuit Iſaac: qui cum quadraginta eſſet annorum, duxit vxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Meſopotamia, ſororem Laban. Deprecatúſque eſt Iſaac Dominũ' pro vxore ſua, eo quòd eſſet ſterilis: qui exaudiuit eum, &'dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur in vtero eius paruuli: quæ ait, 'Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? Perrexítque Rebecca vt conſuleret Dominum. Qui reſpondens ait, ¶Duæ gentès ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populúſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori. Iam tempus pariendi aduénerat, & ecce gemini in vtero eius reperti ſunt. ¶ Qui primus e- Rom. 9. c. Oſee 12. a.

greſſus eſt,rufus erat,& totus in morem pellis hiſpidus:

Matth.1.a. vocatúmque eſt nomen eius Eſau.‖Protinus alter egrediens,plantam fratris tenebat manu: & idcirco appellauit eum Iacob. Sexagenarius erat Iſaac quando nati ſunt ei paruuli.Quibus adultis factus eſt Eſau vir gnarus venandi, & homo agricola: Iacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis. Iſaac amabat Eſau, eo quòd de venationibus illius veſceretur: & Rebecca diligebat Iacob.

PRO vxore ſua,) Vel,præſente vxore ſua:

ET dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur) concepit enim Rebecca vxor eius.Collidebantur autem.

SI SIC mihi futurum erat, quid neceſſe fuit conciperet Perrexítque Rebecca vt,&c.) Si ſic,vt quid ego?Perrexit itaque,vt &c.Id eſt,Si ſic mihi futurũ erat,vt quid viuo,& non potius morior? Vel vt noſter interpres ſuppleuit locũ, Quid neceſſe fuit conciperet Hoc loco nomen Rebeccæ non repetitur, neque in oblongo codicé S.Dionyſii & Germani.Præterea in oblongo codice S.Dionyſii legitur,Neceſſe fuit me conciperet

IN morem pellis hiſpidus:) in morem pallii piloſus. Vel, in morem pallii piloſi.

PROTINVS alter egrediens, plantam fratris tenebat manu:) Poſt hunc egreſſus eſt frater eius,calcaneum Eſau tenens.

APPELLAVIT) Vel,vocauit,is ſcilicet qui vocauit.Id eſt,vocauerunt.

QVANDO nati ſunt ei paruuli.) quando genuit eos. Vel, dum peperit eos, Rebecca ſcilicet.

Vir agri. HOMO agricola:) Vir agri.Id eſt agreſtis: libenter verſabatur in agro, procul ab vrbe.

EO quòd de venationibus illius veſceretur:) eo quòd in ore ſuo erat venatio.Hebraiſmus eſt,quem reddidit noſter interpres.

Heb.1.a. ‖Coxit autem Iacob pulmentum: ad quem cum veniſſet Eſau de agro laſſus,ait,Da mihi de coctione hac rufa,quia oppidò laſſus ſum.Quam ob cauſam vocatũ

Abdiæ 1. eſt nomen eius ‖ Edom. Cui dixit Iacob, Vende mihi primogenita tua.Ille reſpondit, En morior, quid mihi proderunt primogenita? Ait Iacob, Iura ergo mihi.Iurauit ei Eſau, & vendidit primogenita. Et ſic accepto pane & lentis edulio comedit,& bibit,& abiit,paruipendens quòd primogenita vendidiſſet.

OPPIDO laſſus) Aduerbium OPPIDÒ,non legitur Hebraice.

Hodie. VENDE mihi) Hebraice additur HODIE:vel,iuxta hunc diem.Id eſt,iamiam,in præſenti tempore,abſque vlla dilatione.

Primogenitura. PRIMOGENITA tua.) primogenituram tuam.Primogenitura,vt aiunt Hebræi,fuit ſucceſſio in dignitate patris,& principatu atque honore eius,& quòd

authoritatem haberet in minores, ita vt fratres minores conſurgerent à conſpectu eius, & miniſtrarent illi, ſicut filii patri. Alii exiſtimant Primogenitum accepiſſe ex bonis paternis duas portiones.

EN morior, quid mihi proderunt primogenita?) En ego vado ad moriendum, & ad quid mihi primogenitura? Quaſi dicat, Quotidie me mortis periculo obiicio, ſumque in diſcrimine vitæ, qui in feras irruo: quid igitur mihi profuerit ius primogenituræ?

IVRA ergo mihi.) Addunt Hebræi, HODIE.

PRIMOGENITA.) primogenituram. Id eſt, ius primogenituræ.

ET ſic accepto pane & lentis edulio comedit,) Tunc Iacob dedit ipſi Eſau panem & pulmentum lentis, atque ita comedit.

CAP. XXVI.

ORta autem fame ſuper terram 'poſt eam ſterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Iſaac ad Abi-mélech regem Paleſtinorum in Gerara. Apparuítque ei Dominus, & ait, Ne deſcendas in AEgyptum, ſed 'quieſce in terra quam dixero tibi. Et peregrinare in ea, eróque tecum, & 'benedicam tibi: tibi enim & ſemini tuo dabo vniuerſas regiones has, ‖ complens iuramentum 'quod ſpopondi Abraham patri tuo. Et multiplicabo ſemen tuũ ſicut ſtellas cæli: 'dabóque poſteris tuis vniuerſas regiones has: & ‖BENEDICENTVR IN SEMINE TVO omnes gentes terræ, eo quòd obedierit Abrahã voci meæ, & cuſtodierit 'præcepta & mandata mea, & ceremonias, legéſque ſeruauerit.

(Margin: F.11.b.13.d. 15.d. — F.12.a.18.c. 22.d)

POST eam ſterilitatem) poſt priorem famem.

QVIESCE in terra) habita in terra.

BENEDICAM tibi) Quid ſit, Deum benedicere homini, ſatis declaratur verbis cõtinuò ſequentibus, Tibi enim & ſemini tuo dabo vniuerſas regiões has. Benedicere.

QVOD ſpopondi) quod iuraui.

DABOQVE poſteris tuis) dabóque ſemini tuo.

BENEDICENTVR in ſemine tuo) benedicẽt ſe in ſemine tuo. Id eſt, reputabunt ſe fœlices omnes gentes fideles, propter CHRISTVM qui ex te naſciturus eſt.

PRAECEPTA & mandata mea, & ceremonias, legéſque ſeruauerit.) cuſtodiam meam, & mandata mea, ſtatuta mea, legéſque meas. Cuſtodiam meam dicit, id eſt, quæ mandaui cuſtodiri, nempe mandata mea, &c. Hebraiſmus. Cuſtodia Dei.

Manſit itaque Iſaac in Geraris. Qui cum interrogaretur à viris loci illius ſuper vxore ſua, reſpondit, Soror mea eſt. 'timuerat enim confiteri quòd ſibi eſſet ſociata coniugio: reputans, 'ne fortè interficerent eum propter illius pulchritudinem. Cúmque pertranſiſſet dies pluri-

mi, & ibidem moraretur, proſpiciens Abi-mélech rex Paleſtinorum per feneſtram, vidit eum iocantem cum Rebecca vxore ſua. Et accerſito eo ait, Perſpicuum eſt quòd vxor tua ſit: cur mentitus es eam ſororem tuã eſſe? Reſpondit, Timui ne morerer propter eam. Dixítque Abi-mélech, Quare impoſuiſti nobis? potuit coire quiſpiam de populo cum vxore tua, & induxeras ſuper nos grande peccatum. Præcepítque omni populo, dicens, Qui tetigerit hominis huius vxorem, morte morietur.

TIMVERAT) timebat.

NE forte interficerent eum propter illius pulchritudinem.) ne forte interficerent eum viri loci illius, propter Rebeccam, quia pulchra aſpectu erat.

IOCANTEM) Vel, ridentem, aut ludentem.

PERSPICVVM eſt quòd vxor tua ſit: cur mentitus es eam, &c.) Vtique vxor tua eſt: cur ígitur dixiſti eam, &c.

Dicere. RESPONDIT, Timui ne morerer) Reſpondit ad eum Iſaac, Dixi enim, Ne forte moriar. Dicere hîc poſitum, pro cogitare apud ſe.

QVARE impoſuiſti nobis? potuit coire quiſpiam de populo) Quare id feciſti nobis? parum abfuit quin dormierit primus populi, &c. Id eſt, ego, qui primas teneo in populo.

GRANDE) Hebraice non legitur.

PRAECEPITQVE) In codice Hebræo additur, Abi-mélech.

QVI tetigerit hominis huius vxorẽ,) Qui tetigerit hominẽ iſtũ, aut vxorẽ.

Seuit autem Iſaac in terra illa, & inuenit in ipſo anno centuplum: benedixítque ei Dominus. Et locupletatus eſt homo, & ibat proficiens atque succreſcens: donec magnus vehementer effectus eſt, habuítque poſſeſſiones ouium & armentorum, & familiæ plurimum. Ob hoc inuidentes ei Paleſtini, omnes puteos quos foderant ſerui patris illius Abraham, illo tempore obſtruxerunt, implentes humo: intantum vt ipſe Abi-mélech diceret ad Iſaac, Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde.

CENTVPLVM,) Vel, centum modios: aut menſuras. Id eſt, centies tantum quantum ſeminauerat. Quidam vertunt, centum æſtimationẽ. Id eſt, centies tantum quantum æſtimauerat.

Benedicere. BENEDIXITQVE ei Dominus.) benedixerat enim ei Dominus. Id eſt, locupletauerat eum.

Ibat proficiẽs IBAT proficiens atque ſuccreſcens:) Hebraiſmus eſt, pro ſubinde locupletior fiebat & multiplicabatur, ita vt euaſerit in virum locupletiſſimum: vt ſtatim ſequitur.

HABVITQVE poſſeſſiones ouium & armentorum,) habuit enim poſſeſſiones ouium & boum.

ET familiæ plurimum.) Vel, terram multam arabilem, aut, Prouentum ampliſſimum. Quidam enim Hebræorum dicunt vocem Hebræã ſignificare quicquid nobis prouenit ex cultura agrorum.

ABRAHAM, illo tempore) in diebus Abraham patris eius. Hebraiſmus, pro, Ipſo Abrahamo viuente.

Et ille diſcedens, vt veniret 'ad Torrentem-Geraræ, habitarétque ibi: rurſum fodit alios puteos, quos foderant 'ſerui patris ſui Abraham, & quos illo mortuo olim obſtruxerant Philiſthiim: appellauítque eos eiſdem nominibus quibus antè pater vocauerat. 'Foderúntque in Torrente, & repererunt 'aquam viuam. Sed & ibi iurgium fuit paſtorum Geraræ aduerſus paſtores Iſaac, dicentium, Noſtra eſt aqua. quam ob rem nomen puteí 'ex eo quod acciderat, vocauit Calumniam. Foderunt autem & alium: & pro illo quoque rixati ſunt, appellauítque eum 'Inimicitias. Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocauit 'nomen eius Latitudo: dicens, Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit creſcere ſuper terram.

AD Torrentem-Geraræ,) Vel, ad vallem-Geraræ.

SERVI patris ſui) in diebus patris ſui.

FODERÚNTQVE in Torrente,) Foderúntque ſerui Iſaac in Valle.

AQVAM viuam.) Id eſt, aquam ſcaturientem, & iugiter manantem.

EX eo quod acciderat, vocauit Calumniam.) vocauit Heſec: quia contenderunt pro eo. HESEC ſignificat contentionem, vel iurgiũ, quaſi dicat, vocauit cõ- עֵשֶׂק
tentionem: quia contenderunt, ſiue negotium habuerunt cum Iſaac. שִׂטְנָה

INIMICITIAS.) Sitna. Id eſt, inimicitias.

NOMEN eius Latitudo:) nomen eius Rehoboth. Id eſt, Latitudines.

Aſcendit autem Iſaac ex illo loco in Ber-ſabee, vbi apparuit ei Dominus in ipſa nocte, dicẽs, Ego ſum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia ego tecum ſũ: 'benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum propter ſeruum meum Abraham. Itaque ædificauit ibi 'altare Domino: & inuocato nomine Domini extendit tabernaculum: 'præcepítque ſeruis ſuis vt foderent puteum. Ad quem locum cum veniſſent de Geraris Abi-mélech, & Ochozath amicus illius, & Phichol 'dux mili-

tum, locutus eſt eis Iſaac, Quid veniſtis ad me hominẽ quem odiſtis, & expuliſtis à vobis? Qui reſponderunt, 'Vidimus tecum eſſe Dominũ: & idcirco nos diximus, Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus: vt non facias nobis quicquam mali, ſicut & nos 'nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet, ſed cum pace dimiſimus auctũ benedictione Domini. Fecit ergo eis conuiuium: & poſt cibum & potum ſurgentes mane, iurauerunt 'ſibi mutuo: 'dimiſitque eos Iſaac pacifice in locum ſuum.

BENEDICAM tibi,) & beabo te.

ALTARE Domino.) DOMINO, non legitur Hebraice, neque in ſcriptis codicibus Latinis S. Dionyſii & Germani, neque in editione Complutenſi.

PRAECEPITQVE ſeruis ſuis vt foderent puteum.) Et foderunt illic ſerui Iſaac puteum.

DVX militum,) Ex Hebræo addendum EIVS.

VIDIMVS tecum eſſe Dominum: & idcirco nos diximus, Sit iuramentum inter nos, & ineamus, &c.) Videndo vidimus tecũ eſſe Dominum: idcirco diximus, Sit nunc iuramentum inter nos, inter nos inquam, & inter te: & ineamus &c. Hebraiſmus eſt, vidẽdo vidimus, pro Certo percepimus tibi fauere Deũ.

Videndo videre.

NIHIL tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet, ſed cum pace dimiſimus auctũ benedictione Domini.) non tetigimus te, nec fecimus tibi niſi bonum, & amandauimus te in pace: nam tu es benedictus à Domino. Quaſi dicat, Cognoſcimus te amari à Domino.

Vir fratri ſuo

SIBI mutuo) vir fratri ſuo. Hebraiſmus eſt, quem reddidit interpres.

DIMISITQVE eos Iſaac pacifice in locum ſuum.) Dimiſitque eos Iſaac, & abierunt eo relicto pacifice.

Ecce autem venerunt in ipſo die ſerui Iſaac annuntiantes ei 'de puteo quem foderant, atque dicentes, Inuenimus aquam. Vnde 'appellauit eum Abundantiam: & nomen vrbi impoſitum eſt Ber-ſábee, vſque in præſentem diem. Eſau verò quadragenarius duxit 'vxores duas, Iudith filiam Beeri Hethæi, & Baſemath filiam

3.27.g. Elon eiuſdem loci: ‖quæ ambæ 'offenderant animum Iſaac & Rebeccæ.

Super negotio putei.

DE puteo) ſuper negotio putei. Id eſt, de puteo. Hebraiſmus.

Ber-ſábee.

APPELLAVIT eum Abundantiã: & nomen vrbi impoſitum eſt Ber-ſábee,) appellauit eum Sibea: propterea nomen ciuitatis eſt Ber-ſábee. Id eſt, puteus ſeptimus: non autem, puteus iuramenti.

VXORES duas) Hebraice tantum legitur vxorem, ſingulari numero. & ità eſt in ſcripto exemplari S. Dionyſii oblongo.

OFFENDERANT animum Iſaac & Rebeccæ.) fuerunt amaritudo ſpiritus ipſi Iſaac & Rebeccæ. Id eſt, fuerunt inobedientes ipſi Iſaac, &c. Vel, fuerunt rebelles ſpiritui ipſius Iſaac.

CAP. XXVII.

S'Enuit autem Iſaac,& caligauerunt oculi eius,& videre non poterat: vocauitque Eſau filium ſuu maiorẽ,& dixit ei, Fili mi? Qui reſpondit, Adſum. Cui pater, Vides, inquit, quòd ſenuerim,& ignorem diem mortis meæ. 'Sume arma tua,& pharetram & arcum, '& egredere foras. Cúmq; venatu aliquid apprehẽderis, fac mihi inde 'pulmentum, ſicut velle me noſti, & affer vt comedã: '& benedicat tibi anima mea antequã moriar.

SENVIT autem &c.) Accidit autem quum ſenuiſſet Iſaac, & caligauiſſent oculi eius, ita vt videre non poſſet, vocauit Eſau.

SVME arma tua,& pharetram) Sume quæſo (vel, nunc) arma tua, pharetrã. Arma, more Hebraico, vocat inſtrumenta: quod declarat, quum dicit, pharetram. Non enim coniunctio ET legitur in Hebræo, neque in veteribus codicibus ſcriptis S. Dionyſii, Germani,& Victoris. Arma.

ET EGREDERE foras. Cúmque venatu aliquid apprehenderis, fac &c.) egredere in agrum,& venare mihi venationem Et fac &c.

PVLMENTVM, ſicut velle me noſti,) cibos (vel, edulia ſapida) quemadmodum diligo.

ET benedicat tibi anima mea) Et, pro VT poſitum eſt. Vt beneprecer tibi ex animo. Hebraiſmus. Et, pro Vt.

Quod cum audiſſet Rebecca, '& ille abiiſſet in agrũ 'vt iuſſionem patris impleret, dixit filio ſuo Iacob, Audiui patrem tuum loquentem cum Eſau fratre tuo, & dicentem ei, Affer mihi de venatione tua, & 'fac cibos vt comedam, '& benedicam tibi coram Domino antequam moriar. Nũc ergo fili mi acquieſce cõſiliis meis: & 'pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, vt faciã ex eis eſcas patri tuo, quibus libenter veſcitur: 'quas cum intuleris,& comederit, benedicat tibi priuſquam moriatur. Cui ille reſpõdit, Noſti quòd Eſau frater meus homo piloſus ſit,& ego lenis: 'ſi attrectauerit me pater meus,& ſenſerit, timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere, & inducat ſuper me maledictionẽ pro benedictione. Ad quem mater, In me ſit, ait, 'iſta maledictio fili mi: tantum audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi.

ET ille abiiſſet) & Eſau abiiſſet.

VT iuſſionem patris impleret,) vt venaretur venationem quam afferret.

FAC cibos) vel, Fac edulia ſapida. Paulo poſt interpres vertit eſcas.

ET benedicam tibi corā Domino) Hebraiſmus, pro, Et beneprecer tibi Deo inſpectante. vel, ex animo. Aut, Vt omnia fœlicia tibi precer dari à Deo.

PERGENS ad gregem,) Vel, pergens nunc (aut, quæſo) ad gregem.

QVAS quum intuleris, & comederit, benedicat) & tu offeres illa patri tuo, vt comedat, in hoc vt benedicat. Vel, vt ſcilicet benedicat.

SI attrectauerit me pater meus, & ſenſerit, timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere, & inducat) forte attrectabit me, & ero in oculis eius velut ſeductor, & inducam. Primæ perſonæ. Id eſt, videbor illi impoſtor, putabitque me ſibi velle illudere: ita inducam ſuper me maledictionem pro benedictione.

ISTA maledictio) tua maledictio.

*Abiit, & attulit, deditque matri. Parauit illa cibos ſicut velle nouerat patrem illius. Et *veſtibus Eſau valde bonis, quas apud ſe habebat domi, *induit eū: pelliculáſque hœdorū circundedit manibus, *& colli nuda protexit. Dedítque pulmētū: & panes quos coxerat, *tradidit.

ABIIT,) Abiit itaque.

VESTIBVS Eſau valde bonis,) veſtibus Eſau filii ſui maioris elegantioribus. Vel, protioſis.

INDVIT eum:) induit Iacob filium ſuum minorem.

ET colli nuda protexit.) & læuitati colli eius. ſiue lenitati.

TRADIDIT) Hebraice additur, in manus Iacob filii ſui.

*Quibus illatis dixit, Pater mi? At ille reſpondit, *Audio: quis es tu fili mi? Dixítque Iacob, Ego ſum primogenitus tuus Eſau: *feci tibi ſicut præcepiſti mihi: ſurge, ſede, & comede de venatione mea, vt *benedicat mihi anima tua. Rurſúmque Iſaac ad filiū ſuum, Quomodo, inquit, tam cito inuenire potuiſti fili mi? Qui reſpōdit, *Volūtas Dei fuit vt cito occurreret mihi quod volebā. Dixítque Iſaac, *Accede ad me, vt tangam te, fili mi, & probem vtrum tu ſis filius meus Eſau, an non. Acceſſit ille ad patrem: & palpato eo, dixit Iſaac, Vox quidem, vox Iacob eſt: ſed manus, manus ſunt Eſau. Et non cognouit eum, *quia piloſæ manus ſimilitudinem maioris expreſſerant. Benedicens ergo illi, ait, Tu es filius meus Eſau? Reſpondit, Ego ſum. At ille, Affer mihi, inquit, cibos *de venatione tua fili mi, vt benedicat tibi anima mea. Quos cum oblatos comediſſet, obtulit ei etiam vinum. quo hauſto, dixit ad eum, *Accede ad me, & da

mihi oſculum fili mi. Acceſſit,& oſculatus eſt eũ. 'Statímque vt ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait, Ecce odor filii mei ſicut 'odor agri pleni,'cui benedixit Dominus.'Det tibi Deus de rore cæli, '& de pinguedine'terræ, abundantiã frumenti & vini; '& olei. Et ſeruiant tibi populi,'& adorent te tribus: eſto dominus fratrum tuorũ,& incuruentur ante te filii matris tuæ. qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.

QVIBVS illatis) Qui quum veniſſet ad patrem ſuum.

AVDIO:) En ego. vel, Adſum.

FECI tibi ſicut) Hebraice non legitur TIBI: neque in ſcriptis veteribus codicibus S. Dionyſii, Germani, & Victoris: neque in editione Complutenſi.

BENEDICAT mihi anima tua.) Hebraiſmus, pro, Ex animo benepreceris mihi.

QVOMODO, inquit, tam cito) Quid ſibi vult hoc inquit quòd tã cito, &c.

VOLVNTAS Dei fuit vt cito occurreret mihi quod volebam.) Quia fecit occurrere (ſubaudi, feram) Dominus Deus tuus ante faciem meam.

ACCEDE ad me,) Accede quæſo. Vel, Accede nunc.

QVIA piloſæ manus ſimilitudinem maioris expreſſerant.) quia manus eius eſſent ſicut manus Eſau fratris ſui piloſæ.

DE venatione tua fili mi,) de venatione filii mei. Hebraiſmus eſt, pro, de venatione tua, qui es filius meus.

ACCEDE ad me,) Accede nunc ad me.

STATÍMQVE vt ſenſit) Odoratúſque eſt.

ODOR agri pleni,) Adiectiuum PLENI, non legitur Hebraice, neque in codicibus Latinis S. Dionyſii & Germani, neque in editione Complutenſi. De hoc admonet etiam Correctorium Sorbonicum.

CVI benedixit Dominus.) Hebraiſmus eſt, pro, qui refertus eſt variis floribus à Deo.

DET tibi) Det itaque tibi.

ET de pinguedine terræ,) & de pinguedinibus terræ. Id eſt, det tibi terrã fertilem. Alii vertunt, & pinguedines terræ. ſub. det. Pinguedines terræ.

TERRAE, abundantiam &c.) Hebraice interponitur coniunctio ET, Terræ, & abundantiam &c.

ET olei.) Hæc verba non leguntur in Hebraicis codicibus, neque in ſcriptis Latinis oblongis S. Dionyſii & Germani, & Baſilienſi editione.

ET adorent te tribus:) Vel, & incuruent ſe tibi nationes.

'Vix Iſaac ſermonẽ impleuerat: & egreſſo Iacob foras, venit Eſau, coctóſque de venatione cibos intulit patri, dicens, Surge pater mi, & comede de venatione filii tui: vt benedicat mihi anima tua. Dixítque illi Iſaac, Quis enim es tu? Qui reſpõdit, Ego ſũ filius tuus primogenitus Eſau. Expauit Iſaac 'ſtupore vehemẽti: & vltrà

quàm credi poteſt admirans, ait, Quis igitur ille eſt qui
dudũ captã venationẽ attulit mihi, & cõedi ex omnibus
prius quàm tu venires? benedixíq; ei, & erit benedictus.

VIX Iſaac, &c.) Accidit autem quum compleuiſſet Iſaac benedicere Iacob, accidit inquam vt vix egreſſo ipſo Iacob à conſpectu patris, veniret frater eius Eſau de venatione ſua. Præparauit autem etiam ipſe cibos, & intulit patri, &c.

STVPORE vehementi: & vltrà quàm dici poteſt admirans, ait,) ſtupore maximo, & ait.

QVIS igitur ille eſt qui dudum captam venationem attulit &c.) Quis ille, & vbi eſt ille, qui cepit venationem, & attulit &c.

Auditis Eſau ſermonibus patris, irrugiit clamore ma
gno: & conſternatus ait, Benedic etiam & mihi, pater
mi. Qui ait, Vênit germanus tuus fraudulenter, & ac-
cepit benedictionem tuam. At ille ſubiunxit, Iuſte vo-
catum eſt nomen eius Iacob: ſupplantauit enim me
S.25.d. en altera vice: ‖primogenita mea antè tulit, & nunc
ſecundò ſurripuit benedictionem meam. Rurſúm-
que ad patrem, Nunquid non reſeruaſti, ait, & mihi
benedictionem? Reſpondit Iſaac, Dominum tuum il-
lum conſtitui, & omnes fratres eius ſeruituti illius ſub-
iugaui: frumento & vino & oleo ſtabiliui eum, & tibi
poſt hæc fili mi vltrà quid faciam? Cui Eſau, Num v-
nam, inquit, tantum benedictionem habes pater? mihi
quoque obſecro vt benedicas. Cúmque eiulatu magno
Heb.11.d. fleret, motus Iſaac dixit ad eum, ‖In pinguedine terræ,
& in rore cæli deſuper erit benedictio tua. Viues in gla
dio, & fratri tuo ſeruies: tempúſque veniet cum excu-
tias & ſoluas iugum eius de ceruicibus tuis.

IRRVGIIT clamore magno: & conſternatus ait,) vociferatus eſt clamore magno, & vehementer amaro: dixítque patri ſuo.

ET mihi,) Hebraicus codex plus habet, Mihi inquam: hoc pacto, Benedic etiam & mihi, mihi inquam, pater mi.

GERMANVS) frater.

ACCEPIT) præripuit.

IVSTE) Recte. Vel, Vere.

SVPPLANTAVIT &c.) ſupplantauit enim me iam duabus vicibus: primogenituram meam antè tulit, & ecce nunc quoque accepit benedictionẽ meã. Id eſt, mihi debitam.

SERVITVTI illius ſubiugaui:) dedi illi in ſeruos.

FRVMENTO, & vino, & oleo ſtabiliui eum,) Hæc verba ET OLEO non leguntur in Hebræo, nec in codicibus Latinis ſcriptis S. Dionyſii & Germani, nec

in editionibus Baſilienſi & Complutenſi. Eſt autem Hebraiſmus, Stabiliui eum frumento & vino, pro, Donaui illum abundantia omnium rerum, eámque illi imprecatus ſum à Deo. Stabilire aliquē frumēto.

ET tibi) tibi itaque.

VLTRA) non legitur Hebraice.

MIHI quoque obſecro vt benedicas.) mihi quoque benedicas, mihi inquam pater mi.

MOTVS Iſaac dixit) reſpondit ei Iſaac, & dixit.

ERIT benedictio tua.) erit habitatio tua. Id eſt, habitabis in ſolo quod Deus reddet fœcundum immiſſione roris & pluuiæ. In rore cæli habitatio.

VIVES in gladio,) Hebraice additur pronomen TVO. Id eſt, arte militari comparabis tibi victum.

CVM excutias) quum præualebis. vel, quum dominari incipies.

Oderat ergo ſemper Eſau Iacob pro benedictione qua benedixerat ei pater: dixítque in corde ſuo, Veniēt dies luctus patris mei, & occidā Iacob fratrem meum. Nuntiata ſunt hæc Rebeccæ: quæ mittens, & vocans Iacob filium ſuum, dixit ad eum, Ecce Eſau frater tuus minatur vt occidat te. Nunc ergo fili mi, audi vocē meam, & conſurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran: habitabíſque cum eo dies paucos, donec requieſcat furor fratris tui, & ceſſet indignatio eius, obliuiſcatúrque eorum quæ feciſti in eum: poſtea mittam, & adducā te inde huc. cur vtroque orbabor filio in vno die? Dixítque Rebecca ad Iſaac, Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: ſi acceperit Iacob vxorem de ſtirpe huius terræ, nolo viuere. Abdiæ 1.c

DIXÍTQVE in corde ſuo,) Id eſt, cogitauit.

DIES luctus) Id eſt mortis.

NVNTIATA ſunt hæc Rebeccæ:) Nuntiata ſunt Rebeccæ verba Eſau filii maioris.

IACOB filium ſuum,) Hebraice additur MINOREM.

MINATVR vt occîdat te.) cōſolatur ſe de te ad interficiendum te. Hebraiſmus, Solatur ſe de iniuria ſibi illata, dum cogitat futurum vt te interficiat.

DIES paucos,) dies vnos, id eſt paucos. Hebraiſmus. Dies vni.

ADDVCAM te inde huc. cur vtroque orbabor filio in vno die?) adducam te inde. cur ambobus vobis orbabor?

DE ſtirpe huius terræ,) de filiabus Heth, ſimilibus iſtis (ſcilicet vxoribus Eſau quæ erant Hethææ) de filiabus inquam huius terræ, nolo &c.

CAP. XXVIII.

VOcauit itaque Iſaac Iacob, & benedixit eum, præcepítque ei dicens, Noli accipere coniugem de genere Chanáan; ſed vade, & proficiſcere in Meſopota-

miam Syriæ, ad domũ 'Bathuel patrem matris tuæ, & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban auunculi tui. Deus autem omnipotens 'benedicat tibi,& creſcere te faciat atque multiplicet: vt ſis in turbas populorum. Et det tibi benedictiones Abrahæ, & 'ſemini tuo poſt te: vt poſſideas terram peregrinationis tuæ,quam

Oſee 12.d. pollicitus eſt auo tuo. ¶Cúmque dimiſiſſet eum Iſaac, profectus peruenit in Meſopotamiam Syriæ ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris ſuæ.

DE genere Chanáan:) de filiabus Chananæorum.

BATHVEL patrem) Bathuel patris. In genitiuo legitur etiam in Moguntinenſi editione & Complutenſi.

BENEDICAT tibi,& creſcere te faciat) Hic ET, pro id eſt,ponitur. Benedicat tibi,id eſt creſcere &c.

BENEDICTIONES) benedictionem, ſingulari numero. Id eſt, ea conferat in te beneficia quæ cõtulit in Abrahamũ. tam faueat tibi quàm fauit Abrahamo.

SEMINI tuo poſt te:&c.) ſemini tuo tecum,vt in hæreditatem accipias terram peregrinationum tuarum,quam dedit Deus ipſi Abraham.

Videns autem Eſau quòd benedixiſſet pater ſuus Iacob, & miſiſſet eum in Meſopotamiam Syriæ, vt inde vxorem duceret: & quòd 'poſt benedictionem præcepiſſet ei, dicens, Non accipies vxorem de filiabus Chanáan: quódque obediens Iacob parentibus ſuis 'iſſet in Syriam: probans quoque quòd non libenter aſpiceret filias Chanáan pater ſuus: iuit ad Iſmaelem,& duxit vxorem abſque iis quas prius habebat, Maheleth filiam Iſmael filii Abraham, ſororem Nabaioth.

POST benedictionem præcepiſſet ei,dicens,) quum benediceret illi, præcepiſſet etiam illi,dicendo,&c.

Malus in oculis eius. ISSET in Syriam: probans quoque quòd non libenter aſpiceret filias Chanáan pater ſuus:) iſſet in Meſopotamiam: videns quoque quòd malæ eſſent in oculis patris filiæ Chananæorum. Hebraiſmus,pro diſplicerent patri ſuo, neque libenter eas aſpiceret.

Igitur egreſſus Iacòb de Ber-ſábee, pergebat Haran. Cúmque veniſſet ad quendam locum, '& vellet in eo requieſcere poſt ſolis occubitum, tulit de lápidibus qui iacebant: & ſupponens capiti ſuo, dormiuit in eodem loco. Viditque in ſomnis 'ſcalam ſtãtem ſuper terrãm, & cacumen illius tangens cælum: angelos quoque Dei

aſcendentes & deſcendentes per eam:& Dominum innixũ ſcalæ,dicentẽ ſibi,Ego ſũ Dominus Deus Abrahã patris tui,& Deus Iſaac.Terram in qua dormis,tibi dabo & ſemini tuo.Erítque ſemen tuum quaſi puluis terræ: [dilataberis ad Orientem,& Occidẽtem,& Septentrionem,& Meridiem:&] BENEDICENTVR IN TE & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ. Et ero cuſtos tuus quocunque perrexeris, & reducam te in terram hanc: nec dimittam niſi compleuero vniuerſa quæ dixi.Cúmque euigilaſſet Iacob de ſomno,ait,Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebã. Pauénſque, Quàm terribilis eſt,inquit,locus iſte! non eſt hic aliud niſi domus dei,& porta cæli. Deut.12.c. 19. c. 5.26.a.

ET velles in eo &c.) pernoctauit illic: nam occiderat ſol: & tulit de lapidibus loci illius,& poſuit vice ceruicalis ſui,& dormiuit in eo loco.

SCALAM) Per iſtam ſcalam quæ extendebatur à terra ad cælum,dicunt doctiſſimi Hebræorum ſignificari, omnia iſta inferiora dependere à ſuperioribus. Verùm per ſcalam intelligimus CHRISTVM,cuius diuinitas coniuncta erat humanitati,deſcenditque ad nos: per quem & aſcendimus ad Deum patrem.nemo enim venire poteſt ad patrem,niſi per CHRISTVM. Hoc myſterium ignorant ipſi Iudæi. Scala Iacob.

DILATABERIS ad Orientem,) dilataberis enim ad Orientem.

ET in ſemine tuo) Et,pro id eſt,poſitum hoc loco,eadem enim eſt promiſſio quæ Abrahæ facta fuerat ſuprà cap. 12.d, Benedicentur in ſemine tuo,&c. & cap 12.a, In te benedicentur cognationes terræ.Hoc loco vtrúque dixit,In te,& In ſemine tuo: In te,id eſt in ſemine tuo benedicentur cunctæ tribus terræ. Et, pro Id eſt.

ET ero cuſtos). Et ecce ſum tecum,& ero cuſtos.

NEC dimittam niſi compleuero) nec derelinquam te,donec compleuero.

QVAE dixi.) Hebraice additur TIBI.

NON eſt hic) Non eſt iſte.vel,hic: Subaudi,locus.

Surgens ergo Iacob mane, tulit lapidem,quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum,fundens oleũ deſuper. Appellauítque nomen vrbis Beth-el, quæ prius Luza vocabatur. Vouit etiam votum,dicens, Si fuerit Dominus mecũ, & cuſtodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum,reuerſúſque fuero proſpere ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deũ. & lapis iſte quẽ erexi in titulũ, vocabitur Domus-dei: cunctorúmque quæ dederis mihi,decimas offerã tibi.

CAPITI ſuo) Ex codice Hebræo additur, Pro ceruicali.
DESVPER.) ſuper ſummitatem eius.
NOMEN vrbis) nomen loci illius.
QVAE prius) Quæ ſane prius.
SI fuerit Dominus) Si fuerit Deus. Sic etiam legitur in vetuſtioribus Latinis codicibus S. Dionyſii, Germani, & Victoris, & Paruo S. Germani: Complutenſi quoque editione.
VOCABITVR) erit. Id eſt, erit locus vbi inuocabitur nomen Dei. Vel, iſte lapis erit mihi argumento quòd ſit domus Dei, & locus in quo ſoleat Deus exaudire preces hominum.

CAP. XXIX.

PRofectus ergo Iacob venit in terram Orientalem. Et vidit puteum in agro, tres quoque greges ouium accubantes iuxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora, & os eius grandi lapide claudebatur. 'Moríſque erat vt cunctis ouibus congregatis deuoluerent lapidē, & refectis gregibus rurſum ſuper os putei ponerent. Dixítque ad paſtores, Fratres, vnde eſtis? Qui reſponderūt, De Haran. Quos interrogans, Nunquid, ait, noſtis Laban filium Nachor? Dixerunt, Nouimus. 'Sanúſne eſt, inquit? Valet, inquiūt: & ecce Rachel filia eius 'venit cū grege ſuo. Dixítque Iacob, Adhuc multum diei ſupereſt, nec eſt tempus vt reducantur ad caulas greges: 'date antè potū ouibus, & ſic eas ad paſtum reducite. Qui reſponderunt, Non poſſumus, donec omnia pecora cōgregentur, & amoueamus lapidem de ore putei, vt adaquemus greges.

MORISQVE erat &c.) Congregabantúrque illuc omnes greges, & reuoluebant ab ore putei lapidem: adaquatóque grege, reponebant lapidem ſuper os putei in locum ſuum.
Pax. SANVSNE eſt inquit? Valet,) Nunquid eſt pax ei, inquit? Pax. Hebraiſmus, quem reddidit interpres.
VENIT) præſentis temporis.
DATE antè potū) Aduerbiū ANTE, hoc loco non legitur apud Hebræos.

Adhuc 'loquebātur, & ecce Rachel veniebat cum ouibus patris ſui: nam gregem ipſa paſcebat. 'Quam cū vidiſſet Iacob, & ſciret conſobrinam ſuam, ouéſque Laban auunculi ſui: amouit lapidem quo puteus claudebatur. Et 'adaquato grege oſculatus eſt eam: & eleuata voce fleuit. Et indicauit ei 'quòd frater eſſet patris ſui,

& filius Rebeccæ: at illa 'feſtinans nuntiauit patri ſuo. 'Qui cum audiſſet veniſſe Iacob filium ſororis ſuæ, occurrit obuiam ei: cōplexúſque eum, & in oſcula ruens, duxit in domum ſuam. 'Auditis autem cauſis itineris, reſpondit, Os meum es, & caro mea.

'LOQVEBANTVR) Loquebatur cum illis. Singularis numeri. ſubauditur enim Iacob.

QVAM quum vidiſſet Iacob, & ſciret conſobrinam ſuam,) Factúmque eſt, quum vidiſſet Iacob Rachel filiam Laban fratris matris ſuæ.

ET adaquato grege oſculatus eſt) Et adaquauit gregem Laban fratris matris ſuæ, oſculatúſque eſt Rachelem.

QVÒD frater) Id eſt cognatus. Hebraiſmus. — Frater, pro cō ſanguineo.

FESTINANS) currens.

QVI quum audiſſet) Cum autem audiſſet Laban veniſſe &c.

AVDITIS autē cauſis itineris, reſpondit, Os meū es, & caro mea.) Narrauit autem ipſi Laban omnia verba iſta. Ad quæ Laban ait, Profecto os meum, &c. Id eſt, retulit ei omnia quæ geſta erant cū Eſau, quǽque acciderant ei in itinere. Ad quæ Laban reſpondit, Profecto conſanguineus meus es. Hic os, ab oſſe eſt, nō ab ore Hebraiſmus. — Os meum & caro mea eſt.

Et poſtquam 'impleti ſunt dies menſis vnius, 'dixit ei, Num quia frater meus es, gratis ſeruies mihi? dic quid mercedis 'accipias. 'Habebat verò duas filias, nomen maioris Lia: minor verò appellabatur Rachel. Sed Lia 'lippis erat oculis: Rachel 'decóra facie, & venuſto aſpectu. Quam diligens Iacob, ait, Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore, ſeptem annis. Reſpondit Laban, Melius eſt vt tibi eam dem quàm alteri viro: mane apud me. Seruiuit ergo Iacob pro Rachel ſeptem annis: & 'videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.

'IMPLETI ſunt dies menſis vnius,) habitauit apud eum mēſem dierum. Id eſt, menſem integrum, conſtantem omnibus ſuis diebus. — Menſis dierū.

'DIXIT ei, Num quia frater meus es) dixit ei Laban, Num quia frater meus es, &c. Fratrem pro nepote accipit. Sic etiam legi poteſt, Vere frater meus es (id eſt nepos) ſeruies mihi ergo gratis? — Frater pro nepote.

ACCIPIAS) Vel, velis accipere.

HABEBAT vero) Ex Hebræo addendum, Laban.

LIPPIS erat oculis:) habebat oculos teneros. Quidam intelligunt oculos lippos, vt vertit interpres. Alii, inter quos Chaldæus paraphraſtes, interpretantur, elegantes. quaſi dicat, Lia oculorum tantum pulchritudine commendabatur.

DECORA facie,) decora figura. Id eſt, erat corpore bene habito, elegantíque forma.

VIDEBANTVR illi) & viſi ſunt illi.

Dixítque ad Laban, Da mihi vxorem meam: quia iā 'tempus impletum eſt, vt ingrediar in illam. 'Qui voca-

tis multis amicorum turbis ad conuiuiū, fecit nuptias. Et veſperę Liam filiam ſuam introduxit ad eū, 'dans ancillam filiæ, Zelpham nomine. Ad quā cū ex more, Iacob fuiſſet ingreſſus, facto mane vidit Liam: & dixit ad ſocerū ſuum, Quid eſt quod facere voluiſti? nónne pro Rachel ſeruiui tibi? quare impoſuiſti mihi? Reſpondit Laban, Non eſt in loco noſtro conſuetudinis, vt minores antè tradamus ad nuptias. 'Imple hebdomadam dierum huius copulæ: & hanc quoque dabo tibi pro opere quo ſeruiturus es mihi ſeptem annis aliis. 'Acquieuit placito: & hebdomada tranſacta, Rachel duxit vxorem: cui pater ſeruam Balam tradiderat. Tandémque potitus optatis nuptiis, amorem ſequentis priori prætulit, ſeruiens apud eum ſeptem annis aliis.

TEMPVS impletū) tempus meū impletum. quo ſcilicet tibi ſeruire debebā.

QVI vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium, fecit nuptias.) Congregauit itaque Laban omnes viros loci, & fecit conuiuium.

DANS ancillā filiæ &c. nōne) ad quā ingreſſus eſt. Dedit præterea Laban Zelphā ancillam ſuam illi Liæ filiæ ſuæ in famulam. Factum eſt autem mane, & ecce erat Lia. Et dixit ipſi Laban, Cur hoc mihi feciſti? nónne &c. Hebraiſmus eſt, Factū eſt autem mane, & ecce erat Lia, pro, Mane autem facto cognouit eſſe Liam.

IMPLE hebdomadā dierum huius copulæ:) Imple ſeptenarium iſtius. Subaudi, Liæ. ſiue, tranſeant ſeptem dies feſti iſtius Liæ.

ACQVIEVIT placito: &c. apud) Sic igitur fecit Iacob: adimpleuit enim hebdomadā iſtius. deditque (ſubaudi Labā) Rachel filiā ſuam ei in vxorem: cui Racheli filiæ ſuæ Laban dedit Balam ancillam ſuam in famulam. Ingreſſus eſt igitur etiam ad Rachelem, & dilexit eam plus quàm Liam: adhuc ſeruiens &c.

Videns autem Dominus quòd deſpiceret Liam, 'aperuit vuluam eius, ſorore ſterili permanente. Quæ conceptum genuit filium, vocauítque nomen eius Ruben, dicens, Vidit Dominus 'humilitatem meam, 'nunc amabit me vir meus. Rurſúmque concepit, & peperit filium, & ait, Quoniam audiuit me Dominus haberi 'contemptui, dedit etiam iſtum mihi. vocauítque nomen eius Simeon. Concepítque tertio, & genuit alium filium: dixítque, 'Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eo quòd pepererim ei tres filios, & idcirco 'appellauit nomen eius Leui. Quarto concepit, & peperit filium, &

ait, Modo confitebor Domino. & ob hoc vocauit eum Iudam: ceſſauítque parere. Matth. 1. a.

APERVIT vuluam eius.) Hebraiſmus, pro, fecit eam fœcundam.
HVMILITATEM) afflictionem.
NVNC amabit) nunc enim amabit. Vel, Poſthac amabit.
CONTEMPTVI,) odio.
NVNC quoque copulabitur.) Nunc hac vice copulabitur. Vel, adhærebit, aut ſociabitur.
APPELLAVIT nomen) vocatum eſt nomen.
CONFITEBOR Domino.) Hebraiſmus eſt, pro laudabo Dominum. Confiteri Domino.

CAP. XXX.

CERNENS autẽ Rachel quòd infœcũda eſſet, inuidit ſorori ſuæ, & ait marito ſuo, Da mihi liberos, alioquin moriar. Cui irat⁹ reſpõdit Iacob, Nũ pro Deo ego ſũ, qui priuauit te fructu vẽtris tui? At illa, Habeo, inquit, famulã Balã: ingredere ad illã, vt pariat ſuper genua mea, & habeam ex illa filios. Dedítque illi Balã in cõiugiũ: quæ ingreſſo ad ſe viro, cõcepit, & peperit filiũ. Dixítque Rachel, Iudicauit mihi Dominus, & exaudiuit vocẽ meam, dans mihi filium. & idcirco appellauit nomen eius Dan. Rurſúmque Bala concipiens, peperit alterum: pro quo ait Rachel, Cõparauit me Dominus cum ſorore mea, & inualui, vocauítque eũ Nephthali.

QVÒD infœcunda eſſet,) quòd non peperiſſet ipſi Iacob.
SORORI ſuæ,) Hebraice additur Rachel.
IRATVS reſpondit) iratus vehementer reſpondit.
NVM pro Deo ego ſum,) Hebraiſmus eſt, pro, Putáſne me Deum eſſe qui id fecerim: aut, qui id poſſim quod Deus poteſt?
FRVCTV ventris) Fructum ventris vocat liberos. Fructus ventris.
VT pariat ſuper genua mea,) & pariet ſuper genua mea. Id eſt, quum illa pariet, accipiam puerum in gremio meo.
ET habeam ex illa filios.) & filiabor ego quoque ex illa. Id eſt, & habebo filios ex ea. Hebraiſmus. Filiari.
DEDÍTQVE) Vel, Dedit itaque.
IN coniugium:) ancillam ſuam in vxorem. Id eſt, vt eſſet illi vice vxoris.
VIRO,) Iacob.
PEPERIT) Addunt Hebræi, ipſi Iacob.
IVDICAVIT mihi Dominus,) Mihi, ſignificat pro me. Poteſt verti, Cauſam meam egit Deus. Id eſt, obtinui cauſam meam Deo iudice.
ET exaudiuit) & etiam audiuit.
BALA concipiens, &c.) concipiens Bala ancilla Rachelis, peperit filium ſecũdum ipſi Iacob. Et dixit Rachel, Luctationibus Dei luctata ſũ cum ſorore mea, & præualui. vocauítque &c. Luctationes Dei vocat luctationes maximas: vt Cedri Dei, dicũtur cedri altiſſimæ. Vel, Luctationes Dei, quibus Deus fauit. Alii vertunt, Coniuncta ſum per Deum ſorori meæ, imò excellui ei.

'Sentiens Lia quòd párere deſiiſſet, Zelpham ancillã ſuam marito tradidit. Qua poſt conceptum edente filium, dixit, 'Fœliciter. & idcirco vocauit nomen eius Gad. Peperit quoque Zelpha alterũ. Dixítque Lia, 'Hoc pro beatitudine mea: 'beatam quippe me dicent omnes mulieres. 'propterea appellauit eum Aſer.

SENTIENS) Videns vel, Conſyderans.

FOELICITER.) Venit fœlicitas. Id eſt, proſpere ceſſit quòd tradiderim ancillam meam viro meo. LXX verterũt, Fœlix facta ſum. Alii, Venit turma. ſubaudi, filiorum. Id eſt, Iam multos habeo filios.

HOC pro beatitudine mea.) Cum beatitudine mea. Vel, ad fœlicitatem meã. Id eſt, mihi fœliciter ceſſit quòd dedi ancillam meam viro meo. LXX, Beata ego. Chaldæus paraphraſtes, Laus facta eſt mihi.

BEATAM quippe me dicent omnes mulieres.) Sic Lucæ, Beatam me dicent omnes generationes. Verbum OMNES, non legitur in antiquis ſcriptis exemplaribus Latinis S. Dionyſii, & Germani, neque in Complutenſi editione. de hoc admonet etiam Correctorium Sorbonicum.

PROPTEREA appellauit) & appellauit.

Egreſſus autem Ruben tempore meſſis triticeæ in agrum, reperit mandragoras: quas matri Liæ detulit. 'Dixítque Rachel, 'Da mihi partem de mãdragoris filii tui. Illa reſpondit, Parúmne tibi videtur quòd præripueris maritũ mihi, niſi etiam mandragoras filii mei 'tuleris? Ait Rachel, 'Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filii tui. Redeuntíque ad veſperam Iacob de agro, egreſſa eſt in occurſum eius Lia, & ait, Ad me, inquit, intrabis: quia mercede conduxi te pro mandragoris filii mei. Dormiuítque cum ea, nocte illa. Et exaudiuit Deus 'preces eius: concepítque, & 'peperit filium quintum, & ait, Dedit deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo. appellauítque nomen eius Iſſachar. Ruiſum Lia concipiens 'peperit ſextum filiũ, & ait, 'Dotauit me Deus dote bona: etiã hac vice 'mecum erit maritus meus, eo quòd 'genuerim ei ſex filios. & 'idcirco appellauit nomen eius Zabulon. Poſt quem peperit filiam 'nomine Dinam.

DIXÍTQVE Rachel) Ex Hebraico codice addendum, ad Liam.

DA mihi partem de &c.) Da mihi quæſo de &c.

TVLERIS?) accipias?

DORMIAT tecum) Dormiat igitur tecum.
PRECES eius:)Liam.
PEPERIT) Hebræi addunt,ipſi Iacob.
PEPERIT ſextum filium,) Et hîc addunt Hebræi,ipſi Iacob.
DOTAVIT me Deus dote bona:) Vel,Bonum donum dedit mihi Deus. Id eſt,Optimam partem dedit mihi.
MECVM erit) mecum habitabit.
GENVERIM) pepererim.
IDCIRCO) Hæc vox non legitur Hebraice.
NOMINE) quam ipſa vocauit.

Recordatus quoq; Dominus Rachelis, exaudiuit eã, '& aperuit vuluã eius.Quæ concepit,& peperit filiũ,dicens, Abſtulit Deus 'opprobriũ meũ.Et vocauit nomen eius Ioſeph,dicens, 'Addat mihi Dominus filiũ alterũ.

ET aperuit vuluam eius.) Hebraiſmus, pro,Aperuit enim vuluã eius. Id eſt, Fœcundam eam reddidit.
OPPROBRIVM meum.) Olim dabatur vitio ſterilitas. Nam fœcunditas ex Deo proueniebat,qui dixerat,Creſcite,& multiplicamini.
ADDAT mihi Dominus filium alterum.) Per futurum melius legeretur,Addet mihi Dominus filium alterũ. Vt ſit Hebraiſmus,pro, Cum vnum habuerim, plures habitura ſum.

'Nato autem Ioſeph,dixit Iacob ſocero ſuo,'Dimitte me vt reuertar in patriam meam,& ad terram meã. Da mihi vxores,& liberos meos,pro quibus ſeruiui tibi,vt abeam: 'tu verò noſti ſeruitutem qua ſeruiui tibi. Ait illi Laban, 'Inueniam gratiam in conſpectu tuo. ('experimento didici quia benedixerit mihi Deus propter te)conſtitue mercedem tuam, quam dem tibi. At ille reſpondit,Tu noſti quomodo ſeruierim tibi,& 'quãta in manibus meis fuerit poſſeſſio tua. 'Modicum habuiſti 'antequam venirem ad te,' & nunc diues effectus es:'benedixítque tibi Deus 'ad introitum meum: 'iuſtum eſt igitur vt aliquando prouideam domui meæ.

NATO autem Ioſeph,) Factum eſt autem,cum peperiſſet Rachel Ioſeph.
DIMITTE me,&c.) Id eſt,Da mihi poteſtatem abeundi ad domum meam, & in patriam meam.
TV verò noſti) quia tu noſti. Id eſt, noſti operam meam quam præſtiti tibi. quaſi dicat, Satis ſeruiui tibi.
INVENIAM gratiam) Quæſo ſi inueni gratiam. Id eſt, ſi tibi charus ſum.
EXPERIMENTO didici quia benedixerit mihi Deus propter te.) Hæc debent legi per parentheſim. Apud Hebræos autem præcedit coniunctio rationalis, Nam experimento didici,vel Nam compertum habeo quòd &c Quidam ſic interpretantur locum iſtum,Si inueni gratiam in oculis tuis,ſi tibi charus ſum, ſiquid facere velis mea cauſa,mane apud me·nã experimento didici Deum bene-

dixiſſe mihi tua cauſa. Neque volo vt maneas apud me gratis: ſed præſcribe præmium tuum mihi, dic mihi quid velis lucrari, & dabo tibi: vel, vt dem tibi. Quaſi dicat, quicquid petieris à me, dabo tibi.

QVANTA in manibus meis fuerit poſſeſſio tua.) quāta fuerit apud me poſſeſſio tua. Vel, quantus fuerit grex tuus mecum. Id eſt, quantum peculium tradideris mihi initio.

MODICVM habuiſti) Modicum enim habuiſti.

In conſpectu meo.

ANTEQVAM venirem ad te:) in conſpectu meo. Id eſt, pauca erant tua pecora quæ tu commiſiſti mihi Vel, antequam venirem ad te, vt vertit interpres. Hebraiſmus eſt. Prior expoſitio verior.

ET nunc diues effectus es:) ſed creuit multum. Subaudi, illud modicum. Id eſt quod interpres vertit, diues effectus es.

BENEDIXITQVE) benedixit enim.

Ad pedē meū.

AD introitum meum:) ad pedem meum. Id eſt, ad aduentum meum. Hebraiſmus eſt. Chaldæus paraphraſtes vertit, propter me.

IVSTVM eſt igitur vt aliquando prouideam domui meæ.) nunc autē quando operabor ego quoque pro domo mea? Id eſt, quando dabo operam vt congregem diuitias ad alendam familiam meam? Vetera exemplaria Latina ſcripta S. Dionyſii & Germani, legunt Prouideam etiam.

Dixítque Laban, Quid tibi dabo? At ille ait, Nihil volo: ſed ſi feceris quod poſtulo, iterum paſcam, & cuſtodiam pecora tua. 'Gyra omnes greges tuos, & ſepara cunctas oues varias, & ſparſo vellere: & quodcunque furuum & maculoſum, variúmque fuerit, tam in ouibus quàm in capris, erit merces mea. 'Reſpondebítque mihi cras iuſtitia mea, quando placiti tempus aduenerit, coram te: & omnia quæ non fuerint 'varia, & maculoſa, & furua, tam in ouibus quàm in capris, furti me argues. Dixítque Laban, 'Gratum habeo quod petis. Et ſeparauit in die illa capras, & oues, & hircos, & arietes varios, atque maculoſos: cunctum autem gregē vnicolorem, id eſt albi & nigri velleris, tradidit in manu filiorū ſuorum. Et poſuit ſpatiū itineris trium dierū inter ſe & 'generum, qui paſcebat reliquos greges eius.

GYRA omnes greges &c Reſpōdebitq́;) Trāſibo per omnes oues tuas hodie, vt ſeparem illinc omnes agnos paruis & magnis maculis aſperſos, item omnes agnos nigros inter agnos, & magnis aut paruis maculis aſperſa inter capras: eritque merces mea. Quod ſcilicet naſcetur tale. Id eſt, quæ iſtis ſimiles poſthac naſcētur, mihi cedent mercedis loco. Vetera exemplaria ſcripta S. Dionyſii & Germani, conſentiente editione Moguntinenſi legunt furua, vbi corrupte alia exemplaria legunt fulua, vel rufa.

Reſpondere. Cras.

RESPONDEBITQVE mihi cras iuſtitia mea, quando placiti tempus aduenerit, coram te) Reſpondebítque mihi craſtina die iuſtitia mea quando veneris ad mercedem meam, ante te. Id eſt, Iuſtitia mea teſtabitur poſthac de me, ſiue

teſtimonium mihi feret, quum tu venies ad mercedem meam. Hoc eſt, Tunc deprehendes me iuſtum eſſe, quum venies ad videndas oues quæ mihi mercedis loco cedent, & videris me nihil habere quod tuum ſit.

VARIA & maculoſa, & furua, tã in ouibus quàm in capris, furti me argues.) maculis paruis, aut magnis aſperſa in capris, & nigra in ouibus: apud me erit furto ablatũ. Id eſt, Dicito me furto abſtuliſſe, argue me furti, ſi videris apud me capras variis maculis variatas, aut oues nigras.

GRATVM habeo &c. tradidit in manu.) Age, optarim fieri vt dicis. Separauit itaque in die illa hircos habentes crura diuerſo colore veluti faſciis reuincta, & magnis maculis aſperſos, omnéſque capras maculis paruis & magnis aſperſas, omnia inquam in quibus erat aliquid albi, & omnia nigra in ouibus: & tradidit in manu, &c.

GENERVM,) Iacob.

Tollens ergo Iacob virgas populeas virides, '& amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas: detractíſque corticibus, in his quæ ſpoliata fuerant candor apparuit: illa verò quæ integra fuerant, viridia permanſerunt: atque in hunc modum color effectus eſt varius. 'Poſuítque eas in canalibus, vbi effundebatur aqua: vt cum veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aſpectu earũ conciperent. 'Factúmque eſt vt in ipſo calore coitus oues intuerẽtur virgas, & parerent maculoſa & varia, & diuerſo colore reſperſa. 'Diuiſítque gregẽ Iacob, & poſuit virgas in canalibus ante oculos arietum: erant autem alba & nigra quæque, Laban: cætera verò, Iacob, ſeparatis inter ſe gregibus. 'Igitur quando primo tempore aſcendebantur oues, ponebat Iacob virgas in canalibus aquarum 'ante oculos arietum & ouium, vt in earum contemplatione conciperent. 'quando verò ſerotina admiſſura erat, & cõceptus extremus, non ponebat eas. Factáque ſunt ea quæ erant ſerotina, Laban: & quæ primi temporis, Iacob. Ditatúſque eſt homo vltra modum, '& habuit greges multos, ancillas & ſeruos, camelos & aſinos.

ET amygdalinas, & ex &c. Poſuítque eas.) & coryli & caſtaneæ, decorticauit in illis decorticationes albas, denudationẽ cãdoris qui erat ſuper virgas. Poſuítq; &c. Vel incidit in illis inciſuras albas, ſpoliationem candoris qui erat ſuper virgas. Poſuitque &c. Id eſt, partim decorticauit virgas ipſas: ea autem parte virgæ qua corticem detraxit, albor qui ſuberat cortici, apparuit: & ita varia effecta eſt virga. Quod hîc verſum eſt, denudationem candoris &c. per appoſitionem dictum eſt. quaſi dicat, Atque ita factum eſt vt denudaretur candor. detracto enim cortice

apparuit candor qui ſuberat corticí, vt dictum eſt. Quidam pro coryli, vertunt amygdali, inter quos eſt noſter interpres.

POSVITQVE, &c. cōciperent.) Poſuit itaque virgas quas inciderat, in fluēta atque in canales aquarum, ad quos veniebant (vel, venturæ erant) pecudes vt biberent: poſuit inquam in conſpectu ouium: quæ incaleſcebant dum venirent ad bibendum. Factumque, &c. Incaleſcebant, id eſt calore incendebātur ad coitū.

FACTVMQVE EST, &c. colore reſperſa.) Incaleſcebant (vel, coibant) igitur in conſpectu virgarum, & pariebant oues illæ agnos quorum crura diuerſo colore veluti faſciis videbantur reuincta, & aſperſos paruis punctis, & magnis maculis.

DIVISITQVE, &c. inter ſe gregibus.) Diuiſitque agnos Iacob, & poſuit faciem gregis verſus agnos (antecedentes, ſcilicet) aſperſa maculis crura habentes, atque verſus omne nigrum in grege Laban: poſuit autem ſibi greges ſeorſum & non cum ouibus Laban. Hæc eſt ſecunda induſtria Iacob: maculoſos agnos iam natos in vnum redegit gregem, fecitque illum antecedere gregem ouiū Laban, vt ſequentes oues, contemplatione præcedentium maculoſorum agnorū, alios parerent maculoſos.

IGITVR quando primo tempore aſcendebantur oues.) Factum eſt item, quando fortiores oues incaleſcebant. vel, coibant. Id eſt, In priore admiſſura: nempe menſe Martio.

ANTE oculos arietum & ouium, vt in earum contemplatione conciperent.) ante oculos ouium, vt coirent ante virgas.

QVANDO vero, &c. Iacob.) Vel, Cum verò debiliores erant oues, non ponebat: & ita debiliores erant ipſius Laban, & robuſtiores ipſius Iacob. Id eſt, quādo menſe Septembri coibant oues, quæ eſt poſterior admiſſura, quo tempore ſolent oues agnos debiliores parere propter ſubſequens frigus. Hæc eſt tertia induſtria Iacob, quòd virgas poſuit in canales eo tempore quo robuſtiores oues conceptui operam dabant, aut quando procliuiores erant ad coitum, vt ſic robuſtiorem ederent fœturam: quod fit menſe Martio.

ET habuit) habuit enim.

CAP. XXXI.

POSTQVAM autem audiuit verba filiorum Labā dicentium, Tulit Iacob omnia quæ fuerunt patris noſtri, °& de illius facultate ditatus, factus eſt inclytus: animaduertit quoque faciem Laban quòd non eſſet erga ſe °ſicut heri & nudiuſtertius, °maxime dicente ſibi Domino, Reuertere in terram patrum tuorum, & ad °generationem tuam, °eróque tecum: °Miſit, & vocauit Rachel & Liam in agrum, °vbi paſcebat greges, dixítque eis, Video faciem patris veſtri quòd non ſit erga me ſicut heri & nudiuſtertius: Deus autem patris mei fuit mecū. Et ipſæ noſtis quòd totis viribus meis ſeruierim patri veſtro.

ET de illius facultate ditatus, factus eſt inclytus:) & ex his quæ habebat pater noſter, fecit omnem gloriam hanc. Vel, ſplendorem, aut opulentiam. Id eſt, peperit ſibi has diuitias, quibus aſſequutus eſt gloriam, & ſplendorem iſtum.

SICVT heri & nudiuſtertius,) Id eſt, ſicut antea ſolebat.
MAXIME dicente ſibi Domino,) Cúmque dixiſſet ipſi Iacob Dominus.
GENERATIONEM) cognationem.
ERO tecum:) Id eſt, auxilio tibi ero, fauebo tibi.
MISIT, & vocauit) Tunc miſit Iacob (ſcilicet nuntios,) & vocauit. Vetus exemplar oblongum S. Germani ſcriptum legit Miſit Iacob.
VBI paſcebat greges,) ad gregem ſuum.

'Sed & pater veſter circunuênit me, & mutauit mercedem meam 'decem vicibus: '& tamen non dimiſit eũ Deus vt noceret mihi. Siquãdo dixit, 'Variæ, erũt mercedes tuæ: 'pariebant omnes oues varios fœtus. 'quãdo verò ecõtrario ait, Alba quæque accipies pro mercede: omnes greges alba pepererunt. 'Tulítque Deus ſubſtãtiam patris veſtri, & dedit mihi. 'Poſtquam enim conceptus ouium tempus aduenerat, leuaui oculos meos, & vidi in ſomnis 'aſcendentes mares ſuper fœminas, varios, reſperſos, & maculoſos, & diuerſorum colorum.

SED ET pater veſter circunuenit me, & mutauit) Pater autem veſter mentitus eſt mihi: mutauit enim, &c. Id eſt, fallaciter & peruerſe egit mecum.
DECEM vicibus) Numerus certus hîc ponitur pro incerto. Multis vicibus. Decẽ vicibus.
ET TAMEN non dimiſit eum Deus vt noceret mihi.) & non permiſit illi Deus vt damnum inferret mihi.
VARIAE,) Punctis paruis aſperſæ.
PARIEBANT omnes oues varios fœtus.) tunc pariebant omnes oues paruis notis (vel, punctis) aſperſa. Id eſt, pariebant agnos paruis notis aſperſos, & variegatos.
QVANDO vero econtrario ait, Alba quæque accipies pro mercede: omnes greges alba pepererunt.) Quòd ſi ſic dicebat, Ea quorum crura erunt diuerſis coloribus veluti faſciis reuincta, erunt merces tua: tunc oues omnes pariebant fœtus quorum crura erant diuerſis coloribus veluti faſciis reuincta.
TVLITQVE Deus ſubſtantiam) Et eripuit Deus poſſeſſionem.
POSTQVAM enim cõceptus ouium tempus aduenerat,) Accidit enim, tempore quo incaleſcebant oues. Vel, tempore quo oues coibant.
ASCENDENTES mares ſuper fœminas, varios, reſperſos, & maculoſos, & diuerſorum colorum.) aſcendentes hœdos ſuper oues, aſperſos paruis punctis, crura item diuerſo colore veluti faſciis reuincta habentes, & maculis albis aſperſos. Vetera ſcripta exemplaria S. Dionyſii, Germani, & Victoris, conſentiente editione Moguntinenſi, non habent RESPERSOS.

Dixítque angelus Dei ad me in ſomnis, Iacob? Et ego reſpondi, Adſum. Qui ait, 'Leua oculos tuos, & 'vide vniuerſos maſculos aſcendentes ſuper fœminas, varios, maculoſos, atque reſperſos. Vidi enim omnia quæ 'fecit tibi Laban. Ego ſum 'Deus Beth-el, ||vbi vnxiſti lapidem, & votum vouiſti mihi. Nũc ergo ſurge, & egre- ſ.28.d.

dere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ. Reſponderúntque Rachel & Lia, Nunquid habemus reſidui quicquam in facultatibus, & hæreditate domus patris noſtri? Nónne quaſi alienas reputauit nos, & vendidit, comedítque pretium noſtrum? Sed Deus tulit opes patris noſtri, & eas tradidit nobis, ac filiis noſtris: vnde omnia quæ præcepit tibi Deus fac.

LEVA) Ex Hebræo addendum NVNC.

VIDI vniuerſos maſculos aſcendentes ſuper fœminas, varios, maculoſos, atque reſperſos.) vide quòd omnes hirci qui aſcendunt ſuper oues, ſunt punctis paruis reſperſi, crura diuerſo colore veluti faſciis reuincta habētes, maculis item magnis reſperſi. Vidi, &c.

FECIT) facit. præſentis temporis.

DEVS Beth-el) Id eſt, qui apparui tibi in Beth-el.

TERRA hac,) Vel, regione hac.

REVERTENS) & reuertere.

NVNQVID habemus reſidui quicquam in facultatibus, & hæreditate domus patris noſtri?) An adhuc eſt nobis portio & hæreditas in domo patris noſtri? Quaſi dicat, Nihil eſt quod amplius expectemus à patre noſtro.

QVASI) Hebraice non legitur hæc vox.

ET vendidit, comeditque pretium noſtrum?) nam vendidit nos, & comedēdo comedit pecuniam noſtram. Id eſt, vendidit nos tibi: ſeruiuiſti enim illi pro nobis: & decoxit pecuniam noſtram. id eſt, quæ nobis debebatur pro mariti noſtri labore. fructus enim laborum Iacob redibat ad Laban.

SED Deus tulit opes patris noſtri, & eas tradidit nobis ac filiis noſtris: vnde omnia, &c.) Sane omnes diuitiæ quas abſtulit Deus patri noſtro, noſtræ ſunt, & liberorum noſtrorum. nunc ergo omnia, &c.

Surrexit autem Iacob: & impoſitis liberis, ac coniugibus ſuis ſuper camelos, abiit. Tulítque omnem ſubſtantiam ſuam, & greges, & quicquid in Meſopotamia acquiſierat, pergens ad Iſáac patrem ſuum in Terram-Chanáan. Eo tempore ierat Laban ad tondendas oues, & Rachel furata eſt idôla patris ſui. Noluítque Iacob cōfiteri ſocero ſuo quòd fugeret. Cúmque abiiſſet tam ipſe quàm omnia quæ iuris ſui erant, & amne tranſmiſſo pergeret contra Montem-Galaad: nuntiatum eſt Laban die tertio quòd fugeret Iacob.

SVRREXIT autem) Hoc loco Hebraice non legitur AVTEM, nec in vetuſtiſſimis ſcriptis codicibus Latinis.

QVICQVID) omnem ſubſtantiam ſuam quam, &c.

OVES,) oues ſuas.

Furari cor alterius. NOLVITQVE Iacob confiteri ſocero ſuo quòd fugeret.) Furatus eſt etiam Iacob cor Laban Syri, eo quòd non renuntiarit ei quòd fugeret. Vel, fugere vel-

let. Hebraiſmus eſt, Furatus eſt cor Laban, pro, ignorante vel inſcio Laban aufugit.

ABIISSET) fugiſſet.

QVAM omnia quæ iuris ſui erant,) quàm quod erat ipſi.

MONTEM-Galaad:) Per anticipationem nondum enim ita appellabatur.

Qui aſſumptis fratribus ſuis, perſecutus eſt eum diebus ſeptem: & cõprehendit eum in Monte-Galaad. 'Viditque in ſomnis dicentẽ ſibi Dominum, Caue ne quicquam aſperè loquaris contra Iacob. Iámque Iacob extenderat in monte tabernaculum: cúmque ille conſecutus fuiſſet eum: cum fratribus ſuis in eodem Monte-Galaad fixit tentorium. Et 'dixit ad Iacob, 'Quare ita egiſti, vt clam me abigeres filias meas quaſi 'captiuas gladio? 'Cur ignorante me fugere voluiſti, nec indicare mihi: vt proſequerer te cum gaudio, & cãticis, & tympanis, & citharis? Non es paſſus vt oſcularer filios meos & filias: ſtultè operatus es & nunc quidẽ. Valet manus mea reddere tibi malum: ſed Deus 'patris tui heri dixit mihi, Caue ne loquaris 'contra Iacob quicquam durius. 'Eſto, ad tuos ire cupiebas, & deſyderio erat tibi domus patris tui: cur furatus es deos meos?

VIDITQVE in ſomnis dicentem ſibi Dominum, Caue ne quicquam aſpere loquaris contra Iacob,) Venit autem Deus ad Laban Syrum in ſomno, nocte illa, & dixit illi, Caue ne loquaris cum Iacob à bono ad malum. Hebraiſmus eſt quem doctè reddidit interpres noſter. — A bono ad malum nihil loqui.

DIXIT ad Iacob,) Dixit Laban ad Iacob.

QVARE ita egiſti vt clam me abigeres filias) Quid feciſti quòd furatus es cor meum, & abduxiſti &c. Furari cor alterius (vt dictum eſt) eſt celare eum, & clam eum aliquid facere.

CAPTIVAS gladio?) Hebraiſmus eſt, pro, captas in bello. — Captiuus gladio.

CVR ignorante me fugere voluiſti, nec indicare mihi: vt proſequerer te) Cur abſcondiſti te ad fugiendum, & furatus es me, & non indicaſti mihi: & dimiſiſſem te &c. Hæc poſteriora verba, Nõ indicaſti mihi: declarant quod obſcurius dixerat, Abſcondiſti te ad fugiendum, & furatus es me. Quaſi dicat, Cur clam aufugiſti, me neſciente, nec indicaſti?

PATRIS tui) patris veſtri. Ita etiam legunt vetera Latina exemplaria S. Germani, & latum S. Dionyſii.

CONTRA Iacob) cum Iacob. Sic etiam legunt vetera ſcripta exemplaria Latina S. Dionyſii, & S. Germani oblongum.

QVICQVAM durius.) à bono ad malum. Hebraiſmus, de quo paulo ſupra admonuimus.

ESTO, ad tuos ire cupiebas, & deſyderio &c.) Nunc ergo ſi abeundo abiiſti, quia deſyderio &c.

Reſpondit Iacob, 'Quòd inſcio te profectus ſum, ti-

mui ne violenter auferres filias tuas.'Quòd autem furti me arguis: apud quencunque inueneris deos tuos, 'necetur.'coram fratribus noſtris ſcrutare:quicquid tuorum apud me inueneris aufer. Hæc dicens, ignorabat quòd Rachel furata eſſet idôla. Ingreſſus itaque Laban tabernaculum Iacob, & Liæ, & vtriuſque famulæ, non inuenit.'Cúmque intraſſet tentorium Rachelis, illa feſtinans abſcondit idôla ſubter ſtramenta cameli, & ſedit déſuper: 'ſcrutantíque omne tentorium,& nihil inuenienti, ait, Ne iraſcatur dominus meus quòd coram te aſſurgere nequeo: quia 'iuxta conſuetudinem fœminarum nunc accidit mihi. 'ſic deluſa ſolicitudo quærentis eſt.

QVÒD inſcio te profectus ſum, timui ne violenter) Quia timui, & dixi, Ne forte violenter &c.

QVÒD autem furti me arguis:) Hæc verba non leguntur Hebraice.

NECETVR) ne viuat. Vel, non viuet. quaſi dicat, mea manu eum interficiã. Poſt hoc verbum diſtinguendum eſt. quæ enim ſequuntur, Coram fratribus, &c. ad ſequentia referenda ſunt.

CORAM fratribus noſtris ſcrutare: quicquid tuorũ apud me inueneris aufer.) Coram fratribus noſtris agnoſce quid (ſupple, tuorum ſit) apud me, & accipe tibi. Fratres, cognatos vocat.

Frater.

CVMQVE intraſſet tentorium Rachelis, illa feſtinans abſcondit idôla ſubter ſtramenta cameli,) Et egreſſus tabernaculum Liæ, venit in tabernaculum Rachelis: illa autem accepit idôla, & abſcondit ſub clitellis cameli, & ſedit, &c.

SCRVTANTIQVE) Hebraice additur, Ipſi Laban patri ſuo.

Conſuetudo fœminarum.

IVXTA conſuetudinem fœminarum, &c.) Id eſt, quia patior menſes, ſiue menſtrua.

SIC deluſa ſolicitudo quærentis eſt.) Scrutatus igitur eſt, & non inuenit idôla illa.

'Tuménſque Iacob, cum iurgio ait, Quam ob culpã meã, & ob quod peccatũ meum ſic exarſiſti 'poſt me, & ſcrutatus es omnem ſupellectilem meam? Quid inueniſti de cuncta ſubſtantia domus tuæ? 'pone hîc coram fratribus meis, & fratribus tuis, & iudicent inter me & te.'Idcirco viginti annis fui tecum? oues tuæ & capræ 'ſteriles non fuerunt, arietes gregis tui non cõmedi: 'nec captum à beſtia oſtendi tibi, ego damnum omne reddebam: 'quicquid furto peribat, à me exigebas: die noctúque 'æſtu vrgebar, & gelu, fugiebátque ſomnus ab

oculis meis.'Sicque per viginti annos in domo tua ſeruiui tibi, quatuordecim 'pro filiabus, & ſex pro gregibus tuis: 'immutaſti quoque mercedem meam decem vicibus. Niſi'Deus patris mei Abrahã & 'timor Iſaac affuiſſet mihi, 'forſitan modo nudum me dimiſiſſes: afflictionem meam & laborem manuum mearum reſpexit Deus,'& arguit te heri. Reſpondit ei Laban, 'Filiæ meæ & filii & greges tui, & omnia quæ cernis, mea ſunt: quid poſſum facere filiis & nepotibus meis?

TVMENSQVE Iacob, cum iurgio ait,) Iratúſque Iacob, rixatus eſt cum Laban: atque reſpondens, dixit ipſi Laban.

POST me, & ſcrutatus &c. Pone.) poſt me? & quando contrectaſti omnia vaſa mea, quid inueniſti ex omnibus vaſis domus tuæ? Pone &c. Vaſa vocat ſupellectilem, more Hebraico: quod docte reddidit interpres. Vaſa.

PONE) ſubaudi, in medium ſiquid reperiſti apud me.

IDCIRCO, &c.) Iam viginti annis verſatus ſum tecum, oues &c.

STERILES non fuerunt,) Vel, abortum non fecerunt.

NEC captum à beſtia oſtendi tibi, ego damnum omne reddebam:) nec raptum à beſtia attuli tibi, ego pro eo damnum rependebam. Alii vertunt, A beſtia laceratum nõ reduxi ad te, ego peccati illius reus eram. Id eſt, culpa illa in me, etiam innocentem, conferebatur.

QVICQVID furto peribat,) quod furto ablatũ fuerat ſiue ĩterdiu, ſiue noctu.

AESTV vrgebar,) Legendum ex antiquis codicibus Latinis S. Dionyſii, Germani, & Victoris, æſtu vrebar. Hebraice legitur, Me conſumpſit æſtus. Idem admonet Correctorium Sorbonicum.

SICQVE) Iam.

PRO filiabus,) pro duabus filiabus tuis.

IMMVTASTI quoque mercedem meam decem vicibus.) & immutaſti mercedem meam decem vicibus. Id eſt, multis vicibus. Numerus certus pro incerto.

DEVS patris mei Abraham.) Deus patris mei, Deus Abraham. Id eſt, Niſi Deus quem pater meus colebat, qui pater dicebatur Abraham.

TIMOR Iſaac) Id eſt, Deus quem timuit Iſaac. Timor Iſaac.

FORSITAN modo nudum me dimiſiſſes:) quòd vacuũ dimiſiſſes me. Subaudiendum SCIO, aut PVTO. ſcio quòd inanem dimiſiſſes me. Aut vox Hebræa כי, pro qua vertimus quòd, accipienda eſt pro ſane vel certe. Certe inanem dimiſiſſes me. כִי

ET arguit te heri.) arguit enim te heri. Vel vt Chaldæus paraphraſtes vertit, heſterna nocte.

FILIAE meæ, &c. Veni.) Filiæ iſtæ, filiæ meæ ſunt: & filii iſti, filii mei ſunt: & greges iſti, greges mei ſunt, & omnia quæ cernis, mea ſunt: ſed filiabus iſtis meis quid faciam hodie, vel filiis earum quos pepererunt? Quaſi dicat, natura non permittit vt detrimenti quicquam eis inferam.

'Veni ergo, & ineamus fœdus: vt ſit in teſtimonium inter me & te. Tulit itaque Iacob lapidem, & erexit illum in 'titulum. 'Dixítque fratribus ſuis, 'Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum,

'comederúntque ſuper eum. Quem vocauit Laban 'Tumulum-teſtis: & Iacob, 'Aceruum teſtimonii, 'vterque iuxta proprietatem linguæ ſuæ. Dixítque Laban, Tumulus erit teſtis inter me & te hodie, & idcirco 'appellatum eſt nomen eius Galaad, 'id eſt Tumulus-teſtis. Et adiecit Laban, Intueatur & iudicet Dominus inter nos 'quando receſſerimus à nobis, ſi afflixeris filias meas, & ſi introduxeris alias vxores ſuper eas: 'nullus ſermonis noſtri teſtis eſt abſque Deo, qui præſens reſpicit. Dixítque rurſus ad Iacob, En tumulus hic, '& lapis quẽ erexi inter me & te, teſtis erit: tumulus, inquam, iſte & lapis ſint in teſtimonium, ſi aut ego trãſiero illum pergens ad te: aut tu præterieris, malũ mihi cogitans. Deus Abraham & ' deus Nachor iudicet inter nos, deus patris eorum. Iurauit ergo Iacob per timorem patris ſui Iſaac: immolatíſque victimis in Monte, vocauit fratres ſuos vt ederent panem. Qui cum comediſſent, 'manſerunt ibi. Laban verò 'de nocte conſurgens, oſculatus eſt filios & filias ſuas, & benedixit illis: reuerſúſque eſt in locum ſuum.

Veni. VENI ergo, & ineamus fœdus:) Nunc ergo veni, & percutiamus fœdus ego & tu. Verbum VENI, ponitur vice aduerbii hortantis. Quaſi dicat, Age, percutiamus fœdus.

TITVLVM.) Vel, ſtatuam, aut metam.

DIXÍTQVE) Addendum ex Hebræo, Iacob.

AFFERTE) Colligite.

COMEDERVNTQVE) Codex Hebraicus habet, Comederúntque ibi.

TVMVLVM-teſtis:) Iegar-ſahadutha. Id eſt, aceruum teſtimonii.

ACERVVM teſtimonii,) Galaad. Id eſt, Tumulum teſtificantem.

VTERQVE iuxta proprietatem linguæ ſuæ.) Hæc verba non leguntur Hebraice.

APPELLATVM eſt) vocauerat. ſcilicet Iacob.

ID eſt Tumulus-teſtis. Et adiecit Laban, Intueatur & iudicet) & Miſpha: quoniam dixit, Speculetur. Hoc eſt, Iacob vocauit etiam locum illum Miſpha, id eſt, ſpecula iſta. quoniam Laban dixerat, Aſpiciat Dominus &c. Vetera Latina exẽplaria S. Dionyſii, Germani & Victoris, Baſilienſis item editio non legunt, Et adiecit Laban.

QVANDO receſſerimus à nobis,) quum abſcondemur quiſque à ſocio ſuo. Hebraiſmus, pro, quando diſceſſerimus alter ab altero.

NVLLVS ſermonis noſtri teſtis eſt abſq; Deo, qui præſens reſpicit.) nemo eſt nobiſcũ, vide, Deus erit teſtis inter me & te. Id eſt, præſente Deo, & abſẽtibus hominibus polliceris te non afflicturum filias meas. Phraſis Hebraica.

ET lapis,&c. Deus Abraham.) Et ecce ſtatua quam erexi (ſiue, congeſtis lapidibus extruxi) inter me & te: teſtis erit aceruus iſte, & teſtis erit ſtatua iſta, quòd ego non tranſibo ad te (eundo ſcilicet,) aceruum iſtum & quòd nõ tranſgredieris ad me (veniendo ſcilicet,) aceruum iſtum & ſtatuam iſtam, in malum. Vel, ad inferendam iniuriam. Quaſi dicat, ego continebo me intra hos fines, & tu intra iſtos. neque alter alterius fines ingredietur, vt inferat alteri malum.

DEVS Nachor iudicet inter nos, deus patris eorum) dii Nachor iudicabunt inter nos, cum diis patris illorum. Dii Nachor, erant idola.

MANSERVNT ibi.) pernoctauerunt in ipſo monte.

DE nocte) diluculo. Vel, ſummo mane.

CAP. XXXII.

IACOB autem abiit in itinere quod cœperat. fuerúntque ei obuiam angeli Dei. Quos cum vidiſſet, ait, Caſtra Dei ſunt hæc. & appellauit nomẽ loci illius Mahanáim, id eſt Caſtra. Miſit autem & nuntios ante ſe ad Eſau fratrem ſuum in Terram-Seir, in Regionẽ-Edom: præcepítque eis, dicens, Sic loquimini domino meo Eſau, Hæc dicit frater tuus Iacob, Apud Laban peregrinatus ſum, & fui vſque in præſentem diem. Habeo boues & aſinos & oues, & ſeruos & ancillas: mittóque nunc legationem ad dominum meum, vt inueniã gratiam in conſpectu tuo.

IACOB autem) Iacob quoque. Sic etiam legunt vetera ſcripta exemplaria Latina S. Dionyſii & Germani.

CASTRA Dei) Apud Hebræos numero duali legitur, quaſi dicat, duo caſtra, humana & diuina, propter turmam ipſius Iacob, & angelorum turmam, quam miſit Deus vt tueretur ipſum Iacob aduerſus fratrem ſuum Eſau.

ID eſt Caſtra.) Hæc ab interprete adiecta ſunt, vt declararet quid ſibi vellet hæc vox Mahanáim. Eſt autem Mahanáim locus vltra Iordanem non procul à monte Galaad.

HAEC dicit frater tuus) Sic dicit ſeruus tuus. Quaſi dicat, Hæc ſeruus tuus Iacob vult tibi eſſe nota.

ET fui) & moratus ſum.

MITTOQVE nunc legationem ad dominum meum: vt inueniam, &c.) mittóque vt nuntiem domino meo, vt inueniam, &c. Multa hîc ſunt ſubaudienda, Et mitto nuntios vt nuntient domino meo aduentum meum, vt inueniam, &c. Alii aliud ſubaudiunt, Vt annuntiem domino meo quæcunque præcepit mihi Dominus.

VT inueniam gratiam in cõſpectu tuo.) Hebraiſmus, pro, Vt tibi ſim gratus.

Reuerſíque ſunt nuntii ad Iacob, dicentes, Venimus ad Eſau fratrem tuum, & ecce properat in occurſum tuum cum quadringentis viris. Timuit Iacob valde: & perterritus diuiſit populũ qui ſecum erat, greges quo-

que & oues & boues & camelos in duas turmas,dicens, Si venerit Eſau ad vnam turmam , & percuſſerit eam, 'alia turma quæ reliqua eſt,ſaluabitur. Dixítque Iacob, 'Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Iſaac : Domine qui dixiſti mihi, Reuertere in terram tuam,& in locum natiuitatis tuæ,& benefaciam tibi :'minor ſũ cunctis miſerationibus tuis,'& veritate tua quam exple uiſti ſeruo tuo.'in baculo meo tranſiui Iordanem iſtũ : & nunc'cum duabus turmis regredior.'Erue me de manu fratris mei Eſau, quia 'valde eum timeo : ne forte veniens 'percutiat matrem cum filiis. 'Tu locutus es quòd benefaceres mihi , & dilatares ſemen meum, ſicut arenam maris,quæ præ multitudine numerari non poteſt.

PROPERAT) pergit.

TIMVIT) Timuit itaque.

PERTERRITVS) anguſtiis affectus.

GREGES quoque) Iſta non leguntur Hebraice.

ALIA turma) In Hebraico codice præcedit Vau, quod hoc loco pro TVNC accipiendum eſt. Tunc alia turma.

Deus Abrahã — DEVS patris mei Abraham) Id eſt,quem coluit Abraham pater meus.

Miſeratio Dei. — MINOR ſum cunctis miſerationibus tuis,) Hebraiſmus, pro, Indignus eram in quem tanta beneficia conferres.

Veritas. — ET veritate) & omni veritate. Per veritatem,intelligit promiſſiones impletas. Quaſi dicat, Indignus ſum omnibus promiſſionibus tuis quas adimpleſti.

In baculo iſto. — IN baculo meo) Hebraice præcedit QVONIAM, vel QVIA, Quoniam in baculo meo. Id eſt, cum tranſirem Iordanem iſtum vt irem in Haran, nihil amplius habebam quàm baculum in manibus. Tropus eſt Hebraicus quo intelligitur nudum & tenuem eum tranſiſſe Iordanem. Chaldæus paraphraſtes vertit, Quia ſolus tranſiui Iordanem. Id eſt, ſine comitatu.

CVM duabus turmis regredior.) factus ſum in duas turmas. Id eſt, deduco mecum duas turmas.

ERVE me) Hebraice additur QVÆSO, Erue me quæſo.

VALDE) Hoc verbum Hebraice non legitur.

PERCVTIAT matrem) percutiat me, & matrem. Singulare pro plurali, matres.

TV locutus es) Tu quidem dixiſti mihi. Quaſi dicat, Vtcũque res habeat, pollicitus es mihi quòd &c.

Cúmq; dormiſſet ibi nocte illa, 'ſeparauit de his quæ habebat, munera Eſau fratri ſuo,capras ducentas, hircos viginti, oues ducentas, & arietes viginti, camelos 'fœtas cum pullis ſuis triginta, vaccas quadraginta, & tauros viginti, aſinas viginti,& pullos earum decem. Et

miſit per manus ſeruorum ſuorum ſingulos ſeorſũ greges, dixítque 'pueris ſuis, Antecedite me, & ſit ſpatium inter gregem & gregem. Et præcepit priori, dicens, Si obuium habueris fratrem meum Eſau, & interrogauerit te, Cuius es? aut, Quò vadis? aut, Cuius ſunt iſta 'quæ ſequeris? reſpõdebis, Serui tui 'Iacob, munera miſit domino ſuo Eſau: ipſe quoque poſt nos venit. Similiter dedit mandata ſecundo & tertio, & cũctis qui ſequebãtur greges, dicens, Iiſdem verbis loquimini ad Eſau cũ inueneritis eum. & addetis, Ipſe quoque ſeruus tuus Iacob iter noſtrum inſequitur. 'dixit enim, 'Placabo illum muneribus quæ præceduut, & poſtea videbo illum, 'forſitan propitiabitur mihi. Præceſſerunt itaque munera ante eum, ipſe verò manſit nocte illa in caſtris.

SEPARAVIT de his quæ habebat,) accepit ex eo quod veniebat in manum ſuam. Id eſt, quod in promptu habebat. Quæ veniebãt in manũ

FOETAS) lactantes. Vel nutrientes fœtus ſuos.

TAVROS viginti) iuuencos decem.

PVERIS ſuis,) ſeruis ſuis.

QVAE ſequeris?) quæ te præcedunt: Id eſt, quæ ducis.

IACOB, munera miſit domino ſuo Eſau:) Iacob munus eſt quod mittit domino meo ipſi Eſau.

DIXIT enim,) dicebat enim. Verba ſunt Moſis, Id eſt, cogitabat apud ſe quod ſequitur.

PLACABO illum muneribus quæ præcedunt,) Placabo iram eius munere quod præcedit me. Id eſt, reddam illum mihi propitium.

FORSITAN propitiabitur mihi.) fortaſſe ſuſcipiet faciem meam. Hebraiſmus eſt, pro, Fortaſſe ſuſcipiet me fronte hilari. Vel, honorifice excipiet. Suſcipere faciẽ alicuius.

Cúmque 'mature ſurrexiſſet, tulit duas vxores ſuas & totidem famulas cum vndecim filiis, & tranſiuit Vadum-iaboc. 'Traductíſque omnibus quæ ad ſe pertinebant, 'manſit ſolus: & ecce vir luctabatur cum eo 'vſq; mane. Qui cum videret quòd eum ſuperare non poſſet, 'tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit. Dixítque ad eum, Dimitte me: iam enim aſcendit aurora. Reſpondit, Non dimittã te niſi benedixeris mihi.

MATVRE) nocte ipſa. Vetus exemplar oblongum S. Dionyſii legit Mane.

TRADVCTISQVE omnibus quæ ad ſe pertinebant,) Traductíſque eis vltra torrentem, tranſmiſſiſque omnibus quæ habuit.

MANSIT ſolus:) Antiqui ſcripti codices Latini S. Dionyſii, Germani, & Vi-

ctoris, legunt Remanſit ſolus. Hebraice legitur, Relictus eſt ſolus. Subaudi, Iacob citra Iordanem.

VSQVE mane.) vſque ad exortum auroræ.

TETIGIT neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit.) tetigit acetabulum femoris eius, & os ipſum femoris dimouit ſe loco ſuo. Vox Hebræa CAPH, pro qua interpres vertit neruum, ſignificat vertebrã & cotylẽ, Id eſt, oſſis cauitatẽ illã in qua abſcõditur ſũma pars femoris, quod iſchium Græcis dicitur: & etiã caput illud femoris quod in iſchium inſeritur. Os igitur ipſum femoris quod in iſchiũ inſeritur, loco ſuo motum eſt, non acetabulum. Verti poteſt, Tetigit coxendicẽ, & luxata eſt coxendix. Eadem ſententia cum priore.

כף

Ait ergo, Quod nomen eſt tibi? Reſpondit, Iacob. At ille, Nequaquã, inquit, Iacob appellabitur nomen tuũ, ſed Iſrael: quoniam ſi cõtra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis? Interrogauit eum Iacob, Dic mihi, quo appellaris nomine? Reſpondit, Cur quæris nomen meum quod eſt mirabile? Et benedixit ei in eodem loco. Vocauítque Iacob nomen loci illius Phanûel, dicens, Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.

AIT ergo,) Ex Hebræo addendum, angelus ei.

APPELLABITVR) In Hebræo codice additur VLTRA. Quidam ſubintelligunt TANTVM: & ſic vertunt, Non tantum appellaberis Iacob poſthac, ſed etiam Iſrael.

SI contra Deum fortis fuiſti, quanto magis cõtra homines præualebis?) ſtrẽnue egiſti cum Deo, & cum hominibus, & præualuiſti. Vel, principem egiſti cum Deo, id eſt, in lucta ſuperior fuiſti angelo qui humanã perſonam ſuſtinebat: quãto magis præualebis hominibus? Ita Chaldæus paraphraſtes vertit, & LXX.

DIC mihi,) addendum QVÆSO ex Hebræo.

CVR quæris nomen meum quod eſt mirabile?) Quare interrogas de nomine meo? Hæc verba (quod eſt mirabile) Hebraice non leguntur, nec in ſcriptis Latinis codicibus S. Dionyſii & Germani, nec in editione Cõplutenſi & Baſilienſi.

VIDI Dominum) Hebraicè præcedit coniunctio rationalis QVIA, Quia vidi Deum. Vetera Latina exemplaria S. Germani & Dionyſii, editio item Complutenſis legunt DEVM.

Salua facta anima.

ET ſalua facta eſt anima mea.) & liberata eſt anima mea. Id eſt, animus meus liberatus eſt metu, vel, mortuus non ſum.

Ortúſque ei ſtatim ſol poſtquam trãſgreſſus eſt Phanûel: ipſe verò claudicabat pede. Quã ob cauſam non comedunt neruum filii Iſrael, qui emarcuit in femore Iacob vſque in præſentem diem: eo quòd tetigerit neruum femoris eius, & obſtupuerit.

PEDE.) ſuper femur ſuum. Id eſt, claudicabat altero pede.

NON comedunt neruum filii Iſrael qui &c.) non comedunt filii Iſrael muſculum contractionis, qui eſt ſuper acetabulum oſſis femoris, vſque ad hoc tẽpus: quia tetigit (ſub. angelus) acetabulum femoris (vel, coxendicem) Iacob, quod eſt

iuxta muſculum contractionis. Id eſt, non comedunt muſculum contrahentem ſeſe, & mouentem femur, qui muſculus eſt iuxta acetabulum oſſis femoris: quia angelus Dei tetigit acetabulum femoris, quod eſt iuxta muſculum mouentem femur.

CAP. XXXIII.

ELEVANS autem Iacob oculos ſuos, vidit venientem Eſau, & cum eo quadringẽtos viros: diuiſítque 'filios Liæ & Rachel, ambarúmque famularum: & poſuit vtrãque ancillam & liberos earum in principio: Liam verò, & filios eius 'in ſecundo loco: Rachel autẽ, & Ioſeph nouiſſimos. Et ipſe 'progrediẽs adorauit pronus in terrã ſepties, donec appropinquaret 'frater eius.

FILIOS Liæ & Rachel, ambarúmque famularum:) partim cum Lia, partim cum Rachele, & partim cum ancillis. Id eſt, Diſtribuit filios in tres ordines, cuique matri ſuos commendans.

IN ſecundo loco: Rachel autem, & Ioſeph nouiſſimos.) in poſteriore loco: Rachel autem & Ioſeph in poſtremo.

PROGREDIENS adorauit pronus) antecedens illos, inclinauit ſeſe.

FRATER eius) ad fratrem ſuum.

Currens itaque Eſau obuiam 'fratri ſuo, amplexatus eſt eum: 'ſtringénſque collum eius, & oſculans fleuit. Leuatíſque oculis vidit mulieres & 'paruulos earum, & ait, 'Quid ſibi volunt iſti? & ſi ad te pertinent? Reſpondit, 'Paruuli ſunt quos donauit mihi Deus ſeruo tuo. Et appropinquantes ancillæ & filii earum, incuruati ſunt. Acceſſit quoque Lia cum pueris ſuis: & cum ſimiliter 'adoraſſent, extremi Ioſeph & Rachel 'adorauerunt.

FRATRI ſuo,) illi.

STRINGENSQVE collum eius, & oſculans fleuit.) ruénſque ſuper collum eius, oſculatus eſt illum, & fleuerunt. Præ gaudio ſcilicet.

PARVVLOS) liberos.

QVID ſibi volunt iſti? & ſi ad te pertinent?) Quinam ſunt iſti tibi? Iſtud TIBI, ſignificat qui tecum ſunt. Aut potius vacare dicendum eſt hoc loco. quod eſt frequentiſſimum apud Hebræos. Tibi, vacans.

PARVVLI) liberi.

ADORASSENT,) inclinaſſent ſeſe.

ADORAVERVNT.) inclinauerunt ſeſe.

Dixítque Eſau, 'Quænam ſunt iſtæ turmæ quas obuiam habui? Reſpondit, 'Vt inuenirẽ gratiã coram domino meo. At ille ait, Habeo plurima frater mi, 'ſint tua tibi. Dixítque Iacob, Noli ita obſecro; ſed ſi inueni

gratiam in oculis tuis, 'accipe munuſculũ de manibus meis.'ſic enim vidi faciem tuam,quaſi viderim vultum Dei: eſto mihi propitius,'& ſuſcipe benedictionẽ quam attuli tibi,& quam donauit mihi Deus tribuens omnia. 'Vix fratre compellẽte ſuſcipiens ait, Gradiamur ſimul, eróque ſocius itineris tui.

QVAENAM ſunt iſtæ turmæ quas obuiam habui?) Quis eſt iſte ad quẽ mittis totam turmam iſtam quam obuiam habui?

VT inuenirem gratiam coram domino meo.) Id eſt, Hæc traxi mecum vt ea tibi dono darem,vt eſſem tibi gratioſus.

SINT tua tibi.) ſit tibi quod tuum eſt.Id eſt,ſerua tibi quod habes.

ACCIPE munuſculum de manibus meis.) accipe munus meum de manu mea. Id eſt, à me.

SIC enim vidi faciem tuam,quaſi viderim vultum Dei: eſto mihi propitius,) propterea aſpicio faciem tuam,ſicut aſpicerem faciem Dei:& places mihi.Quaſi dicat,Si acceperis munus meum ita gaudebo, támque libenter aſpiciam vultum tuum,quàm ſi aſpicerem vultum Dei aut angeli: vſqueadeo places mihi.

ET ſuſcipe benedictionem quam attuli tibi, & quam donauit mihi Deus tribuens omnia.) Accipe nunc(vel,obſecro)munus quod allatum eſt ad te: quoniam miſertus eſt mei Deus,ſúntque mihi omnia.Hebraiſmus eſt, pro, Ex benignitate Dei,omnia mihi abunde ſuppetunt.

VIX fratre compellente ſuſcipiens ait,Gradiamur ſimul,eróque ſocius itineris tui.) Coegit igitur eum,& accepit: dixítque, (ſub. ipſe Eſau) Proficiſcere (vel, proficiſcamur) & eamus,ibóque eregione tui. Id eſt,à latere tuo,& æquis paſſib[9]. ero comes itineris tui.

Dixítque Iacob,Noſti domine mi quòd paruulos habeã teneros,& oues & boues 'fœtas mecum:'quas ſi plus in ambulando fecero laborare,morientur vna die cuncti greges. 'Præcedat dominus meus ante ſeruum ſuũ: & ego 'ſequar paulatim veſtigia eius, ſicut videro paruulos meos poſſe, donec veniam ad dominum meum in Seir.Reſpondit Eſau, 'Oro te, vt de populo qui mecum eſt, ſaltem ſocii remaneant viæ tuæ. Non eſt, inquit,neceſſe: hoc vno tantum indigeo, vt inueniã gratiam in conſpectu tuo domine mi.

Super me. FOETAS mecum:) vel, lactantes ſuper me.Id eſt,quæ ſunt mihi curandæ.

QVAS ſi plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges.) & accelerabunt eas die vno,& morientur.Hebraiſmus eſt,pro,Quòd ſi accelerauerint eas etiam die vno citius quàm ſolitæ ſint ire,morientur omnes.

PRAECEDAT) Addendum,QVAESO.

Iuxta pedem operis. Opus. SEQVAR paulatim veſtigia eius,ſicut videro paruulos meos poſſe,) deducã pedetentim,iuxta pedẽ operis quod eſt ante me, & iuxta veſtigium paruulorum. Opus vocat vniuerſam familiam,potiſſimum greges & armenta.Id eſt, ſecundum quod videro familiam meam ambulare poſſe,greges & armenta.

ORO te, vt de &c. Reuerſus.) Relinquam nunc apud te ex populo qui mecũ eſt. Et ille reſpondit, Ad quid iſtud? inueniam gratiã in oculis domini mei. Quaſi dicat, ſatis mihi fuerit, ſi tibi gratus ſim.

Reuerſus eſt itaque illo die Eſau itinere quo venerat in Seir. Et Iacob venit in Socoth: vbi ædificata domo & fixis 'tentoriis, appellauit nomen loci illius Socoth, 'id eſt tabernacula. 'Tranſiuítque in Salem vrbẽ Sichimorum, quæ eſt in Terra-Chanáan, poſtquam reuerſus eſt de Meſopotamia Syriæ: & habitauit 'iuxta oppidum. Emítque partem agri in qua fixerat tabernacula, à filiis Hemor patris Sichem centum 'agnis. Et erecto ibi altari, 'inuocauit ſuper illud fortiſſimum Deum Iſrael.

TENTORIIS,) Adde ex Hebræo, gregi ſuo.

ID eſt tabernacula.) Hæc addidit de ſuo interpres, vt exponeret quid vox Socoth ſignificaret.

TRANSIVITQVE in Salem vrbem Sichimorum,) Tranſiuítque incolumis ad vrbem Sichem. Rectius per adiectiuũ SANVS, vel INCOLVMIS, vertes SALEM, quàm pro nomine proprio accipias.

IVXTA oppidum.) e regione illius vrbis. Id eſt, non procul ab ea vrbe.

AGNIS.) Vel, nummis.

INVOCAVIT ſuper illud fortiſſimum Deum Iſrael.) Vel, vocauit illud Fortis Deus Iſrael. Id eſt, fuit in ſignum quòd fortis Deus Iſrael liberaſſet eum.

CAP. XXXIIII.

EGRESSA eſt autẽ Dina 'filia Liæ vt videret mulieres regionis illius. Quam cum vidiſſet Sichem filius Hemor Heuæi, 'princeps terræ illius, 'adamauit eã: & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem. Et conglutinata eſt anima eius 'cũ ea, triſtémque deliniuit blanditiis. Et pergens ad Hemor patrem ſuum, Accipe, inquit, mihi puellam hanc coniugem.

FILIA Liæ) In Hebræo additur, quam pepererat ipſi Iacob.

PRINCEPS) Vel, principis. Rectius in nominatiuo.

ADAMAVIT eam:) Hæc verba non leguntur Hebraice.

CVM ea, triſtémque deliniuit blanditiis.) cum Dina filia Iacob: & dilexit puellam, locutúſque eſt ad cor puellæ. Vel, ſecundum animum puellæ. Id eſt, loquebatur amice cum ea, & verbis eam demulcebat, vt eam ad conſenſum ineundi coniugii inclinaret. Hebraiſmus eſt. Loqui ad cor alicuius.

Quod cum 'audiſſet Iacob abſentibus filiis, & in paſtu pecorum occupatis, ſiluit donec redirent. 'Egreſſo autem Hemor patre Sichem vt loqueretur ad Iacob, ecce filii eius veniebant de agro: auditóque quod 'acci-

h.i.

derat, irati ſunt valde, eo quòd fœdam rem operatus eſſet in Iſrael, '& violata filia Iacob rem illicitam perpetraſſet.

AVDISSET Iacob) Hebræi addunt, ipſum violaſſe filiam ſuam Dinam.

EGRESSO autẽ Hemor patre Sichem vt loqueretur ad Iacob, ecce filii eius veniebant de agro:) Egreſſus eſt ergo Hemor pater Sichem vt loqueretur ad Iacob: filii autem Iacob reuerſi erant ex agro.

ACCIDERAT, irati ſunt valde,)) Addenda quædam ex Hebræo: vbi ſic legitur, Acciderat, dolore affecti ſunt viri illi, & irati ſunt valde.

ET violata filia Iacob rem illicitam perpetraſſet) dormiendo, (vel, concumbendo) cum filia Iacob: quum non liceret ſic fieri. Chaldæus paraphraſtes vertit, Et ſic non erat rectum facere.

Locutus eſt itaque Hemor ad eos, 'Sichem filii mei adhæſit anima filiæ veſtræ: 'date eam illi vxorem. Et iũgamus viciſſim connubia: filias veſtras tradite nobis, & filias noſtras accipite. Et habitate nobiſcũ: 'terra in poteſtate veſtra eſt, exercete, negotiamini, & poſſidete eã. Sed & Sichem ad patrem & ad fratres 'eius ait, 'Inueniam gratiam coram vobis: & quæcunque ſtatueritis dabo. 'augete dotem, & munera poſtulate, & libẽter tribuam quod petieritis: 'tantum date mihi puellam hãc vxorem. Reſponderunt filii Iacob Sichem & patri eius in dolo, 'ſæuientes ob ſtuprum ſororis, Non poſſumus facere quod petitis, 'nec dare ſororem noſtram homini incircunciſo: 'quod illicitum & nephariũ eſt apud nos. Sed in hoc 'valebimus fœderari, ſi volueritis eſſe ſimiles noſtri, '& circũcidatur in vobis omnis maſculini ſexus. Tũc dabimus & accipiemus mutuò filias veſtras ac noſtras: & habitabimus vobiſcum, erimúſque vnus populus. Si autem circuncidi nolueritis, tollemus filiam noſtram, & recedemus. 'Placuit oblatio eorum Hemor, & Sichem filio eius. Nec diſtulit adoleſcens quin ſtatim quod petebatur expleret: amabat enim 'puellam valde, & ipſe erat inclytus in omni domo patris ſui.

SICHEM filii mei adhæſit anima filiæ veſtræ:) Sichem filii mei anima deperit filiam veſtram. Id eſt, filius meus Sichem deperit filiam veſtram. Vel, Filius meus ex animo diligit filiam veſtram.

DATE) date quæſo.

TERRA in poteſtate veſtra eſt, exercete, negotiamini, & poſſidete eam.) Ter-

ra erit coram vobis habitate, & negotiamini in ea, poſſeſſionéſque acquirite in ipſa. Hebraiſmus eſt, Terra erit in conſpectu veſtro, pro, In veſtra poteſtate erit: licebit vobis habitare in quocunque loco voletis. Terra coram vobis erit.

EIVS) ſcilicet Dinæ.

INVENIAM gratiam coram vobis:) Hebraiſmus, Sim vobis gratioſus, & annuite precibus meis. Inueniã gratiam.

AVGETE dotem,) augete mihi valde dotem.

TANTVM date) Vel, dummodo detis.

SAEVIENTES ob ſtuprum ſororis,) & dixerunt, eo quòd violaſſet Dinam ſororem ſuam, dixerunt inquam ad eos.

NEC dare) vt demus.

QVOD illicitum & nepharium eſt apud nos.) quia opprobrio eſſet nobis.

VALEBIMVS fœderari,) complacebimus vobis. Vel, acquieſcemus vobis hac conditione.

ET circuncidatur) Vt circuncidatur.

PLACVIT oblatio eorum Hemor) Placuerunt autẽ verba eorũ ipſi Hemor.

PVELLAM) filiam Iacob.

INCLYTVS in omni domo) honorabilior omnibus qui erant in domo.

'Ingreſſique portam vrbis, locuti ſunt ad populum, Viri iſti 'pacifici ſunt, '& volunt habitare nobiſcum: negotientur in terra, & exerceant eam, quæ ſpatioſa & lata cultoribus indiget: filias eorum accipiemus vxores, & noſtras illis dabimus. 'Vnum eſt quo differtur tantum bonum, 'Si circuncidamus maſculos noſtros, ritũ gentis imitantes. Et ſubſtantia eorum, & pecora, & cuncta quæ poſſident, noſtra erunt: tantum in hoc acquieſcamus, & habitantes ſimul, vnum efficiamus populũ. 'Aſſenſique ſunt omnes, circunciſis cunctis maribus.

INGRESSIQVE portam vrbis,) Ingreſſique Hemor & Sichem filius eius portam vrbis ſuæ.

PACIFICI ſunt,) quaſi dicat, Viri iſti hactenus pacifice vixerunt nobiſcum. Pacificus.

ET volunt habitare nobiſcum: negotientur in terra, & exerceant eam, quæ ſpatioſa & lata cultoribus indiget:) habitaturi ſunt itaque in hac regione, & negotiabuntur in ea: ipſa nanque terra ampla eſt locis coram eis. Id eſt, latiſſima eſt, & proinde eorum capax.

VNVM eſt quo differtur tantum bonum,) Veruntamen hac lege conſentient nobis viri vt habitent nobiſcum, vt ſimus populus vnus.

SI circuncidamus &c. Aſſenſique.) Si circuncidamus omnes maſculos noſtros, ſicut ipſi circunciſi ſunt. Pecora illorum, & poſſeſſio illorum, atque omnia iumenta illorum nónne noſtra erunt, ſi modo acquieuerimus illis, & habitabunt nobiſcum:

ASSENSIQVE ſunt omnes, circunciſis cunctis maribus.) Aſſenſique ſunt ipſi Hemor & Sichem filio eius, omnes egredientes portam ciuitatis ipſius: & circunciderunt ſe omnes maſculini ſexus, egredientes portam ciuitatis eius. Id eſt, vrbis eius ciues. Egrediẽs portam ciuitatis.

Et ecce, die tertio 'quando grauiſſimus vulnerum dolor eſt, arreptis, duo filii Iacob, Simeon & Leui fratres

Dinæ, gladiis, ingreſſi ſunt vrbem 'confidenter: interfectíſque omnibus maſculis, Hemor & 'Sichem pariter necauerunt, tollentes Dinam de domo Sichem ſororē ſuam. Quibus egreſſis 'irruerunt ſuper occiſos cæteri filii Iacob: & depopulati ſunt vrbem 'in vltionem ſtupri. Oues eorum & armenta, & aſinos, cunctáque 'vaſtantes quæ in domibus & in agris erant, paruulos quoque eorum & vxores duxerunt captiuas.

QVANDO grauiſſimus vulnerum dolor eſt,) dum erant dolore oppreſſi.

CONFIDENTER) Chaldæus paraphraſtes vertit, Quæ habitabat confidenter. Id eſt, quæ nihil tale cogitabat.

SICHEM pariter necauerunt &c.) Sichem filium eius pariter necauerunt in

In ore gladii. ore gladii. Hebraiſmus, pro, necauerunt gladio, vel acuto gladio, aut acie gladii.

IRRVERVNT ſuper occiſos) venerunt ad eos qui occiſi erant.

IN vltionem ſtupri.) eo quòd polluerant ſororem ſuam.

VASTANTES quæ in domibus) rapientes quæ in ciuitate.

Quibus perpetratis 'audacter, Iacob dixit ad Simeon & Leui, Turbaſtis me, '& odioſum feciſtis me Chananæis & Pherezæis habitatoribus terræ huius. nos pauci ſumus: illi congregati percutient me, & delebor ego & domus mea. Reſponderunt, Nunquid vt ſcorto abuti 'debuêre ſorore noſtra?

AVDACTER,) Hæc dictio non legitur Hebraice hoc loco.

Fœtere facere aliquem. ET odioſum feciſtis me &c.) propterea quòd fœtere feciſtis me apud Chananæos &c. Id eſt odioſum & execrabilem reddidiſtis me Chananæis &c. Hebraiſm' eſt, cui contrarium eſt quod Paulus ait, 2. Corint. 2. d, CHRISTI bonus odor ſumus: pro, Accepti ſumus CHRISTO.

DEBVERE) debuerat.

CAP. XXXV.

INterea locutus eſt Deus ad Iacob, Surge, & aſcende de Beth-el, & habita ibi, 'fácque altare Deo qui

28.c. apparuit tibi quando fugiebas Eſau fratrem tuum. Iacob verò conuocata omni 'domo ſua, ait, Abiicite deos alienos qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra. 'Surgite, & aſcendamus in Beth-el, 'vt faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & 'ſocius fuit itineris mei. Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebāt, & inaures quæ erant in auribus eorum: at ille 'infodit eas

ſubter 'terebinthum,quæ eſt 'poſt vrbem Sichem.

FACQVE altare) ſacque ibi altare.
DOMO ſua,) Ex Hebræo addendum, Et omnibus qui erant ſecum.
SVRGITE,) Surgamus.
VT faciamus) & faciam. Hic ET pro VT poſitum.
SOCIVS fuit itineris mei) Fuit mecum in via quam ambulaui. Id eſt, in ea peregrinatione quam ſuſceperam.
INFODIT eas) infodit ea. neutro genere pluraliter.
TEREBINTHVM,) quercum.
POST vrbem Sichem.) iuxta Sichem.

Cúmque profecti eſſent, terror Dei inuaſit omnes per
circuitum ciuitates, & 'non ſunt auſi perſequi receden-
tes. Venit igitur Iacob Luzam, quæ eſt in Terra-Cha-
náan, 'cognomento Beth-el: ipſe & omnis populus 'cum
eo. AEdificauítque ibi altare, '& appellauit nomen loci
illius 'Domus-Dei: ibi enim ‖ 'apparuit ei Deus cum fu- ſ.28.c.
geret fratrem ſuum. Eodem tempore mortua eſt De-
bora nutrix Rebeccæ, & ſepulta eſt ad radices Beth-el
ſubter quercum: 'vocatúmque eſt nomen loci illius
Quercus-fletus.

NON ſunt auſi perſequi recedentes.) non ſunt perſecuti filios Iacob.
COGNOMENTO Beth-el:) ipſa eſt Beth-el.
CVM eo.) qui cum eo erat.
ET appellauit) Quidam vertunt, Iam vero vocauerat locum illum Deus Beth-el: quum ſcilicet iret in Meſopotamiam.
DOMVS-Dei:) Deus-Beth el.
APPARVIT ei Deus) apparuerant ei angeli.
VOCATVMQVE eſt) & vocauit.

'Apparuit autem iterum Deus, Iacob ‖ 'poſtquam re- ſ.31.f.
uerſus eſt de Meſopotamia Syriæ, '& venit in Beth-el,
benedixítque ei, 'dicẽs, Non vocaberis vltrà Iacob, ſed
Iſrael erit nomẽ tuum. Et appellauit eum Iſrael, dixít-
que ei, Ego Deus 'omnipotens, creſce & multiplicare:
gentes, & populi nationum ex te erunt, 'reges de lum-
bis tuis egredientur. Terrámque quam dedi Abraham
& Iſaac, dabo tibi & ſemini tuo poſt te. 'Et receſſit ab
eo: Ille verò erexit titulum lapideum in loco quo locu-
tus fuerat ei Deus: libans ſuper eum libamina, & effun-
dens oleum: 'vocánſque nomen loci illius Beth-el.

APPARVIT) Apparuerat. Per præteritum plus quàm perfectum vertẽdus hic totus verſus.

POSTQVAM reuerſus eſt) quum rediret.

ET venit in Beth-el) Hæc verba Hebraice non leguntur, neque in ſcriptis exemplaribus antiquis S. Dionyſii, Germani, & Victoris, neque etiam in Complutenſi editione.

DICENS,) Ex Hebraico codice addendum, Nomen tuum eſt Iacob.

OMNIPOTENS, creſce & multiplicare:) Quaſi dicat, nihil eſt difficile apud me. crede me omnia poſſe, benedictiõe mea efficietur vt creſcas & multipliceris

REGES) & reges.

ET receſſit ab eo: ille) Et receſſerat ab eo Deus è loco in quo locutus fuerat ſecum: ille vero, &c.

VOCANSQVE) Vel, iam verò vocauerat.

'Egreſſus autem inde venit verno tempore ad terrã quæ ducit Ephrátham: in qua cum parturiret Rachel, ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixítque ei obſtetrix, Noli timere, quia & hunc habebis filium. Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filii ſui Ben-oni, 'id eſt filius doloris mei: pater verò appellauit eum Ben-iamin, id eſt filius dexteræ. Mortua eſt ergo Rachel, & ſepulta eſt in via quæ ducit Ephrátham, hæc eſt Beth-lehem. Erexítque Iacob 'titulum ſuper ſepulchrum eius: 'hic eſt titulus monumenti Rachel, vſque in præſentem diem.

EGRESSVS autem inde, &c. Dixítque.) Profecti ſunt itaque è Beth-el: quum autem reſtaret itineris quantum miliare capit, antequã peruenniretur in Ephrátha, parturire cœpit Rachel: & difficultatem habuit in pariendo. Factúmque eſt, quum difficultate partus laboraret, dixit. Quidam, pro, Quantum miliare capit, vertunt, Quantum confici poteſt poſt vnum paſtum.

ID eſt filius doloris mei:) Hæc ab interprete adiecta, vt exprimeret quid Benoni ſignificaret. Idem addidit & paulò poſt, Id eſt filius dexteræ: vt exponeret hanc vocem Ben-iamin.

TITVLVM) Vel, ſtatuam.

HIC eſt titulus, &c.) Vel, ea eſt ſtatua quæ vocatur ſtatua ſepulchri Rachel.

'Egreſſus inde fixit tabernaculum trãs 'Turrem-gregis. Cúmque habitaret in illa regione, abiit Ruben, & dormiuit cum Bala concubina patris ſui: quod illũ minime latuit. Erant autem filii Iacob duodecim. Filii Liæ: primogenitus Ruben, & Simeon & Leui & Iudas & Iſſachar & Zabulon. Filii Rachel: Ioſeph & Ben-iamin. Filii Balæ ancillæ Rachelis: Dan & Nephthali. Filii Zelphæ ancillæ Liæ: Gad & Aſer. hi ſunt filii Iacob qui nati ſunt ei in Meſopotamia Syriæ.

EGRESSVS inde) Egreſſus Iſrael inde.
TVRREM gregis.) Turrem-Eder.

'Venit etiam ad Iſaac patrem ſuum in Mambre,'Ciuitatem-Arbee, hæc eſt Hebron: in qua peregrinatus eſt Abraham & Iſaac. Et completi ſunt dies Iſaac cẽtum octoginta annorum. Conſumptúſque ætate, mortuus eſt:& appoſitus eſt populo ſuo ſenex & plenus dierum: & ſepelierunt eum Eſau & Iacob filii ſui.

VENIT etiam ad Iſaac) Peruenit itaque Iacob ad Iſaac.
CIVITATEM-Arbee,) quæ dicebatur Cariath-arbe.

CAP. XXXVI.

HAE ſunt autẽ generationes Eſau, 'ipſe eſt Edom. Eſau accepit vxores de filiabus Chanáan: 'Ada filiam Elon Hethæi, & 'Oolíbama filiam Anæ 'filii Sebeon Heuæi: Báſemath quoque filiam Iſmael ſororem Nabaioth.‖'Peperit autem Ada, Eliphaz: Báſemath genuit Rahuel: Oolíbama 'genuit Iehus & Ihelom & Core. hi filii Eſau qui nati ſunt ei in Terra-Chanáan. 1.Paralip.1.c.

IPSE eſt Edom.) Vel, cognomento Edõ. Aut, qui alio nomine dicitur Edom.
ADA) Hæc cap.26.g, dicitur Báſemath.
OOLIBAMA) Hæc capite 26.g, dicitur Iudith. ex hoc annotant Hebræi etiã mulieres habuiſſe interdum diuerſa nomina. Binomiæ mulieres.
FILII Sebeon) Legendum eſt filiæ, genere fœminino, ex antiquis codicib^9 S. Dionyſii & Germani. Ex Hebræo, vertendum filiam, in accuſatiuo, id eſt neptẽ.
PEPERIT autem Ada) Ex Hebræo addendum, ipſi Eſau.
GENVIT Iehus) peperit Iehus.

Tulit autem Eſau vxores ſuas & filios & filias, &'omnem animam domus ſuæ,'& ſubſtantiam, & pecora, & cuncta quæ habere poterat in Terra-Chanáan: & 'abiit in alterã regionem, receſſitque à fratre ſuo Iacob. ‖Diuites enim erant valde, & ſimul habitare non poterant: nec ſuſtinebat eos terra peregrinationis eorũ præ multitudine gregum. Habitauítque Eſau in Monte-Seir, 'ipſe eſt Edom. 3.23.a.

OMNEM animã domus ſuæ,) Singulare pro plurali, Omnes animas domus ſuæ. Id eſt, omnes homines domus ſuæ, omnes domeſticos ſuos. Anima:
ET ſubſtantiam, & pecora, & cuncta quæ habere poterat) & armenta ſua, & pecora, & omnem poſſeſſionem quam acquiſierat.
ABIIT in alterũ regionem, receſſitque à fratre ſuo Iacob.) abiit in terram propter Iacob fratrem ſuum. Id eſt, Longius, vel vltra progreſſus eſt, Longius per-

rexit in ipſã regionẽ. Chaldæus paraphraſtes vertit, Et abiit in aliam regionem.
IPSE eſt Edom.) Hebraice legitur, Eſau ipſe eſt Edom. Id eſt, Eſau alio nomine dicebatur Edom.

1.Par.1.c. ‖Hæ autem ſunt generationes Eſau 'patris Edom 'in Monte-Seir, & hæc nomina filiorum eius: Eliphaz filius Ada vxoris Eſau: Rahuel quoque filius Báſemath vxoris eius. Fuerúntque Eliphaz filii: Theman, Omar, Sepho, & Gatham, & Cenez '& Core. Erat autẽ Thamna, concubina Eliphaz filii Eſau: quæ peperit ei Amalec. hi ſunt filii Ada vxoris Eſau. Filii autem Rahuel: Nahath & Zara, Samma & Meza. hi filii Báſemath vxoris Eſau. Iſti quoque erant filii Oolíbama filiæ Anæ filii Sebeon, vxoris Eſau, quos genuit ei, Iehus & Ihelom & Core.

Pater Edom. PATRIS Edom) Id eſt, qui fuit author & origo Idumæorum, à quo traxerunt originem Idumæi.
IN Monte-Seir) ſubaudi, habitantis.
ET Core.) Hæc nõ legitur Hebraice, neque in vtroque ſcripto veteri codice S. Dionyſii, neque in oblongo S. Germani, neque in editione Baſilienſi. de quo & Correctorium Sorbonicum admonet.

Hi duces filiorum Eſau. Filii Eliphaz primogeniti Eſau: dux Theman, dux Omar, dux Sepho, dux Cenez, dux Core, dux Gatham, dux Amalec. 'hi filii Eliphaz in Terra-Edom, & hi filii Ada. Hi quoque filii Rahuel filii Eſau: dux Nahath, dux Zara, dux Samma, dux Meza. 'hi autẽ duces Rahuel in Terra-Edom: iſti filii Báſemath vxoris Eſau. Hi autem filii Oolíbama vxoris Eſau: dux Iehus, dux Ihelom, dux Core. hi duces Oolíbama filiæ Anæ vxoris Eſau. 'Iſti ſunt filii Eſau, & hi duces eorum: 'ipſe eſt Edom.

HI filii Eliphaz) hi duces ex Eliphaz. Vel, principes.
HI autem duces Rahuel) hi inquam principes nati ex Rahuel.
Filii pro nepotibus. ISTI ſunt filii Eſau,) Filios vocat nepotes, more ſcripturæ. ſic Matthæi primo, Filii Dauid, filii Abraham.
IPSE eſt Edom.) Id eſt, Iſte Eſau alio nomine dicebatur Edom, à quo deſcẽderunt Idumæi.

Iſti ſunt filii Seir Horræi, 'habitatoris terræ: Lotan & Sobal & Sebeon & Ana & Diſon & Aſer & Diſan. hi duces Horræi, filii Seir in Terra-Edom. Facti ſunt autẽ

filii Lotan: Hori & Hemam. erat autē ſoror Lotan, Thamna. Et iſti filii Sobal: Aluan & Manahath & Ebal, & Sepho & Onam. Et hi filii Sebeon: Aia & Ana. Iſte eſt Ana qui inuenit aquas calidas in ſolitudine, cū paſceret aſinas Sebeon patris ſui. Habuítq; filiū Diſon, & filiā Oolibama. Et iſti filii Diſon: Hamdan & Eſeban & Iethran & Charan. Hi quoque filii Eſer: Balaan & Zauan & Acan. Habuit autem filios Diſan: Hus & Haran. Hi duces Horræorū: dux Lotan, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana, dux Diſon, dux Eſer, dux Diſan: iſti duces Horræorum qui imperauerunt in Terra-Seir.

HABITATORIS terræ:) habitatores terræ, plurali numero, conſentientibus ſcriptis codicibus S. Germani, Dionyſii; Victoris, & Moguntinenſi editione. Id eſt, qui habitabant in ea regione.

AQVAS calidas) mulos. Id eſt, ipſe pater adinuenit quómodo procrearentur muli. eſt enim generatio artificialis, non naturalis ex aſina: enim & equo procreantur.

FILIAM Oolibama.) Addunt Hebræi, filiam Anæ.

QVI imperauerunt in Terra-Seir.) Secundum duces ſuos in Terra-Seir. Id eſt, numerū ineundo eorū qui ex illis principes fuerunt & duces in Terra-Seir.

Reges autem qui regnauerunt in Terra-Edom antequàm haberent regem filii Iſrael, fuerunt hi: Bela filius Beor, noménque vrbis eius Denába. Mortuus eſt autē Bela, & regnauit pro eo Iobab filius Zaræ de Boſra. Cúmque mortuus eſſet Iobab, regnauit pro eo Huſam de terra Themanorum. Hoc quoque mortuo regnauit pro eo Adad filius Badad, qui percuſſit Madian in Regione-Moab: & nomē vrbis eius Auith. Cúmque mortuus eſſet Adad, regnauit pro eo Semla de Maſreca. Hoc quoque mortuo regnauit pro eo Saul de fluuio Rohoboth. Cúmque & hic obiiſſet, ſucceſſit in regnum Balanan filius Achobor. Iſto quoque mortuo regnauit pro eo Adar, noménque vrbis eius Phau: & appellabatur vxor eius Meetabel, filia Matred filiæ Mezaab. Hæc ergo nomina ducum Eſau in cognationibus, & locis, & vocabulis ſuis: dux Thamna, dux Alua, dux Ietheth, dux Oolíbama, dux Ela, dux Phinon, dux Cenez, dux

Theman, dux Mabſar, dux Magdiel, dux Hiram: hi duces Edom habitantes in terra imperii ſui, ipſe eſt Eſau pater Idumæorum.

Percuſſit Madian.

PERCVSSIT Madian) Id eſt, Madianitas vicit.

DE fluuio Rohoboth.) Chaldæus paraphraſtes vertit, De Rohoboth quæ eſt ſuper Euphraten.

HABITANTES in terra &c. ipſe) cũ habitationibus ſuis in terra poſſeſſionis ſuæ. Id eſt, cum vrbibus quas incoluerunt in regione quam poſſidebant.

CAP. XXXVII.

HABITAVIT autem Iacob in Terra-Chanáan, in qua pater ſuus peregrinatus eſt. Et hæ ſunt generationes eius: Ioſeph cum ſedecim eſſet annorum, paſcebat gregem cum fratribus ſuis adhuc puer: & erat cum filiis Balæ & Zelphæ vxorum patris ſui: accuſauítque fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo. Iſrael autem diligebat Ioſeph ſuper omnes filios, eo quòd in ſenectute genuiſſet eum: fecítque ei tunicam polymitam. Videntes autem fratres eius quòd à patre plus cũctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacifice loqui.

Generatio.

ET hæ ſunt generationes eius:) Et hæc ſunt quæ euenerunt ipſi Iacob. Ita debet verti. Quidam putant referri debere ad generationem: verùm verior eſt prior opinio.

SEDECIM) Septemdecim.

ACCVSAVÍTQVE fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo.) retulítque ſermonem ipſorum malum patri ſuo. Id eſt, conqueſtus eſt apud patrem ſuum de probris quibus afficiebant eum fratres eius.

EO quòd in ſenectute genuiſſet eum:) eo quòd filius ſenectutis eius eſſet. Hebraiſmus, quem reddidit interpres. Quidam exponunt, quòd delectaretur eo in ſenectute. Chaldæus paraphraſtes, quòd ſenilem prudentiam referret.

TVNICAM polymitam.) Id eſt, tunicam figuratam, & pictam: hoc eſt, ex variis liciis confectam.

CVNCTIS filiis) cunctis fratribus.

Accidit quoque vt viſum ſomnium referret fratribus ſuis, quæ cauſa maioris odii ſeminarium fuit. Dixítque Ioſeph fratribus ſuis, Audite ſomnium meum quod vidi, Putabam nos ligare manipulos in agro: & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare, veſtróſq; manipulos circunſtantes adorare manipulum meum. Reſponderũt fratres eius, Nunquid rex noſter eris? aut ſubiiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo cauſa ſomniorum

atque ſermonum, inuidiæ & odii fomitem miniſtrauit.

DIXITQVE Ioſeph fratribus ſuis,) Dixitque ad eos. It legunt ſcripta Latina exemplaria S. Dionyſii, Germani & Victoris.

AVDITE ſomnium) Audite quæſo ſomnium.

ADORARE manipulum meum.) ſe incuruare coram manipulo meo. Honoris ſcilicet cauſa.

RESPONDERVNT fratres) Reſponderunt ei fratres.

HAEC ergo &c.) Maiore itaque odio perſecuti ſunt eum propter ſomnia & verba eius.

Aliud quoque vidit ſomnium, quod narrans fratribus, ait, Vidi per ſomnium *quaſi ſolem, & lunã, & ſtellas vndecim *adorare me. Quod cum patri ſuo, & fratribus retuliſſet, increpauit eũ pater ſuus, & *dixit, Quid ſibi vult hoc ſomniũ quod vidiſti? nũ ego & mater tua, & fratres tui *adorabimus te ſuper terrã? Inuidebant ei igitur fratres ſui: pater verò rem tacitus conſiderabat.

QVASI) Hebraice non legitur hæc dictio.

ADORARE me.) incuruare ſe mihi.

DIXIT, Quid) dixit ei, Quid.

ADORABIMVS te) incuruabimus nos coram te.

Cúmq; fratres illius in paſcendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Iſrael, Fratres tui paſcunt oues in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo reſpondente, Præſto ſũ: ait ei, Vade, *& vide ſi cuncta proſpera ſint erga fratres tuos, & pecora: & renuntia mihi quid agatur. Miſſus de Valle-Hebron, vênit in Sichem: inuenítque eũ vir errãtem in agro, & interrogauit quid quæreret. At ille reſpondit, Fratres meos quæro, *indica mihi vbi paſcant greges. Dixítque ei vir, Receſſerũt de loco iſto: audiui autem eos dicentes, Eamus in Dothain. Perrexit itaque Ioſeph poſt fratres ſuos, & inuenit eos in Dothain. Qui cum vidiſſent eum procul, antequam accederet ad eos, *cogitauerunt illum occidere. Et mutuò loquebantur, Ecce *ſomniator venit, venite occidamus eum, & mittamus * in ciſternam veterem: dicemúſque, Fera peſſima deuorauit eum. & *tunc apparebit quid illi proſint ſomnia ſua. Audiens autem hoc Ruben, *nitebatur liberare eum de manibus eorum, &

dicebat, Non interficiamus animam eius, nec effundamus ſanguinem: ſed proiicite eum in ciſternam veterẽ, quæ eſt in ſolitudine, manúſque veſtras ſeruate innoxias. hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri ſuo.

Vide pacẽ fratrũ tuorum.

ET vide ſi cuncta proſpera ſint erga fratres tuos, & pecora:) & vide pacẽ fratrum tuorum, & pacem pecorum. Id eſt, quo pacto valeant fratres tui, & quo pacto ſe habeant oues. Hebraiſmus eſt.

INDICA mihi) indica quæſo mihi.

COGITAVERVNT) Vel, conſilium inierunt, ſiue machinati ſunt.

SOMNIATOR venit, venite) Dominus ſomniorũ venit, Nunc igitur venite.

IN ciſternã veterẽ) in vnam ciſternarum. vel, in ciſternã aliquam, aut foueã.

TVNC apparebit quid illi proſint ſomnia ſua.) & videbimus quid futurũ ſit ex ſomniis eius. Chaldæus paraphraſtes vertit, Et videbimus quis erit finis ſomniorum eius. Id eſt, euentum ſomniorum eius.

NITEBATVR liberare) liberauit. Id eſt, conatus eſt liberare eum.

NON interficiamus animam eius,) Non percutiamus eum (ſub. percuſſione) animæ. Id eſt, non occidamus eum.

NEC effundamus) nec effuderitis.

IN ciſternam veterem,) in ciſternam hanc. Vetera exẽplaria Latina S. Dionyſii, Germani, & Victoris ſic legunt, conſentiente Complutenſi editione.

SERVATE innoxias.) ne mittatis in eum.

Cõfeſtim igitur vt peruẽnit ad fratres ſuos, nudauerunt eum tunica talari, & polymita: miſerúntque eum in ciſternam veterem, quæ non habebat aquam. Et ſedentes vt comederent panem, viderũt Iſmaelitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & reſinam, & ſtacten in AEgyptum. Dixit ergo Iudas fratribus ſuis, Quid nobis prodeſt ſi occiderimus fratrem noſtrum, & celauerimus ſanguinem ipſius? Melius eſt vt venundetur Iſmaelitis, & manus noſtræ non polluantur: frater enim, & caro noſtra eſt. Acquieuerunt fratres ſermonibus illius. ¶Et prætereũtibus Madianitis negotiatoribus, extrahẽtes eum de ciſterna, vendiderunt eum Iſmaelitis triginta argenteis: qui duxerunt eum in AEgyptum.

Sap 10.c. pſal. 104.b.

PERVENIT ad fratres ſuos.) peruenit Ioſeph ad fratres ſuos.

TVNICA talari, & polymita:) tunica ſua, tunica illa diſcolori, qua tegebatur.

IN ciſternam veterem,) in ciſternam vacuam. Sequentibus verbis declarat vocem hanc vacuam: In qua (inquit) non erat aqua.

VT comederent panem,) Id eſt, vt cibum ſumerent.

ISMAELITAS viatores) turmam Iſmaelitarum.

AROMATA, & reſinam, & ſtacten, in AEgyptũ.) Vel, opobalſamum, ceram, & lachrymam myrrhæ. Poſt hæc verba, additur in Hebraico codice, Ibant autem vt deferrent illa in AEgyptum.

ET celauerimus ſanguinem ipſius?) Id eſt, occultauerimus mortem eius?

MELIVS eſt vt vænundetur) Agite, vendamus eum.

TRIGINTA) Hebraice legitur viginti, conſentientibus Latinis exemplaribus ſcriptis S. Dionyſii & Germani, Moguntinenſi quoque & Complutenſi editionibus. De quo admonet etiam Correctorium Sorbonicum.

Reuerſúſque Ruben ad ciſternam, non inuenit puerum: & ſciſſis veſtibus pergens ad fratres ſuos, ait, Puer non compâret, & ego quò ibo? Tulerunt autem tunicam eius, & in ſanguinem hœdi quem occiderant, tinxerunt: 'mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent, Hanc inuenimus: vide vtrum tunica filii tui ſit, an non. Quam cum 'cognouiſſet pater, ait, Tunica filii mei eſt, fera peſſima comêdit eũ, 'beſtia deuorauit Ioſeph. Sciſſiſque veſtibus, 'indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore. Congregatis autem 'cunctis liberis eius vt lenirent dolorem patris, noluit conſolationem accipere: ſed ait, Deſcendam ad filium meũ lugens 'in infernũ. 'Et illo perſeuerante in fletu, Madianitæ vendiderunt Ioſeph in AEgypto Phutiphari 'eunucho Pharaonis magiſtro 'militum.

MITTENTES qui ferrent ad patrem,) mittentes qui ferrent tunicam illam diſcolorem ad patrem. Id eſt, compoſitam ex variis particulis variorũ pannorũ.

COGNOVISSET) agnouiſſet. Sic etiam legunt vetera ſcripta exemplaria S. Dionyſii, Germani, & Victoris.

BESTIA deuorauit Ioſeph.) laceratus eſt filius meus Ioſeph.

INDVTVS eſt cilicio,) poſuit ſaccum ſuper lumbos ſuos.

CVNCTIS liberis eius) cunctis filiis & cunctis filiabus eius.

IN infernum.) in foſſam. Vel, in ſepulchrum. non enim hîc ſignificat locum pœnarum. Id eſt, filio meo mortuo, non poſſum amplius viuere. Infernus.

ET illo perſeuerante in fletu, Madianitæ vendiderunt) Pleuit itaque propter ipſum pater eius. Madianitæ autem vendiderunt.

EVNVCHO) Vel, principi.

MILITVM.) laniorum. Hîc Phutiphar princeps laniorum vocatur, quòd is præfectus eſſet coquis & pecorum mactatoribus, quos Pharao habuit in aula ſua. Alii vero, Chaldæum paraphraſtem ſequentes, putant illum principem fuiſſe ſicariorum atque militum: ſed quomodo his, eunuchus & effœminatus præfici potuit? LXX verterunt, magiſtro coquorum.

CAP. XXXVIII.

EODEM tempore deſcẽdens Iudas à fratribus ſuis, diuertit 'ad virũ Odollamiten, nomine Hiran. Vi-

dítque 'ibi filiam hominis'Chananæi,'vocabulo Sua:& accepta vxore,ingreſſus eſt ad eam.‖Quæ cócepit,& peperit filium, & 'vocauit nomen eius Her. Rurſúmque concepto fœtu,natum filium 'vocauit Onan. Tertium quoque peperit: quem 'appellauit Sela. 'quo nato, parere vltrà ceſſauit.

1.Par.2.a.

EODEM tempore deſcendens) Accidit autem eo tempore, vt deſcenderet Iudas. Vel,Sub id tempus. Dicunt enim Hebræi id accidiſſe ante venditionem Ioſeph. Deſcendit, inquit,quia declinauit verſus plagam meridionalem. Latine ſic redderetur,Sub id tempus,Iudas relictis fratribus ſuis diuertit ad,&c.

AD virum) Id eſt,ad ciuem.

IBI filiam) ibi Iudas filiam.

CHANANAEI,) Vel,mercatoris,vt Chaldæus paraphraſtes vertit.

Sua. VOCABVLO Sua:) qui vocabatur Sua.Nomen viri eſt Sua,non fœminæ.

VOCAVIT) ſcilicet Iudas. Vel,vocatus eſt.

VOCAVIT Onan.) illa ſcilicet.eſt enim verbum fœmininũ apud Hebræos.

APPELLAVIT) illa ſcilicet.verbum eſt fœmininum Hebraice.

QVO nato, parere vltra ceſſauit.) & erat in Chezib, quando peperit ipſa eũ, Chezib,vrbs eſt Palæſtinæ.

Chezib.

Dedit autem Iudas vxorem primogenito ſuo Her, nomine Thamar. ‖Fuit quoque Her primogenitus Iudæ,'nequam in conſpectu Domini: &'ideo'ab eó occiſus eſt. Dixit ergo Iudas ad Onan 'filium ſuum,Ingredere ad vxorem fratris tui,&'ſociare illi: 'vt ſuſcites ſemen fratri tuo. Ille ſciens'non naſci ſibi filios, introiẽs ad vxorem fratris ſui,ſemen fundebat in terram:'ne liberi, fratris nomine naſcerentur. 'Et idcirco percuſſit eum Dominus, eo quòd rem deteſtabilẽ faceret. Quã ob rem dixit Iudas Thamar nurui ſuæ, Eſto vidua in domo patris tui, donec creſcat Sela filius meus. 'timebat enim ne & ipſe moreretur, ſicut fratres eius. Quæ abiit, & habitauit in domo patris ſui.

Num.26.c.

Nequam in cóſpectu Domini. NEQVAM in conſpectu Domini:) Id eſt,diſplicuit Domino malitia eius,nota fuit Deo:Hoc eſt,fuit inſigniter malus,fuit nequiſſimus.

IDEO) Hæc dictio non legitur Hebraice, neque in veteribus ſcriptis Latinis codicibus S. Dionyſii & Germani.

AB eo) à Domino.

FILIVM ſuum,) Hæc verba non leguntur Hebraice.

SOCIARE illi:) Vel,accipe eam in vxorem.

Suſcitare ſemẽ fratri ſuo. VT ſuſcites ſemen fratri tuo.) Id eſt, inſtaures poſteritatem fratri tuo. Hoc eſt,procrees liberos qui cenſebuntur filii fratris tui. & de nomine eius vocabuntur.

NON naſci ſibi filios,) quòd non futurum eſſet ſuum ſemen. Chaldæus pa-

raphraſtes vertit, Quòd ſuo nomine non vocaretur ſemen. id eſt filius quē procreaturus eſſet.

NE liberi, fratris nomine naſcerentur.) vt non ſuſcitaret ſemen fratri ſuo. Id eſt, ne procrearet liberos qui vocarentur de nomine fratris ſui defuncti.

ET idcirco percuſſit eum Dominus, eo quòd rem deteſtabilem faceret.) Et diſplicuit in oculis Domini quod ille fecerat: ideo occidit etiam illum.

TIMEBAT enim ne & ipſe moreretur,) dicebat enim, (ſubaudi, non dabo filium) ne forte & ipſe moriatur.

Euolutis autē multis annis mortua eſt Sua vxor Iudæ: qui poſt luctum conſolatione ſuſcepta, aſcendebat ad tonſores ouium ſuarum, ipſe & Hiras opilio gregis Odollamites, in Thamnas. Nuntiatúmque eſt Thamar quòd ſocer illius aſcenderet in Thamnas ad tondendas oues. Quæ depoſitis viduitatis veſtibus, aſſumpſit theriſtrū: & mutato habitu ſedit in biuio itineris, quod ducit Thamnam: eo quòd creuiſſet Sela, & non eum accepiſſet maritum. Quam cum vidiſſet Iudas, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem: operuerat enim vultū ſuū, ne agnoſceretur. Ingrediénſque ad eam, ait, Dimitte me vt coeam tecum. neſciebat enim quòd nurus ſua eſſet. Qua reſpondente, Quid dabis mihi, vt fruaris cō cubitu meo? dixit, Mittā tibi hœdū de gregibus. Rurſūque illa dicente, Patiar quod vis, ſi dederis mihi arrhabônem, donec mittas quod polliceris. Ait Iudas, Quid tibi vis pro arrhabône dari? Reſpondit, Annulum tuū, & armillam, & baculū quem manu tenes. Ad vnū igitur coitū mulier concepit. & ſurgens abiit: depoſitóque habitu quē ſumpſerat, induta eſt viduitatis veſtibus.

MORTVA eſt Sua) mortua eſt filia Suæ. Sic etiam legunt oblonga exemplaria S. Dionyſii & Germani, conſentiente Complutenſi editione.

OPILIO gregis) ſocius eius. Vel, amicus eius.

OVES) Addendum SVAS ex Hebræo.

ASSVMPSIT theriſtrū: & mutato habitu ſedit in biuio itineris.) operuit ſe peplo, atque occultauit: & ſedit in porta Enaim, quæ eſt iuxta iter quod, &c Alii vertūt, Et ſedit in oſtio fontiū: quòd illic eſſent duo fontes. B. Hieronymus, In diuiſione oculorum, id eſt biuio: quòd in biuio quoquo velimus oculos flectere, poſſimus. Vel, in oſtio oculorum, id eſt, in propatulo, vbi frequens erat euntiū & redeuntium tranſitus.

NE agnoſceretur.) Hæc non leguntur Hebraice.

INGREDIENSQVE ad eam, ait, Dimitte me vt coeam tecum.) Et declinans è via ad eam, ait, Eia quæſo ingrediar ad te.

VT fruaris concubitu meo?) vt ingrediaris ad me?

PATIAR quod vis,) Hæc verba non leguntur Hebraice: ſubaudienda ſunt tamen, aut ſimilia.

Armilla. ARMILLAM,) Vox Hebræa accipitur à quibuſdam etiam Hebræis pro tegmine capitis Ab aliis pro quodam genere veſtis, & pallio, vel peplo.

AD vnum igitur coitum mulier concepit.) Et dedit ei. Ingreſſus eſt igitur ad eam, & ipſa concepit.

HABITV quem ſumpſerat,) peplo quod ſumpſerat.

VIDVITATIS veſtibus.) viduitatis ſuæ veſtibus.

Miſit autem Iudas hœdum 'per paſtorẽ ſuum Odollamiten, vt reciperet pignus quod dederat mulieri: qui cũ nõ inueniſſet eam, interrogauit homines loci illius, 'Vbi eſt mulier quæ ſedebat in biuio? Reſpondentibus cunctis, Non fuit in loco iſto meretrix: reuerſus eſt ad Iudã, & dixit ei, Non inueni eam: ſed & homines loci illius dixerunt mihi 'nũquam ſediſſe ibi ſcortũ. Ait Iudas, 'Habeat ſibi, certe mendacii arguere nos nõ poteſt: ego miſi hœdũ quẽ promiſeram, & tu non inueniſti eã.

PER paſtorem ſuum) per manum amici ſui.

VBI eſt mulier quæ ſedebat in biuio?) Vbi eſt meretrix illa quæ erat in Enaim, iuxta viam: Vide annotationem paulo ſupra eodem capite.

NVNQVAM ſediſſe) non ſediſſe.

HABEAT ſibi, certe mendacii arguere nos non poteſt:) Sumat ſibi, ne forte ſimus in contemptum. Id eſt, ne res iſta quam feci, & quæ turpis eſt, publicetur, ſimúſque contemptui.

'Ecce autem poſt tres menſes nũtiauerunt Iudæ, dicentes, Fornicata eſt Thamar nurus tua, '& videtur vterus illius intumeſcere. Dixítque Iudas, Producite eã vt comburatur. Quæ cum duceretur ad pœnam, miſit ad ſocerum ſuum, dicens, De viro cuius hæc ſunt, concepi: 'cognoſce cuius ſit annulus, '& armilla, & baculus. Qui agnitis 'múneribus, ait, Iuſtior me eſt: 'quia nõ tradidi eã Sela filio meo. Attamen vltrà non cognouit eã.

ECCE autem poſt) Ecce autem quaſi poſt &c.

ET videtur vterus illius intumeſcere.) eſt etiam grauida ex fornicationibus.

COGNOSCE cuius ſit) Cognoſce quæſo cuius ſit.

ET armilla,) Vide annotationem paulo ſupra eodem capite.

MVNERIBVS) illis.

QVIA non, &c.) Subaudi, Hoc fecit, quia &c.

Matth. 1. a. ¶'Inſtante autem partu, apparuerunt gemini in vtero: atque in ipſa effuſione infantium vnus protulit manũ, in qua obſtetrix ligauit coccinum, dicens, 'Iſte egredie-

tur prior. Illo verò retrahente manum egreſſus eſt 'alter: dixítque mulier,'Quare diuiſa eſt propter te maceria? ‖& 'ob hanc cauſam 'vocauit nomen eius Phares. 1.Para.1.a. Poſtea egreſſus eſt frater eius, in cuius manu erat coccinum: quem appellauit Zara.

INSTANTE autem partu, apparuerunt gemini in vtero: atque in ipſa effuſione infantium, vnus protulit manum,) Factum eſt autem: tempore quo pariebat (ecce verò in vtero eius gemelli erant) quum inquã pareret, accidit vt vnus proferret manum. Parentheſis illa, Ecce verò, verti etiam poteſt, Habebat autem gemellos in vtero ſuo.

ISTE egredietur) Iſte egreſſus eſt. Ad manum porrectam reſpicit.

ALTER:) frater eius.

QVARE diuiſa eſt propter te maceria?) Quare rupiſti ſuper te rupturam? Id eſt, cur membranam qua operiebaris, rupiſti, vt prodires ante fratrem tuum? Hoc eſt, cur ruptis ſecundis prior egreſſus es, & anteuertiſti fratri tuo? Verba ſunt matris aut obſtetricis ægrè ferentis præreptum eſſe Zaræ à Phares exitum ex vtero. Vox Hebræa PERES, pro qua interpres vertit MACERIA, hoc loco ſignificat ſecundas, quòd illis perruptis & diuiſis prodire ſoleat infans. פֶּרֶץ

OB hanc cauſam) Hæc Hebraice non leguntur.

VOCAVIT) Vel, vocatum eſt.

CAP. XXXIX.

IGITVR Ioſeph ductus eſt in AEgyptum, emítque eum Phutiphar eunuchus Pharaonis,'princeps exercitus ſui, vir AEgyptius, de manu Iſmaelitarum, à quibus perductus erat. Fuítque Dominus 'cũ eo, & erat vir in cunctis proſpere agens: habitauítque in domo 'domini ſui,'qui optimè nouerat Dominum eſſe cũ eo, & omnia quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. Inuenítque Ioſeph gratiam coram domino ſuo, & miniſtrabat ei: 'à quo præpoſitus omnibus gubernabat creditã ſibi domum, & vniuerſa quæ ei tradita fuerant: benedixítque Dominus domui AEgyptii propter Ioſeph, '& multiplicauit tam in ædibus quàm in agris cunctam eius ſubſtantiam. 'nec quicquam aliud nouerat, niſi panem quo veſcebatur. Erat autem Ioſeph pulchra facie, & decôrus aſpectu.

PRINCEPS exercitus ſui,) princeps laniorum. Vide poſtremam annotationem capitis triceſimiſeptimi.

CVM eo, & erat vir in cunctis proſpere agens:) cum Ioſeph: erat enim vir fœlix. Vel, proſpere agens.

DOMINI ſui) Addendum AEgyptii.

QVI optime nouerat &c.) & dominus eius deprehendit Dominum eſſe cũ eo: nam omnia quæ gerebat, ſecundabat Dominus in manu eius. Id eſt, quicquid faciebat, ſortiebatur euentum fœliciſſimum.

A QVO præpoſitus &c domui.) qui cõſtituit eum ſuper domum ſuam, & omnia quæ habebat, tradidit in manu eius. Ab eóque tempore benedixit Dominus domui &c. Id eſt, auxit opes domus eius.

ET multiplicauit) & fuit benedictio Domini. Quid hîc benedictio ſignificaret, docte expoſuit interpres, cum dixit, Et multiplicauit Dominus &c.

NEC quicquam aliud nouerat, niſi panem quo veſcebatur.) nec quicquam cum eo nouerat, niſi panem &c. Id eſt, Nullam rationem reddebat Ioſeph domino ſuo, nec herus ipſe ſua curabat: ſed omnia fideli miniſtro committebat: nulla re alia ſolicitus, quàm de edendo & bibendo.

'Poſt multos itaque dies iniecit domina ſua oculos ſuos in Ioſeph, & ait, Dormi mecum. 'Qui nequaquam acquieſcens operi nephario, dixit ad eam, Ecce dominus meus 'omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo ſua: nec quicquã eſt quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo poſſum hoc 'malum facere, & peccare 'in Dominũ meum? Huiuſcemodi verbis 'per ſingulos dies, & mulier moleſta erat adoleſcenti, & ille recuſabat ſtuprum.

Poſt verba hæc.

POST multos itaque dies) Factum eſt autem poſt verba hæc. Id eſt, His geſtis, His factis. Hebraiſmus eſt.

QVI nequaquam acquieſcens operi nephario,) Qui renuens.

Nõ nouit me cũ quicquã.

OMNIBVS mihi traditis &c. vxor eius es:) non nouit mecũ quid ſit in domo: & cuncta quæ habet, tradidit in manum meam. Non eſt maior me quiſquã in domo hac, neque prohibuit mihi quicquam præter te, eo quòd ſis vxor eius. Hebraiſmus eſt, Non nouit mecum quid ſit in domo: pro, nihil ſolicitus eſt de rebus ſuis domeſticis, delegata mihi omni cura. Tradere aliquid in manũ alterius, ſimiliter Hebraiſmus, pro, alteri negotium aliquod committere.

Tradere aliquid in manũ alterius.

MALVM) Ex Hebræo addendum GRANDE.

IN Dominum meum?) in Deum? Sic etiam legunt vetera exemplaria S. Germani & Dionyſii, conſentiente editione Complutenſi.

PER ſingulos dies, & mulier moleſta erat adoleſcenti, & ille recuſabat ſtuprum.) per ſingulos dies loquebatur ipſa ad Ioſeph, & ille recuſabat ſtuprum. Vetus exemplar ſcriptum S. Victoris, editio item Complutenſis legunt Per ſingulos dies loquebatur: & mulier &c.

Accidit autem 'quadam die vt intraret Ioſeph domum, '& operis quippiam abſque arbitris faceret: & illa, apprehenſa lacinia veſtimenti eius, diceret, Dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio, fugit, & egreſſus eſt foras. Cúmque vidiſſet mulier veſtem 'in manibus ſuis: & ſe eſſe contemptam, vocauit ad ſe homines

domus ſuæ,& ait ad eos,En 'introduxit virum Hebræum,vt illuderet nobis:ingreſſus eſt ad me,vt coiret mecum:cúmque ego 'ſucclamaſſem,& audiſſet vocẽ meã, reliquit 'pallium quod tenebat,& fugit foras.

QVADAM die) ſecundum hanc diem.Hebraiſmus,id eſt,eadem die.Id eſt,ſimili huic diei & ei reſpondente,qua ſcilicet cœperat ſolicitare Ioſeph.Alii intelligunt tranſacta hebdomade,vel menſe,vel anno. Secundũ hãc diem.

ET operis quippiam abſque arbitris faceret :) & faceret opus ſuum,nec eſſet quiſquam ex domeſticis ibi.Id eſt,in ipſa domo.

IN manibus ſuis: & ſe eſſe contemptam,) in manibus ſuis illum reliquiſſe, & fugiſſe foras,vocauit, &c.

INTRODVXIT virum) adduxit nobis hominem.Subaudi,vir meus.

SVCCLAMASSEM,) clamaſſem voce magna.

PALLIVM quod tenebat,) pallium ſuum apud me.

'In argumentum ergo fidei,retentum pallium oſtendit marito reuertenti domũ,& ait, Ingreſſus eſt ad me ſeruus Hebræus quẽ adduxiſti, vt illuderet mihi: cúmque audiſſet me clamare, reliquit 'pallium quod tenebam,& fugit foras.¶His auditis dominus,& nimiũ credulus verbis cõiugis,iratus eſt valde,tradidítque Ioſeph in carcerem,vbi vincti regis 'cuſtodiebantur, & erat ibi clauſus. Fuit autem Dominus cum Ioſeph, '& miſertus eſt illius : '& dedit ei gratiam in conſpectu principis carceris. 'Qui tradidit in manu illius vniuerſos vinctos qui in cuſtodia tenebantur: & 'quicquid fiebat,ſub ipſo erat. 'Nec nouerat aliquid cunctis ei creditis:Dominus enim erat cum illo,& omnia opera eius dirigebat. Pſal.104.b

IN argumentum ergo fidei,retentum pallium oſtendit marito reuertenti domum ,& ait,) Dimiſit itaque illa veſtem eius apud ſe, donec veniret dominus eius domum : quæ locuta eſt ad eum his verbis.

PALLIVM quod tenebam,) pallium ſuum apud me.

HIS auditis dominus,& nimiũ credulus verbis coniugis,) Cum autẽ audiſſet dominus eius verba vxoris ſuæ, dicentis ſibi,Hæc fecit mihi ſeru⁹ tuus: irat⁹ &c.

CVSTODIEBANTVR,) vincti erant.

ET miſertus eſt illius:) & extendit ad illum gratiã ſuã. Vel,miſericordiã ſuã.

ET dedit ei gratiam in conſpectu principis carceris.) & poſuit gratiam eius in oculis principis domus carceris. Id eſt , reddidit illum gratioſum & charum apud præfectum carceris. Ponere gratiã alicui⁹ in oculis alteri⁹.

QVI tradidit in manu &c.) Qui princeps (ſiue præfectus) carceris tradidit in manu Ioſeph vinctos &c.Id eſt,fuit cuſtos eorum qui detinebantur carcere.

QVICQVID fiebat,ſub ipſo erat.) quicquid fiebat ibi,ipſe faciebat. Id eſt, quæcunque erant facienda,ipſe faciebat.

NEC nouerat aliquid, cunctis ei creditis: Dominus enim erat &c.) Nec princeps carceris videbat quicquam ex iis quæ erant in manu eius: eo quòd Dominus erat &c. Id eſt, non curabat, nec exigebat rationem à Ioſeph, eorum quæ tractabat, eo quòd &c.

CAP. XL.

HIS itaque geſtis accidit vt peccarent 'duo eunuchi, pincerna regis AEgypti, & piſtor, 'domino ſuo. Iratúſque 'contra eos Pharao (nam alter pincernis præerat, alter piſtoribus) miſit eos 'in carcerem principis 'militum, in quo erat vinctus & Ioſeph. 'At cuſtos carceris tradidit eos Ioſeph. qui & miniſtrabat eis: 'aliquantulum temporis fluxerat, & illi in cuſtodia tenebantur.

DVO eunuchi,) Hæc verba non leguntur Hebraice.

DOMINO ſuo.) Vel, in dominum ſuum.

CONTRA eos Pharao (nā alter pincernis præerat, alter piſtoribus) miſit &c.) in duos eunuchos ſuos, nempe in principem pincernarum, & in principem piſtorum: miſitque &c.

IN carcerem principis) in carcerem domus principis.

MILITVM,) laniorum. Vide poſtremam annotationem cap. XXXVII.

AT cuſtos carceris) At princeps laniorum.

Per dies. ALIQVANTVLVM temporis fluxerat, & illi in cuſtodia tenebantur.) fuerúntque per dies in cuſtodia. Id eſt, annum vnum integrum. Quidam interpretantur per aliquot dies. Verum prior interpretatio verior.

Viderúntq; ambo 'ſomnium nocte vna, 'iuxta interpretationem congruam ſibi. ad quos cum introiſſet Ioſeph mane, & vidiſſet eos triſtes, ſciſcitatus eſt eos, dicens, Cur triſtior eſt hodie ſolito facies veſtra? Qui reſpõderunt, Somnium vidimus, & non eſt qui interpretetur nobis. Dixítque ad eos Ioſeph, Nunquid non 'Dei eſt interpretatio? 'referte mihi quid videritis. Narrauit prior, præpoſitus pincernarum 'ſomnium ſuum, 'Videbam corã me vitem, in qua erant tres propagines, 'creſcere paulatim in gemmas, & poſt flores vuas matureſcere: calicémque Pharaonis 'in manu mea. tuli ergo vuas: & expreſſi in calicẽ quem tenebã, & tradidi poculum Pharaoni. Reſpondit Ioſeph, Hæc eſt interpretatio ſomnii, Tres propagines, tres adhuc dies ſunt, 'poſt quos recordabitur Pharao miniſterii tui, & reſtituet te in gra

dum priſtinum: dabíſque ei calicem iuxta officiũ tuũ, ſicut antè facere conſueueras. 'Tantum memento mei, cum tibi bene fuerit, & facies mecum miſericordiã: vt ſuggeras Pharaoni vt educat me de iſto carcere: quia furtim ſublatus ſum de terra Hebræorum, '& hîc innocens in lacum miſſus ſum.

SOMNIVM) Adde ex Hebræo, Vnuſquiſque ſomnium ſuum.
IVXTA interpretationem congruam ſibi.) iuxta interpretationem ſomnii ſui. Id eſt, indicans quid in poſterum eſſet euenturũ vtrique eorum in officio ſuo.
DEI eſt interpretatio:) Dei ſunt interpretationes:
REFERTE) In Hebræo additur QVAESO.
SOMNIVM ſuum,) In Hebraico codice additur, ipſi Ioſeph, & dixit ei.
VIDEBAM coram me vitem,) In ſomnio meo & ecce vitis corã me. Id eſt, Cum ego ſomniarem, videre mihi videbar vitem. Hebraiſmus.
CRESCERE paulatim in gemmas, & poſt flores vuas matureſcere:) eratque ipſa ſicut floreſcens, & erumpebat flos, & percoxerunt vuæ (vel botri) eius racemos. Id eſt, Videbatur flores emittere, ipſíque flores videbantur erumpere, & racemi ad maturitatem perduci.
IN manu mea.) Hebraice additur HABEBAM.
POST quos recordabitur Pharao miniſterii tui,) poſt quos eleuabit Pharao caput tuum. Hebraiſmus, pro, recenſebit, vel numerabit te inter reliquos miniſtros. Chaldæus paraphraſtes vertit, Recordabitur tui. Eleuare caput alicuius.
TANTVM memento mei, cum tibi bene fuerit, & facies mecũ miſericordiã: vt ſuggeras Pharaoni vt educat me) Vel, Sed recorderis mei apud te, quum bene fuerit tibi: tunc facias obſecro mecũ miſericordiam vt mentionem mei facias apud Pharaonem, vt educat me, &c. Poſſet & ſic verti, Quòd ſi recordatus fueris mei apud te (id eſt ſi memineris mei) quum bene tibi fuerit, tunc facias obſecro mecũ miſericordiã (id eſt, hoc beneficiũ conferas in me) vt mentionẽ, &c. Miſericordiã cum aliquo facere.
ET hic innocens in lacum miſſus ſum.) ſed neque hic quicquam feci, vt ponerent me in hanc foueam.

Videns piſtorum magiſter quòd 'prudenter ſomnium diſſoluiſſet, ait, Et ego vidi ſomniũ, Quòd tria 'caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum: & in vno caniſtro quod erat excelſius, portare me 'putabam 'omnes cibos qui fiunt arte piſtoria, auéſque comedere ex eo. Reſpõdit Ioſeph, Hæc eſt interpretatio ſomnii, Tria caniſtra, tres adhuc dies ſunt: poſt quos auferet Pharao caput tuum, ac ſuſpendet te 'in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas. ° 'Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens 'grande conuiuium 'pueris ſuis, 'recordatus eſt inter epulas magiſtri pincernarum, & piſtorũ principis. Reſtituítque 'alterum in locum ſuum, vt por-

rigeret ei poculũ: alterũ ſuſpendit in patibulo, ‘vt coniectoris veritas probaretur. Et tamẽ ſuccedentibus proſperis, præpoſitus pincernarũ oblitus eſt interpretis ſui.

PRVDENTER ſomnium diſſoluiſſet,) bene ſomniũ interpretatus fuiſſet.

CANISTRA farinæ) caniſtra alba. Id eſt, facta ex vimine decorticato. Vel, caniſtra perforata. Aut, caniſtra panis albi.

PVTABAM) neque Hebraice, neque in veteribus ſcriptis Latinis S. Dionyſii, Germani, & Victoris legitur.

OMNES cibos) ex omnibus cibis Pharaonis.

IN cruce, & lacerabunt) in ligno, & comedent.

EXINDE dies tertius natalitius) Factum eſt itaque die tertio, qui dies natalitius &c. Vel, dies quo natus erat illi puer.

GRANDE) non legitur Hebraice.

PVERIS) ſeruis.

Receſere caput alicuius.

RECORDATVS eſt inter epulas magiſtri pincernarum & piſtorum principis.) recenſuit caput principis pincernarum & piſtorum inter ſeruos ſuos. Id eſt, recordatus eſt principis &c.

ALTERVM in locum ſuum, vt porrigeret ei poculũ:) principem pincernarũ in miniſterium ſuum, & dedit calicem in manu Pharaonis.

VT coniectoris, &c.) quemadmodum interpretatus fuerat eis Ioſeph. Nec recordatus eſt princeps pincernarum ipſius Ioſeph, ſed oblitus eſt eius.

CAP. XLI.

POST duos annos vidit Pharao ſomnium, Putabat ſe ſtare ‘ſuper fluuium, de quo aſcendebant ſeptem ‘boues, pulchræ & craſſæ ‘nimis: & paſcebantur in locis paluſtribus. Aliæ quoque ſeptem ‘emergebãt de flumine, fœdæ, confectæque macie: ‘& paſcebantur in ipſa amnis ripa in locis virentibus. deuorauerúntque eas quarum mira ſpecies & habitudo corporum erat;

Anni dierũ.

POST duos annos) Hebraice legitur, Poſt duos annos dierũ. Id eſt, poſt duos annos integros & perfectos. Hebraiſmus.

SVPER fluuium,) iuxta fluuium. id eſt, Nilum.

BOVES,) vaccæ.

NIMIS) Non legitur Hebraice hæc dictio.

EMERGEBANT) Addendum ex Hebræo, Poſt eas.

ET paſcebantur in ipſa amnis ripa in locis virentibus. deuorauerúntque eas) & ſtabant iuxta vaccas quæ erant in ipſa amnis ripa. deuorauerúntque vaccæ quæ erant deformi aſpectu & tenues carne, eas quarum &c.

Expergefactus Pharao, rurſum dormiuit, & vidit alterum ſomnium. Septem ſpicæ pullulabant in culmo vno plenæ atque formoſæ: aliæ quoque totidem ſpicæ tenues, & ‘percuſſæ vredine oriebantur, deuorãtes omnem priorum pulchritudinem. Euigilans Pharao ‘poſt quietem, & facto mane, pauore perterritus, miſit ad o-

mnes 'coniectores AEgypti, cũctóſque 'ſapientes: & acceꝛſitis narrauit ſomnium, nec erat qui interpretaretur.

PERCVSSAE vredine oriebantur, deuorantes omnem priorum pulchritudinem.) Percuſſæ orientali vento oriebantur poſt illas: quæ deuorauerunt ſeptem ſpicas pingues & plenas.

POST quietem,) Hebraice additur, & ecce ſomnium. Id eſt, animaduertit ſe ſomniaſſe.

CONIECTORES) Vel, interpretes ſomniorum.

SAPIENTES:) Hebraice additur EIVS. ſcilicet AEgypti.

Tunc 'demum reminiſcens pincernarum magiſter, 'ait, Confiteor peccatum meum: Iratus rex ſeruis ſuis, me & magiſtrum piſtorũ retrudi iuſſit in carcerẽ principis 'militum: vbi vna nocte vterque vidimus ſomniũ, 'præſagium futurorum. Erat ibi puer Hebræus, eiuſdem 'ducis militum famulus: cui narrantes ſomnia, 'audiuimus quicquid poſtea rei probauit euentus. ego enim redditus ſum officio meo: & ille ſuſpenſus eſt in cruce.

DEMVM reminiſcens) hæc verba non leguntur Hebraice.

AIT, Confiteor peccatum meum:) ait ad Pharaonem, Peccata mea recenſebo hodie. Quaſi dicat, Peccatorum meorũ ego meminero hodie te præſente.

MILITVM:) laniorum. Vide poſtremam annotationem cap. XXXVII.

PRAESAGIVM futurorum.) ſinguli ſecundum interpretationem ſomnii ſomniauimus. Id eſt, ſomniauimus quod erat conſentaneum rei. hoc eſt, ſomnium verum ſomniauimus quemadmodum poſtea euenit.

DVCIS militum) ducis laniorum.

AVDIVIMVS) interpretatus eſt nobis.

‖ Protinus ad regis imperium eductum de carcere Ioſeph totonderunt: ac veſte mutata 'obtulerunt ei. Cui ille ait, Vidi ſomnia, nec eſt qui ediſſerat: 'quæ audiui te ſapientiſſime coniicere. Reſpondit Ioſeph, Abſque me 'Deus reſpondebit proſpera Pharaoni. Narrauit ergo Pharao quod viderat: Putabam me ſtare ſuper ripã fluminis, & ſeptem boues de amne conſcendere, pulchras nimis, & obeſis carnibus: quæ in paſtu paludis vireta carpebant. & ecce, has ſequebantur aliæ ſeptem boues, in tantum deformes & macilentæ, vt nunquam 'tales in Terra AEgypti viderim. 'quæ deuoratis & conſumptis prioribus, 'nullum ſaturitatis dedere veſtigium: ſed ſimili macie & ſqualore torpebant. Euigilans, rur- Pſal. 104. b

ſus ſopore depreſſus, vidi ſomnium, Septem ſpicæ pullulabant in culmo vno plenæ atque pulcherrimæ. aliæ quoque ſeptem tenues '& percuſſæ vredine, oriebantur è ſtipula: quæ priorum pulchritudinem deuorauerunt. Narraui 'coniectoribus ſomnium, & nemo eſt qui ediſſerat.

OBTVLERVNT ei. Cui ille ait,) obtulerunt Pharaoni. Cui Pharao ait.

QVAE audiui te ſapientiſſime coniicere.) ego autē audiui de te, dicēdo quòd audies ſomnium ad interpretandum illud. Id eſt, Audiui de te, quòd ſi audieris ſomnium aliquod, poſſis ipſum interpretari. Hebraiſmus.

DEVS reſpondebit &c.) quaſi dicat, Alius eſt præter me qui interpretabitur ſomnium: nempe Deus, qui &c.

TALES in terra) tam turpes in tota terra.

QVAE deuoratis &c. Euigilans.) Comederunt autem vaccæ tenues & turpes ſeptem vaccas priores pingues, & venerunt in interiora illarum: neque cognitū fuit quòd veniſſent in interiora earum, & aſpectus turpis fuit illis vt erat initio. Euigilans &c. Quaſi dicat, deuoratæ ſunt pingues à macilentis, & nihilo tamen pinguiores apparuerunt macilentæ illæ: ſed erant macræ vt initio. Hebraiſmus.

ET percuſſæ vredine oriebantur &c. Narraui) & areſactæ afflatu Euri, pullulabant poſt illas. Deuorauerunt autem ſpicæ tenues ſeptem illas ſpicas pulchras. Id eſt, pingues & plenas.

CONIECTORIBVS ſomnium,) coniectoribus ſomniorum. ita etiā S Dionyſii latum exemplar, & tria S. Germani Latina ſcripta legunt.

Reſpondit Ioſeph, Somnium regis 'vnum eſt: quæ facturus eſt Deus, oſtendit Pharaoni. Septem 'boues pulchræ, & ſeptem ſpicæ plenæ: ſeptē 'hubertatis anni ſunt, 'eandémque vim ſomnii comprehendūt. Septem quoque boues tenues atque macilentæ, quæ aſcenderunt poſt eas, & ſeptem ſpicæ 'tenues, & vento vrente percuſſæ: ſeptem anni venturæ ſunt famis. 'Qui hoc ordine complebuntur. Ecce, ſeptem anni venient fertilitatis magnæ in vniuerſa Terra-AEgypti: quos ſequentur ſeptē anni alii tantæ ſterilitatis, vt obliuioni tradatur cūcta retrò 'abundantia: conſumptura eſt enim fames omnem terram, '& hubertatis magnitudinem perditura eſt inopiæ magnitudo. 'Quòd autē vidiſti ſecundo ad eandem rem pertinens ſomnium: firmitatis indicium eſt, eo quòd fiat ſermo Dei, & velocius impleatur. Nūc ergo prouideat rex virum ſapientem & 'induſtrium, & præficiat eum Terræ-AEgypti. 'Qui conſtituat præpo-

ſitos per cunctas regiones: & quintam partem fructuũ per ſeptem annos fertilitatis, qui iam nunc futuri ſunt, ʻcongreget in horrea: & omne frumẽtum ſub Pharaonis poteſtate condatur, ſeruetúrque in vrbibus. ʻEt præparetur futuræ ſeptem annorum fami quæ oppreſſura eſt AEgyptum, ʻ& non conſumetur terra inopia.

VNVM eſt:) Id eſt, duo illa ſomnia rem eandem ſignificant.
BOVES) vaccæ.
HVBERTATIS) Hæc dictio non legitur Hebraice.
EANDEMQVE vim ſomnii comprehendunt.) ſomnium idem eſt.
TENVES, & vento vrente percuſſæ:) vacuæ, arefactæ Euro.
QVI hoc ordine complebuntur.) Hoc eſt quod locutus ſum ad Pharaonem: quod Deus facturus eſt, oſtendit Pharaoni.
ABVNDANTIAE:) addendum ex Hebraico codice, in terra AEgypti.
ET hubertatis magnitudinem perditura eſt inopiæ magnitudo.) nec cognoſcetur ſaturitas (vel, fertilitas) illa in terra, propter famem illam ſuperuenientẽ: quia grauis erit valde.
QVOD autem vidiſti, &c. Nunc.) Quòd autem iteratum eſt ſomnium Pharaoni, (indicat, ſubaudi) quòd firma ſit res à Deo, & quòd feſtinat Deus facere eã. Id eſt, quòd Deus certiſſime faciet quod oſtendit illis ſomniis: ídque breui.
INDVSTRIVM,) prudentem.
QVI conſtituat) Præterea Pharao faciat (ſub. quod dicam,) conſtituat &c.
CONGREGET in horrea: & omne frumentum) exigat, & congregent omnem cibũ (ſubaudi, qui ſuperfuerit) fertilium annorum: & frumentum &c.
IN vrbibus.) in vrbibus in cibum.
ET præparetur futuræ ſeptem annorum fami quæ &c.) Sítque cibus ille vice depoſiti regioni ſeptem annis famis. Id eſt, ſeruetur ad regionem alendam tempore ſeptem annorum famis.
ET non conſumetur) vt non conſumatur. Vel, ita fiet vt non pereant habitatores AEgypti fame.

Placuit Pharaoni conſilium & cunctis miniſtris eius: locutúſque eſt ad eos, Num inuenire poterimus ʻtalem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit? Dixit ergo ad Ioſeph, ʻQuia oſtendit tibi Deus omnia quæ locutus es, nũquid ſapientiorem & conſimilẽ tui inuenire potero? ‖Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus ʻpopulus obediet: vno tantum regni ſolio te præcedam. Dixítque rurſum Pharao ad Ioſeph, Ecce, conſtitui te ſuper vniuerſam Terram AEgypti. ʻTulítque annulũ de manu ſua, & dedit eum in manu eius: veſtiuítque eũ ſtola byſſina, & collo torquem auream circumpoſuit. Fecítque eum aſcendere ʻſuper currum ſuum ſecundũ, Pſal.104.b. act.7.b.

'clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterẽt, & præpoſitũ eſſe ſcirent vniuerſæ Terræ-AEgypti. Dixit quoque 'rex AEgypti ad Ioſeph, Ego ſum Pharao: abſque tuo imperio non mouebit quiſquam manũ aut pedem in omni Terra-AEgypti.'Vertítque nomẽ eius, & vocauit eum lingua AEgyptiaca, Saluatorem-mundi. Dedítque illi vxorem Aſeneth filiam Phutipharis 'ſacerdotis Heliopoleos.

TALEM virum qui ſpiritu Dei plenus ſit) ſimilem huic hominem, in quo ſit ſpiritus Dei?

QVIA oſtendit &c. Tu) Poſteaquam oſtendit tibi Deus omnia quæ locutus es, nemo eſt te prudentior & ſapientior.

POPVLVS obediet:) populus meus armabitur. Id eſt, quãdo principes præparabuntur ad bellum: tu eris magiſter militum. quaſi dicat, Conſtituo te ſecundum à me, tempore pacis & belli.

TVLITQVE) addendum PHARAO.

SVPER currum ſuum ſecundum,) ſuper currum ſecundi. Subaudi, viri. Id eſt, quo is qui à rege ſecundus erat, vehi ſolebat.

CLAMANTE præcone, &c.) Et clamabant ante eum, Flectite genua. præpoſuítque eum vniuerſæ Terræ-AEgypti. Chaldæus paraphraſtes vertit, Et clamabãt
אַבְרֵךְ ante eũ, Pater regis. Alii volunt vocẽ Hebræam ABRECH, pro qua vertitur Pater regis: fuiſſe nomẽ Ioſeph, qui & pater & ſenex fuit ſapiẽtia, & tener annis.

REX AEgypti) Pharao.

VERTITQVE nomen &c. Dedítque) Vocauítque Pharao nomen Ioſeph, Saphnath pahaneah. Id eſt, vt vertit Chaldæus paraphraſtes, vir cui abſcondita reuelata ſunt. vel, abſconditorum expoſitor.

Heliopolis. On. SACERDOTIS Heliopoleos.) ſacerdotis On. Chaldæus paraphraſtes vertit, On: vt ſit On, nomen regionis. Alii aiunt On fuiſſe idolum, Sacerdotẽ idoli On.

Egreſſus eſt itaque Ioſeph ad Terram-AEgypti (triginta annorũ erat quando ſtetit in cõſpectu 'regis Pharaonis) & circuiuit omnes regiones AEgypti. 'Venítque fertilitas ſeptem annorum: & in manipulos redactæ ſegetes congregatæ ſunt in horrea AEgypti. Omnis etiã frugũ abundantia in ſingulis vrbibus condita eſt: tantáque fuit abundantia tritici, vt arenæ maris coæquaretur, & copia menſuram excederet.

REGIS Pharaonis) Pharaonis regis AEgypti.

VENITQVE fertilitas &c. Natíque.) Et in ſeptem annis fertilitatis produxit terra, ita vt replerentur horrea. Congregauit igitur ille omnẽ cibũ ſeptẽ annorũ, qui fuerant in Terra-AEgypti, repoſuítque eſcam in vrbibus: repoſuit inquã eſcã cuiuſlibet agri intra ſuam ciuitatem in cuius circuitu creuerat. Coaceruauit itaque Ioſeph frumentum quaſi arenam maris plurimum valde, vſqueadeo vt ceſſaret numerare, quòd ſine numero eſſet. Produxit, inquit, terra, ſubaudi, maximã abundantiam frumenti. Congregauit omnem cibum qui ſuperfuerat, ſeptem annorum, qui anni fuerant in Terra-AEgypti.

Natíque ſunt Ioſeph filii duo antequam veniret fames:quos peperit ei‖Aſeneth filia Phutipharis ſacerdotis Heliopoleos.Vocauítque nomen primogeniti, Manaſſes,dicens,'Obliuiſci me fecit Deus omnium laborũ meorum,'& domus patris mei. Nomen quoque ſecundi appellauit Ephráim,dicens,'Creſcere me fecit Deus in terra 'paupertatis meæ. Igitur tranſactis ſeptem hubertatis annis,qui fuerant in AEgypto,cœperunt venire ſeptem anni inopiæ, 'quos prædixerat Ioſeph: & in vniuerſo orbe fames præualuit,'in cuncta etiam Terra AEgypti 'fames erat. Qua eſuriente clamauit populus ad Pharaonem,alimenta petens.Quibus ille reſpondit, Ite ad Ioſeph: & quicquid ipſe vobis dixerit, facite. Creſcebat autem 'quotidie fames in omni terra: aperuítque Ioſeph vniuerſa 'horrea, & vendebat AEgyptiis: nam & illos oppreſſerat fames. Omnéſque prouinciæ veniebant in AEgyptum, vt emerent eſcas, '& malum inopiæ temperarent.

I.46.c.

OBLIVISCI) Apud Hebræos præponitur QVIA.Quia obliuiſci,&c.
ET domus) & vniuerſæ domus.
CRESCERE) Apud Hebræos præponitur QVIA,Quia creſcere,&c.
PAVPERTATIS) afflictionis.
QVOS prædixerat) quemadmodum prædixerat.
IN cuncta etiam) in cuncta autem. Sic quoque legunt vetera Latina ſcripta exemplaria S.Dionyſii & Germani,editio item Baſilienſis.
FAMES erat.) legendum,panis erat.ſic etiam legit Paruum exemplar S.Germani.Id eſt,annona.
QVOTIDIE) non legitur Hebraice.
HORREA) Hebraici codices amplius habent ,In quibus erant frumenta.
EMERENT eſcas) Adde ex Hebræo,à Ioſeph.
ET malum inopiæ temperarent.) quia inualuerat fames in omni terra.

CAP. XLII.

A'VDIENS autem Iacob‖quòd alimenta venderentur in AEgypto,dixit filiis ſuis, 'Quare negligitis?audiui quòd triticũ vænundetur in AEgypto: deſcendite, & emite nobis neceſſaria,'vt poſſimus viuere, & non conſumamur inopia. 'Deſcendentes igitur fratres Ioſeph decem, vt emerent frumenta in AEgypto,' Ben-iamin domi retento à Iacob, qui dixerat fratribus

Act.7.b.

ploratores eſtis. Tradidit ergo illos cuſtodiæ tribus diebus. Die autem tertio eductis de carcere ait, Facite quæ dixi, & viuetis: Deum enim timeo. 'Si pacifici eſtis, frater veſter vnus ligetur in carcere: vos autē abite, & ferte frumenta 'quæ emiſtis, in domos veſtras: & fratrem veſtrum minimū ad me adducite, 'vt poſſim veſtros probare ſermones, & non moriamini.

CVMQVE adoraſſent, &c. Vnde) Accedentes autem fratres eius, incuruauerunt ſe ei, prono vultu in terram vſque. Videns autem Ioſeph fratres ſuos, agnouit eos, & exhibuit ſeſe alienum: locutúſque eſt eis dure, & dixit illis, Vnde, &c.

VIDERAT,) ſomniauerat de eis.

INFIRMIORA) Vel, ſecreta.

PACIFICI) veraces. Vel, recti & ſynceri, ſiue probi.

NEC quicquā famuli tui machinātur mali.) nec ſunt ſerui tui exploratores.

IMMVNITA) Vel, ſecreta.

FRATRES, ſerui tui) Conuerſo ordine ſcribitur Hebraice, ſerui tui, fratres: concordantibus ſcriptis codicibus Latinis S. Dionyſii, Germani, & Victoris. Id admonet & Correctorium Sorbonicum.

NON eſt ſupér.) Id eſt, mortuus eſt.

PER ſalutem Pharaonis.) per vitam Pharaonis. Ita ſolebant iurare AEgyptii: quemadmodum Hebræi, Viuit Dominus: quòd vita hominum ab eo pendeat. Per ſalutem Pharaonis.

ET adducat) ET, pro VT poſitum eſt.

SI pacifici) Si veraces. Vel, Si recti & ſynceri.

QVAE emiſtis,) quibus expellatis famem.

VT poſſim veſtros probare ſermones,) vt veri probentur ſermones veſtri.

Fecerunt vt dixerat, & locuti ſunt adinuicem, 'Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum, vidētes 'anguſtias animæ illius dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcirco vēnit ſuper nos iſta tribulatio. E quibus vnus, Ruben, ait, Nunquid non dixi vobis, |Nolite peccare in puerum: & non audiſtis me? en ſanguis eius exquiritur. 'Neſciebant enim quòd intelligeret Ioſeph: eo quòd per interpretem loqueretur ad eos. Auertítque ſe 'parumper, & fleuit: & reuerſus locutus eſt ad eos. Tolléńſque Simeon, & ligans, illis præſentibus, iuſſit miniſtris vt implerēt eorum ſaccos tritico, & reponerent pecunias ſingulorum 'in ſacculis ſuis, datis ſuprà cibariis in via: qui fecerunt ita. 5.37.d.

MERITO hæc patimur, quia peccauimus) Vere peccauimus in fratrem, &c.

ANGVSTIAS animæ) anguſtiam animæ. ſic vetera Latina exemplaria S. Dionyſii, Germani, & Victoris. Id admonet & Correctorium Sorbonicum.

NESCIEBANT enim) Neſciebant autem. Ita etiam legunt ſcripta Latina

exemplaria S. Dionyſii & Germani.

PARVMPER) ab eis.

IN ſacculis ſuis, datis ſuprà cibariis in via: qui fecerunt ita.) in ſaccis ſuis, datis cibariis pro via. & fecit illis ſic. Id eſt, ita cum eis egit.

At illi portantes fruměta in aſinis ſuis, profecti ſunt. 'Apertóque vnus ſacco vt daret 'iumento pabulum in diuerſorio, contemplatus pecuniam 'in ore ſacculi, dixit fratribus ſuis, Reddita eſt mihi 'pecunia, en habetur in ſacco. 'Et obſtupefacti turbatiq́, mutuò dixerũt, Quidnam eſt hoc quod fecit nobis Deus? Veneruntque ad Iacob patrem ſuum in Terram-Chanáan, & narrauerunt ei omnia quæ accidiſſent ſibi, dicentes, Locutus eſt nobis dominus terræ durè, '& putauit nos exploratores eſſe prouinciæ. Cui reſpõdimus, 'Pacifici ſumus, nec vllas molîmur inſidias. Duodecim fratres vno patre geniti ſumus: vnus non eſt ſupèr, minimus 'cum patre noſtro eſt in Terra-Chanáan. Qui ait nobis, Sic probabo quòd pacifici ſitis, Fratrem veſtrum vnũ dimittite apud me, & cibaria domibus veſtris neceſſaria ſumite, & abite: fratrémque veſtrum minimum adducite ad me, 'vt ſciam quòd non ſitis exploratores: & iſtum qui tenetur in vinculis, recipere poſſitis: ac deinceps quæ vultis, emendi habeatis licentiam.

IVMENTO) aſino.

IN ore ſacculi,) in ore ſaccl.

PECVNIA) Hebraice additur pronomen MEA. ſic etiam legit paruum exemplar ſcriptum S. Germani. Idem admonet & Sorbonicum Correctorium.

Egreſſum eſt cor eius.

ET obſtupefacti,) Et egreſſum eſt cor eorum. Id eſt, exanimati ſunt, ſiue obſtupuerunt. Hebraiſmus eſt.

ET putauit nos exploratores eſſe prouinciæ.) Ad verbum ſic Hebraice legitur, Et tradidit nos velut exploratores terræ. Id eſt, tradidit in carcerem, tanquã exploratores. Vel, tradidit ſiue dedit, pro reputauit ſiue exiſtimauit, poſitum eſt.

Dare, pro reputare.

PACIFICI ſumus, nec vllas molimur inſidias.) Veraces ſumus, & non exploratores.

CVM patre noſtro eſt) cum patre noſtro hodie eſt.

VT ſciam quòd non ſitis, &c. His) vt ſciam quòd non ſitis exploratores, ſed veraces, & iſtum fratrem veſtrum reddam vobis, negotiabiminíque in terra. His dictis, &c.

'His dictis cum frumenta effunderent, ſinguli repererunt in ore ſaccorum ligatas pecunias: exterritíſque ſimul omnibus, dixit pater Iacob, Abſque liberis me eſſe

feciſtis: Ioſeph non eſt ſupèr, Simeon tenetur in vinculis, & Ben-iamin auferetis: in me hæc omnia mala reciderũt. Cui reſpondit Ruben, Duos filios meos interfice, ſi non reduxero illum tibi: trade illũ in manu mea, & ego eum tibi reſtituam. At ille, Non deſcendet, inquit, filius meus vobiſcum: frater eius mortuus eſt, & ipſe ſolus remanſit. ſiquid ei aduerſitatis acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.

HIS dictis, &c. pater Iacob,) Euenit autem, quum euacuarent ſaccos ſuos, ecce ligatura argenti ſingulorum erat in ſacco ſuo. videntes autem ipſi & pater eorum ligaturas nummorum ſuorum, extimuerunt. Tunc dixit pater Iacob, &c. Ligaturas pro loculis accipere videtur.

NON eſt ſupèr, Simeon tenetur in vinculis,) non extat, neque Simeon.

AVFERETIS:) aufertis: præſentis temporis. Sic etiam legunt ſcripta vetera exemplaria S. Dionyſii & Germani. Id eſt, accipere vultis.

FRATER) Addenda eſt coniunctio rationalis, Nam frater, &c.

SIQVID ei aduerſitatis acciderit in terra ad quã pergitis,) ſi acciderit illi mors in itinere per quod ibitis, &c.

DEDVCETIS canos, &c.) deducetis ſenium meum cum mœrore in ſepulchrum. Id eſt, efficietis vt ego ſenex mœrore & mœſtitia moriar. Deducere canos alicuius ad inferos.

CAP. XLIII.

INTERIM fames omnem terrã vehementer premebat. Conſumptíſque cibis quos ex AEgypto detulerãt, dixit Iacob ad filios ſuos, Reuertimini, & emite nobis pauxillum eſcarum. Reſpondit Iudas, Denuntiauit nobis vir ille ſub atteſtatione iuriſiurandi, dicẽs, Non videbitis faciem meam, niſi fratrem veſtrum minimum adduxeritis vobiſcum. Si ergo vis eum mittere nobiſcum, pergemus pariter, & ememus tibi neceſſaria. Si autem non vis, non ibimus: vir enim (vt ſæpe diximus) denuntiauit nobis, dicens, ‖Non videbitis faciem meam abſque fratre veſtro minimo. ſ.42.d.

DENVNTIAVIT nobis vir ille ſub atteſtatione iuriſiurandi,) proteſtando proteſtatus eſt nos vir ille. Id eſt, denuntiauit nobis adhibito iuramento. Pro ATTESTATIONE, vetera Latina exemplaria ſcripta S. Dionyſii & Germani legunt TESTIFICATIONE. De quo admonet & Correctorium Sorbonicũ.

NON videbitis faciem meam,) Id eſt, Nullus apud me patebit vobis acceſſus.

PERGEMVS pariter,) deſcendemus.

NECESSARIA.) cibum.

NON ibimus:) non deſcendemus.

VT ſæpe diximus) Hoc nõn legitur Hebraice.
DENVNTIAVIT) dixit.
MINIMO.) vobiſcum.

Dixit eis Iſrael,'In meam hoc feciſtis miſeriã vt indicaretis ei & alium habere vos fratrem. At illi reſponderunt,'Interrogauit nos homo per ordinem,noſtrã progeniem:'ſi pater viueret:ſi haberemus fratrem:& nos're ſpondimus ei conſequenter iuxta id quod fuerat ſciſcitatus: nũquid ſcire poteramus quòd dicturus eſſet, Adducite fratrem veſtrum vobiſcum?Iudas quoque dixit 'patri ſuo, Mitte puerum mecum,'vt proficiſcamur, & poſſimus viuere: 'ne moriamur 'nos & paruuli noſtri. Ego 'ſuſcipio puerum:'de manu mea require illum.niſi reduxero & reddidero eum tibi,'ero peccati reus in te omni tempore. 'Si non interceſſiſſet dilatio, iam vice altera veniſſemus.

IN meam hoc feciſtis miſeriam,vt indicaretis ei & alium habere vos fratrem.) Quare male feciſtis mihi,renuntiando viro quòd adhuc eſſet vobis frater.

INTERROOAVIT nos homo per ordinem,noſtram progeniem:) Interrogando interrogauit nos vir ille progeniem noſtram. Vel, diligenter inquiſiuit de nobis vir ille de progenie noſtra.

SI pater) ſi adhuc pater.

RESPONDIMVS ei conſequenter) indicauimus ei.

PATRI ſuo,) Addendum,Iſrael.

VT proficiſcamur) vt ſurgamus,& proficiſcamur.

NOS & paruuli) nos & tu,& paruuli.

SVSCIP,IO puerum:) fideiubebo pro illo.

De manu mea. DE manu mea) Id eſt,à me.Hebraiſmus.

ERO peccati reus in te omni tempore.) peccabo tibi omnibus diebus.Id eſt, peccator ero tibi, & peccati reus omnibus diebus vitæ meæ. Vel, Pœnæ obnoxius ero tibi.

SI non) Sane ſi non,&c. Vel,Certe ſi,&c.

Igitur Iſrael pater eorum dixit ad eos, 'Si ſic neceſſe eſt,facite quod vultis:ſumite 'de optimis terræ frugibus in vaſis veſtris,& deferte viro munera, modicum 'reſinæ,& mellis,'& ſtoracis, ſtactes,& terebinthi, & amygdalarum.Pecuniam quoque duplicem ferte vobiſcum: & illam quam inueniſtis 'in ſacculis,reportate, ne forte errore factum ſit. Sed & fratrem veſtrum tollite, & ite ad virum. Deus autem meus omnipotens 'faciat vobis

eum placabilem: & remittat vobiſcum fratrem veſtrũ 'quem tenet in vinculis,& hunc Ben-iamin: ego autem 'quaſi orbatus abſque liberis ero.

SI ſic neceſſe eſt,facite quod vultis:) Si ita nunc eſt,facite hoc.Hebraiſmus, pro,Si ita oportet fieri,hoc igitur facite.

DE optimis terræ frugibus) Ad verbum Hebraice legitur,De laude terræ. Id eſt,de optimis, vel celebratiſſimis fructibus regionis. Vetera Latina exemplaria S.Germani & Dionyſii legunt FRVCTIBVS. De laude terræ.

RESINAE,) Rectius verteretur BALSAMI.

ET ſtoracis,ſtactes,& terebinthi & amygdalarum.) aromata, ſtacten, auellanas (vel pineas)& amygdala.Poſſet etiam ſubintelligi MODICVM ante ſingula hæc,Modicum aromatum,ſtactes,auellanarum,& amygdalorum.

IN ſacculis,) in ore ſaccorum veſtrorum.

FACIAT vobis,eum placabilem:) det vobis miſericordias ante virum.Hebraiſmus quem reddidit interpres. Dare miſericordiam.

QVEM tenet in vinculis) Hæc non leguntur Hebraice.

QVASI orbatus abſque liberis ero.) quemadmodum orbatus fui,orbabor.Id eſt,quemadmodũ orbatus fui filio meo Ioſeph,orbabor & filio meo Ben-iamin: hoc eſt,illum perdã. Quaſi dicat, Præſagit mihi animus quòd orbabor filio meo Ben-iamin,ſicut orbatus ſum aliis duobus,Simeon & Ioſeph.

Tulerunt ergo viri munera,& pecuniam duplicem,& Ben-iamin: deſcenderúntque in AEgyptũ, & ſteterunt coram Ioſeph.Quos cum ille vidiſſet, & Ben-iamin ſimul,præcepit diſpenſatori domus ſuæ,dicens,Introduc viros domum, & occide victimas, & inſtrue conuiuiũ: quoniam hodie mecum ſunt comeſturi meridie.'Fecit ille 'quod ſibi fuerat imperatũ, & introduxit viros domum.Ibíque exterriti, dixerunt mutuo,Propter pecuniam quam retulimus prius in ſaccis noſtris,introducti ſumus:'vt deuoluat in nos calumniam, & violẽter ſubiiciat ſeruituti & nos, & aſinos noſtros. Quam ob rem in ipſis foribus accedentes ad diſpenſatorẽ locuti ſunt, 'Oramus domine vt audias nos,‖Iam antè deſcẽdimus vt emeremus eſcas.Quibus emptis,cum veniſſemus ad diuerſoriũ aperuimus ſaccos noſtros, & inuenimus pecuniam in ore ſaccorum : quam nunc eodem pondere reportauimus.Sed & aliud 'attulimus argentũ,vt emamus quæ nobis neceſſaria ſunt: 'non eſt in noſtra conſcientia quis poſuerit eam in marſupiis noſtris. At ille reſpondit, 'Pax vobiſcum, nolite timere: Deus veſter, ſ.4.2.

lz.i.

& Deus patris veſtri dedit vobis theſauros in ſaccis veſtris. 'nã pecuniã quã dediſtis mihi, probatã ego habeo.

HODIE) Non legitur Hebraice.

QVOD ſibi fuerat) quemadmodum fuerat. Vetera Latina exemplaria S. Dionyſii, Germani, & Victoris, admonente Correctorio Sorbonico, legunt SICVT.

DOMVM. Ibíque exterriti, dixerunt mutuo) in domum Ioſeph. Timuerunt autem viri quum in domum Ioſeph introducti eſſent: dixerúntque, (Subaudi, intra ſe) Propter &c.

VT deuoluat in nos calumniam, & violenter ſubiiciat ſeruituti & nos, &c.) vt deuoluat ſeſe ſuper nos, & irruat in nos, capiátque in ſeruos & nos &c. Id eſt, occaſionem quærens contra nos. Vel, vt hoc prætextu reddat nos ſeruos ſibi.

DISPENSATOREM) addendum, domus Ioſeph.

ORAMVS domine vt audias nos) Obſecro domine.

PECVNIAM in ore ſaccorum: quam nunc eodem pondere reportauimus.) pecuniam vniuſcuiuſque iuxta pondus ſuum, in ore ſaccorum: quam nunc reportauimus.

ATTVLIMVS) Hebraice additur In manu noſtra.

NON eſt in noſtra conſcientia quis poſuerit eam in marſupiis noſtris.) neſcimus quis poſuerit pecuniam noſtram in ſaccis noſtris.

Pax vobiſcũ. PAX vobiſcum) Hebraiſmus eſt, Bono animo eſtote.

Pecunia veſtra venit ad me. NAM pecuniam quam dediſtis mihi, probatam ego habeo.) & pecunia veſtra venit ad me. Hebraiſmus, Pecuniam veſtram recepi.

Eduxítque ad eos Simeon. Et introductis 'domum, attulit aquam, & lauerunt pedes ſuos, dedítque pabulũ aſinis eorũ. Illi verò parabãt munera, 'donec ingrederetur Ioſeph meridie. audierãt enim quòd ibi 'comeſturi eſſent panẽ. Igitur ingreſſus eſt Ioſeph domũ ſuã, obtulerúntque ei munera, tenentes in manibus ſuis: '& adorauerunt proni in terrã. At ille 'clemẽter reſalutatis eis, interrogauit eos, dicens, Sanúſne eſt pater veſter ſenex, de quo dixeratis mihi, Adhuc viuit? Qui reſpõderunt, Soſpes eſt ſeruus tuus pater noſter, adhuc viuit. Et incuruati, 'adorauerunt eum. Attollens autem Ioſeph oculos, vidit Ben-iamin fratrem ſuum 'vterinũ, & ait, Iſte eſt frater veſter paruulus, de quo dixeratis mihi: Et rurſum, Deus, inquit, 'miſereatur tui, fili mi.

DOMVM,) domum Ioſeph.

DONEC) interea dum.

COMESTVRI eſſent panem.) Id eſt, ibi pranſuri eſſent. Hebraiſmus.

ET adorauerunt proni in terram.) procidcrúntque corã illo in terrã vſque.

Pax. CLEMENTER reſalutatis eis, interrogauit eos, dicens, Sanúſne eſt pater &c.) interrogauit eos de pace, dicens, Páxne eſt patri &c Id eſt, interrogauit eos de ſanitate, vel incolumitate, recténe valerent, dicens, Recténe ſe habet pater &c. Hebraiſmus.

ADORAVERVNT eum.) inclinauerunt ſe vſque in terram.
VTERINVM,) filium matris ſuæ, Hebraiſmus quem reddidit interpres. Filius matris.
MISEREATVR tui,) Id eſt faueat tibi. Hebraiſmus. Miſereatur tui Deus.

'Feſtinauítque in domum, quia cõmota fuerant viſcera eius ſuper fratre 'ſuo,& erumpebant lachrymæ: & introiens cubiculũ fleuit. Rurſúmque lota facie egreſſus, continuit ſe,& ait, 'Ponite panes. Quibus appoſitis, ſeorſum Ioſeph,& ſeorſum fratribus, AEgyptiis quoq; qui veſcebantur 'ſimul, ſeorſum'(illicitum eſt enim AEgyptiis comedere cum Hebræis, & prophanum putant huiuſcemodi conuiuium) ſederunt coram eo primogenitus 'iuxta primogenita ſua,& minimus iuxta ætatem ſuam. Et mirabantur 'nimis, ſumptis partibus quas ab eo acceperant: maiórque pars venit Ben-iamin, ita vt quinque partibus excederet. Biberúntque, & inebriati ſunt cum eo.

FESTINAVITQVE in domum, quia commota fuerant viſcera eius ſuper fratre ſuo,& erumpebant lachrymæ:) Feſtinauitque Ioſeph, quia accendebãtur miſerationes eius ſuper fratre ſuo,& quærebat locum vbi fleret. Hæc verba, In domum, ne in ſcriptis quidem codicibus Latinis antiquioribus S. Dionyſii Germani & Victoris leguntur. Chaldæus paraphraſtes & LXX verterunt Viſcera, pro Miſerationibus.

PONITE panes.) Apponite panem. Id eſt, cibos, eſcam. Panis.

SIMVL,) cum eo. Id eſt, veſci ſolebant cum eo.

ILLICITVM eſt enim AEgyptiis comedere cum Hebræis,& prophanum putant huiuſcemodi conuiuium) quia non poſſunt AEgyptii comedere panẽ cũ Hebræis: ſiquidem id abominatio eſt AEgyptiis. Non poſſunt inquit comedere, Id eſt, illicitum eſt eis comedere &c. Non poſſunt comedere.

IVXTA primogenita ſua,) iuxta primogeniturã ſuã. Id eſt, pro ratiõe ætatis.

NIMIS; ſumptis partibus &c.) inter ſe. Et tulit portiones à facie ſua illis: verũ portio Ben-iamin creuit ſupra portiones(vel munera) omnium quinque partibus. Biberúnteque,& potauerunt vinum cum eo. A facie ſua, inquit, id eſt à paropſide illi appoſita. Creuit præterea portio Ben-iamin. Id eſt, dedit maximam partem ipſi Ben-iamin. A facie ſua.

CAP. XLIIII.

PRAECEPIT autem Ioſeph diſpenſatori domus ſuæ, dicens, Imple ſaccos eorum frumento, quantum poſſunt capere: & pone pecuniam ſingulorum in ſummitate ſacci. Scyphum autem meum argenteum, & pretium quod dedit tritici, pone in ore ſacci iunioris. factúmque eſt ita. Et orto mane, dimiſſi ſunt cũ aſinis

ſuis. Iámque vrbem exierant, & proceſſerant paululũ: 'tunc Ioſeph accerſito diſpenſatore domus, ait, Surge, inquit, & perſequere viros: & apprehenſis dicito, Quare reddidiſtis malum pro bono? 'Scyphus quẽ furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit dominus meus, & in quo augurari ſolet: peſſimam rem feciſtis. 'Fecit ille vt iuſſerat. Et apprehenſis 'per ordinem locutus eſt. Qui reſponderunt, Quare ſic loquitur 'dominus noſter, vt ſerui tui tantum flagitii cõmiſerint? Pecuniam quam inuenimus in ſummitate ſaccorũ, reportauimus ad te de Terra-Chanáan: '& quomodo conſequens eſt vt furati ſimus de domo domini tui aurum vel argentum? Apud quencunq; fuerit inuentum ſeruorum tuorum quod quæris, moriatur, '& nos erimus ſerui domini noſtri. Qui dixit eis, Fiat iuxta veſtram ſententiam: apud quencunque fuerit inuentum, ipſe ſit ſeruus meus, vos autem eritis innoxii. Itaque feſtinatò deponentes in terram ſaccos, aperuerũt ſinguli. Quos ſcrutatus, incipiens à maiore vſque ad minimum, inuenit ſcyphũ in ſacco Ben-iamin.

TVNC) quum. Sic etiã legitur in veteribus codicibus S. Dionyſii & Germani.

SCYPHVS quem furati eſtis, ipſe eſt in quo bibit dominus meus, & in quo augurari ſolet:) Nónne iſte calix eſt in quo bibit herus meus, & pro quo, augurando auguratus eſt? Id eſt, nónne iſte calix quẽ furati eſtis, eſt ille in quo bibere ſolet dominus meus, pro quo diuinos conſuluit vt ſciret quis eum ſurripuiſſet? Alii poſtremam particulam vertunt, Et per quem augurari ſolet. Alii, & per quem tẽtãdo tentauit vos: reliquit enim eũ ante vos, vt probaret vos an ſurriperetis illũ.

FECIT ille vt iuſſerat.) Hæc verba non leguntur Hebraice.

PER ordinem locutus eſt.) locutus eſt verba iſta.

DOMINVS noſter, vt ſerui tui tantum flagitii commiſerint? Pecuniam) dominus noſter? abſit à ſeruis tuis vt faciant quicquam tale. En pecuniam &c.

ET quomodo conſequens eſt vt furati ſimus) quomodo ergo furati eſſemus de domo &c.

ET nos erimus ſerui domini noſtri.) nos quoque ſimus ſerui domini mei.

At illi ſciſſis veſtibus, oneratíſque rurſum aſinis, reuerſi ſunt in oppidum. 'Primúſque Iudas cum fratribus ingreſſus eſt 'ad Ioſeph (necdum enim de loco abierat) omnéſque ante eum pariter in terram corruerũt. Quibus ille ait, 'Cur ſic agere voluiſtis? an ignoratis quòd nõ ſit ſimilis mei in augurãdi ſcientia? Cui Iudas, Quid

reſpōdebimus,inquit,domino meo?vel quid loquemur, 'aut iuſtè poterimus obtendere?Deus'inuenit iniquitatē ſeruorum tuorum: en omnes ſerui ſumus domini mei, & nos,& apud quem inuentus eſt ſcyphus. Reſpondítq; Ioſeph, Abſit à me vt ſic agam: 'qui furatus eſt ſcyphū, ipſe ſit ſeruus me',vos autē abite 'liberi ad patrē veſtrū.

PRIMVSQVE Iudas) Iudas itaque.

AD Ioſeph) ad domum Ioſeph.

CVR ſic agere voluiſtis? an ignoratis quòd non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia?) Quidnam eſt hoc quod feciſtis? an ignoratis quòd talis vir qualis ego ſum,ſcit diuinare? Subaudi,ſi quippiam amiſerit. Et hæc quidem dicebat, non quòd augurio vteretur: ſed quæ ad propoſitā rē faciebant,loquebatur. Verti etiā poteſt,An ignoratis quòd homo ſimilis mei ſoleat cōſulere augures & diuinos?

AVT iuſte poterimus obtēdere?) aut quo iuſtificabimus nos? Vel,purgabim'.

INVENIT iniquitatem) quaſi dicat, Recordatus eſt iniquitatis ſeruorum tuorum, quam admiſerunt perdendo fratrem ſuum. Quidam vocem Hebræam AVON, pro qua interpres vertit iniquitatem,pro mulcta & punitione accipiunt. עון
vt dicat, Deus inuenit vnde puniret ſeruos tuos ob ſcelus admiſſum in fratrem ſuum,Nunc punit nos ſeruos tuos Deus.

QVI furatus eſt ſcyphum,) ſed vir in cuius manu inuentus eſt ſcyphus,ipſe &c.In cuius manu,pro,apud quem.Hebraiſmus. In cuius manu.

LIBERI) in pace.Id eſt,incolumes. In pace.

Accedens autem propius Iudas,'confidenter ait,'Oro domine audi me, vt loquatur ſeruus tuus verbū in auribus tuis, & ne iraſcaris famulo tuo: 'tu es enim poſt Pharaonem dominus meus. Interrogaſti ‖prius ſeruos ſ.42.c.
tuos,Habetis patrem aut fratrē?& nos reſpondimus tibi domino meo, Eſt nobis pater ſenex, & puer paruulus, qui in ſenectute illius natus eſt, cuius 'vterinus frater mortuus eſt:& ipſum ſolum habet mater ſua, pater verò 'tenerè diligit eum. Dixiſtíque ſeruis tuis, Adducite eū ad me, '& ponam oculos meos ſuper illum.'Suggeſſimus tibi domino meo,Nō poteſt puer relinquere patrem ſuum: ſi enim illum dimiſerit,morietur. ‖Et dixiſti ſeruis tuis,Niſi venerit frater veſter minimus vobiſcum, 'non videbitis amplius faciem meam. Cum ergo aſcendiſſemus ad famulū tuum 'patrem noſtrum, narrauimus ei 'omnia quæ locutus eſt dominus meus. ſ.43.a.

CONFIDENTER) Hæc dictio non legitur Hebraice.

ORO domine audi me,vt loquatur ſeru' tu') Oro domine mi,loquatur quæ-

ſo ſeruus tuus &c.Id eſt, quæſo audi me loquentem. Vetera Latina exemplaria S. Dionyſii, Germani,& Victoris legunt, Domine mi loquatur &c.

Sicut tu,ſicut Pharao.

TV es enim poſt Pharaonem dominus meus. Interrogaſti prius ſeruos tuos,) quia ſicut tu,ſicut Pharao. Interrogauit dominus meus ſeruos ſuos,dicens. Id eſt, Pharao eſt ſimilis tibi,& tu ſimilis Pharaoni: hoc eſt, tu authoritate æquas Pharaonem.

VTERINVS) non legitur Hebraice.

TENERE) Aduerbium iſtud non legitur in codicibus Hebraicis.

Ponere oculos ſuos ſuper aliquem.

ET ponam oculos meos ſuper illum.) Hebraiſmus,pro, vt videam illum.

SVGGESSIMVS tibi domino meo,) Diximus verò ad dominum meum. In vetuſtiſſimis Latinis codicibus ſcriptis S. Dionyſii,Germani,& Victoris non legitur TIBI.

NON videbitis amplius faciẽ meã.) Id eſt,non admittemini in cõſpectũ meũ.

PATREM noſtrum,) patrem meum.

OMNIA) Dictio hæc non legitur hoc loco Hebraice.

Et dixit pater noſter, Reuertimini,& emite nobis 'parum tritici. Cui diximus,'Ire nõ poſſumus: ſi frater noſter minimus deſcenderit nobiſcum, proficiſcemur ſimul: alioquin illo abſente,'non audemus videre faciem

ſ.37.c. viri.'At ille reſpõdit,‖Vos ſcitis quòd'duos filios genuerit mihi vxor mea. Egreſſus eſt 'vnus, '& dixiſtis, Beſtia deuorauit eum:& hucuſque non compâret. Si tuleritis & iſtum,'& aliquid ei in via contigerit,deducetis canos meos 'cũ mœrore ad inferos. Igitur 'ſi intrauero ad ſeruum tuum patrem noſtrum,& puer defuerit,(cum anima illius 'ex huius anima dependeat) viderítque eũ non eſſe nobiſcum, morietur,'& deducent famuli tui canos eius cũ dolore ad inferos.'Ego propriè ſeruus tuus ſim,

ſ.43.b. qui in meam hũc recepi fidem,&ſpopondi, dicens,‖Niſi 'reduxero eum,peccati reus ero in patrem meum omni tempore.'Manebo itaque ſeruus tuus pro puero in miniſterio 'domini mei,& puer aſcendat cũ fratribus ſuis. 'Non enim poſſum redire ad patrem abſente puero: ne calamitatis quæ oppreſſura eſt patrẽ meũ, teſtis aſſiſtã.

PARVM tritici.) parum eſcæ. Vel,annonæ.

IRE) Deſcendere.

NON audemus) nõ poſſumus. Id eſt,nõ patebit nobis aditus ad virum illum.

AT ille reſpõdit,) Et dixit ſeruus tuus pater meus nobis. In ſcriptis codicibus Latinis S.Dionyſii,Germani,& Victoris legitur,Ad quæ.

DVOS filios genuerit) Dictio FILIOS,non legitur Hebraice,neque in ſcriptis veteribus Latinis exemplaribus,conſentiente Moguntinenſi & Complutenſi editione. Subauditur tamen.

VNVS) Addendum, à me.

ET dixiſtis, Beſtia deuorauit eum, & hucuſque non comparet.) & dixi, Profectò raptus eſt. nam ad hunc vſque diem non vidi eum. Vel, Certe laceratus eſt à beſtia.

ET aliquid) & interitus. Vel, mors.

CVM mœrore ad inferos.) cum afflictione ad ſepulchrum. Id eſt, eritis cauſa mortis meæ qui ſenex ſum.

SI intrauero) ſi rediero.

EX huius anima dependeat) ligata ſit ad animam eius. Id eſt, quum vnice eũ diligat. Chaldæus paraphr. vertit, Anima eius tã dilecta eſt illi ſicut anima ſua. — *Ligata eſt anima ipſius cũ anima eius.*

ET deducent famuli tui canos eius cum dolore ad inferos.) deducéntque ſerui tui caniciem ſerui tui patris noſtri cum triſtitia ad ſepulchrum. Id eſt, præ mœrore facient illum mori. — *Deducere canos alicuius ad inferos.*

EGO propriè &c. Niſi) Nam ſeruus tuus fideiuſſorem ſe conſtituit pro puero patri meo, dicendo, Niſi &c. Deſunt aliquot dictiones, cuiuſmodi, Nam ſcito domine mi, quòd ſeruus tuus &c.

REDVXERO eum,) Hebraice legitur, reduxero eum ad te.

MANEBO itaque ſeruus tuus) Nunc igitur remaneat quæſo ſeruus tuus.

DOMINI mei,) domino meo.

NON enim &c.) Nam quomodo poſſum aſcendere ad patrem meum, ſi puer non fuerit mecum? ne forte videam malum quod inueniet patrem meum. Id eſt, quod accidet patri meo. Hebraiſmus. — *Inueniet eũ malum.*

CAP. XLV.

NON ſe poterat vltrà cohibere Ioſeph 'multis coràm aſtantibus: vnde præcepit vt egrederentur cuncti foras, & nullus intereſſet alienus agnitioni mutuæ. Eleuauítque vocem cum fletu: quã audierunt AEgyptii, omníſque domus Pharaonis. Et dixit fratribus ſuis, Ego ſum Ioſeph: adhuc pater meus viuit? 'Nõ poterant 'reſpondere fratres nimio terrore 'perterriti.

MVLTIS coràm aſtantibus: &c. Eleuauítque) coram omnibus qui ſtabant iuxta illum, propterea clamauit, Expellite omnes viros à me. & non remanſit quiſquam ſecum, dum præbuit ſe agnoſcendum fratribus ſuis. Eleuauítque &c.

NON poterant) nec poterant. Sic legunt Latina vetera exemplaria S. Dionyſii & Germani.

RESPONDERE) Sequitur in codicibus Hebræis, EI.

PERTERRITI.) Additur apud Hebræos, à conſpectu eius. Id eſt, quum viderent illum.

Ad quos ille 'clementer, 'Accedite, inquit, ad me. Et cum acceſſiſſent propè, ‖Ego ſum, ait, Ioſeph frater veſter, quem vẽdidiſtis in AEgyptum. 'Nolite pauere, neque vobis durũ eſſe videatur quòd vendidiſtis me in his regionibus: ‖'pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos 'in AEgyptũ. Biennium eſt enim quòd cœpit fames eſſe in terra: & adhuc quinque anni reſtant quibus — *Act. 7. b.* *S. 50. c.*

'nec arari poterit,nec meti. Præmiſitq; me Deus 'vt reſeruemini ſuper terram, & eſcas ad viuendum habere poſſitis.Nõ veſtro conſilio,ſed Dei voluntate huc miſſus ſum:qui fecit me 'quaſi patrem Pharaonis,& dominum vniuerſæ domus eius,ac 'principem in omni Terra-AEgypti. Feſtinate, & aſcendite ad patrem meum, & dicetis ei,Hæc mandat filius tuus Ioſeph, Deus fecit me dominũ vniuerſæ Terræ-AEgypti: deſcẽde ad me, ne morẽris,& habitabis in Terra-Geſſen: eríſque'iuxta me tu,& filii tui,& filii filiorum tuorũ, oues tuæ, & armenta tua, & vniuerſa quæ poſſides. Ibíque te paſcam (adhuc enim quinque anni reſidui ſunt famis) ne & tu 'pereas,& omnis domus tua,& omnia quæ poſſides.En oculi veſtri & oculi fratris mei Ben-iamin vident'quòd os meũ loquatur ad vos.'Nũtiate patri meo vniuerſam 'gloriã meã,& cuncta quæ vidiſtis in AEgypto:feſtinate,& adducite eũ ad me.Cúmque amplexatus cecidiſſet in collũ Ben-iamin fratris ſui,fleuit:illo quoq; ſimiliter flente ſuper collum eius.Oſculatúſq; eſt Ioſeph omnes fratres ſuos, & plorauit ſuper ſingulos poſt quæ auſi ſunt loqui ad eum.

CLEMENTER,) Non legitur hæc vox Hebraice.

ACCEDITE,inquit,) Accedite quæſo,inquit.

Ne indignentur oculi veſtri.

NOLITE pauere,neque vobis durum eſſe videatur, quòd &c.) Nunc igitur nolite dólore affici,neque indignentur oculi veſtri quòd &c. Id eſt, nec indignemini vos.Vel,ne fleatis.

PRO ſalute) pro vita.Chaldæus paraphraſtes,in ſuſtentationem.Id eſt, vt ſuppeditarem vobis victum.

IN AEgyptum.) Hæc verba,ne in paruo quidẽ exẽplari S.Germani leguntur.

NEC arari poterit,nec meti.) nec erit aratio,nec meſſis.

Ponere reliquias alicui. Viuificare in liberationem magnam.

VT reſeruemini ſuper terram,& eſcas ad viuendum habere poſſitis.) vt ponerem vobis reliquias in terra, & viuificarem vos in liberationem magnam. Id eſt,vt ſeruarentur nepotes veſtri in hac regione, & præberem vobis victũ, vt vos eriperem à periculo maximo.Hebraiſmus eſt.

QVASI patrem) Dictio QVASI, non legitur Hebraice.

PRINCIPEM) Vel,dominatorem.

IVXTA me) vicinus mihi.Vel,propinquus.

PEREAS,) depaupereris.Id eſt,paupertate vel egeſtate premaris.

Os meum loquitur ad vos

QVÒD os meũ loquatur ad vos.) Id eſt,Ipſi aduertere poteſtis quòd ſim frater veſter:loquor enim vobiſcũ patria lingua,non per interpretem.Hebraiſmus.

NVNTIATE patri) Nuntiate igitur patri.

GLORIAM meam, & cuncta quæ vidiſtis in AEgypto: feſtinate,) gloriam

meam in AEgypto,& cuncta quæ vidiſtis.Feſtinate igitur.

'Auditúmque eſt,& celebri ſermone vulgatum in aula regis,Venerunt fratres Ioſeph.'& gauiſus eſt Pharao atque omnis familia eius.Dixítque ad Ioſeph vt imperaret fratribus ſuis,dicens,Onerātes iumenta,ite in Terram-Chanáan: & tollite inde patrem veſtrum,'& cognationem, & venite ad me: & ego 'dabo vobis omnia bona AEgypti, vt comedatis medullam terræ. 'Præcipe etiam vt tollant plauſtra de Terra-AEgypti,ad ſubuectionem paruulorum ſuorum ac coniugum: '& dicito,Tollite patrem veſtrum,& properate quātocyus venientes.Nec dimittatis quicquam de ſupellectili veſtra: quia 'omnes opes AEgypti,veſtræ erunt.

AVDITVMQVE eſt,& celebri ſermone vulgatū in aula regis,) Illa ergo vox audita eſt in aula Pharaonis,dicendo.Id eſt,Fama increbuit in aula Pharaonis fratres Ioſeph veniſſe.

ET gauiſus eſt Pharao atque omnis familia eius.) & bonum viſum eſt in oculis Pharaonis, & in oculis ſeruorum eius.Id eſt,gratiſſimum fuit Pharaoni & ſeruis eius.Hebraiſmus. Bonum in oculis eius.

ET cognationem,) & familias veſtras.

PRAECIPE etiam) Tu autem iuſſus es,Id eſt,tibi mando vt dicas fratribus vt tollant &c.

DABO vobis omnia bona AEgypti,vt comedatis medullam terræ.) dabo vobis bonum Terræ-AEgypti,& comedetis pinguedinē Terræ. Id eſt,optimā partem AEgypti dabo vobis,& habitabitis in parte regionis fertiliſſima. Comedetis pinguedinē terræ.

ET dicito,Tollite patrem veſtrū,& properate quantocyus venientes.) & tollite patrem veſtrum,& venite.

OMNES opes AEgypti,veſtræ erunt.) Bonum vniuerſæ Terræ-AEgypti, veſtrū eſt.Id eſt,Feraciſſima pars vniuerſæ regionis AEgypti,veſtra erit.Hebraiſmus. Bonū AEgypti veſtrū erit.

Fecerúntque filii Iſrael vt eis mandatum fuerat.Quibus dedit Ioſeph plauſtra, ſecundum Pharaonis imperium:& cibaria 'in itinere.Singulis quoque proferri iuſſit 'binas ſtolas: Ben-iamin verò dedit trecentos argenteos 'cum quinque ſtolis optimis: 'tantundem pecuniæ & veſtium mittens patri ſuo,addens eis aſinos decē qui ſubueherent 'ex omnibus diuitiis AEgypti,& totidē aſinas,triticū 'in itinere,panéſque portātes. Dimiſit ergo fratres ſuos:& proficiſcētibus ait, 'Ne iraſcamini in via.

IN itinere.) ad iter.

BINAS ſtolas:) mutationes veſtium.Vel,mutatorias veſtes.Id eſt, duas veſtes diſſimiles. Stola.

CVM quinque ſtolis optimis:) & quinque mutationes veſtium. Id eſt, quinque veſtes diſſimiles.

TANTVNDEM pecuniæ & veſtiū mittens patri ſuo, addens eis aſinos) patri præterea ſuo miſit ſicut iſtud, & aſinos. Recte interpres adiectis pauculis verbis declarauit quid vellēt Hebræa, ſicut iſtud: id eſt tot veſtes, quinque veſtes, & nummos triginta. Vetera Latina exemplaria S. Dionyſii, Germani, & Victoris, legunt addens ei, ſingulari numero, id eſt patri. De hoc admonet etiam Correctorium Sorbonicum.

Sicut iſtud.

EX omnibus diuitiis) ex optimis quibuſque.

IN itinere, panéſque portantes.) ad iter, panéſque & eſcas patri portantes.

NE iraſcamini in via.) Ne contendatis in via. Vel, ne rixemini, quòd ſcilicet vendideritis me.

Qui aſcendentes ex AEgypto, venerunt in Terram-Chanáan ad patrem ſuum Iacob. Et nuntiauerunt ei, dicentes, Ioſeph filius tuus viuit: & ipſe dominatur in omni Terra-AEgypti. Quo audito Iacob, quaſi de graui ſomno euigilans, tamen non credebat eis. Illi ecōtra referebant omnem ordinem rei. Cúmq; vidiſſet plauſtra & vniuerſa quæ miſerat, reuixit ſpiritus eius, & ait, Sufficit mihi ſi adhuc Ioſeph filius meus viuit: vadam, & videbo illum antequam moriar.

IOSEPH filius tuus viuit:) Adhuc Ioſeph viuit. Antiqui codices Latini S. Dionyſii, Germani, & Victoris non legunt, filius tuus.

QVASI de graui ſomno euigilans, tamen non credebat eis.) diſſolutum eſt cor eius: non enim credebat illis. Verti poteſt, elanguit cor eius. Id eſt, tantā conſolationem accepit, vt vitalis eius ſpiritus ceſſauerit. Quidam vertunt, debilitatum eſt, vel vacillauit cor eius: Id eſt, non ſtatim credidit illis.

OMNEM ordinem rei.) omnia verba quæ locutus fuerat ad eos Ioſeph.

QVAE miſerat,) Hebræi addunt, Ioſeph ad portandum ipſum.

SVFFICIT mihi ſi adhuc Ioſeph &c.) Vel, multum eſt quòd Ioſeph &c. Id eſt, Abundans eſt mihi gaudium quòd &c.

ET videbo) ET, pro VT, more Hebraico, vt videam.

CAP. XLVI.

PRofectúſque Iſrael cum omnibus quæ habebat, vênit ad Puteum-iuramenti: & mactatis ibi victimis Deo patris ſui Iſaac, audiuit eū per viſionem nocte vocantem ſe, & dicentem ſibi, Iacob, Iacob? Cui reſpondit, Ecce adſum. Ait illi Deus, Ego ſum fortiſſimus Deus patris tui: noli timere, ſed deſcende in AEgyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego deſcendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem: Ioſeph quoque ponet manus ſuas ſuper oculos tuos.

AD Puteum-iuramenti:) in Beer-ſeba.

FORTISSIMVS Deus fratris tui:) Vel, Deus, Deus patris tui.
NOLI timere, ſed deſcende) noli timere deſcendere.
IN gentem magnam faciam te ibi.) in gentem magnam ponam te ibi. Id eſt, faciam vt relinquas magnam poſteritatem in AEgypto.
DESCENDAM tecum) Id eſt, ſemper habebis fauorẽ meum tibi comitem. Deſcẽdam tecum.
ADDVCAM te) reducam te: Id eſt, poſteritatem tuam.
PONET manus ſuas ſuper oculos tuos.) Id eſt, oculos tibi morienti claudet. Quaſi dicat, illic relinques Ioſeph ſuperſtitem. Ponere manus ſuper oculos alicui.

Surrexit autem Iacob mane à Puteo-iuramenti: tulerũtque eum filii cum paruulis & vxoribus ſuis in plauſtris quæ miſerat Pharao ad portandũ ſenem, & omnia quæ poſſederat in Terra-Chanáan: venítque in AEgyptum cum omni ſemine ſuo, filii eius, & nepotes, filiæ, & cuncta ſimul progenies.

MANE) Non legitur in Hebræo hæc dictio, neque in veteribus Latinis codicibus S. Germani, Dionyſii, & Victoris, neque in Complutenſi editione.
A Puteo-iuramenti) à Beer-ſeba.
ET omnia quæ poſſederat) acceperũt item greges ſuos, & ſubſtantiam ſuam quam acquiſierant.
FILIAE, & cuncta) filiæ eius, & filiæ filiorum eius, & cuncta.

Hæc ſunt autem nomina filiorum Iſrael qui ingreſſi ſunt in AEgyptum, ipſe cum liberis ſuis. Primogenitus Ruben. Filii Ruben Henoch & Phallu & Heſrõ & Charmi. Filii Simeon: Iamuel & Iamin & Iami & Ahod & Iachin & Sohar, & Saul filius Chananitidis. Fili Leui: Gerſon & Cahath & Merari. Filii Iuda: Her & Onan & Sela & Phares & Zara: mortui ſunt autem Her & Onan in Terra-Chanáan. Natíque ſunt filii Phares: Heſron & Hamul. Filii Iſſachar: Thola & Phua & Iob & Simeron. Filii Zabulon: Sared & Elon & Iahelel. hi filii Liæ quos genuit in Meſopotamia Syriæ cum Dina filia ſua. omnes animæ filiorum eius & filiarum, triginta tres. Filii Gad: Sephõ & Aggi & Eſebon & Suni & Heri & Arodi & Areli. Filii Aſer: Iamna & Ieſua & Ieſſui & Beria, Sara quoque ſoror eorum. Filii Beria: Heber & Melchiel. hi filii Zelphæ, quam dedit Laban Liæ filiæ ſuæ. & hos genuit Iacob, ſedecim animas. Filii Rachel vxoris Iacob: Ioſeph & Ben-iamin. Natíque ſunt Ioſeph filii in Terra-AEgypti, quos genuit ei Aſeneth

Exod. 1. a. 6. b. num. 26. a. 1. paral. 5. a. 1. Paralip. 4. c. 1. Paralip. 6. a. 1. Paralip. 2. a. 4. d. 5. 38. a. 1. Paralip. 7. a. 1. Paralip. 7. f. 5. 41. f.

filia Phutiphari'ſacerdotis Heliopoleos: Manaſſes & E-
1.Paralip.7.b. & 8.a. phráim. ‖Filii Ben-iamin: Bela & Bechor & Aſbel & Gera & Naaman & Echi & Ros & Mophim & Ophim & Ared. hi filii Rachel 'quos genuit Iacob: omnes animæ, quatuordecim. Filii Dan: Huſim. Filii Nephthali: Iaſiel & Guni & Ieſer & Sallem. hi filii Balæ, quã dedit Laban Racheli filiæ ſuæ: &'hos genuit Iacob. omnes animæ, ſeptem. Cunctǽque animæ quæ ingreſſæ ſunt cũ Iacob in AEgyptum, & 'egreſſæ ſunt de femore illius, abſque vxoribus filiorum eius: ſexaginta ſex. Filii autẽ Ioſeph qui nati ſunt ei in Terra-AEgypti,'animæ duæ.

Deut.10.d. ‖Omnes animæ domus Iacob quæ ingreſſæ ſunt in AEgyptum, fuere ſeptuaginta.

PRIMOGENITVS, Ruben.) Subaudiendum FVIT. quaſi dicat, Primogenitus ipſius Iacob, fuit Ruben.

ET Iami) Hebraice nõ legitur, nec in veteribus Latinis codicibus S. Dionyſii, Germani, & Victoris, nec in editione Complutenſi.

FILIVS Chananitidis.) Id eſt, quem ſuſcepit ex Chananæa muliere.

QVOS genuit.) Addunt Hebræi, ipſi Iacob.

GENVIT Iacob,) peperit ipſi Iacob.

QVOS genuit ei) quos peperit ei.

SACERDOTIS Heliopoleos:) Vide de hoc annotationẽ ſuprà capite XLI.

QVOS genuit Iacob:) quos peperit ipſi Iacob.

HOS genuit Iacob.) hos peperit ipſi Iacob.

Egredi de femore alicui⁹. EGRESSAE ſunt de femore illius,) Id eſt, ortum & originem acceperunt ab ipſo Iacob.

ANIMAE duæ.) Animas pro hominibus ponit.

'Miſit autem Iacob Iudam ante ſe ad Ioſeph 'in AEgyptum, 'vt nuntiaret ei, & ille occurreret in Geſſen. Quò cum perueniſſet, iuncto Ioſeph curru ſuo, aſcẽdit obuiam patri ſuo ad eundem locum: vidénſque eum, 'irruit ſuper collũ eius, & inter amplexus 'fleuit. Dixítque pater ad Ioſeph, 'Iam lætus moriar, quia vidi faciẽ tuam, & 'ſuperſtitem te relinquo.

MISIT autem Iacob) Leuiculum eſt admonere, vocem hanc Iacob, ne in veteribus quidem codicibus Latinis S. Dionyſii & Germani legi, cõſentientibus editionibus Complutenſi & Baſilienſi.

IN AEgyptum,) Non leguntur hæc ne in Complutenſi quidem editione, & veteribus ſcriptis S. Germani & Dionyſii.

VT nuntiaret ei, & ille occurreret in Geſſen.) vt indicaret ante illum in Geſſen. Id eſt, vt ſignificaret aduentum ſuum in Geſſen. Chaldæus paraphraſtes vertit, Vt præpararet locum ante ſe in Goſen.

IRRVIT) Subaudi, Iacob.

FLEVIT.) Ex Hebræo addendum aduerbium ALIQVANDIV.

IAM lætus moriar, quia vidi) Moriar nunc, poſtquam vidi &c. Id eſt, libenter moriar. Moriar.

SVPERSTITEM te relinquo.) ſuperſtitem te adhuc.

At ille locutus eſt ad fratres ſuos, & ad omnẽ domũ patris ſui, Aſcendam, & nuntiabo Pharaoni: dicámque ei, Fratres mei & domus patris mei qui erant in Terra-Chanáan venerunt ad me: '& ſunt viri paſtores ouium, 'curámque habent alendorum gregum: pecora ſua, & armenta, & omnia quæ 'habere potuerunt, adduxerunt ſecum. Cúmque vocauerit vos, & dixerit, 'Quod eſt opus veſtrum? reſpõdebitis, Viri paſtores ſumus ſerui tui, ab infantia noſtra vſque in præſens, & nos & patres noſtri. Hæc autẽ dicetis, vt habitare poſſitis in Terra-Geſſen: quia deteſtãtur AEgyptii omnes paſtores ouium.

ET ſunt viri paſtores ouium,) ſunt autem viri paſtores ouium. Id eſt, ſolent alere pecora.

CVRAMQVE habent alendorum gregum:) quia homines pecoris ſunt. Id eſt, nunquam aliam artem exercuerunt quàm paſtoritiam: ſemper habuerunt curam pecorum. Homines pecoris.

HABERE potuerunt,) habebant.

QVOD eſt opus veſtrum?) Id eſt, quam artem exercetis?

CAP. XLVII.

INGRESSVS ergo Ioſeph nũtiauit Pharaoni, dicens, Pater meus & fratres, oues eorum & armenta & cuncta quæ poſſident, venerunt de Terra-Chanáan: & ecce conſiſtunt in Terra-Geſſen. 'Extremos quoque fratrum ſuorum quinque viros conſtituit coram rege: quos ille interrogauit, 'Quid habetis operis? Reſponderunt, Paſtores ouium ſumus ſerui tui, & nos & patres noſtri. Ad peregrinandum in terram 'tuam venimus: quoniam non eſt herba gregibus ſeruorum tuorum, 'ingraueſcente fame in Terra-Chanáan: petimúſque 'vt eſſe nos iubeas ſeruos tuos in Terra-Geſſen. Dixit itaque 'rex ad Ioſeph, Pater tuus & fratres tui venerunt ad te. Terra-AEgypti 'in conſpectu tuo eſt: in optimo loco fac eos habitare, & trade eis Terram-Geſſen. Quòd ſi

noſti in eis eſſe 'viros induſtrios, conſtitue illos magiſtros pecorum meorum.

EXTREMOS quoque fratrum ſuorum quinque viros conſtituit &c.) Et partem fratrum ſuorum aſſumpſit, nempe quinque homines, & conſtituit &c. Id eſt, Ex fratribus accepit quinque homines. Quidam vertunt De extremitate fratrum ſuorum. Id eſt, eos qui abiectiori erant aſpectu & perſona: ne ſi robuſtiores adduxiſſet, Pharao illos in militiam traxiſſet.

QVID habetis operis?) Id eſt, quod opus exercetis?

TVAM) iſtam.

INGRAVESCENTE fame) nam grauis eſt fames.

VT eſſe) vt habitare.

REX) Pharao.

In conſpectu tuo eſt terra mea.

IN conſpectu tuo eſt:) quaſi dicat, Offero tibi totam AEgyptum: elige quam partem voles pro patre tuo.

Homines virtutis.

VIROS induſtrios,) homines virtutis. Id eſt robuſtos.

Poſthæc introduxit Ioſeph 'patrem ſuum ad regem, & ſtatuit eum coram eo: 'qui benedicens illi, & interrogatus ab eo, Quot ſunt dies annorum vitæ tuæ? reſpondit, 'Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum ſunt, 'parui & mali, & non peruenerunt vſque 'ad dies patrum meorum quibus peregrinati ſunt. 'Et benedicto rege egreſſus eſt foras.

Benedicere aliquem.

PATREM ſuum) patrem ſuum Iacob.

QVI benedicens illi, & interrogatus ab eo,) & benedixit Iacob ipſum Pharaonem. Dixit autem Pharao ad Iacob. Hebraiſmus eſt, Benedixit Pharaonem: pro Salutauit eum, ſalutémque imprecatus eſt ei.

DIES peregrinationis vitæ meæ) Dies peregrinationum mearum.

PARVI & mali, & non peruenerunt) pauci & mali dies annorum vitæ meæ: neque enim peruenerunt vſque &c. Id eſt, ſi vita mea conferatur cum vita maiorum meorum, breuis eſt, & parum fœlix.

AD dies patrum) dies annorum vitæ patrum.

ET benedicto rege) Id eſt, Cum rurſus illum ſalutaſſet.

Ioſeph verò patri & fratribus ſuis dedit poſſeſſionem in AEgypto in optimo Terræ loco, 'Rameſſes, vt præceperat Pharao. Et alebat eos, omnémque domum patris ſui, præbens cibaria 'ſingulis. 'In toto enim orbe panis deerat, & oppreſſerat fames terrã, maxime AEgypti & Chanáan. E quibus omnẽ pecuniã cõgregauit pro venditione frumenti, & intulit eam in ærariũ regis. Cúmq; defeciſſet 'emptoribus pretium, vênit cuncta AEgyptus ad Ioſeph, dicẽs, Da nobis 'panes: 'quare morimur corã te, deficiente pecunia? Quibus ille reſpõdit, Adducite pe

cora veſtra,& dabo vobis pro eis cibos,'ſi pretiũ non habetis. Quæ cum adduxiſſent, dedit eis alimẽta pro equis & ouibus,& bobus,& aſinis: ſuſtẽtauítque eos 'illo anno pro commutatione pecorum.

RAMESSES,) nempe in Rameſſes.

SINGVLIS) ſecundum os paruulorum. Hebraiſmus eſt. Id eſt, pro ratione paruulorum, ſecundum numerum eorum. Secundum os eorum.

IN toto enim orbe &c E quibus) Panis enim deerat in terra: quia grauiſſima erat fames, ita vt acta fuerit in rabiem Terra-AEgyptiorum & Terra-Chananæorum propter famem. Vel, vt alii volunt, ita vt deficeret Terrra-AEgyptiorum & Terra-Chananæorum propter famem.

EMPTORIBVS pretium,) pecunia in Terra-AEgypti & in Terra-Chanãã.

PANES:) panem ſingulari numero. ſic Vetera exemplaria Latina S. Dionyſii & Germani oblonga,& alterum S. Victoris.

QVARE morimur) quare enim morimur.

SI pretium) ſi pecuniam.

ILLO anno) Addendum ex Hebræo PANE.

Venerunt quoque anno ſecundo,& dixerunt ei, Non 'celamus domino noſtro quòd deficiente pecunia, pecora ſimul defecerunt: nec clam te eſt quòd abſque corporibus & terra nihil habeamus. Cur ergo moriemur te vidente? & nos & terra noſtra tui erimus: 'eme nos in ſeruitutem regiam, & præbe ſemina, 'ne pereunte cultore redigatur Terra in ſolitudinem. Emit igitur Ioſeph omnem Terram-AEgypti, vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas præ magnitudine famis. 'Subiecítque eam Pharaoni,& cunctos populos eius à nouiſſimis terminis AEgypti vſque ad extremos fines eius: 'præter terram ſacerdotum quæ à rege tradita fuerat eis: quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non ſunt compulſi vendere poſſeſſiones ſuas. Dixit ergo Ioſeph ad populos, En 'vt cernitis, & vos & terram veſtram 'Pharao poſſidet: accipite ſemina, & ſerite agros, vt fruges habere poſſitis. Quintam partem regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis in ſementem,& in cibum familiis & liberis veſtris. Qui reſpõderũt,'Salus noſtra in manu tua eſt: reſpiciat nos tãtũ dominus noſter,& læti ſeruiemus regi.'Ex eo tẽpore vſque

in præſentem diem in vniuerſa Terra-AEgypti,regibus quinta pars ſoluitur,& factum eſt quaſi in legem,abſque terra ſacerdotali,quæ libera ab hac conditione fuit.

CELAMVS) celabimus.

EME nos in ſeruitutem regiam,) eme nos & terram noſtram pro pane: nóſque & terra noſtra ſimus Pharaoni in ſeruos.

NE pereunte cultore, redigatur Terra in ſolitudinem.) vt viuamus, & non moriamur,& non deſoletur Terra.

SVBIECITQVE eam Pharaoni,& cunctos populos eius) factáque eſt terra Pharaonis.Populum vero ipſum tranſtulit in ciuitates.Vel,de ciuitate in ciuitatem:In ſignum videlicet quòd nihil proprii haberent amplius in terra.

PRAETER terram ſacerdotum &c.& idcirco) tantum terram ſacerdotū nõ acquiſiuit: quia portio ſacerdotibus à Pharaone dabatur,comedebántque eā portionem quam conſtituerat eis Pharao.Id eſt,alebat eos Pharao proprio ſumptu: ideo habebant vnde viuerent,nec penuria cogebantur vendere poſſeſſiones ſuas.

VT cernitis,) Iſtud non legitur Hebraice.

PHARAO poſſidet: accipite ſemina,& ſerite agros,vt fruges habere poſſitis. Quintam partem regi dabitis:) acquiſiui Pharaoni: en vobis ſemen, ſeminate ergo terram: ea lege vt in prouentibus eius,vos quintā partem regi detis.Vel, In fructibus.Id eſt,quum meſſis tempus aduenerit,& agri prouentum ſuū tulerint.

SALVS noſtra in &c.Ex.) Viuificaſti nos: inueniamus gratiam in oculis domini mei,vt ſimus ſerui Pharaonis.Id eſt, author vitæ noſtræ es,reſtituiſti nos in vitam: putabimus hoc pro magno beneficio, ſi receperit nos in ſeruitutem ſuam Pharao.

EX eo tempore &c.) Poſuit autem hoc Ioſeph in conſuetudinem vſque in hunc diem ſuper Terrā-AEgypti,vt quinta pars eſſet Pharaonis: tantummodo terra ſacerdotum non fuit Pharaoni.Id eſt, Ioſeph eam induxit conſuetudinem, quæ etiam hodie durat, vt regibus AEgyptiorū quinta pars ſoluatur.

Habitauit ergo Iſrael in AEgypto, id eſt in Terra-Geſſen,'& poſſedit eam: auctúſque eſt & multiplicatus 'nimis.Et vixit in ea decem & ſeptē annis: factíque ſunt omnes dies vitæ illius,centum quadraginta ſeptem annorum. Cúmque appropinquare cerneret diem mortis ſuæ,vocauit filium ſuum Ioſeph,& dixit ad eum, 'Si
5.14.a. inueni gratiam in conſpectu tuo,'pone manum tuā'ſub femore meo: '& facies mihi miſericordiam & veritatē, vt non ſepelias me in AEgypto:'ſed dormiam cum patribus meis,& auferas me de terra hac,condáſque in ſepulchro maiorum meorū.Cui reſpondit Ioſeph,Ego faciā quod iuſſiſti.Et ille,Iura ergo,inquit,mihi.Quo iurāte,'adorauit Iſrael'Dominū,'conuerſus ad lectuli caput.

ET poſſedit eam:) & habuerunt poſſeſſiones in ea.Vel, facti ſunt poſſeſſores in ea.

NIMIS.) valde.

SI inueni) Si nunc inueni. Vel, Quæſo ſi inueni gratiam &c. Id eſt, ſi valeam gratia apud te.

PONE manum) pone nunc manum.

SVB femore) Hunc iurandi modũ vide ſuprà capite XXIIII, in principio.

ET facies mihi miſericordiam & veritatem,) Id eſt, iura te haud dubie collaturum in me hoc beneficium, nempe quòd non ſepelies. &c. Hebraiſmus. — Facere miſericordiã & veritatẽ cum aliquo.

SED dormiam cum patribus meis, & auferas me) ſed dormiam cum patribus meis, & auferes. Id eſt, ſed cum dormiero cum patribus meis, hoc eſt, cũ mortuus fuero, aufer me &c.

ADORAVIT) Id eſt, gratias egit Deo. — Adorare.

DOMINVM) Hebraice non legitur.

CONVERSVS ad lectuli caput.) ſuper caput lecti. Id eſt, ſedente eo in ſuperiore parte lecti.

CAP. XLVIII.

HIS itaq; tranſactis nuntiatũ eſt Ioſeph quòd ægro
taret pater ſuus: qui aſſũptis duobus ʻfiliis, Manaſſe
& Ephráim, ire perrexit. Dictúmq; eſt ʻſeni, Ecce filius
tuus Ioſeph venit ad te. ʻQui cõfortatʼ ſedit in lectulo.
Et ingreſſo ad ſe Ioſeph ait, Deus omnipotens ‖apparuit ſ.28.c.
mihi in Luza, quæ eſt in Terra-Chanáan: benedixítque
mihi, & ait, Ego te augebo & multiplicabo, & ʻfaciam te
in turbas populorum: dabóque tibi terram hanc, & ſemini
tuo poſt te ʻin poſſeſſionem ſempiternã. Duo ergo
filii tui qui ‖nati ſunt tibi in Terra-AEgypti antequam ſ.41.f.
huc venirem ad te, mei erunt: ‖Ephráim & Manaſſes, ſi- Ioſ.13.b.d.
cut Ruben & Simeon ʻreputabuntur mihi. Reliquos au- 16.17.a.
tem ʻquos genueris poſt eos, tui erunt, ʻ& nomine fratrũ
ſuorũ vocabũtur in poſſeſſionibus ſuis. Mihi enim ‖quãdo ſ.35.c.
veniebam de Meſopotamia, mortua eſt Rachel in
Terra-Chanáan ʻin ipſo itinere, erátque vernum tempus:
& ingrediebar Ephrathã, & ſepeliui eam ʻiuxta viã
Ephrathæ, quæ alio nomine appellatur Beth-léhem.

FILIIS,) Adde ex Hebræo, ſuis ſecum.

SENI,) ipſi Iacob.

QVI confortatus ſedit in lectulo.) Qui ſumptis viribus, reſedit ſuper lectulũ. Quaſi dicat, dedit operam vt ſederet in lectulo ſuo.

FACIAM te in turbas populorum:) Id eſt, faciam vt ex te egrediantur quã plurimi. Hebraiſmus. — Facere in turbas populorũ

IN poſſeſſionem ſempiternam.) vel vt Hebraice ad verbũ legitur, in apprehenſionem ſeculi. Hoc eſt, ad longum tempus, vt nonnullis placet. — In poſſeſſionem ſempiternam.

REPVTABVNTVR mihi.) mei erunt. Id eſt, hæredes mei erunt vt Ruben & Simeon.

QVOS genueris) quos genuiſti.

ET nomine fratrum ſuorum vocabuntur in poſſeſſionibus ſuis.) Id eſt, quando diuidenda erit hæreditas Terræ-Chananæorũ, comprehendentur ſub Ephraim & Manaſſe.

IN ipſo itinere, erátque vernum tempus: & ingrediebar Ephrathã,) in via quum adhuc ſupereſſet aliquod terræ ſpatium (vel, miliare terræ) antequam peruenirem ad Ephratham.

IVXTA viam) in via.

Videns autem filios eius, dixit ad eum, Qui ſunt iſti?
Reſpõdit, Filii mei ſunt quos donauit mihi Deus in hoc
loco. Adduc, inquit, eos ad me, vt benedicam illis. Ocu-
li enim Iſrael caligabant præ nimia ſenectute, & clare
videre non poterat. Applicitóſque ad ſe, deoſculatus &
circumplexus eos, dixit ad filium ſuum, Non ſum frau-
datus aſpectu tuo: inſuper oſtendit mihi Deus ſemen
tuũ. Cúmque tuliſſet eos Ioſeph de gremio patris, ad-
orauit pronus in terram. Et poſuit Ephráim ad dexte-
ram ſuam, id eſt ad ſiniſtram Iſrael: Manaſſen verò in ſi-
niſtra ſua, ad dexteram ſcilicet patris, applicuítque am-
bos ad eum. Qui extendens manum dexteram, poſuit
ſuper caput Ephráim minoris fratris: ſiniſtram autẽ ſu-
per caput Manaſſe qui maior natu erat, cõmutans ma-
Heb.11.d. nus. Benedixítque Iacob filiis Ioſeph, & ait, Deus in cu
ius conſpectu ambulauerunt patres mei Abraham & I-
ſaac, Deus qui paſcit me ab adoleſcentia mea vſque in
ſ.31.d. 31.a. præſentem diem: Angelus qui eruit me de cunctis ma-
matth.18.b. lis, benedicat pueris iſtis: & inuocetur ſuper eos nomen
meum, nomina quoque patrum meorum Abraham &
Iſaac, & creſcant in multitudinem ſuper terram.

ADDVC, inquit,) Adduc, quæſo, inquit.

CALIGABANT) Vel, grauati erant. Aut, graues erant.

CLARE) Hoc aduerbium non legitur Hebraice.

NON ſum fraudatus aſpectu tuo: inſuper oſtendit) Non exiſtimabam futurũ vt viderem faciem tuam: & ecce oſtendit mihi, &c.

DE gremio patris,) de genibus ſuis. quaſi dicat, Remouit à ſe filios ſuos, & ſtatuit prope patrem.

Adorare. ADORAVIT) Id eſt, gratias Deo egit.

POSVIT Ephráim) poſuit Ioſeph ipſum Ephráim.

QVI extendens) Et Iſrael extendens.

QVI maior natu erat, commutans manus.) intelligere fecit manus ſuas: quãuis Manaſſe eſſet primogenitus. Id eſt, ſcire & docte impoſuit manus ſuas, quemadmodũ poſtea euẽtus probauit: tanquã manus illæ eſſent cõſciæ rerũ futurarũ.

FILIIS Ioſeph,) Hoc loco IOSEPH, eſt datiui caſus, neque dictio FILIIS, legitur Hebraice, neque in Complutenſi editione.

QVI paſcit me ab adoleſcentia mea vſque in præſentem diem:) qui pauit me ex quo ſum, vſque in præſentem diem. Subintelligitur, Benedicat tibi, ô fili mi Ioſeph.

ET inuocetur ſuper eos nomen meum,) vocetur in eis nomen meum. Id eſt, dicantur poſthac filii mei, & filii Abrahæ & Iſaac. Inuocetur ſuper eos nomē meum.

SVPER terram.) in medio terræ.

Videns autem Ioſeph quòd poſuiſſet pater ſuus dexteram manum ſuper caput Ephráim, grauiter accepit: & apprehenſam manum patris leuare conatus eſt de capite Ephráim, & transferre ſuper caput Manaſſe. Dixítque ad patrem, Non ita conuenit pater: quia hic eſt primogenitus, pone dexteram tuam ſuper caput eius. Qui renuens ait, Scio fili mi, ſcio: & iſte 'quippe 'erit in populos, & 'multiplicabitur: ſed frater eius minor, maior erit illo, & ſemen illius 'creſcet in gentes. Benedixítque eis in tempore illo, dicens, 'In te benedicetur Iſrael, atque dicetur, Faciat tibi Deus ſicut Ephráim & ſicut Manaſſe. Conſtituítque Ephráim ante Manaſſen. 'Et ait ad Ioſeph filium ſuum, En ego morior, '& erit Deus vobiſcū, reducétque vos ad terram patrum veſtrorum. Do tibi ‖partem vnam extra fratres tuos, ‖'quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo. Ioſ.13.a. 16.a. Ioſ.24.b.

QVIPPE) etiam. Vetera Latina exemplaria S. Dionyſii, Germani, & Victoris legunt QVIDEM.

ERIT in populos,) Id eſt, multi populi orientur ex eo. Hebraiſmus. Erit in populos.

MVLTIPLICABITVR:) magnus erit. vel, creſcet.

CRESCET in gentes.) erit multitudo gentium. Id eſt, permultæ gentes ex eo venturæ ſunt. Hebraiſmus. Chaldæus paraphraſtes vertit, Filii eius erunt potentes in populis. Creſcere in gentes.

IN te benedicetur Iſrael, atque dicetur, Faciat tibi) in te benedicet Iſrael, atque dicet, Ponat te. Id eſt, dum populus Iſrael volet filiis ſuis bona imprecari, dicet, Multiplicer is vt multiplicatus eſt Ephraim & Manaſſe. In aliquo benedicere.

ET ait ad Ioſeph filium ſuum, En) Et ait Iacob ad Ioſeph, En &c.

ET erit Deus) erit autem Deus.

QVAM tuli &c.) Quidam Hebræorum dicunt hæc dicta eſſe per anticipationem, Quam accepi: pro, Quam accipiam, nepotéſque mei accepturi ſunt iure bellico. Amorrhæum autem ſolum nominat: quia erant fortiſſimi omnium horum quos Iſraelitæ deuicerunt. Alii putant hic ſignificari Sichimam, quam ob ſtupratam Dinam acquiſierunt, cuius etiam Iohannes euangeliſta meminit. Alii intelligunt de Ioſeph, cuius filii, duas partes acceperunt: atque ita partem vnam vltra fratres ſuos videtur accepiſſe Ioſeph. Eſt autē Hebraiſmus, In gladio & arcu meo, pro, Iure bellico. In gladio & arcu.

CAP. XLIX.

Deut.33.a.b. VOCAVIT autē Iacob filios ſuos,& ait eis,Congregamini,vt annuntiem quæ ventura ſunt'vobis in diebus nouiſſimis. Congregamini, & audite filii Iacob,'audite Iſrael patrem veſtrum. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea & principiū 'doloris mei: 'prior in donis,maior in imperio. Effuſus es ſicut aqua,
ſ.35.d.1.par.5.a non creſcas: ‖quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.

VOBIS) Id eſt,poſteris veſtris.

AVDITE Iſrael) audite inquam Iſrael.

DOLORIS mei:) roboris mei.Id eſt,quem genui quum adhuc eſſem fortis, in florenti ſcilicet ætate mea.

PRIOR in donis,&c.) excellentia dignitatis,& excellētia fortis.Leuitas ſicut aquæ,ne excellas: quia aſcendiſti cubile patris tui: ex quo contaminaſti ſtratum meū,defecit. Id eſt,Tibi debebatur ſacerdotium & imperiū,ex téque egreſſuri erant ſacerdotes & reges:verum leue fuit tibi ingenium,leuis fuiſti, & procliuis ad libidinem,vt aqua quæ celeriter labitur.Propterea non excelles:non pertinebit ad te ius neque ſacerdotii, neque regni, neque primogenituræ.Aſcendiſti enim cubile meum,& conſtupraſti Balam concubinam meam:ex cóque tempore quo polluiſti cubile meum, abſtinui à congreſſu cum ipſa Bala. Chaldæus paraphraſtes ſic vertit,Tu accepturus eras partes tres,primogenituram ſcilicet,ſacerdotium,& regnum. ſed quia ſecutus es voluntatem tuam,ſicut aqua effuſa non proficies. Quidā vertunt poſteriorem periodi partem ad hunc modum,Ex quo violaſti lectum meum,aſcendit:Id eſt,abiit:ſubaudi, dignitas tua.Hoc eſt, priuatus es dignitate quæ tibi debebatur. Nam primogenito, duæ hæreditatis partes, ſacerdotium & regnum,debebantur: quibus omnibus priuatus fuit.Ius primogenituræ ad Ioſeph,(nā duas hæreditatis partes habuit) ſacerdotium ad Leui,regnum verò ad Iudam trāſlatum eſt.In Latinis ſcriptis codicibus S.Germani,Dionyſii & Victoris,legitur,maior imperio:ſine præpoſitione IN.

Simeon & Leui'fratres: 'vaſa iniquitatis'bellantia. 'In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu il-
ſ.34.d. lorum non ſit gloria mea: ‖quia'in furore ſuo occiderūt 'virum,& 'in voluntate ſua ſuffoderunt murum. 'Maledictus furor eorum,quia pertinax:& indignatio eorum,
Ioſ.19.a.21.a.b quia dūra:‖diuidā eos in Iacob,& diſpergā eos in Iſrael.

FRATRES:) Id eſt,ſocii in ſcelere.

VASA iniquitatis) Id eſt,arma vel inſtrumenta violentiæ.

BELLANTIA.) in peregrinationibus eorum. Chaldæus paraphraſtes vertit,In terra peregrinationis ſuæ.Id eſt, quum peregrinarentur. Reuertebatur enim pater eorum cum ipſis de Haran,quum occiderunt Sichimitas. Alii vertūt, Arma violentiæ machæræ eorum.Id eſt,abuſi ſunt armis ſuis ad iniquitatem,occidentes innocentes Sichimitas.

IN conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea:) Vel, In arcanum eorum ne venias ô anima mea: ne ſis vnà in cœtu

eorum ô gloria mea. Id eſt, fuge cœtum eorum. Per gloriam, intelligit animam, & eſt repetitio diuerſis verbis. Gloria, pro anima.

IN furore ſuo) Id eſt, irati. Hebraiſmus. In furore ſuo.

VIRVM,) Singulare pro plurali. habitatores enim Sichem intelligit.

IN voluntate ſua ſuffoderunt murum.) Id eſt, ſecuti ſuos affectus, euerterunt vrbem Sichem.

MALEDICTVS furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura: diuidam) Vel, Maledicta ira eorum, quia fortis: & furor eorum, quia durus eſt. propterea diuidam &c. Id eſt, maledicta ira eorum, quia pertinax: & furor eorũ. ſit maledictus, quia inexpugnabilis. non enim potuerunt prohiberi ne mortem inferrent Sichimitis.

Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum? 1. Paralip. 5. a. NON AVFERETVR ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius: donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium. Iohan. 1. g. 7. g. matth. 1. a. Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem ô fili mi aſinam ſuam. Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ palliũ ſuũ. Pulchriores ſunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.

MANVS tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum,) Id eſt, vertes in fugam inimicos tuos, & vinces eos. Singulari numero legitur Manus tua: etiam in vetuſtiſſimis codicibus Latinis S. Dionyſii, Germani & Victoris. Manus tua in ceruicib⁹ inimicorum.

ADORABVNT te) incuruabuntur coram te. Id eſt, tibi tanquam præcellẽti, honorem deferent. Quidam hoc de CHRISTO intelligunt, quem Iſraelitæ adoraturi erant, qui de tribu Iudæ ortus eſt.

AD prædam fili mi aſcendiſti:) Id eſt, tu Iuda velut catulus leonis, vinces inimicos, & reportabis ampliſſima ſpolia. Ad poſteros autem Iudæ referendum eſt. & debent omnia verti per futurum: prophetiæ enim ſunt.

NON auferetur) Non recedet. Dicit regnum permanſurum eſſe in Iuda vſque ad CHRISTVM.

ET dux de femore eius:) & ſcriba (vel, legiſlator) de medio pedum eius.

QVI mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium) filius eius: & ad illum erit congregatio Populorum. Vel, & illi obedient Populi. Filium autem Iudæ, CHRISTVM intelligit, qui de tribu Iudæ deſcendit, cui bona pars Gentium credidit.

LIGANS ad vineam &c. candidiores.) Ligabit ad vitem pullum ſuum, & ad optimum palmitem pullum aſinæ ſuæ. Lauabit in vino veſtimentum ſuum: & in ſanguine vuarum operimentum ſuum. Rubicundis erit oculis præ vino, & candidis dentibus præ lacte. Id eſt, Terra Iuda, ſiue ſors quæ illi obueniet, erit tã ferax vini, vt vir aliquis poſſit ligare aſinum ſuum ad palmitem vnum, & ex eius fructu onerare aſinum: tanta inquam vini copia erit, vt poſſint in eo lauare veſtimenta ſua. Rubeſcent etiam, inquit, oculi virorum Iuda ab ipſo vino: tam largiter vinum proferet terra illa. Quin & lactis in ea ſorte tanta erit copia, vt dentes ipſius ex frequenti eius eſu ſint albicaturi.

Zabûlon in littore maris habitabit, & in ſtatione nauium pertingens vſque ad Sidônem.

Iſſachar aſinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem quòd eſſet bona, & terrã quòd optima: & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factúſque eſt tri butis ſeruiens.

IN litore,) iuxta portum.

ET in ſtatione nauium pertingens vſque ad Sidonem.) & erit in portum nauium terminúſque eius erit iuxta Sidonem.

INTER terminos.) inter duas ſarcinas. Vel, duo onera. Id eſt, Hæc tribus erit fortis velut aſinus, qui inter duo onera ſi ſuccumbat, reſurgit tamen: ita hæc tribus nunquam ſuccumbet, etiam in periculis maximis. Alii vertunt vt vertit interpres, Inter duos terminos. Alii, Inter terminos vrbium. Alii, Inter acies. quæ varietas hinc prouenit, quòd vox Hebraica HAMISPATHAIM, pro qua terminos vertit interpres. hoc tantum loco, in toto Bibliorũ volumine reperiatur. הַמִּשְׁפְּתָיִם

VIDIT requiem, &c.) Id eſt, tametſi ſit fortiſſimus, tamen conſyderauit bonum eſſe, viuere in quiete, & regionem ſuam iucundam eſſe ob fructuum ſuauitatem: propterea mallet ferre onus ſibi impoſitum, & penſitare tributum, quàm continuis atteri bellis.

OPTIMA:) amœna.

Dan iudicabit populum ſuum ſicut & alia tribus in Iſrael. Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcẽſor eius retro. SALVTARE tuum expectabo Domine.

Gad, accinctus præliabitur ante eum: & ipſe accingetur retrorſum.

IVDICABIT) Hoc dicit, quia fuerunt iudices è tribu Dan.

SICVT & alia) Id eſt, ſiqua alia ſit quæ iudicet, & illa iudicabit.

FIAT Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita,) Futurus eſt Dan ſicut ſerpẽs iuxta viam, & ſicut ceraſtes iuxta viam. Repetitio eſt, verbis immutatis. Hic autem laudat eum ab aſtu bellico.

VNGVLAS equi, vt &c.) vngulas equorum, ita vt &c.

SALVTARE tuum expectabo Domine.) ſalutare tuum expecto, ô Domine. Id eſt, auxilium à te expecto Domine. quaſi dicat, libera me ab aſtutia huius tribus. Vel, Ex alia tribu tandem naſcetur ſalutare tuum, qui eſt CHRISTVS.

GAD, accinctus præliabitur ante eum: & ipſe accingetur retrorſum.) Gad exercitus inuadet illum, & expugnabit tandem. Id eſt, Tribum quidem Gad exercitus inuadet: at ipſa tandem expugnabit illum exercitum.

Aſer pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.

Nephthali ceruus emiſſus, & dans eloquiã pulchritudinis.

ASER pinguis panis eius,) De Aſer pingui, panis eius. Id eſt, de terra Aſer, quæ pinguis erit, naſcetur panis eius. Hoc eſt, abundabit omnibus quæ ad victum pertinent: vt non ſit illi opus aliunde ei annonam apportari.

ET præbebit delicias regibus.) & præbebit delicias regias. Id eſt, tam ſuaues

fructus ea terra proferet, vt illis etiam reges contenti eſſe poſſint.

NEPHTHALI ceruus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis.) Nephthali velut cerua miſſa: qui daturus eſt verba eloquentiæ. Id eſt, erit elegantiſſima & formoſiſſima hæc tribus, qualis eſſe cerua ſolet quæ ad aliquem principē mittitur: vel, valebit celeritate pedum. erit præterea facundiſſima. Dare verba eloquentiæ.

‖ Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens & decôrus aſpectu: filiæ diſcurrerūt ſuper murū. Sed exaſperauerūt eū, & iurgati ſunt, inuiderúntq; illi habētes iacula. Sedit in forti arcus eius, & diſſoluta ſūt vincula brachiorū & manuū illius per manus potētis Iacob: inde paſtor egreſſus eſt, lapis Iſrael. Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotēs benedicet tibi benedictionibus cæli deſuper, benedictionibus abyſſi iacētis deorſum, benedictionibus huberū & vuluæ. Benedictiones patris tui cōfortatæ ſūt benedictionibus patrum eius: donec veniret deſyderiū collium æternorum. fiant in capite Ioſeph & in vertice nazaræi inter fratres ſuos. 1. Paralip. 5. a.

FILIVS accreſcēs Ioſeph, &c. Sed.) Sicut ramus creſcēs Ioſeph, ramus inquā creſcēs iuxta fontē: erit velut puellæ incedētes iuxta mœnia. Hoc eſt, erit velut plātula formoſiſſima, mirū in modū creſcēs propter abūdantiā humorū. Couertet oculos omniū in ſe, velut puellæ quæ incedūt iuxta muros vrbis, vt videdas ſe præbeant ob pulchritudinē. Alii vertūt, Filius ramoſæ arboris iuxta fontē: filiæ diſcurrerunt iuxta murū. Hoc eſt, erit velut arbor iuxta fontē plantata, & ob id gratiſſima: filiæ diſcurrerunt ſuper murū, vt pulchritudine eius contemplarentur.

SED exaſperauerunt eum, & iurgati ſunt, inuiderúntque illi habentes iacula.) Et amaritudine afflixerunt eum, & iaculati ſunt, & odio habuerunt eum magiſtri telorum. Id eſt, ſagittarii iacula miſerunt in eum. Hoc eſt, multos habitura eſt inimicos tribus Ioſeph. Præteritum enim pro futuro poſitum eſt.

SEDIT in forti &c. Deus) Sed ſedit in loco forti arcus eius, & fortia fuerūt brachia manuum eius à manibus fortis Iacob, vnde pauit lapidem Iſraelis. Id eſt, Habitauit in loco forti, cum auxilio forti: defendit illū locus fortis, & milites fortes, ope & auxilio fortis Dei Iacob: vnde, ſiue à quo Deo, & cuius ope pauit lapidem & baſim Iſrael: nempe me Iacob qui ſum pater omnium Iſraelitarum. Poſtquam enim multa perpeſſus fuerat, & variis iaculis petitus à fratribus & domina ſua: tandem Dei auxilio immobilis permanſit & nutriuit patrē & fratres. Quidā hæc in futuro legunt, quòd ſit prophetia, Sedebit, & fortia erunt.

DEVS patris tui &c. Benedictionibus) A Deo patris tui qui adiuuit te, & ab omnipotente qui benedixit tibi benedictionibus cæli &c. Subaudi, hæc omnia tibi contigerunt.

BENEDICTIONIBVS cæli deſuper, benedictionibus abyſſi iacentis deorſū, benedictionibus huberū & vuluæ.) Id eſt, Habitabit in terra fertiliſſima ob frequentes pluuias & rores de cælo, agros irriguos, & copioſos frugum prouentus. Fœlix erit præterea gregum & liberorum copia. Hebraiſmus. Abyſſum vocat mare. quaſi dicat, Dabit tibi tempeſtiuam & opportunam pluuiam. Alludit ad nubes quæ excitãtur ſurſum è mari. Chaldæus paraphraſtes vertit, Benedictionibus quæ aſcendunt de profundis terræ. In regione ſicca, magni beneficii eſt pluuia. Benedicere benedictionibus cæli. Abyſſus.

CONFORTATAE ſūt benedictiō: b⁹ patrū eius) fortiores fuerūt benedictioni-

b' parētū meorū. Id eſt, benedictiões quib' benedico tibi, maiores erūt benedicti onibus quibus benedixerūt mihi maiores mei. quaſi dicat, Eris multo fœlicior me.

DONEC veniret deſyderium collium æternorum.) quæ vſque ad extremitatem collium mundi. Subaudi, durabunt. Id eſt, omni tempore quo ſteterit terminus collium mundi, erunt hæ benedictiones. Alii ſubaudiunt, pertingent. tunc ſignificat maximas futuras benedictiones.

FIANT in capite Ioſeph, & in vertice nazaræi inter fratres ſuos.) eruntque benedictiones ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticē coronati fratrum ſuorum. Id eſt, ſuper verticem eius qui eſt princeps inter fratres ſuos. Alii vertunt, Super verticem eius qui fuit ſeparatus à fratribus ſuis. Eſt autem repetitio verbis immutatis more Hebræorum qui gaudent repetitionibus. Separatus fuit Ioſeph quando venditus fuit.

Ben-iamin 'lupus rapax, mane comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia. 'Omnes hi in tribubus Iſrael duo decim: hæc locutus eſt eis pater ſuus, benedixítque ſingulis, 'benedictionibus propriis. Et præcepit eis, dicens, Ego 'congregor ad populum meum: ſepelite me cum
ſ.23.d. patribus meis in ſpelunca duplici quæ eſt in agro Ephrō Hethæi 'contra Mambre in Terra-Chanáan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in poſſeſſionem ſepulchri. Ibi ſepelierunt eum, & Saram vxorē eius: ibi ſepultus eſt Iſaac cum Rebecca coniuge ſua: ibi & 'Lia condita iacet. Finitíſque mandatis 'quibus filios inſtruebat, collegit pedes ſuos 'ſuper lectulum, & obiit: appoſitúſque eſt ad populum ſuum.

LVPVS rapax,) vt lupus rapiet. Id eſt, ſuperabit inimicos, lacerabit prædam, & omnia faciet quæ ſolent facere victores. Hebraiſmus.

OMNES hi in tribubus Iſrael duodecim: hæc locutus eſt eis pater &c.) Omnes iſtæ tribus Iſrael, ſunt duodecim. Hoc igitur eſt quod locutus eſt eis pater &c. Hoc eſt, ab iſtis duodecim ſunt denominatæ duodecim tribus Iſrael.

BENEDICTIONIBVS propriis.) iuxta ſuam benedictionem. Id eſt, precatus eſt eis quæ poſtea euenerunt illis.

Cōgregari ad populum. CONGREGOR ad populum meum:) Id eſt, in eum locum abeo ſiue diſcedo, vbi nunc ſunt maiores mei, hoc eſt, ad ſedes beatas. quaſi dicat, morior.

CONTRA Mambre) eregione Mamre.

LIA condita iacet.) Liam ego ſepeliui.

QVIBVS filios inſtruebat,) ad filios.

SVPER lectulum,) in lectum.

CAP. L.

QVOD cernens Ioſeph, ruit ſuper faciem patris flens & deoſculans eum. Præcepítque ſeruis ſuis medicis, vt aromatibus condirent patrem. Quibus iuſſa explentibus, tranſierunt quadraginta dies:

'iſte quippe mos erat cadauerum conditorum. fleuítq; eum AEgyptus ſeptuaginta diebus. Et expleto plãctus tempore, locutus eſt Ioſeph ad familiam 'Pharaonis, 'Si inueni gratiam in conſpectu veſtro, loquimini 'in auribus Pharaonis: 'eo quòd pater meus adiurauerit me, dicens, En morior, in ſepulchro meo ‖quod fodi mihi in Terra-Chanáan, ſepelies me. 'Aſcendam igitur, & ſepeliam patrem meũ, ac reuertar. Dixítque ei Pharao, Aſcende, & ſepeli patrem tuum ſicut adiuratus es. *ſ.47.g.*

ISTE quippe mos erat cadauerũ conditorũ.) quia ſic implentur dies conditorũ aromatibus. Id eſt, apparatus ille non abſoluitur ante quadrageſimũ diem.
PHARAONIS,) Ex Hebræo addendum, DICENS, QVAESO.
SI inueni gratiã in conſpectu veſtro,) Hebraiſmus, pro, Si ſum vobis gratus.
IN auribus Pharaonis:) Hebraiſmus, pro Pharaoni. *In auribus alicuius loqui.*
EO quòd pater meus adiurauerit me,) dicentes, Adiurauit me pater meus.
ASCENDAM igitur,) Aſcendam igitur obſecro. Id eſt, Iubeat me aſcendere, & ſepelire &c.

'Quo aſcendente, ierunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis, cunctíque maiores natu Terræ-AEgypti: 'domus Ioſeph cum fratribus ſuis, abſque paruulis & gregibus, atque armentis quæ 'dereliquerunt in Terra-Geſſẽ. Habuit quoque in comitatu currus & equites: & facta eſt 'turba nõ modica. Venerúntq; ad Aream-atad, quæ ſita eſt trans Iordanem: 'vbi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi impleuerunt ſeptem dies. Quod cum vidiſſent habitatores Terræ-Chanáan, dixerunt, Planctus magnus eſt iſte AEgyptiis. Et idcirco vocatũ eſt nomẽ loci illius, Planctus-'AEgypti. Fecerũt ergo filii Iacob ſicut præceperat eis: & portantes eum in Terram-Chanáan, ‖ſepelierunt eum in ſpelunca dupli- *Act.7.b.*
ci, ‖quam emerat Abraham cum agro in poſſeſſionẽ ſe- *ſ.23.d.*
pulchri ab Ephron Hethæo contra faciem Mambre.

QVO aſcendente,) Hebræi addunt, vt ſepeliret patrem ſuum.
DOMVS Ioſeph cum fratribus ſuis,) Sic legitur Hebraice, Sed & vniuerſa domus Ioſeph cum fratribus ſuis, & domus patris ſui.
DERELIQVERVNT) dereliquerant. Sic legunt exemplaria Latina ſcripta S. Dionyſii & Germani.
TVRBA) turma.
VBI celebrantes exequias planctu magno atque vehementi, impleuerunt ſep-

tem dies.) & planxerunt ibi planctu magno atque grauiſſimo: fecitque luctum ſuper patrem ſuum ſeptem diebus.

AEGYPTI.) Addunt Hebræi, qui eſt trans Iordanem.

Reuerſúſque eſt Ioſeph in AEgyptum cum fratribus ſuis & omni comitatu, ſepulto patre. 'Quo mortuo, timentes fratres eius, & mutuò colloquẽtes, Ne fortè memor ſit iniuriæ quam paſſus eſt, & reddat nobis omne malum quod fecimus, mandauerunt ei, dicentes, Pater tuus 'præcepit nobis antequam moreretur, 'vt hæc tibi verbis illius diceremus, Obſecro vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te. nos quoq; oramus 'vt 'ſeruo Dei patri tuo dimittas iniquitatẽ hanc. Quibus auditis fleuit Ioſeph.

QVO mortuo &c. Pater.) Videntes autem fratres Ioſeph patrem ſuum eſſe mortuum, dixerunt, Forte proſequetur nos odio Ioſeph, & reddet nobis omnem iniuriam quam fecimus ei. Mandauerunt igitur ei dicentes, Pater &c. Id eſt, legatos miſerunt ad Ioſeph qui hæc dicerent. Verti etiam poſſet, Forte aduerſabitur nobis. In antiquo ſcripto codice paruo S. Germani legitur EI, Fecimus ei.

PRAECEPIT nobis) Pronomen NOBIS, non legitur Hebraice.

VT hæc tibi &c. oramus.) vt hoc tibi diceretur, Obſecro remitte nunc ſcelus fratribus tuis, & peccatum eorum: malum enim retribuerunt tibi. Nunc etiam oramus &c.

SERVO Dei patri tuo) ſeruis Dei patris tui. Sic etiam legit Complutenſis editio, & codex S. Germani paruus ſcriptus.

'Veneruntque ad eum fratres ſui: '& proni adorantes in terram, dixerunt, Serui tui ſumus. Quibus ille reſpondit, Nolite timere: 'num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum: vt exaltaret me ſicut impræſentiarum cernitis, & ſaluos faceret multos populos. Nolite timere: ego paſcã vos & paruulos veſtros. conſolatúſque eſt eos, '& blandè ac leniter eſt locutus.

Ī.45.b.

VENERVNTQVE) Adde aduerbium ETIAM, Venerúntque etiam. Id eſt, fratres ſubſecuti ſunt ſtatim legatos.

ET proni adorantes in terram, dixerunt,) & ceciderunt ante conſpectum eius, dicentes. Vel, & proſtrauerunt ſeſe ante illum, & dixerunt.

NVM Dei poſſumus reſiſtere voluntati?) quia num pro Deo ego ſum? Vel, Num Deus ego ſum? Subaudi, vt ſic fecerim. Quaſi dicat, hoc non factum eſt cõſilio meo, ſed diuino. Alii ſic intelligũt, Nolite timere: quia de vobis ſuppliciũ nõ ſumam, neque enim Deus ſum. Alii etiã putant hoc ab eo dictum eſſe propterea quòd à fratribus adoraretur, quaſi diceret, Hic honos Deo, nõ mihi, haberi debet.

Viuificare populum.

VOS cogitaſtis &c Nolite) Vos quidem cogitaſtis aduerſum me malum, ſed Deus cogitauit illud in bonum: vt faceret ſicut hodie videtis, & viuificaret po-

pulum multũ.Nunc itaque nolite &c.Id eſt,Vt me exaltaret,& conſtitueret prin cipẽ,vt multos populos miniſterio meo paſceret tempore famis.Hebraiſmus eſt: ſicut & COGITAVIT, pro VERTIT, vt reddidit interpres. Cogitare.

ET blande ac leniter eſt locutus.) & locutus eſt iuxta cor eorum. Loqui iuxta cor alicuius, locutio Hebraica, pro verbis blandis lenire dolorem illius. Loqui iuxta cor alicuius.

'Et habitauit in AEgypto cũ omnĩ domo patris ſui: vixítque centum decem annis. 'Et vidit Ephráim filios vſque ad tertiam generationẽ.‖Filii quoque Machir filii Nume.32.g. Manaſſe 'nati ſunt in genibus Ioſeph. Quibus tranſactis‖locutus eſt 'fratribus ſuis, Poſt mortem meã Deus Heb.11.d. viſitabit vos,& aſcendere vos faciet de terra iſta ad terram quam iurauit Abraham, Iſaac, & Iacob. Cúmque adiuraſſet eos,atque dixiſſet,Deus viſitabit vos, ‖aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto: mortuus eſt expletis centum decem vitæ ſuæ annis.Et conditus aromatibus,repoſitus eſt in loculo in AEgypto. Exod.13.d. ioſ.24.g.

ET habitauit in AEgypto) Habitauit itaque in AEgypto.

ET vidit Ephráim filios vſque ad tertiam generationem.) Et vidit Ioſeph filios tertiorum ipſius Ephraim. Id eſt,quartam generationem.

NATI ſunt in genibus Ioſeph.) educati ſunt ſuper genua Ioſeph.Phraſis Hebraica,Educati ſunt in gremio Ioſeph,id eſt,educati ſunt apud Ioſephum. Educati ſuper genua.

FRATRIBVS ſuis,) Id eſt,cognatis.erant enim fratres mortui,vt veriſimile eſt,quia natu grandiores.

Annotationes in Exodū.

LIBER EXODVS, HEBRAICE VEELLE SEMOTH.

Secũdus liber Moyſi Græcè dicitur ἔξοδος Exodus, Id eſt, exitus: quod nomē habet ab inſigni illo & ſtupēdo miraculo quo filii Iſrael egreſſi ſunt ex AEgypto, & priſtinā, diuque expectatam libertatē recuperauerunt: Hebraicè vero VEELLE SEMOTH, Id eſt, Hæc ſunt nomina, nuncupatur, à primis huius libri vocibus. וְאֵלֶּה שְׁמוֹת

CAP. I.

Gene. 46. a. HAEC ſunt nomina filiorum Iſrael qui ingreſſi ſunt in AEgyptum cum Iacob: ſinguli 'cum domibus ſuis introierunt: Ruben, Simeon, Leui, Iudas, Iſſachar, Zabulon, & Ben-iamin, Dan, & Nephthali, Gad & Aſer. Erant igitur omnes animæ eorum qui egreſſi ſunt de femore Iacob, ſeptuaginta: 'Ioſeph autē in AEgypto erat. Quo mortuo, & vniuerſis fratribus eius, 'omníque Act. 7. c. cognatione ſua: filii Iſrael creuerũt, & quaſi germinãtes multiplicati ſunt: ac roborati 'nimis, impleuerũt Terrã.

CVM domibus ſuis) id eſt, cum familia ſua. Commendat in hoc capite gloriã Dei, & ſequentibus fidem in promiſſionibus diuinis.

IOSEPH autem) Vel, Nam Ioſeph. Quaſi dicat, illi deſcenderũt in AEgyptũ, quia Ioſeph erat in AEgypto.

OMNÍQVE cognatione ſua:) omníque generatione illa. Id eſt, hominibus illius ætatis. Hoc dicit vt oſtendat afflictionē non accidiſſe Iſraelitis viuēte Ioſeph.

NIMIS,) vehementiſſime.

Surrexit interea rex nouus ſuper AEgyptũ qui ignorabat Ioſeph: & ait ad populum ſuum, Ecce, populus filiorum Iſrael 'multus, & fortior nobis eſt. 'Venite, ſapienter opprimamus eũ: ne fortè multiplicetur: & ſi ingruerit cõtra nos bellũ, addatur inimicis noſtris, 'expugnatíſq; nobis egrediatur de Terra. Præpoſuit itaq; eis magiſtros operũ vt affligerent eos oneribus: ædificauerúntque vrbes 'tabernaculorum Pharaoni, Phithom, & Rameſſes. Quantóque opprimebãt eos, tanto magis multiplicabantur, & creſcebãt: 'oderántque filios Iſrael AEgyptii, & affligebant illudentes eis & inuidentes. 'Atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus

duris luti, & lateris, omníque famulatu, quo in terræ operibus premebantur.

MVLTVS) maior.

VENITE, ſapienter opprimamus eũ: ne forte multiplicetur: & ſi &c.) Eia, callide agamus contra eum, ne multiplicetur: & eueniat, vt ſi ingruerit &c. Id eſt, rationem aliquam ineamus qua poſſimus illum opprimere, ne multiplicetur.

EXPVGNATÍSQVE nobis egrediatur de Terra. Præpoſuit itaque eis magiſtros operũ) & oppugnet nos, aſcẽdátque de Terra. Conſtituerũt itaque eis principes tributorum. Id eſt, exactores. exegerunt enim ab Iſraelitis tributa magna, vt affligerent eos oneribus & tributis illis magnis.

TABERNACVLORVM) theſaurorũ. Vox Hebræa, MISCHENOTH, ſignificat hîc theſauros, vel loca in quibus reponuntur triticum, vina, & huiuſmodi. מִסְכְּנוֹת

ODERANTQVE &c. Atque) quod moleſte ferentes AEgyptii, ſeruire fecerũt filios Iſrael in duritia. Id eſt, redegerũt eos in ſeruitutẽ duriſſimã. Hebraiſmus eſt. Hæc verba, ET INVIDENTES: nõ leguntur in vtroque ſcripto exẽplari S. Dionyſii, neque in editione Baſilienſi.

ATQVE ad amaritudinẽ &c.) Et amaritudine affecerunt vitam illorũ ſeruitute inclementi, in luto parando, lateribúſque, & in omnj opere ruſtico: fuitque omnis eorũ ſeruitus qua ſeruierũt ipſis, dura. Vel, citra miſericordiã & inhumana.

‖Dixit autem rex AEgypti obſtetricibus Hebræorum: Sapien.18.b.
quarum vna vocabatur Sephora, altera Phua, præcipiens eis, Quando obſtetricabitis Hebræas, '& partus tempus aduenerit: ſi maſculus fuerit, interficite eũ: ſi fœmina, reſeruate. Timuerunt autem obſtetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum regis AEgypti, ſed 'cõſeruabãt mares. Quibus accerſitis ad ſe, rex ait, 'Quidnam eſt hoc quod facere voluiſtis, vt pueros ſeruaretis? 'Quæ reſpõderũt, Nõ ſũt Hebrææ ſicut AEgyptiæ mulieres: 'ipſæ enim obſtetricãdi habẽt ſcientiã, & priuſquã veniamus ad eas, pariũt. Bene ergo fecit Deus obſtetricibus: & creuit populus, cõfortatúſq; eſt 'nimis. 'Et quia timuerũt obſtetrices Deũ, ædificauit eis 'domos. Præcepit ergo Pharao omni populo ſuo, dicens, Quicquid maſculini ſexus natũ fuerit, 'in flumen proiicite: quicquid fœminini, 'reſeruate.

ET partus tempus aduenerit:) & videritis ſedem. In qua ſcilicet recipitur fœtus: Vel, in qua ſedet quæ parit. Alii dicunt vocem Hebræam HAAVENAIM, ſignificare vuluam: & per vuluam ſignificari fœtum. quaſi dicat, quum videritis fœtum qui egredictur ex vtero matris. Duarum tantum obſtetricum meminit, cum permultæ aliæ eſſent: verum iſtæ locum principem obtinebant inter alias. הָאָבְנָיִם

CONSERVABANT mares.) viuificauerunt mares. Id eſt, ſeruauerũt mares natos, dederũt operam vt incolumes mares editi in lucẽ, ſeruarẽtur. Hebraiſmus. Viuificare.

QVIDNAM eſt hoc quod facere voluiſtis, vt pueros ſeruaretis?) Qua de cauſa feciſtis rem iſtam, vt pueros ſeruaretis?

QVAE reſponderũt, Non ſunt) Quæ reſponderũt Pharaoni, Quoniam non

ſunt &c.Subaudiendum aliquid,Id accidit quòd mulieres &c.

IPSAE enim &c.) ipſæ enim viuaciores ſunt : & prius quàm venerit ad eas obſtetrix,pepererunt. Chaldæus paraphraſtes vertit,Quia ſapientes & prudentes ſunt.Id eſt,nouerunt artem obſtetricandi.

NIMIS.) vehementer.

ET quia timuerunt) Accidit autem,quia timuerunt illæ &c.

Domus. DOMOS.) Id eſt familias.quaſi dicat, Dedit illis prolem numeroſiſſimam.

IN flumen) De Nilo intelligit.

RESERVATE.) viuificate.Id eſt,ſeruate incolumem.Hebraiſmus.

CAP. II.

1.6.c.nume.23 g. 1.paral.23.b EGRESSVS eſt poſt hæc 'vir de domo Leui. Et accepit vxorem ſtirpis ſuæ: quæ concepit, & peperit filium: & videns eum elegantem abſcondit tribus menſibus. Cúmque iam celare non poſſet, ſumpſit 'fiſcellam ſcirpeam,& liniuit eam bitumine ac pice: poſuítque intus infantulum, & expoſuit eum in carecto 'ripæ fluminis,ſtante procul ſorore eius,& conſyderante 'euentum rei. ¶'Ecce autem deſcendebat filia Pharaonis vt lauaretur in flumine: & puellæ eius gradiebantur 'per crepidinem aluei.Quæ cum vidiſſet fiſcellam 'in papyrione, 'miſit vnam è famulabus ſuis: & allatam aperiens, cernénſque in ea paruulum vagientem,miſerta eius,ait,De infantibus Hebræorum eſt hic.Cui ſoror pueri, Vis,inquit,vt vadam,& vocem tibi 'mulierem Hebræam,quæ nutrire poſſit infantulũ? Reſpondit,Vade. Perrexit puella,& vocauit matrẽ 'ſuam.Ad quam locuta filia Pharaonis,Accipe,ait,puerum iſtum,& nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam.Suſcepit mulier,& nutriuit puerum:adultúmque tradidit filiæ Pharaonis. Quem illa adoptauit in locum filii, vocauítque nomen eius Moyſes,dicens,Quia de aqua 'tuli eum.

Act.7.c. heb.11.d.

VIR de domo Leui.) Id eſt,quidam Leuita.Hic fuit Amram, qui amitam ſuã, patris ſui ſororem,duxit in vxorem,nempe Iochabed.

FISCELLAM) Vel,arculam arundineam,ſiue iunceam.

RIPAE) iuxta ripam.

EVENTVM rei.) quid accideret ei.

ECCE autem deſcendebat) Deſcendit autem.

PER crepidinem aluei.) in ripa fluminis.

IN papyrione,) in medio carecti.

MISIT vnam è famulabus ſuis: & allatam aperiens,) miſit ancillam ſuam,& extraxit eam:& aperuit.Alii vertunt,Et miſit brachium ſuum,& accepit eã.Chal-

daus paraphraſtes,Extendit brachium.

MVLIEREM Hebræam quæ nutrire poſſit) mulierem Hebræam nutricem, quæ lactare poſſit.

SVÁM.) pueri.

TVLI) extraxi.

'In diebus illis poſtquam creuerat Moyſes,egreſſus eſt ad fratres ſuos : vidítque 'afflictionem eorum, & virum AEgyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus ſuis.Cúmque circunſpexiſſet huc atq; illuc,& nullũ adeſſe vidiſſet, percuſſum AEgyptium abſcondit 'ſabulo. Et egreſſus 'die altero conſpexit duos Hebræos rixantes: dixítque 'ei qui faciebat iniuriam,Quare percutis 'proximum tuum?Qui reſpondit,Quis conſtituit 'te principem, & iudicem ſuper nos? num occidere me 'tu vis,ſicut heri occidiſti AEgyptium? Timuit Moyſes, & ait,'Quomodo palàm factum eſt verbum iſtud?

IN diebus illis) Accidit autem in diebus illis.

AFFLICTIONEM) onera.

SABVLO.) Vel,arena.

DIE altero) poſtridie.

EI qui faciebat iniuriam,) Vel,ad impium.

PROXIMVM) ſocium.

TE principem,) te in virum principem.

TV vis,ſicut heri occidiſti) tu cogitas,ſicut occidiſti illũm. Vel,tu quæris,ſicut occidiſti illum.

QVOMODO palàm factum eſt verbum iſtud) Profecto nota facta eſt res illa. Hoc eſt, meum factum innotuit.

Audiuítque Pharao 'ſermonem hunc,& quærebat occidere Moyſen: qui fugiens de conſpectu eius, moratus eſt in Terra-Madian, & ſedit iuxta puteum. Erant autem 'ſacerdoti Madian ſeptẽ filiæ,quæ venerant ad hauriendam aquam:'& impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris ſui.Superuenere paſtores, & eiecerũt eas : ſurrexítque Moyſes, & defenſis puellis, adaquauit oues earum. Quæ cum reuertiſſent 'ad Iethro patrem ſuum,dixit ad eas, Cur velocius veniſtis 'ſolito? Reſpõderunt, Vir AEgyptius liberauit nos de manu paſtorum:inſuper & hauſit aquam 'nobiſcum,potúmque dedit ouibus.At ille,Vbi eſt,inquit? 'quare dimiſiſtis hominem? vocate eum'vt comedat panẽ.'Iurauit ergo Moy-

ſes quòd habitaret cum eo.

SERMONEM hunc,) rem hanc. quòd ſcilicet Moyſes interfeciſſet AEgyptiũ.

SACERDOTI) Chaldæus paraphraſtes vertit principi.

ET impletis canalibus adaquare cupiebant greges) impleuerántque canales vt potarent greges.

AD Iethro) ad Raguel. Sic etiam legunt vetera Latina exemplaria S. Dionyſii & Germani, conſentientibus editionibus Complutenſi & Baſilienſi.

SOLITO) hodie

NOBISCVM,) nobis.

QVARE dimiſiſtis hominem?) quare reliquiſtis hominem? Id eſt, quare non adduxiſtis vobiſcum hominem?

Comedere panem.

VT comedat panem.) Id eſt, vt apud nos cibum capiat. Hebraiſmus.

IVRAVIT ergo Moyſes quòd habitaret cum eo.) Conſenſit ergo Moyſes habitare cum viro.

J.18.a.1.para. 23.b.

‖ Accepítque Sephoram filiam eius vxorem: quæ peperit ei filium, quem vocauit Gerſam, dicẽs, Aduena fui in terra aliena. Alterum verò peperit: quem vocauit Eliézer, dicens, Deus enim patris mei adiutor meus, & eripuit me de manu Pharaonis. Poſt multum verò temporis mortuus eſt rex AEgypti. & ingemiſcentes filii Iſrael, propter opera vociferati ſunt: aſcendítque clamor eorum ad Deum ab operibus. Et audiuit gemitum eorum, & recordatus eſt fœderis quod pepigit cum Abraham, Iſaac, & Iacob. Et reſpexit Dominus filios Iſrael, & liberauit eos.

ACCEPÍTQVE Sephoram filiam eius vxorem:) Dedítque Sephoram filiam ſuam Moyſi.

QVEM vocauit) quem ille vocauit.

ALTERVM verò peperit: quem vocauit Eliézer, dicens, Deus enim patris mei adiutor meus, & eripuit me de manu Pharaonis.) Hæc verba non leguntur hoc loco in codicibus Hebraicis, neque in veteribus ſcriptis Latinis, S. Dionyſii lato, & Germani oblongo.

POST multum verò temporis) Factum eſt autem in diebus illis multis. Vel, poſt dies multos. Id eſt, poſt multos annos. poſt quadraginta ſcilicet annos, vt volunt quidam Hebræorum.

PROPTER opera) propter ſeruitutem illam.

Aſcendit clamor eorũ ad Deum.

ASCENDITQVE clamor eorũ ad Deũ) Id eſt, exaudiuit eos Deus. Hebraiſ.

AB operibus.) propter ſeruitutem illam.

RESPEXIT Dominus filios Iſrael, & liberauit eos.) reſpexit Deus filios Iſrael, & cognouit Deus. Sic legit Latinum exemplar S. Germani, latum & paruũ, conſentiente editione Moguntinenſi, & Correctorio Sorbonico. Id eſt, Dominus nouit conſilia AEgyptiorum, quòd volebant perdere Iſraelitas.

CAP. III.

Act.7.d.

M‖OYSES autem paſcebat oues Iethro ſoceri ſui ſacerdotis Madian: cúmque minaſſet gregẽ ad

interiora deſerti, vênit 'ad montem Dei Horeb. ‖Appa- Act.7.d.
ruítque ei 'Dominus in flamma ignis de medio rubi: &
videbat quòd rubus arderet, & non 'cōbureretur. Dixit
ergo Moyſes, 'Vadam, & videbo viſionem hanc magnā,
quare non comburatur rubus. Cernens autem Domi-
nus quòd 'pergeret ad videndum, vocauit eum de me-
dio rubi, & ait, Moyſes Moyſes? Qui reſpondit, Adſum.
At ille, Ne appropies, inquit, huc: ſolue 'calceamentum
de pedibus tuis. locus enim in quo ſtas, 'terra ſancta eſt.
Et ait, ‖Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, & De- Matth.22.c. marc.12.c. luc.20.f.
us Iſaac, & Deus Iacob. Abſcondit Moyſes faciem ſuā:
non enim audebat aſpicere contra Deum. Cui ait Do-
minus, Vidi afflictionem populi mei in AEgypto, & cla
morem eius audiui 'propter duritiam eorum qui præſūt
operibus: & ſciens 'dolorem eius, 'deſcendi vt liberem
eum de manibus AEgyptiorum, & educam de terra illa
in terram bonam, & ſpatioſam, in terram quæ fluit 'lacte
& melle, ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, &
Pherezæi, & Heuæi, & Iebuſæi. Clamor ergo filiorum
'Iſrael vênit ad me: 'vidíque afflictionem eorum qua ab
AEgyptiis opprimuntur.

SACERDOTIS) Vel, principis.
AD interiora deſerti,) poſt deſertum. Id eſt, in penitiſſimam partē deſerti.
AD montem Dei) Hoc per anticipationem dictum. nondū enim Mons-Dei appellabatur.
DOMINVS) angelus Dei Quidā dicunt per angelum, intelligi verbum Dei. Alii ipſum angelum, qui poſtea dicetur Dominus. Dicuntur enim angeli de nomine mittentis.
COMBVRERETVR.) conſumeretur.
VADAM, & videbo) Vadam nunc, & videbo.
PERGERET) diuerteret.
CALCEAMENTVM) calceamenta tua.
TERRA ſancta eſt.) Subaudi, propter præſentiam meam.
PROPTER duritiam eorum qui præſunt operibus:) propter exactores eius.
DOLOREM eius,) dolores eius.
DESCENDI) Dicitur Deus deſcendere, quando audit nos. Deſcendit Deus.
QVAE fluit lacte & melle,) Id eſt, quæ abundat optimis quibuſque fructibus & rebus delicatiſſimis. Hebraiſmus. Lacte & melle fluēs terra.
ISRAEL venit) Iſrael nunc venit.
VIDIQVE) & etiam videram.

'Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas po-

pulum meum filios Iſrael de AEgypto. Dixítque Moyſes ad Deum, Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſrael de AEgypto? 'Qui dixit ei, Ego ero tecum:& hoc habebis ſignum quòd miſerim te, Cũ eduxeris 'populũ meum de AEgypto, 'immolabis Deo ſuper montem iſtum. Ait Moyſes ad Deum, Ecce ego vadam ad filios Iſrael,& dicam eis, Deus patrũ veſtrorum miſit me ad vos. Si dixerint mihi, Quod eſt nomen eius? quid dicam eis?'Dixit Dominus ad Moyſen,'EGO SVM, QVI SVM. 'Ait, Sic dices filiis Iſrael, 'QVI EST, miſit me ad vos. Dixítque iterum Deus ad Moyſen, Hæc dices filiis Iſrael, Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham,& Deus Iſaac, & Deus Iacob miſit me ad vos: 'hoc nomen mihi eſt in æternũ,& 'hoc memoriale meum in generatione & generationem.

SED veni,& mittam) Nunc itaque veni, vt mittam.

QVI dixit) ſubaudi, educes. Poſtea ſequitur apud Hebræos QVIA, Quia ego.

POPVLVM meum) Pronomen MEVM, non legitur Hebraice, neque in codice ſcripto S. Victoris, neque in editione Complutenſi.

IMMOLABIS Deo) coletis Deũ. Vel, ſeruietis Deo. Aut poti⁹, Adorabitis deũ.

DIXIT Dominus) Dixit Deus.

אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה Ego ſum qui ſum. Nomen Dei.

EGO ſum, qui ſum.) EIE, ASER EIE, Id eſt, Ero, qui ero: pro Ero, is enim ſum qui ero. Orationem eſſe cõciſam oſtendit Tarha accentus Hebraicus qui ponitur in EIE. Vel potius, Ero, quia ero. pro, Ero: ero enim. vt ASER ſit coniunctio, vel relatiuum. Hoc eſt, qui eſt, qui fuit, & erit. futurũ enim tria tempora comprehendit. quaſi dicat, Deus æternus. Sunt qui vertũt, inter quos eſt interpres noſter, Sum, qui ſum: vertendo futurũ per præſens: quia æternitas nullis finibus comprehēditur, ideo nullo tẽpore deſcribi poteſt quo fit vt recte vocetur, Qui eſt, qui fuit, qui erit. nam omnia tempora quũ de Deo loquimur, cõfunduntur. Nomen hoc Dei Græce expreſſit Iohannes, Apoc. 1, quum dixit, ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Id eſt, ab eo qui eſt, qui erat, & qui erit.

AIT,) Dixit itaque.

QVI eſt,) EIE, Id eſt, Ero. quaſi dicat, Deus cuius nomen eſt ERO.

HOC nomen) EIE ſcilicet.

Memoriale meum. HOC memoriale meum &c.) Id eſt, Iſtud erit mihi nomẽ æternũ. ſiue, iſtud nomen meum eſt per quod homines recordabuntur mei. Hebraiſmus.

Vade,& congrega ſeniores Iſrael,& dices ad eos, Dominus Deus patrum veſtrorum apparuit mihi, Deus Abraham,& Deus Iſaac,& Deus Iacob, dicens, 'Viſitans viſitaui vos:& vidi omnia quæ acciderunt vobis in AEgypto: '& dixi vt educam vos de afflictione AEgypti in Terrã Chananæi & Hethæi & Amorrhæi & Pherezæi

& Heuæi & Iebuſæi, ad terram fluentem lacte & melle.
Et audient vocem tuam: ingredieriſque tu & ſeniores
Iſrael ad regem AEgypti, & 'dices ad eum, Dominus
Deus Hebræorum 'vocauit nos: ibimus viam trium di-
erum in ſolitudinem, vt immolemus Domino Deo no-
ſtro. 'Sed ego ſcio quòd non dimittet vos rex AEgypti
vt eatis, 'niſi per manum validam. 'Extendámque manũ
meam, & percutiam AEgyptum 'in cunctis mirabilibus
meis, quæ facturus ſum in medio eorũ: poſt hoc dimit-
tet vos. 'Dabóque gratiam populo huic coram AEgy-
ptiis: ‖ '& cum egrediemini, non exibitis vacui, ſed poſtu- Inf.12.& 11.c
labit mulier à vicina ſua & ab hoſpita ſua, vaſa argen-
tea & aurea, ac veſtes: 'ponetíſque eas ſuper filios & fi-
lias veſtras, & ſpoliabitis AEgyptum.

VISITANS viſitaui vos: & vidi omnia quæ acciderunt vobis) Recordando recordatus ſum veſtri, & eius quod factum eſt vobis. Id eſt, tandem recordatus ſũ veſtræ afflictionis qua, &c. Ita recte vertit Chaldæus paraphraſtes. *Viſitans viſitaui.*

ET dixi vt educam) & dixi, Aſcendere faciam. Id eſt, decreui educere vos.

DICES ad eum,) dicetis ad eum.

VOCAVIT nos: &c.) occurrit nobis: nũc igitur permitte vt eamus viam, &c. Id eſt, apparuit nobis: proinde per te nobis liceat ire per deſertũ itinere triũ dierũ vt immolemus ei. Quaſi dicat, Deus Hebræorũ vult à nobis coli extra AEgyptum.

SED ego) Ego autem.

NISI per manum validam.) niſi manu forti. Subaudi, coactus.

EXTENDAMQVE) Mittam igitur.

IN cunctis mirabilibus meis,) Id eſt, omnibus operibus meis mirãdis: hoc eſt, miraculis meis editis. *Mirabilia.*

DABÓQVE gratiam populo huic coram AEgyptiis) Id eſt, reddámque populum hunc gratiſſimum AEgyptiis. Hebraiſmus. *Dat Deus gratiã alicui coram altero.*

ET cum egrediemini,) accidétque vt quum egrediemini.

PONETISQVE eas ſuper filios &c.) Id eſt, quibus ornabitis filios &c.

CAP. IIII.

RESPONDENS Moyſes ait, Nõ credent mihi, 'ne-
que audient vocem meã: ſed dicent, Non apparuit
tibi Dominus. Dixit ergo 'ad eũ, Quid eſt quod tenes in
manu tua? Reſpõdit, Virga. Dixítq; Dominus, Proiice eã
in terrã. Proiecit, & verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret
'Moyſes. Dixítq; 'Dominus, Extẽde manũ tuã, & appre-
hẽde caudã eius. 'Extẽdit, & tenuit, verſáq; eſt 'in virgã.
'Vt credãt, inquit, quòd apparuerit tibi Dominus Deus

'patrũ tuorũ, Deus Abrahã, & Deus Iſaac, & Deus Iacob.

Audire vocẽ alicuius. NEQVE audient vocem meam:) Id eſt, non parebunt mandatis meis.

AD eum,) Adde ex Hebræo DOMINVS.

MOYSES) Addendum ex Hebræo, A conſpectu eius. Hoc indicat veritatem miraculi.

DOMINVS, Extende) Dominus ad Moyſen, Extende.

EXTENDIT, & tenuit,) Extendit igitur manum ſuam, & apprehendit illum. Scilicet colubrum. Vel, illam, caudam nempe.

IN virgam) in virgam in manu eius.

VT credant,) Subaudiendum eſt aliquid: cuiuſmodi, Illud facies, vt credant &c. Vel, hoc tibi præcepi, vt credant &c.

PATRVM tuorum,) patrum ſuorum. Sic etiam legitur in editione Cõplutẽſi.

Dixítq; Dominus rurſum, 'Mitte manũ tuam in ſinũ tuũ. Quam cũ miſiſſet in ſinũ, protulit 'leproſam inſtar niuis. Retrahe, ait, manũ tuã, in ſinũ tuum. Retraxit, & protulit iterum, '& erat ſimilis carni reliquæ. Si nõ crediderint, inquit, tibi, 'neque audierint ſermonẽ ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis. 'Quòd ſi nec duobus quidẽ his ſignis crediderint, neque audierint vocẽ tuã: ſume aquã fluminis, & effunde eam ſuper aridã, & 'quicquid hauſeris de fluuio, vertetur in ſanguinem.

MITTE manum) Mitte nunc manum.

LEPROSAM) albam lepra.

ET erat ſimilis carni reliquæ.) & reuerſa eſt ſicut caro eius. Id eſt, reuerſa eſt in formam reliquæ carnis.

NEQVE audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis.) Id eſt, ſi non paruerint verbis tuis, ſi nõ crediderint verbis tuis quæ cõfirmaueris priore miraculo, certe credent quum poſteriore miraculo illis fidem feceris.

QVÒD ſi nec duobus &c. Id eſt, ſi non crediderint ſermonibus tuis quæ prioribus ſignis confirmaueris.

QVICQVID hauſeris) aqua quam hauſeris.

Ait Moyſes, 'Obſecro Domine, non ſum 'eloquens 'ab heri & nudiuſtertius: '& ex quo locutus es ad ſeruũ tuũ, 'impeditioris & tardioris linguæ ſũ. Dixit Dominus ad eum, Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus eſt mutum & ſurdum, videntem & cæcum? 'nónne ego? Perge

Matth. 10. c. igitur, ‖& ego 'ero in ore tuo: 'docebóque quid loquaris.

OBSECRO Domine, non ſum eloquens) Sententia eſt inabſoluta: deeſt enim, Ne mittas me. quaſi dicat, Obſecro Domine, ne mittas me: nõ enim ſum eloquẽs, quales oportet eſſe eos qui verba apud principes facturi ſunt.

Vir ſermonũ ELOQVENS) Hebraice legitur Vir ſermonum. Id eſt, eloquens & diſertus. Hebraiſmus.

Ab heri & nudiuſtertius. AB heri & nudiuſtertius:) Hebraiſmus, pro Nunquam fui eloquens.

ET ex quo) etiã ex eo tempore quo. &c. Subaudi, noſti me nõ eſſe eloquẽtẽ.

IMPEDITIORIS & tardioris linguæ ſum.) quoniam grauis ore & grauis lingua ego ſum. Id eſt, tardus ſum ad loquendum, & lingua impedita Hebraiſmus. Grauis ore & lingua.

NONNE ego?) In Hebraico codice legitur, Nónne ego Dominus?

ERO in ore tuo) Id eſt, reddam te facundum. Eſſe in ore alicuius dicitur Deus.

DOCEBÓQVE quid) Docebóque te quid. Sic etiã legunt vetera Latina exemplaria S. Dionyſii, Germani, & Victoris.

At ille, Obſecro Domine, inquit, 'mitte quẽ miſſurus es. Iratus Dominus in Moyſen, ait, 'Aarõ frater tuus Leuites, ſcio quòd eloquẽs ſit: ecce ipſe egredietur in occurſum tuũ, vidénſq; te lætabitur corde. ‖'Loquere ad eũ, & Eccli 43.a.
pone verba mea in ore eius: & ego ero in ore tuo, & in ore illius. ‖& oſtẽdam vobis quid agere debeatis. Et ipſe Ĩ.7.a.
loquetur pro te ad populum, '& erit os tuum: tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent. Virgam quoque hanc 'ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna.

MITTE quẽ miſſurus es.) mitte nunc per manũ illius quẽ miſſurus es. Quaſi dicat, mitte quẽcũque volueris, modo ne me mittas minus idoneũ ad hoc munus.

AARON frater tuus Leuites, ſcio quòd eloquẽs ſit: ecce ipſe egredietur) Nónne Aaron frater tuus Leuita, ſcio quòd loquendo loquetur ipſe? etiam ecce ipſe egreditur &c. Vel, egredietur. Quidam ita interpretantur, Scio quòd frater tuus loquetur pro te. Alii, nónne noui fratrem tuum Leuitam locuturum pro te?

LOQVERE ad eũ, &c Et ipſe) Loquere igitur ad eum, & pone verba mea in ore eius: eróque cum ore tuo, & cũ ore illius, & docebo vos quid agere debeatis. Id eſt, Narra ei legationem iſtam: vel, doce eum quæ ego dixi tibi eſſe dicenda: & moderator ero oris, ſiue ſermonis veſtri. Ero in ore tuo.

ET erit os tuum: tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent.) & erit tibi pro ore: tu autem eris ei pro Deo. Id eſt, vtêris eo interprete: tu verò narrabis ei quæ ego dixero tibi, & te conſulet tanquam me. Erit os tuum.

SVME) accipies: aut, accipe.

'Abiit Moyſes, & reuerſus eſt ad Iethro ſocerũ ſuum: dixítque ei, 'Vadam, & reuertar ad fratres meos 'in AEgyptũ, vt videam ſi adhuc viuant. Cui ait Iethro, Vade in pace. 'Dixit ergo Dominus ad Moyſen in Madian, Vade, & reuertere in AEgyptũ: mortui ſunt enim 'omnes qui 'quærebant animam tuam. Tulit ergo Moyſes vxorem ſuam, & filios ſuos, & impoſuit eos ſuper aſinũ: reuerſúſque eſt in AEgyptũ, portans 'virgam Dei in manu ſua. 'Dixítque ei Dominus reuertẽti in AEgyptum, Vide vt omnia oſtenta quæ 'poſui in manu tua, facias coram Pharaone: 'ego indurabo cor eius, '& non dimittet populum. Dicéſque ad eum, Hæc dicit Dominus, Filius

meus primogenitus, Iſrael. Dixi tibi, Dimitte filiũ meũ vt ſeruiat mihi: & noluiſti dimittere eum, ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.

ABIIT Moyſes,) Abiit itaque Moyſes.

VADAM,) Hebraice additur, NVNC, vel OBSECRO. Id eſt, Liceat mihi per te ire ad fratres meos.

IN AEgyptum) qui ſunt in AEgypto.

DIXIT ergo) Iam vero dixerat. Dicunt Hebræi, ordinem non eſſe requirendum in ſacris literis.

OMNES qui) viri qui.

Qui quærunt animã tuam. QVI quærebant animam tuam.) Id eſt, qui volebant te occidere. Similis Hebraiſmus eſt Matth. 2, Mortui ſunt enim qui quærebant animam pueri.

Virga Dei. VIRGAM Dei) Id eſt, per quam Deus facturus erat miracula: ſiue per quã iam fecerat.

DIXITQVE ei Dominus reuertenti in AEgyptum, Vide vt &c.) Dixerat autem Dominus, Cum reuerſus fueris in AEgyptum, vide vt &c.

Poſui in manu tua. POSVI in manu tua,) Id eſt, in poteſtate tua, & quæ poteris, quũ voles, facere.

EGO indurabo) ego autem indurabo.

Et, pro Vt. ET non dimittet) Hebraiſmus eſt, pro, vt non dimittat.

Cúmque eſſet in itinere, in diuerſorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Tulit ilicò Sephora acutiſſimam petram, & circuncîdit præputiũ filii ſui, tetigítque pedes eius, & ait, Sponſus ſanguinũ tu mihi es. Et dimiſit eum poſtquam dixerat, Sponſus ſanguinum tu mihi es: ob circunciſionem.

OCCVRRIT ei Dominus,) Vel, irruit in eũ Dominus, ſiue angelus Domini. Id eſt, captus fuit grauiſſimo morbo, vt dicunt Hebræi, propter omiſſam circunciſionem.

ACVTISSIMAM petram,) Vel rem acutiſſimam. Id eſt, gladium.

PEDES eius,) ſcilicet Moyſi. quaſi dicat, proiecit præputium filii ſui ad pedes Moyſi.

Sponſus ſanguinũ tu mihi es. SPONSVS ſanguinum tu mihi es.) Id eſt, Tu qui es ſponſus meus, occidendus eras propter omiſſam filiũ tui circunciſionem. Quaſi dicat, Angelus Dei te interfeciſſet, niſi circuncidiſſem filium tuum Eleazarum. Quidam putant hoc dictum à matre ægreferente filiũ circuncidi, & arguente maritũ inclementiæ. quaſi dicat, Non abhorres à fundendo ſanguine filii tui, dum iubes illum circuncidi: erat enim Madianitis, huius ceremoniæ inſolens.

ET dimiſit eum) Subaudi, angelus Domini, ſiue morbus. Id eſt, receſſit ab eo morbus, reſtitutus eſt ſanitati.

POSTQVAM dixerat, Sponſus ſanguinum tu mihi es: ob circunciſionem.) Tũc illa ait, Sponſus ſanguinum: ob circunciſionẽ. Id eſt, occidẽdus eras propter omiſſam filii tui circunciſionẽ. Aut vertẽdum, Illa autẽ dixerat, Sponſus ſanguinũ es: ob circunciſionẽ. Id eſt, propterea quòd vidiſſet paruuli filii ſui ſanguinem fundi. Quidam dicunt quòd mulieres vocare ſolebãt circunciſos pueros, ſponſos ſuos: & ideo eam alloqui hoc loco filium ſuum, O fili, ſponſus es mihi, tinctus ſanguine, non cædis, ſed circunciſionis. Quaſi dicat, Propter te morietur maritus meus, quòd die octauo non circunciderit te. Prior expoſitio videtur melior.

Dixítq; Dominus ad Aaron, Vade in occurſum Moy-

ſi in deſertũ. Qui perrexit obuiam ei in Montem-Dei, & oſculatus eſt eum. Narrauítque Moyſes Aaron omnia verba Domini 'pro quibus miſerat eũ,'& ſigna quæ man dauerat. Venerúntque ſimul,& congregauerũt cunctos ſeniores filiorũ Iſrael.'Locutúſque eſt ad Aaron omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moyſen: & fecit ſigna coram populo,& credidit populus. 'audierúntque quòd 'viſitaſſet Dominus filios Iſrael,& quòd reſpexiſſet afflictionem illorum:& proni adorauerunt.

DIXITQVE) Dixit autem. ſic etiam legunt antiqui codices Latini S.Germani, Victoris,& Dionyſii.

PRO quibus miſerat eum,) qui miſerat eum.

ET ſigna) & cuncta ſigna.

LOCVTVSQVE eſt ad Aaron) Præpoſitionem AD, ne antiqua quidem Latina exemplaria ſcripta S. Germani & Dionyſii legunt: neque item Complutẽſis & Moguntinenſis editio.

AVDIERVNTQVE) Id eſt, intellexerunt & cognouerunt.

VISITASSET) Vel, recordatus fuiſſet Dominus filiorum Iſrael.

CAP. V.

POST hæc ingreſſi ſunt Moyſes & Aaron,& dixerũt Pharaoni, Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, Dimitte populum meum vt 'ſacrificet mihi in deſerto. At ille reſpondit, Quis eſt Dominus, 'vt audiam vocẽ eius, & dimittam Iſrael? 'neſcio Dominum,& Iſrael non dimittam. Dixerúntque, Deus Hebræorum 'vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in ſolitudinem,'& ſacrificemus Domino Deo noſtro: ne forte accidat nobis peſtis aut gladius. Ait ad eos rex AEgypti, Quare Moyſes & Aaron 'ſolicitatis populum ab operibus ſuis? ite ad onera veſtra. Dixítque Pharao,'Multus eſt populus Terræ:'videtis quòd turba ſuccreuerit: quanto magis ſi dederitis eis requiem ab operibus?

SACRIFICET) Vel, feſta celebret. Aut, vt diebus feſtis mihi ſacrificet.

VT audiam vocem eius,) Vel, cuius voci paream.

NESCIO Dominum,& Iſrael non dimittam.) Hebraiſmus eſt, pro, Non noui illum, neque etiam dimittam Iſraelem.

VOCAVIT nos, vt eamus viam) occurrit nobis: eamus quæſo viam &c. Id eſt, apparuit nobis: quæſo liceat nobis per te ire viam trium dierum &c. Et pro Vt.

ET ſacrificemus) ET, pro VT poſitum: vt ſacrificemus.

SOLICITATIS) abſtrahitis. Vel, ceſſare facitis.

MVLTVS eſt) Hebraice legitur, Ecce iam multus eſt &c.
VIDETIS quòd &c.) ideo ceſſare facitis eos ab operibus ſuis. Id eſt, freti multitudine intermittitis opus,& cogitatis de rebellando.

Præcepit ergo in die illo præfectis operum & exactoribus populi, dicens, Nequaquam vltrà 'dabitis paleas populo ad conficiendos lateres,'ſicut prius: ſed ipſi vadant,'& colligant ſtipulas.Et menſuram laterum,quam prius faciebant,imponetis ſuper eos,nec minuetis quicquam.vacant enim,& idcirco vociferantur,dicẽtes,Eamus, & ſacrificemus Deo noſtro. 'Opprimantur operibus, & expleant ea: vt non acquieſcant verbis mendacibus.Igitur egreſſi præfecti operum & exactores, ad populum dixerũt,Sic dicit Pharao,'Non do vobis paleas. ite, & colligite ſicubi inuenire poteritis: nec minuetur quicquam de opere veſtro.Diſperſúſque eſt populus 'in omnem Terram-AEgypti 'ad colligendas paleas. Præfecti quoque operum inſtabant,dicentes, Cõplete opus veſtrum 'quotidie, vt prius facere ſolebatis quando dabantur vobis paleæ. Flagellatíque ſunt qui præerant operibus filiorum Iſrael,'ab exactoribus Pharaonis,dicentibus, Quare non impleſtis menſuram laterũ ſicut prius,nec heri nec hodie?

DABITIS) detis.

Heri & nudiuſtertius. SICVT prius:) ſicut heri,& nudiuſtertius.Hebraiſ.pro,ſicut antea,vel prius.

ET colligant ſtipulas.Et menſuram &c.Eamus.) & colligant ſibi paleas.Summam tamen laterum quam heri & nudiuſtertius faciebant,imponite illis,nec minuatis quicquam ex ea: ſunt enim remiſſo animo, propterea vociferantur, dicentes, Eamus &c.

OPPRIMANTVR operibus,& expleant ea: vt non acquieſcant verbis mendacibus.) Grauius illis opus imponatur,& occupentur in eo opere, vt non attendant verbis fallacibus.Id eſt, Moyſi & Aaroni qui verbis fallacibus decipiunt illos.

Non do. NON do) Hebraiſmus eſt,pro,Non daturus ſum vobis poſthac &c.

IN omnem Terram) per omnem Terram. Sic legunt antiqui codices Latini S.Dionyſii & Germani.

AD colligendas paleas.Præfecti quoque operum inſtabãt,) ad colligendas ſtipulas pro paleis. Exactores itaque vrgebant eos,dicentes &c. Vel,quiſquilias quibus vterentur vice paleæ.

Res diei in die ſuo. QVOTIDIE,vt prius facere ſolebatis quando dabantur vobis paleæ.) rẽ diei in die ſuo,quemadmodum quum eſſet vobis palea.Id eſt,penſum diurnũ,vt reddatis illud tempore ſuo,quemadmodum faciebatis quum dabatur vobis palea.

AB exactoribus &c.Venerúntque) quos cõſtituerãt ſuper eos exactores Pharaonis,dicentes, Quare non abſoluiſtis penſum veſtrum in lateribus conficiẽdis, ſicut heri & nudiuſtertius? Id eſt,ſicut prius.

Venerúntque præpoſiti filiorum Iſrael, & vociferati ſunt ad Pharaonem, dicentes, Cur ita agis contra ſeruos tuos? Paleæ 'non dantur nobis, & lateres ſimiliter imperantur: en famuli tui flagellis cædimur, & 'iniuſtè agitur contra populum tuum. Qui ait, 'Vacatis otio, & idcirco dicitis, 'Eamus, & ſacrificemus Domino. 'Ite ergo, & operamini: paleæ non dabuntur vobis, & reddetis conſuetū numerum láterum. 'Videbántque ſe præpoſiti filiorum Iſrael in malum, eo quòd diceretur eis, 'Non minuetur quicquam operis de lateribus per ſingulos dies.

NON dantur nobis, & lateres ſimiliter imperantur: en famuli) non dantur ſeruis tuis, & dicunt, Lateres facite, quum & famuli tui &c.

INIVSTE agitur contra populum tuum.) peccabit populus tuus. Futurum pro præſenti. Id eſt, peccati reus iudicatur. Vel, Punitur populus tuus perinde quaſi peccarit. — *Peccauit populus.*

VACATIS otio,) Remiſſi, remiſſi eſtis. Vel, Ceſſatis, ceſſatis.

EAMVS, & ſacrificemus) Id eſt, Liceat nobis ire, & ſacrificare.

ITE ergo,) Nunc itaque ite.

VIDEBANTQVE ſe præpoſiti filiorum Iſrael in malum,) Deprehēderúntque præpoſiti filiorum Iſrael ſeipſos in malo. Id eſt, Viderunt ſecum male agi. Vetus exemplar latum S. Dionyſii, & vtrunque S. Germani legunt, In malo.

NON minuetur quicquam operis de lateribus per ſingulos dies.) Non minuetur quicquam de lateribus veſtris, de penſo diurno, quin illud reddatis tēpore ſuo.

Occurrerúntque Moyſi & Aaron, qui ſtabant 'ex aduerſo: egredientes à Pharaone: & dixerunt ad eos, 'Videat Dominus & iudicet, quoniam 'fœtere feciſtis odorem noſtrū coram Pharaone & ſeruis eius, & 'præbuiſtis ei gladium vt occideret nos. Reuerſúſque eſt Moyſes ad Dominum, & ait, Domine cur afflixiſti populū iſtū? quare miſiſti me? Ex eo enim quo ingreſſus ſum ad Pharaonem vt loquerer 'ex nomine tuo, afflixit populum tuum: & non liberaſti eos.

EX aduerſo: egredientes) ex aduerſo eorum: quum egrederentur.

VIDEAT Dominus & iudicet,) Videat Dominus ſuper vos, & iudicet. Quaſi dicat, Deus cognita cauſa iudicet de vobis. — *Videat Dominus.*

FOETERE feciſtis odorem noſtrum) Id eſt, abominabiles reddidiſtis nos. — *Fœtere facere aliquem.*

PRAEBVISTIS ei gladium vt occideret nos.) præbuiſtis eis gladium vt occiderent nos. Plurali numero.

EX nomine tuo,) Vel, verbis tuis. Aut ſine præpoſitione, nomine tuo. Vetera exemplaria Latina S. Dionyſii, Germani & Victoris, conſentiente Baſilienſi editione legunt, In nomine tuo.

CAP. VI.

DIXITQVE Dominus ad Moyſen, Nunc videbis quæ facturus ſum Pharaoni: 'per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robuſta eiiciet illos de terra ſua. 'Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, 'Ego Dominus 'qui apparui Abraham, Iſaac, & Iacob 'in Deo omnipotente: & nomen meum ADONAI non indicaui eis. Pepigíſque fœdus cum eis, vt darem illis terram Chanáan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt aduenæ. 'Ego audiui gemitum filiorum Iſrael 'quo AEgyptii oppreſſerunt eos: & recordatus ſum pacti mei. Ideo dic filiis Iſrael, Ego Dominus 'qui educam vos de ergaſtulo AEgyptiorum, & eruam de ſeruitute: ac redimam 'in brachio excelſo '& iudiciis magnis. Et aſſumam vos mihi in populũ, & ero veſter Deus: & ſcietis quòd ego ſũ Dominus Deus veſter qui eduxerim vos de ergaſtulo AEgyptiorum: '& induxerim vos in terram, ' ſuper quam leuaui manum meam vt darem eam Abraham, Iſaac, & Iacob: dabóque illam poſſidendam vobis, ego Dominus.

DIXITQVE Dominus) Dixit autem Dominus.

Per manum fortem.

PER manum enim fortem dimittet eos, & in manu robuſta) Id eſt, coactus manu forti, magna vi, plagis magnis & ingentibus dimittet vos.

LOCVTVSQVE eſt Dominus) Locutúſque eſt Deus.

יְהוָֹה IEHOVA.

EGO Dominus) Ego ſum IEHOVA. Nomen Dei eſt ab eo dictum, quòd ille eſſe facit quod promiſit: id eſt quia opere complet quod promiſit. יהוה enim deducitur à radice הוה, quæ ſignificat fuit. Vnde IEHOVA ſignificat eum qui eſt, & aliquid eſſe facit. Quaſi dicat Moyſi, Ego ſum verax, qui opere completurus ſum quod pollicitus ſum Abrahamo, &c.

QVI apparui) Apparui autem. vel, Viſus autem ſum.

ADONAI. In nomine meo יהוה non fui notus eis.

IN Deo omnipotente: & nomẽ meũ ADONAI non indicaui eis.) in Deo omnipotẽte: at in nomine meo IEHOVA non fui notus illis. Id eſt, omnipotentẽ me eſſe illis declaraui, & mihi abunde eſſe diuitiarum vt illos diuites redderem: at in nomine meo IEHOVA non fui notus illis: Id eſt, verùm opere non compleui quod illis ſum pollicitus. Hoc eſt, promittentem quidẽ me illis Terrã-Chananæorum audierunt, & crediderunt: ſed opere promiſſa complentem non viderunt, quemadmodum tu viſurus es. Tibi igitur in nomine meo IEHOVA cognitus ero Id eſt, videbis me id facere quod nomẽ meum ſonat, nempe veracem eſſe.

EGO audiui) Ego etiam audiui.

QVO AEgyptii oppreſſerunt eos:) quos AEgyptii ſeruire faciunt.

QVI educam vos de ergaſtulo AEgyptiorum,) educam enim vos de oneribus AEgyptiorum. Quæ ſcilicet impoſuerunt vobis AEgyptii. Ad verbum Hebraice

legitur, De ſub oneribus.

IN brachio excelſo) in brachio extento. Id eſt magna vi. Vel, Brachio extento ad percutiendũ. Hebraiſmus. Alii intelligunt, extento brachio à cælo ad terrã. — *In brachio excelſo.*

ET iudiciis magnis.) Id eſt, ſignis quæ faciam inter eos. Vel, ſupplicium grauiſſimum ſumendo de illis. — *Iudicia.*

ET induxerim) introducam autem vos.

SVPER quam leuaui manum meam vt darem) Id eſt, quam iuraui me daturum Abrahæ, &c. Hebraiſmus. — *Leuaui manũ meam ſuper illud.*

Narrauit ergo Moyſes 'omnia filiis Iſrael: qui non acquieuerunt ei propter anguſtiam ſpiritus, & 'opus duriſſimum. Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Ingredere, & loquere ad Pharaonem regem AEgypti vt dimittat filios Iſrael de terra ſua. 'Reſpondit Moyſes coram Domino, Ecce filii Iſrael 'non audiũt me: & quomodo audiet Pharao, præſertim 'cum incircunciſus ſim labiis? Locutúſq; eſt Dominus ad Moyſen & Aaron: & 'dedit mandatum ad filios Iſrael, & ad Pharaonẽ regẽ AEgypti vt educerent filios Iſrael de Terra-AEgypti.

OMNIA filiis Iſrael:) ſic filiis Iſrael. Id eſt, Hæc dixit filiis Iſrael.

OPVS duriſſimum.) ſeruitutem duram.

RESPONDIT Moyſes coram Domino,) Hebraiſmus eſt, pro, Reſpondit Moyſes Domino. — *Reſpõdit corã Domino.*

NON audiunt me: & quomodo) nõ audiuerũt me: quomodo igitur audiet &c.

CVM incircũciſus ſim labiis?) Id eſt, quũ ſim linguæ impeditioris. Hebraiſm⁹. — *Incircunciſus labiis.*

DEDIT mandatum) dedit eis mandatum.

¶Iſti ſunt 'principes domorum per familias ſuas. Filii Ruben primogeniti Iſraelis: Henoch & Phallu, Heſron & Charmi. hæ 'cognationes Ruben. ¶Filii Simeõ: Iamuel & Iamin '& Iami, & Ahod, & Iachin, & Sohar, & Saul 'filius Chananitidis. hæ progenies Simeon. Et hæc nomina filiorũ Leui per cognationes ſuas: Gerſon & Caath & Merari. Anni autem vitæ Leui fuerunt centum triginta ſeptem. ¶Filii Gerſon: Lobni & Semei, per cognationes ſuas. ¶Filii Caath: Amram & Iſaar, & Hebron & Oziel. 'anni quoque vitæ Caath, centum triginta tres. Filii Merari: Moholi, & Muſi. 'hæ cognationes Leui per familias ſuas.

Gene. 46 b. num. 26.a. 1.paralip. 5.a. 1.Paralip. 4.d. 1.Paral. 6.a. & 23.a. num. 3.c. Num. 29.g. 1.par. 6.a. 23.b.

PRINCIPES domorum per familias ſuas.) principes domus patrum ſuorũ. Id eſt, qui præerant familiis maiorum ſuorum. — *Princeps domorum per familias.*

COGNATIONES) progenies vel familiæ.

ET Iami,) Hæc non leguntur ne in antiquis quidem Latinis codicibus S. Dio-

nyſii,Germani,& Victoris,conſentiente Complutenſi editione.

Filius Chananitidis. FILIVS Chananitidis.) Id eſt,quem ſuſtulit ex Chananitide.

FILII Gerſon:Lobni & Semei,per cognationes ſuas.) Filii Gerſon: Lobni & Semei, per familias ſuas. Id eſt, A Gerſon genus duxerunt Lobni & Semei, vnà cum familiis.

ANNI quoque) anni autem. In antiquis Latinis codicibus S.Dionyſii,Germani,& Victoris,legitur, Annique.

Per familias vel generationes ſuas. HAE cognationes Leui per familias ſuas.) Hæ familiæ Leui per generationes ſuas. Id eſt, Hi ſunt qui genus ſuum duxerunt à Leui, vnà cum illis quos & ipſi genuerunt.

Accepit autem Amram vxorē Iochabed 'patruelem ſuam: quæ peperit ei Aaron & Moyſen '& Mariam. Fueruntque anni vitæ Amram,centum triginta ſeptem. Filii quoque Iſaar: Core,& Nepheg,& Zechri. Filii quoq; Oziel: Miſſael,& Eliſaphan,& Zethri. Accepit autem Aaron vxorem Elizabeth filiam Aminadab,ſororē Nahaſon,quæ peperit ei Nadab,& Abiu,& Eleazar,& Itha-
Nume.3.a. mar. Filii quoque Core: Aſer,& Elcana,& Abiaſaph. hæ ſunt cognationes Coritarum. At verò Eleazar filius Aaron accepit vxorem de filiabus Phutiel: quæ peperit ei Phinees. 'hi ſunt 'principes familiarum Leuiticarum per cognationes ſuas.

PATRVELEM ſuam:) ſororē patris ſui. Vel vt alii volūt,filiam fratris patris.

ET Mariam.) Hæc non leguntur hoc loco Hebraice,neque in vtroque S.Dionyſii Latino codice,neque in oblongo S.Germani.

HI ſunt) Et hi ſunt.

PRINCIPES familiarum Leuiticarum per cognationes ſuas.) principes patrum Leuitarum per familias ſuas. Id eſt, iſti ſunt qui principem locum tenuerunt inter patres Leuitarum,vnà cum familiis ſuis.

Iſte eſt Aaron & Moyſes quibus præcepit Dominus vt educerent filios Iſrael de Terra-AEgypti 'per turmas ſuas. Hi ſunt 'qui loquuntur ad Pharaonem regē AEgypti,'vt educat filios Iſrael de AEgypto: iſte eſt Moyſes & Aaron,'in die qua locutus eſt Dominus ad Moyſen, in Terra-AEgypti. Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicēs, Ego Dominus: loquere ad Pharaonē regē AEgypti,omnia quæ loquor tibi. Et ait Moyſes corā Domino, En incircūciſus labiis ſū,quomodo audiet me Pharao?

PER turmas ſuas.) per exercitus eorum.

QVI loquuntur) qui loquebantur. Vel, locuti ſunt. Quaſi dicat, Iſti Moyſes & Aaron,ſunt homines illi qui miſſi fuerunt à Deo vt educerent filios Iſrael.

VT educat) vt educeret.

IN die qua locutus &c. Ego) Accidit autem quo die locutus eſt Dominus ad Moyſen in Terra-AEgypti, vt diceret ad eum, Ego &c.

INCIRCVNCISVS labiis) Id eſt, impeditæ linguæ, rudis in loquẽdo, & inept⁹.

CAP. VII.

DIXITQVE Dominus ad Moyſen, Ecce, 'conſtitui te deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit 'propheta tuus. Tu loquêris ei omnia quæ mãdo tibi: & ille loquetur ad Pharaonem, vt dimittat filios Iſrael de terra ſua. Sed ego indurabo cor eius, '& multiplicabo ſigna & oſtenta mea in Terra-AEgypti, & nõ audiet vos: 'immittámque manum meam ſuper AEgyptum, & educam exercitum & populum meum filios Iſrael de Terra-AEgypti 'per iudicia maxima. Et ſciẽt AEgyptii quia ego ſum Dominus 'qui extenderim manum meam ſuper AEgyptũ, & eduxerim filios Iſrael de medio eorũ. 5.4.d.

CONSTITVI te deum Pharaonis:) Id eſt, vice dei Pharaoni. Hoc eſt, dices nomine meo & verbis meis Pharaoni, quid ego velim. Chaldæus paraphraſtes vertit, Poſui te in principem Pharaoni. Deũ Pharaonis cõſtitui te

PROPHETA tuus.) Id eſt, interpres. Verbis ſequentibus ſeipſum declarat, cũ dicit, Loquetur ad Pharaonem. Propheta tu⁹

ET multiplicabo) Videtur eſſe Hebraiſmus, pro, vt multiplicem.

IMMITTAMQVE manum meam ſuper AEgyptum, & educam exercitum & populum) propterea ponam manum meam ſuper AEgyptum, (Id eſt, percutiã AEgyptum) & educam exercitus meos, populum ſcilicet meum. Ponere manũ ſuá ſuper aliquem dicitur Deus.

PER iudicia maxima.) Id eſt, puniendo maxime AEgyptios. Hebraiſmus. Iudicia maxima.

QVI extenderim) tunc quum extenderim.

Fecit itaque Moyſes & Aaron ſicut 'præceperat Dominus: 'ita egerunt. Erat autem Moyſes octoginta annorum, & Aaron octogintatriũ, quando locuti ſunt ad Pharaonem. Dixítque Dominus ad Moyſen & Aaron, Cum dixerit vobis Pharao, 'Oſtendite ſigna: dices ad Aaron, Tolle virgam tuam, & proiice eam coram Pharaone, ac vertatur in 'colubrum. Ingreſſi itaque Moyſes & Aaron ad Pharaonem, fecerunt ſicut præceperat Dominus. 'Tulítque Aaron virgam coram Pharaone & ſeruis eius, quæ verſa eſt in colubrum. Vocauit autem Pharao ſapientes '& maleficos: & fecerunt etiam ipſi 'per incantationes AEgyptiacas & arcana quædam ſimiliter. 2.Timoth.3.b 'Proiecerúntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in

dracones: ſed deuorauit virga Aaron virgas eorum. Induratúmque eſt cor Pharaonis, & 'non audiuit eos 'ſicut præceperat Dominus.

PRAECEPERAT Dominus:) præceperat illis Dominus.

ITA egerunt.) Hæc verba, more Hebraico redundant. Satis enim erat, Fecit Moyſes & Aaron ſicut præceperat illis Dominus.

OSTENDITE ſigna:) Date pro vobis prodigium. Quo ſcilicet confirmetis dicta veſtra.

COLVBRVM.) Vel, ſerpentem.

TVLITQVE Aaron virgam coram Pharaone) Proiecitque Aaron virgam ſuam coram Pharaone.

Sapientes. ET maleficos:) & incantatores. Iſtud ET, exponit quid ſignificet ſapientes: nempe incantatores.

PER incantationes AEgyptiacas & arcana quædam ſimiliter.) magi AEgypti incantationibus ſuis ſimiliter.

PROIECERVNTQVE) Proiecerunt enim.

NON audiuit eos,) Vel, non acquieuit eis.

SICVT præceperat) ſicut dixerat.

Dixit autem Dominus ad Moyſen, Ingrauatũ eſt cor Pharaonis, '& non vult dimittere populũ. Vade ad eum mane: ecce, egredietur ad aquas: '& ſtabis in occurſum eius ſuper ripam fluminis: & virgã quæ conuerſa eſt in draconem, tolles in manu tua, dicéſque ad eum, Dominus Deus Hebræorum miſit me ad te, 'dicens, Dimitte populum meũ 'vt ſacrificet mihi in deſerto: '& vſque ad præſens audire noluiſti. Hæc igitur dicit Dominus, In hoc ſcies quòd ſim Dominus: ecce percutiam virga quæ in manu mea eſt, aquam fluminis, & vertetur in ſanguinem. 'Piſces quoque qui ſunt in fluuio morientur, '& computreſcent aquæ, & affligentur AEgyptii bibentes aquam fluminis.

ET non vult) Coniunctio ET, ne in antiquis quidem exemplaribus Latinis S. Dionyſii, Germani & Victoris legitur.

ET ſtabis in occurſum eius) & ſtabis ex aduerſo eius.

DICENS,) Vel, vt dicam tibi.

VT ſacrificet mihi) vt ſeruiat mihi.

ET vſque) & ecce, vſque.

PISCES quoque) Piſces vero.

ET computreſcent aquæ, & affligentur AEgyptii bibentes aquam fluminis.) Laborare vt. & computreſcet amnis: laborabúntque AEgyptii vt bibant aquam fluminis. Hebraiſmus eſt, quem paulo poſt reddidit interpres, Non poterunt AEgyptii bibere aquam fluminis. Vel, ægre bibent.

Dixit quoque Dominus ad Moyſen, Dic ad Aaron,

Tolle virgã tuam,& extende manum tuam ſuper aquas AEgypti,& ſuper fluuios eorum, & riuos ac paludes,'& omnes lacus aquarum, vt vertãtur in ſanguinem: & ſit 'cruor in omni Terra-AEgypti,'tã in ligneis vaſis quàm in ſaxeis. 'Feceruntque Moyſes & Aaron ſicut præceperat Dominus: ‖& eleuans virgam percuſſit aquam Pſal.77.c.
fluminis coram Pharaone & ſeruis eius: quæ verſa eſt in ſanguinem. Et piſces qui erant in flumine, mortui ſunt: 'computruítque fluuius,& non poterant AEgyptii bibere aquam fluminis,& fuit ſanguis in tota Terra-AEgypti.‖Fecerúntque ſimiliter malefici AEgyptiorũ incan- Sapien.17.b.
tationibus ſuis. & induratum eſt cor Pharaonis, nec audiuit eos, 'ſicut præceperat Dominus. Auertítque ſe, & ingreſſus eſt domum ſuam,'nec appoſuit cor etiã hac vice. Foderunt autẽ omnes AEgyptii per circuitum fluminis aquam vt biberent: non enim poterant 'bibere aquam fluminis. 'impletíque ſunt ſeptem dies, poſtquam percuſſit Dominus fluuium.

ET omnes lacus aquarum,) & omnem congregationẽ aquarum quã habent.
CRVOR) ſanguis.
TAM in ligneis vaſis quàm in ſaxeis.) & in lignis & in lapidibus.
FECERVNTQVE Moyſes) Etiam in antiquis Latinis codicibus S.Dionyſii & Germani legitur, Fecerúntque ita Moyſes &c.
COMPVTRVITQVE fluuius,) Vel, fœteréque cœpit fluuius.
SICVT præceperat) ſicut dixerat.
NEC appoſuit cor etiam hac vice.) nec appoſuit cor ſuum ad hoc. Id eſt, nec Apponere cor
mouebat eum tantum periculum. ſiue, Non adiecit animũ ad tam inſigne miraculum. Vel, non curauit.
BIBERE aquam) bibere de aqua. Ita etiã Legitur in antiquis Latinis codicibus S.Germani, Dionyſii & Victoris.
IMPLETÍQVE ſunt ſeptem &c.) Id eſt, durauit hebdomadam vnam ſan- Impleti dies.
guis ille. Hebraiſmus.

CAP. VIII.

DIxit quoque Dominus ad Moyſen, Ingredere ad Pharaonem,& dices ad eum, Hæc dicit Dominus, Dimitte populum meum, 'vt ſacrificet mihi. Si autem nolueris dimittere, ecce ego percutiã omnes 'terminos tuos ranis.'Et ebulliet fluuius ranas: quæ aſcẽdent,& ingredientur domũ tuam,& cubiculum lectuli tui, & ſu-

per ſtratũ tuũ,& ĩ domos ſeruorũ tuorũ,& ĩ populũ tuũ, & in furnos tuos, &'in reliquias ciborũ tuorũ:& ad te & ad populũ tuũ,& ad omnes ſeruos tuos'intrabunt ranæ. Dixítq; Dominus ad Moyſẽ,Dic ad Aarõ, 'Extẽde manũ tuã ſuper fluuios ac ſuper riuos & paludes,& educ ranas ſuper Terrã-AEgypti.'Et extẽdit Aarõ manũ ſuper aquas AEgypti,& aſcẽderũt ranæ, operuerúntq; Terrã-

Sapien.17.b AEgypti.‖Fecerũt autẽ &'malefici per incãtationes ſuas ſimiliter: eduxerúntque ranas ſuper Terram-AEgypti.

VT ſacrificet mihi.) Vel,vt ſeruiat mihi.

TERMINOS tuos,) Id eſt,regiones tuas.

ET ebulliet fluuius ranas:) Vel,Et producet fluuius magnũ numerũ ranarũ.

מִשְׁאֲרוֹת IN reliquias ciborum tuorum:) in panaria tua.Vox Hebræa MISEAROTH, ſignificat locum in quo ſubigitur maſſa ad conficiendum panem.

INTRABVNT ranæ.) Id eſt,adorientur & inuadent te ranæ.

EXTENDE manum tuam) Addendum ex Hebræo,cum virga tua.

ET extendit Aaron) Extendit ergo Aaron.

MALEFICI) Vel,præſtigiatores & arioli.

Vocauit autem Pharao Moyſen & Aaron,& dixit eis, Orate Dominũ vt auferat ranas à me & à populo meo: & dimittã populũ vt ſacrificet Domino. Dixítq; Moyſes ad Pharaonẽ,'Conſtitue mihi quãdo deprecer pro te & pro ſeruis tuis, & pro populo tuo,vt abigantur ranæ à te,& à domo tua,& à ſeruis tuis,& à populo tuo: & tantũ in flumine remaneant.Qui reſpõdit,Cras. At ille,Iuxta,inquit,verbũ tuũ faciã:vt ſcias 'quoniã non eſt ſicut Dominus Deus noſter. Et recedẽt ranæ à te & 'à domo tua,& à ſeruis tuis, & à populo tuo: & tantum in flumine remanebunt. Egreſſique ſunt Moyſes & Aaron à Pharaone: & clamauit Moyſes ad Dominum 'pro ſponſione ranarũ quam condixerat Pharaoni.'Fecítque Dominus iuxta verbũ Moyſi: & mortuæ ſunt ranæ de domibus, & de 'villis, & de agris. Congregauerúntque eas in immenſos aggeres,& computruit Terra.

CONSTITVE mihi quando deprecer pro te) gloriare ſuper me quando orem pro te.Id eſt, Hoc honoris tibi ſume vt deſignes mihi tẽpus,in quo orem pro te.Aut,hoc tibi tribuo,vt præfigas mihi tẽpus quando orem pro te.Alii hũc ſenſum eſſe volunt,Tunc gloriari poteris, atque bono eſſe animo,quum me orante pro te,auferentur ranæ.Hanc ſpem de tuis magis & ariolis habere non potes.

ET à ſeruis tuis,& à populo tuo:) Hæc ne in veteribus quidem Latinis codicibus S.Germani & Dionyſii leguntur,neque in editione Baſilienſi.

QVONIAM non eſt ſicut Dominus Deus noſter.) Vel,quòd non eſt ſimilis Domino Deo noſtro.

A domo tua,) à domibus tuis.

PRO ſponſione ranarum quam condixerat Pharaoni.) ſuper negotio ranarum quod propoſuerat Pharaoni.Id eſt,pro ranis tollendis,quod ſe facturum pollicitus fuerat Pharaoni.

FECITQVE Dominus iuxta verbum Moyſi:) Id eſt,fecit quod petebat Moyſes. Hebraiſmus. Fecit iuxta verbum eius.

VILLIS,) atriis.

IN immenſos aggeres, & computruit Terra.) per aceruos,(vel,aceruatim) & fœtuit terra.

Videns autem Pharao quòd data eſſet requies, ingrauauit cor ſuum,& non audiuit eos,'ſicut præceperat Dominus. Dixítque Dominus ad Moyſen, Loquere ad Aaron,Extende virgam tuam,& percute puluerẽ Terræ: & ſint 'ciniphes in vniuerſa Terra-AEgypti. Fecerúntq; ita.Et extendit Aaron manũ,'virgam tenens:percuſſitq; puluerẽ terræ, & facti ſunt 'ciniphes in hominibus & in iumentis: omnis puluis terræ verſus eſt in ciniphes per totã Terram-AEgypti. Fecerúntq; ſimiliter malefici incantationibus ſuis,vt educerent ciniphes,& non potuerunt: erántque ciniphes tam in hominibus quàm in iumẽtis.Et dixerũt malefici ad Pharaonem, 'Digitus Dei eſt hic. induratúmque eſt cor Pharaonis,& non audiuit eos 'ſicut præceperat Dominus.

SICVT præceperat) ſicut dixerat.

CINIPHES) pediculi. Vox Hebræa CHINNIM,ſignificat genera quædam exiguarum beſtiolarũ,quæ infenſiſſimæ eſſe ſolent,lædentes cutem & penetrantes per nares atque aures.Quidam dicunt ſignificare vermiculos alatos ſimiles culicibus.Veteres tamen Hebræi dicunt ſignificare pediculos. כנם Ciniphes.

VIRGAM tenens:percuſſitque) & cum virga ſua percuſſit.

DIGITVS Dei eſt hic.) Id eſt, hoc fit virtute diuina, non arte magica. Hebraiſmus. Digitus Dei.

SICVT præceperat) ſicut dixerat.

Dixit quoque Dominus ad Moyſen,Conſurge diluculo,& ſta coram Pharaone,egredietur enim ad aquas: & dices ad eum, Hæc dicit Dominus, Dimitte populum meum 'vt ſacrificet mihi.Quòd ſi nõ dimiſeris eũ, ecce ego immittã in te,& in ſeruos tuos,& in populum tuũ, & in domos tuas'omne genus muſcarum:& 'implebun-

tur omnes domus AEgyptiorum 'muſcis diuerſi generis,& vniuerſa terra in qua fuerint. 'Faciámque mirabilem in die illa Terram-Geſſen,in qua populus meus eſt, vt nō ſint ibi 'muſcæ:& ſcias quoniam ego Dominus in medio Terræ. 'Ponámque diuiſionē inter populū meū, & populum tuum: 'cras erit ſignum iſtud. Fecítque Dominus ita.

Sapien.16.b. ‖Et venit 'muſca grauiſſima in domos Pharaonis & ſeruorum eius,& in omnē Terram-AEgypti:corruptáque eſt terra 'ab huiuſcemodi muſcis.

VT ſacrificet) Vel,vt ſeruiat.

עָרוֹב OMNE genus muſcarum:) miſturam (ſiue turbam) ferarum noxiarum. Vox Hebræa AAROB, ſignificat miſturam collectam ex variis & multis ſpeciebus beſtiolarum ſeu inſectorum. Alii intelligunt etiā ſerpētes & ſcorpiones, atque alia venenata animalia. Nōnulli dicunt fuiſſe incurſionē leonum,pardorū,luporum, ſerpentium,& ſimilium noxiarum beſtiarum.

IMPLEBVNTVR omnes) adiectiuū OMNES,nō legitur etiā in antiquis Latinis codicibus S.Germani,Victoris,& Dionyſii.

MVSCIS diuerſi generis, & vniuerſa terra) miſcellanea ferarum noxiarum, & ipſa terra &c.

FACIAMQVE mirabilem) Et ſeparabo.Ita etiam Chaldæus paraphraſtes.

MVSCAE:) turbæ ferarum noxiarum.

ET ſcias &c.) ET pro VT.Id eſt, vt ſcias à me hoc fieri in punitionē peccati tui.

PONAMQVE diuiſionem inter &c.) Ponámque liberationem inter &c. Id eſt,liberabo:hoc eſt,faciā vt populus tuus lædatur à feris noxiis, & populus meus non lædatur.

CRAS erit ſignum iſtud.) quaſi dicat,prædico tibi hæc futura die craſtino.

MVSCA grauiſſima) turba maxima ferarū noxiarum.Vide annotationē paulo præcedentem,cuius principium eſt Omne genus muſcarum.

AB huiuſcemodi muſcis.) propter multitudinē ferarū illarum noxiarum.

Vocauítque Pharao Moyſen & Aaron , & ait eis, ite, & ſacrificate Deo veſtro in terra hac. Et ait Moyſes, 'Non poteſt ita fieri: 'abominationes enim AEgyptiorū immolabimus Domino Deo noſtro:quòd ſi mactauerimus 'ea quæ colunt AEgyptii corā eis,lapidibus nos obruent. Viam trium dierum pergemus in ſolitudinem:'& ſacrificabimus Domino Deo noſtro,

ſ.3.f. ‖'ſicut præcepit nobis. Dixítque Pharao, Ego dimittam vos vt ſacrificetis Domino Deo veſtro in deſerto: 'verūtamen longius ne abeatis,rogate pro me. Et ait Moyſes,Egreſſus à te, orabo Dominum:& 'recedet muſca à Pharaone, & à ſeruis ſuis, & à populo eius cras: verūtamen 'noli vltrà fallere

vt non dimittas populum ſacrificare Domino. 'Egreſſúſque Moyſes à Pharaone, orauit Dominum.'Qui fecit iuxta verbum illius: & 'abſtulit muſcas à Pharaone, & à ſeruis ſuis, & à populo eius: non ſuperfuit ne vna quidẽ. 'Et ingrauatũ eſt cor Pharaonis, ita vt nec hac quidem vice dimitteret populum.

NON poteſt ita fieri:) Non rectũ eſt ita facere. Vel, nõ cõuenit vt ſic agamus.

ABOMINATIONES enim AEgyptiorũ immolabim⁹ Domino Deo noſtro?) quoniam abominationẽ AEgyptiorũ ſacrificaremus Domino Deo noſtro. Vocat ſcriptura deos Gentium, abominationes. Colebant autem AEgyptii arietem: à quo cultu abhorrebant Iudæi. Propterea nõ audebant corã AEgyptiis ſacrificare Deo arietes, ne occiderentur. Chaldæus paraphraſtes vertit, Quoniã iumẽta AEgyptiorum, ſunt dii illorum, quos ipſi timent: & ex illis ſacrificabimus coram Domino Deo noſtro? — Abominationes Gentiũ.

EA quæ colunt AEgyptii) abominationẽ AEgyptiorũ. Recte vertit interpres.

ET ſacrificabimus) vt ſacrificemus.

SICVT præcepit) ſicut dixit. Vel, ſicut prædixit.

VERVNTAMEN longius ne abeatis,) veruntamen elongando non elongabitis eundo. Id eſt, ea lege vt non procul recedatis. Hebraiſmus.

NOLI vltra fallere vt non dimittat, &c.) ne addat Pharao mentiri, non dimittendo, &c. Hebraiſmus, pro, ne tu Pharao amplius fallas. — Non addere facere.

RECEDET muſca) recedet turba ferarum noxiarum.

EGRESSVSQVE) Egreſſus itaque.

QVI fecit iuxta verbum illius:) Fecítque Dominus iuxta verbum Moyſi. Id eſt, exaudiuit Dominus deprecationem Moyſi. Hebraiſmus.

ABSTVLIT muſcas) abſtulit turbam ferarum noxiarum.

ET ingrauatum eſt &c.) Et aggrauauit Pharao cor ſuum etiam hac vice, neque dimiſit populum. Id eſt, in infidelitate permanſit.

CAP. IX.

DIXIT autem Dominus ad Moyſen, Ingredere ad Pharaonem, & loquere ad eum, Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, Dimitte populum meum 'vt ſacrificet mihi. Quòd ſi adhuc renuis, & retines eos: 'ecce manus mea erit ſuper agros, & ſuper equos, & aſinos, & camelos, & oues, & boues peſtis valde grauis. 'Et faciet Dominus mirabile inter poſſeſſiones Iſrael, & poſſeſſiones AEgyptiorũ, vt nil omnino pereat ex his quæ pertinent ad filios Iſrael. Conſtituítq; Dominus tempus, dicẽs, Cras faciet Dominus 'verbum iſtud in Terra. Fecit ergo Dominus 'verbum hoc altera die: mortuáque ſunt omnia 'animantia AEgyptiorum: de animalibus verò filiorum Iſrael nihil omnino periit.'Et miſit Pharao ad

videndum: nec erat quicquam mortuũ de his quæ poſſidebat Iſrael. Ingrauatúmque eſt cor Pharaonis, & non dimiſit populum.

VT ſacrificet mihi.) vt colat me.

Manus mea, peſtis grauis. ECCE manus mea erit ſuper agros, &c.) Id eſt, percutiam pecora, & alia animalia peſte grauiſſima. Eſt enim appoſitio, manus mea, peſtis grauis. Hebraiſmus.

SVPER agros,) ſuper gregem tuum qui eſt in agro. Vetera Latina exemplaria S. Dionyſii, Germani, & Victoris legunt agros tuos.

ET faciet Dominus mirabile inter poſſeſſiones Iſrael, & poſſeſſiones AEgyptiorũ) Vel, Et diſtinguet Dominus inter pecora Iſrael, & inter pecora AEgyptiorũ.

Verbum. VERBVM iſtud in Terra.) Id eſt, rem hanc in hac regione. Hebraiſmus.

VERBVM hoc altera die:) rem hanc poſterò die.

ANIMANTIA AEgyptiorum: de animalibus verò) pecora AEgyptiorum: de pecoribus verò filiorum, &c.

ET miſit Pharao ad videndum: nec erat quicquam mortuum de his quæ poſſidebat Iſrael.) Miſit autem Pharao: & ecce non erat mortuum ex pecoribus Iſrael, ne vnum quidem.

Miſit. Miſit, inquit: ſubaudi, nuntios.

Et dixit Dominus ad Moyſen & Aaron, Tollite 'plenas manus cineris de camino, & ſpargat illum Moyſes in cælum coram Pharaone. 'Sítque puluis ſuper omnem Terrã-AEgypti: 'erunt enim in hominibus & iumentis vlcera, & veſicæ turgentes in vniuerſa Terra-AEgypti. Tulerúntque 'cinerem de camino, & ſteterunt coram Pharaone, & ſparſit illum Moyſes in cælum: 'factáq; ſunt vlcera veſicarum turgentium in hominibus & iumentis: nec poterant malefici ſtare coram Moyſe 'propter vlcera quæ in illis erant, & in omni Terra-AEgypti. Indurauítque Dominus cor Pharaonis, & non audiuit eos, 'ſicut locutus eſt Dominus ad Moyſen.

PLENAS manus cineris de camino,) plenos pugillos fauillæ fornacis.

SITQVE puluis) Erítque in puluerem. Vel, Et vertetur in puluerem.

ERVNT enim in hominibus & iumẽtis vlcera, & veſicæ turgentes) & vertetur in hominibus & beſtiis in ſcabiẽ producentẽ puſtulas. Aut, veſicas turgentes.

CINEREM de camino,) fauillam fornacis.

FACTAQVE ſunt vlcera veſicarum turgentium) exortáque eſt ſcabies producens puſtulas.

PROPTER vlcera quæ in illis erant,) propter ſcabiem quæ in illis erat.

SICVT locutus eſt) ſicut dixerat.

Dixítque Dominus ad Moyſen, 'Mane conſurge, & ſta coram Pharaone, & dices ad eum, 'Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum, Dimitte populum meum 'vt ſacrificet mihi. Quia in hac vice mittam omnes plagas

meas 'ſuper cor tuum,& ſuper ſeruos tuos, & ſuper populum tuum: vt ſcias quòd non ſit ſimilis mei in omni terra. Nunc enim 'extendens 'manum percutiam te, & populum tuum peſte,'peribitíſque de terra. [Idcirco autem poſui te, vt oſtendam 'in te fortitudinẽ meam, '& narretur nomen meũ in omni terra.'Adhuc retines populum meum:& non vis dimittere eum? En pluam cras hac ipſa hora grandinem 'multã nimis: qualis non fuit in AEgypto à die qua fundata eſt,vſque in præſens tempus. Mitte ergo iam nũc,& congrega 'iumenta tua,& omnia quæ habes in agro: homines enim,& iumenta, & vniuerſa quæ inuenta fuerint foris, nec congregata 'de agris,ceciderítque ſuper ea grando,morientur. Qui timuit verbum Domini de ſeruis Pharaonis,fecit confugere ſeruos ſuos, & iumenta in domos: 'qui autem neglexit ſermonem Domini, dimiſit ſeruos ſuos, '& iumenta in agris. Rom.9.d

MANE) diluculo.

HAEC dicit) Sic dicit.

VT ſacrificet mihi.Quia) vt ſeruiat mihi.Alioqui in &c.

SVPER cor tuum,) Vel,in medium tui.Id eſt,ſuper te.

EXTENDENS) Vel,mittens.

MANVM) In Hebraico codice legitur pronomen MEAM,Manum meam.Sic etiam legitur in oblongo codice S.Germani.

PERIBITÍSQVE de terra.Idcirco autẽ poſui te,&c.) exciderîſque de terra.Et vtique ob id feci te ſtare.Vel,feci te manere.Id eſt,nolui te ilico ob tuã impietatem exterminare.Vel, Idcirco feci te regem,vt &c. In vetuſtioribus Latinis codicibus S.Dionyſii, & Germani, & in editione Complutenſi,legitur ſingulari numero,Peribíſque.

IN te) tibi.

ET narretur) Vel,vt narrent. ſubaudi,homines.

ADHVC retines populum meum : & non vis dimittere eum?) Adhuc tu te eleuas contra populum meum non dimittendo eum?

MVLTAM nimis:) grauem admodum.Vel,grauiſſimam.

IVMENTA tua,) pecora tua.

DE agris,) Adde ex Hebræo, In domum.

QVI autem neglexit ſermonem) qui autem non poſuit cor ſuum ad ſermonem &c.Hebraiſmus eſt,quem reddidit interpres. Ponere cor ſuum ad ſermonem.

ET iumenta) & pecora ſua.

Et dixit Dominus ad Moyſen, Extende manum tuã in cælum,vt fiat grando in vniuerſa Terra-AEgypti ſuper homines,& ſuper iumenta,& ſuper omnem herbam

Sapien.16.c. & 19.d. agri in Terra-AEgypti.] Extendítque Moyſes virgam in cælum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinẽ, ac diſcurrentia fulgura ſuper Terrã: pluítque Dominus grãdinem ſuper Terram-AEgypti. Et grando & ignis miſta pariter ferebantur: tantáq; fuit magnitudinis, quãta antè nunquã apparuit in vniuerſa Terra-AEgypti ex quo gens illa condita eſt. Et percuſſit grando in omni Terra-AEgypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine vſque ad iumentum: cunctámque herbam agri percuſſit grando, & omne lignũ regionis confregit. Tantũ in Terra-Geſſen, vbi erant filii Iſrael, grando non cecidit.

AC diſcurrentia fulgura) ac diſcurrit ignis. Subaudi, è cælo delatus.
MAGNITVDINIS,) grauitatis.
Eſſe in gentẽ. EX quo gẽs illa cõdita eſt.) ex quo fuit in gentẽ. Id eſt, ex quo cœpit habitari.
OMNE lignum regionis) omnes arbores agri.

Miſitque Pharao, & vocauit Moyſen & Aaron, dicens ad eos, Peccaui etiam nunc, Dominus iuſtus: & ego & populus meus, impii. Orate Dominum vt deſinant tonitrua Dei, & grando: vt dimittam vos, & nequaquam hîc vltrà maneatis. Ait Moyſes, Cum egreſſus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum, & ceſſabũt tonitrua, & grando non erit: vt ſcias quia Domini eſt terra. noui autem quòd & tu, & ſerui tui necdum timeatis Dominum Deum. Linum ergo, & hordeum læſum eſt, eo quòd hordeum eſſet virens, & linum iam folliculos germinaret: triticum autem, & far non ſunt læſa, quia ſerotina erant. Egreſſúſq; Moyſes à Pharaone ex vrbe, tetendit manus ad Dominum: & ceſſauerunt tonitrua & grando, nec vltrà ſtillauit pluuia ſuper Terrã. Videns autem Pharao quòd ceſſaſſet pluuia, & grando & tonitrua, auxit peccatum: & ingrauatum eſt cor eius, & ſeruorũ illius, & induratum nimis: nec dimiſit Iſrael, ſicut præceperat Dominus per manum Moyſi.

VT deſinant tonitrua Dei &c.) & ſufficiat (ſub. illi) vt non ſint tonitrua Dei & grando: & dimittam vos, nec vltra maneatis. Id eſt, vt ſufficiat illi tonitrua hæc ingentia & grandines miſiſſe: & dimittam vos, nec vltra maneatis in AEgypto.

Chaldæus paraphraſtes vertit, Magnum coram me eſt lucrum, quòd non ſint ſuper nos voces illæ execrandæ. Hoc loco Tonitrua Dei, pro magnis & vehementibus tonitruis ponitur: vt alio loco Cæli Dei, pro Cælis altiſſimis. Tonitrua Dei.

NON erit:) Addendum ex Hebræo aduerbium VLTRA.

ESSET virens, & linum iam folliculos germinaret:) erat in ſpica, & linum erat in calamo. Quaſi dicat, Vel in hac re erga vos fuit miſericors Dominus, quòd triticum vobis ſeruauerit, hordeum & linum.

ET far) & ſpelta.

AVXIT peccatũ:) adiecit adhuc peccare. Id eſt, denuo peccauit. Hebraiſmus.

NIMIS:) valde.

NEC dimiſit) Adde ex Hebraico codice FILIOS. ita etiam legunt vetera Latina exemplaria S. Dionyſii & Germani. conſentit & Baſilienſis editio.

PRAECEPERAT) dixerat.

PER manum Moyſi.) Id eſt, per Moyſen. Hebraiſmus. Per manum Moyſi.

CAP. X.

Et dixit Dominus ad Moyſen, Ingredere ad Pharaonem: ego enim induraui cor eius, & ſeruorum illius: vt faciã ſigna mea hæc in eo, & narres in auribus filii tui, & nepotum tuorum, quoties contriuerim AEgyptios, & ſigna mea fecerim in eis: & ſciatis quia ego Dominus Deus.

IN eo,) in medio eius. Id eſt, vt eo ſpectante edam ſigna mea, in gloriã meam.

ET narres in auribus filii tui,) His Moyſes ſuſtinet perſonam totius Iſraëlis. quaſi dicat, vt narrent Iſraelitæ filiis ſuis & nepotibus.

QVOTIES contriuerim &c.) quæcunque feci in AEgypto, & ſigna mea quæ edidi inter eos: & ſciatis quòd ſim Dominus. Vetus exemplar oblongum S. Dionyſii, & latum S. Germani, Victoris item, conſentiente editione Moguntinenſi & Complutenſi, non legunt DEVS.

Introierunt ergo Moyſes & Aaron ad Pharaonem, & dixerunt ei, Hæc dicit Dominus Deus Hebræorũ, Vſquequo non vis ſubiici mihi? dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi. Si autem reſiſtis, & non vis dimittere eum: ecce ego inducam cras locuſtam in fines tuos: quæ operiet ſuperficiem terræ, ne quicquam eius appareat, ſed comedatur quod reſiduũ fuerit grandini. corrodet enim omnia ligna quæ germinant in agris. Et implebunt domos tuas, & ſeruorum tuorum, & omnium AEgyptiorum: quãtam non viderunt patres tui, & aui, ex quo orti ſunt ſuper terram, vſque in præſentẽ diem. Auertitque ſe, & egreſſus eſt à Pharaone. Sapien. 16. b.

NON vis ſubiici mihi?) renuis ſubmittere te mihi? Vel, renuis deprimere te coram me?

VT ſacrificet) vt ſeruiat.
RESISTIS,& non vis dimittere) renuis dimittere.
LOCVSTAM) ſingulare pro plurali.
NE quicquam eius appareat,) ita vt non poſſit quiſquam videre terrã. Præ multitudine ſcilicet locuſtarum.
SED comedatur quod reſiduum fuerit grandini.) deuorabítque reſiduum euaſionis relictæ vobis à grãdine. Id eſt, quicquid remanſerit intactum à grandine.
CORRODET enim omnia ligna) corrodet etiam omnes arbores.
QVANTAM non viderunt) quod non viderunt. Id eſt, quã rẽ non viderunt.

Dixerunt autem ſerui Pharaonis ad eum, Vſquequo patiemur hoc ſcandalum? dimitte homines, vt ſacrificent Domino Deo ſuo. nónne vides quòd perierit AEgyptus? Reuocaueruntque Moyſen & Aaron ad Pharaonem: qui dixit eis, Ite, ſacrificate Domino Deo veſtro: quinam ſunt qui ituri ſunt? Ait Moyſes, Cum paruulis noſtris, & ſenioribus pergemus, cum filiis & filiabus, cũ ouibus & armentis: eſt enim ſolennitas Domini Dei noſtri. Et reſpondit Pharao, Sic Dominus ſit vobiſcum; quomodo ego dimittam vos, & paruulos veſtros. cui dubium eſt quòd peſſimè cogitetis? Non fiat ita, ſed ite tantum viri, & ſacrificate Domino: hoc enim & ipſi petiſtis. Statímque eiecti ſunt de conſpectu Pharaonis.

VSQVEQVO patiemur hoc ſcandalum?) Vſquequo erit nobis iſte in offendiculum? Vel, Vſquequo erit nobis iſtud in laqueum? Id eſt, Vſquequo iſtud quod fit ab iſtis, nobis damnoſum erit?
VT ſacrificent Domino Deo ſuo.) vt colant Dominum Deum ſuum. Vel, vt ſeruiant Domino Deo ſuo.
NONNE vides quòd &c.) nunquid prius vis cognoſcere quòd &c. Vel, nondum ſcis quòd &c. Chaldæus paraphraſtes vertit, An adhuc non ſcis quòd perierit AEgyptus?
SACRIFICATE) ſeruite.
DOMINI Dei noſtri.) Domini nobis. Id eſt, celebraturi ſumus ſolennitatem Domini. Vetera Latina exemplaria S. Dionyſii, & Germani non legunt hæc verba, Dei noſtri.
CVI dubium eſt quòd peſſimè cogitetis?) Videte quòd malum eſt contra faciem veſtram. Id eſt, videte quòd malitia veſtra quã cogitatis, reuertetur in vos. Vel, videte quòd malum eſt vobis proximum. LXX verterunt, Videte quòd ſcelus vobis propoſitum eſt. Hoc eſt, quiuis poteſt videre, quòd vos aliquid mali moliamini.
NON fiat ita:) Non ita. Vetera Latina exemplaria S. Dionyſii & Germani legunt, Non fiet, futuro tempore.
ET ſacrificate Domino:) & colite Dominum.
EIECTI ſunt de conſpectu Pharaonis.) expulit eos à conſpectu Pharaonis. Subaudi, eiector, & ille qui eiicit. Alii volunt eſſe Hebraiſmum, pro Pharao expulit eos à ſe.

Dixit autem Dominus ad Moyſen, Extende manum tuam ſuper Terram-AEgypti 'ad locuſtam,'vt deſcendat ſuper terram,& deuoret omnem herbam 'quæ reſidua fuerit grandini. Et extendit Moyſes virgam ſuper Terram-AEgypti:& Dominus induxit 'ventũ vrentem tota die illa,& nocte: & mane facto,'ventus vrẽs leuauit locuſtas.Quæ aſcenderunt ſuper vniuerſam Terrã-AEgypti: & ſederunt in cunctis finibus AEgyptiorum innumerabiles,quales ante illud tempus non fuerant, nec poſtea futuræ ſunt. Operuerúntq; vniuerſam ſuperficiẽ Terræ,'vaſtantes omnia.Deuorata eſt igitur herba terræ,& quicquid'pomorum in arboribus fuit,quæ grando dimiſerat: nihil quoque omnino virens relictum eſt 'in lignis,& in herbis terræ,in cuncta AEgypto.

AD locuſtam,) pro locuſta.Subaudi,adducenda.Id eſt, pro locuſtis adducẽdis.
VT deſcendat) vt aſcendat.Atque ita legit editio Complutenſis & Baſilienſis, conſentientibus veteribus Latinis codicibus ſcriptis S.Dionyſii, Germani & Victoris.
QVAE reſidua fuerit grandini.) ,& omne quod reſiduum fuit grandini.
VENTVM vrentem) ventum Orientalem ſuper terram.
VENTVS vrens) ventus ille Orientalis.
VASTANTES omnia:) ita vt tenebreſceret terra.
POMORVM) fructuum.
IN lignis,) in arboribus.

Quam ob rem feſtinus Pharao vocauit Moyſen & Aaron,& dixit eis,Peccaui in Dominum Deum veſtrũ, & in vos.Sed nunc 'dimittite peccatum mihi etiam hac vice,& rogate Dominum Deum veſtrum, vt auferat 'à me mortem iſtam. 'Egreſſúſque eſt Moyſes de conſpectu Pharaonis,& orauit Dominum.Qui 'flare fecit ventum ab Occidente vehemẽtiſſimum, & arreptam locuſtam 'proiecit in Mare-rubrũ: non remanſit ne vna quidem in cunctis finibus AEgypti. Et indurauit Dominus cor Pharaonis,'nec dimiſit filios Iſrael.

DIMITTITE peccatum mihi etiam hac vice,) remitte mihi peccatum hac tantummodo vice.
A ME mortem iſtam.) à me tantũmodo mortem iſtã.Id eſt,perniciem iſtam.
EGRESSVSQVE eſt Moyſes) Hoc loco nõ legitur MOYSES in Hebræo,neque in oblongis codicibus vetuſtis Latinis S. Dionyſii, Germani,& Victoris.

FLARE fecit ventum) vertit ventum. Id eſt, ventum orientalem qui adduxerat locuſtas, vertit in ventum ab occidente flantē. Alii vertunt, flare fecit ex contraria cæli parte.

PROIECIT) Vox Hebræa ſignificat cū magna colliſione & fragore deiicere.

NEC dimiſit) Vel, vt non dimitteret.

Dixit autem Dominus ad Moyſen, Extende manum
tuam in cælum : & ſint tenebræ ſuper Terram-AEgy-
pti 'tam denſæ, vt palpari queant. Extendítque Moyſes
manum in cælū : & factæ ſunt tenebræ 'horribiles in v-
Sapien.17.a niuerſa Terra-AEgypti tribus diebus.‖Nemo vidit 'fra-
Sapien.18.a trem ſuum, nec mouit ſe de loco 'in quo erat:‖vbicunq;
autem habitabant filii Iſrael, lux erat. Vocauítq; Pha-
rao Moyſen '& Aaron, & dixit eis, Ite, ſacrificate Domi-
no: oues tantum veſtræ, & armenta remaneant, paruuli
veſtri eant vobiſcū. Ait Moyſes, Hoſtias quoq; & holo-
cauſta dabis nobis quæ offeramus Domino Deo noſtro.
'Cuncti greges pergent nobiſcū : non remanebit ex eis
vngula: 'quæ neceſſaria ſunt in cultū Domini Dei no-
ſtri: 'præſertim cū ignoremus quid debeat immolari, do-
nec ad ipſū locū perueniamus. Indurauit autē Dominus
cor Pharaonis, & noluit dimittere eos. Dixítque Pharáo
ad Moyſen, Recede à me, & caue ne vltrà videas faciem
meā: 'quocunq; die apparueris mihi, moriêris. Reſpondit
Moyſes, 'Ita fiat vt locutus es, nō videbo vltrà faciē tuā.

TAM denſæ, vt palpari queant.) quæ palpari poſſint. Alii exponunt, Et illæ tenebræ poſteriores expellant priores tenebras noctis. Id eſt, ſint multo denſiores tenebris nocturnis.

HORRIBILES) obſcuriſſimæ.

NEMO vidit fratrem ſuum,) Id eſt, non vidit alter alterum.

IN quo erat:) In Hebraico codice additur, Tribus diebus.

ET Aaron, & dixit eis, Ite, ſacrificate) & ait, Ite, ſeruite Domino.

CVNCTI greges) Cuncti quoque greges.

QVAE neceſſaria ſunt) ex illis enim capiemus.

PRAESERTIM cum ignoremus quid debeat immolari,) neſcimus enim quid debeat immolari Domino.

QVOCVNQVE die) quocunque enim die.

ITA fiat vt locutus es.) Chaldæus paraphraſtes vertit, Probe locutus es.

CAP. XI.

ET DIXIT Dominus ad Moyſen, Adhuc vna
plaga tangam Pharaonem & AEgyptum, & poſt
3.4.g.7.12.e. hæc 'dimittet vos, '& exire compellet.‖'Dices ergo om-

ni plebi vt poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua vaſa argentea,& aurea,'& veſtem.'Dabit autem Dominus gratiam populo ſuo coram AEgyptiis. |Fuítque Moyſes 'vir magnus valde in Terra-AEgypti corã ſeruis Pharaonis,& omni populo.) Eccli 45.a.

ET dixit Dominus) Iam vero dixerat. quãdo ſcilicet apparuerat ei Dominus in rubo ardenti. Hæc autem debent legi per parentheſin vſque ad hæc verba, Et ait,Hæc dicit &c.

DIMITTET vos,) Addendum ex Hebræo aduerbium HINC.

ET exire compellet.) quúmque dimiſerit vos, omnino expellendo expellet vos hinc.Alii vertunt,Conſummatim,ſiue in vniuerſum repellendo repellet vos hinc. Chaldæus paraphraſtes,Cúmque dimiſerit,omnino proiiciet vos. LXX,cũ omni eiectione eiiciet vos.

DICES ergo omni plebi vt poſtulet vir ab amico ſuo,& mulier à vicina ſua) Dic nunc in auribus populi: vt ſinguli mutuo accipiant à ſocio ſuo, & quæque à ſocia ſua. Id eſt, Dic itaque audiẽte populo.Vel, Dic igitur populo.Hebraiſmus. Dicere in auribus populi.

ET veſtem.) Hæc non leguntur ne in veteribus quidem codicibus Latinis S. Germani, Dionyſii & Victoris,neque in editione Baſilienſi,neque Complutenſi.

DABIT autem Dominus gratiam populo ſuo coram AEgyptiis.) Id eſt,Reddet populum ſuum gratum AEgyptiis.

VIR magnus) vir maximus.Id eſt,maximæ authoritatis apud Pharaonem & ſeruos eius.

'Et ait,Hæc dicit Dominus,'Media nocte 'ingrediar in AEgyptũ : & morietur omne primogenitum in Terra-AEgyptiorũ,à primogenito Pharaonis 'qui ſedet in ſolio eius,vſq; ad primogenitũ ancillæ'quæ eſt ad molã,& omnia primogenita iumentorũ. Erítq; clamor magnus in vniuerſa Terra-AEgypti,qualis nec antè fuit,nec poſtea futurus eſt.Apud omnes autẽ filios Iſrael non mutiet canis ab homine vſq; ad pecus:'vt ſciatis quanto miraculo diuidat Dominus AEgyptios & Iſrael. Deſcendéntq; omnes ſerui tui iſti ad me,& adorabunt me, dicẽtes,Egredere tu & omnis populus'qui ſubiectus eſt tibi: poſt hæc'egrediemur.Et exiuit à Pharaone iratus nimis. Dixit autẽ Dominus ad Moyſen,Non audiet vos Pharao vt multa 'ſigna fiant in Terra-AEgypti. 'Moyſes autem & Aaron fecerunt omnia ſigna & oſtẽta quæ ſcripta ſunt,corã Pharaone: '& indurauit Dominus cor Pharaonis, 'nec dimiſit filios Iſrael de terra ſua.

ET ait,) Dixit autem.Vel, Adiecit Pharaoni Moyſes:antequam ſcilicet egrederetur à facie ipſius Pharaonis : id eſt prædixit illi vltimam plagam. Redit enim ad.

interruptam hiſtoriam.

MEDIA nocte) Circa mediam noctem.

INGREDIAR) egrediar. Sic etiam legitur in oblongo codice ſcripto S. Dionyſii, paruo item S. Germani & Victorino. De hoc admonet etiam Correctorium Sorbonicum.

QVI ſedet in ſolio eius,) ſedētis ſuper ſolium ſuum. vt referatur ad Pharaonē. Vel, primogenito ſedente, id eſt ſeſſori, qui iure ſeſſurus erat ſuper ſoliū patris.

QVAE eſt ad molam,) Id eſt, quæ circumagit molam in piſtrino.

VT ſciatis quanto miraculo diuidat Dominus AEgyptios & Iſrael.) vt ſciatis quod diſcrimen poſuerit Dominus inter AEgyptios & Iſraelem.

Sub pedibus alicuius eſſe. QVI ſubiectus eſt tibi:) qui ſub pedibus tuis eſt. Hebraiſmus, quem reddidit interpres.

EGREDIEMVR.) egrediar.

SIGNA) Addendum ex Hebræo pronomen MEA.

MOYSES autem & Aaron fecerunt omnia ſigna & oſtenta quæ ſcripta ſunt,) Moyſes itaque & Aaron fecerunt omnia ſigna hæc &c. Hæc verba, Et oſtenta, non leguntur, neque in vtroque S. Dionyſii, neque in oblongo S. Germani, neque in editione Baſilienſi, admonente de hoc Correctorio Sorbonico.

ET indurauit) ſed indurauerat.

NEC dimiſit) propterea non dimiſit.

CAP. XII.

DIXIT quoque Dominus ad Moyſen & Aaron in Terra-AEgypti, 'Menſis iſte, vobis principium menſium: primus erit in menſibus anni. Loquimini ad vniuerſum cœtum filiorum Iſrael, & dicite eis, Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque 'agnum 'per familias & domos ſuas.'Si autem minor eſt numerus vt ſufficere poſſit ad veſcendum agnum; aſſumet vicinum ſuum qui coniunctus eſt domui ſuæ, iuxta numerum animarum quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni. Erit autē agnus 'abſque macula, maſculus, anniculus:'iuxta quem ritum tolletis & hœdum. Et ſeruabitis eum vſque ad quartādecimā diem menſis huius: immolabítq; eum vniuerſa multitudo filiorū Iſrael 'ad veſperā. Et ſument de ſanguine eius, ac ponent ſuper vtrunque poſtem, & in ſuperliminaribus domorū in quibus comedent illū. Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes, 'cū lactucis agreſtibus. Nō comedetis ex eo crudū quid, nec coctū aqua, ſed aſſum tantū igni: caput 'cū pedibus eius & inteſtinis 'vorabitis. Nec remanebit quicquā ex eo vſque mane. ſiquid reſiduū fuerit, igne comburetis,

MENSIS iſte,vobis principium menſium : primus erit in menſibus anni.) Eandem ſententiam verbis diuerſis effert.quaſi dicat,erit vobis menſis præcipuus inter omnes menſes.Hic eſt menſis qui poſtea Chaldaico vocabulo Niſan eſt appellatus,& plerunque reſpondet Martio noſtro.nam initium eius aliquando præcedit,& aliquando ſequitur æquinoctium vernale,ſecundum quod annus emboliſmicus propè vel longè fuerit.Apud Hebræos legitur,primus erit vobis in &c. Niſan.

AGNVM) Vox Hebræa ſignificat agnum vel hœdum.

PER familias & domos ſuas.) ſibi per domum patrum, agnum per ſingulas domos.Repetitio Hebræis frequens.pro,ſibi per ſingulas familias.Domum enim patrum vocat familiam.Subaudienda præterea dictio NEMPE, VIDELICET, aut ſimilis, in poſteriore parte:hoc pacto,Per domũ patrum,nempe per ſingulas domos,ſiue familias. Domus patrũ

SIN AVTEM minor eſt numerus) Sinautem minor fuerit familia.

ABSQVE macula,) Vel,integer.Id eſt,cui nihil deſit.

IVXTA quem ritum tolletis & hœdum.) quem ex ouibus & capris tolletis. Hic ET pro AVT poſitum eſt: quod eſt frequentiſſimum apud Hebræos. Et,pro Aut.

AD veſperam.) inter duas veſperas. Chaldæus paraphraſtes vertit,Inter duos ſoles Id eſt,inter ſolem declinantem in puncto meridiei,& inter ſolem occidentem:hoc eſt, inter meridiem & occidentem.Quidam dicunt vnam eſſe veſperam ſolis,quũ ſol tranſit horizõtẽ: alterã luminis,quum nõ apparet lumen ſolis poſt occaſum. & ita ait immolandũ eſſe agnũ inter occaſum ſolis & principiũ noctis. Ad veſperam. Inter duas veſperas.

CVM lactucis agreſtibus.) cum amaritudinibus.Id eſt, herbis amaris. Vel fortaſſe,cum triſtitia & amaritudine animi.

CVM pedibus eius) cum cruribus eius.

VORABITIS.) Hæc dictio Hebraice non legitur : ſubintelligenda tamen fuerat aliqua,nempe COMEDETIS.

Sic autem comedetis illum, Renes veſtros accingetis,& 'calceamenta habebitis in pedibus,tenentes 'baculos in manibus,& comedetis feſtinantes:'eſt enim phaſe (id eſt tranſitus)Domini. Et tranſibo per Terram-AEgypti nocte illa,percutiámq; omne primogenitũ in Terra-AEgypti ab homine 'vſq; ad pecus:'& in cunctis diis AEgypti faciã iudicia,ego Dominus. Erit autẽ 'ſanguis 'vobis 'in ſignum in ædibus in quibus eritis : & videbo ſanguinem,& tranſibo vos: nec erit in vobis plaga 'diſperdens quando percuſſero Terram-AEgypti.

CALCEAMENTA) Addendum ex Hebræo,pronomen VESTRA:quod etiam legitur in paruo codice ſcripto S.Germani.

BACVLOS in manibus,) baculum veſtrum in manu veſtra.

EST enim phaſe(id eſt trãſitus) Domini.) eſt enim peſah Domino.Hebraice PESAH legitur,pro quo phaſe,& ſecundum LXX, πάσχα legimus. Senſus autem huius loci eſt,Significat tranſitum Domini imminere:Id eſt,horã qua tranſiturus eſt Dominus domos AEgyptiorum.Sequitur enim,Nam tranſibo &c. Phaſe. פֶּסַח

VSQVE ad pecus:) vſque ad iumentum.

ET in cunctis diis AEgypti faciam iudicia,) Id eſt, ſumã pœnas legitimas de idolis AEgyptiorũ.Deliciam enim eorum idola,vt intelligant me ſolum Deum. Facere iudicia

SANGVIS) ſanguis ille.

VOBIS) Id eſt,in veſtram vtilitatem.

IN ſignum) Subaudi,angelo percutienti.

DISPERDENS) in perditionem.Poſſet verti, Dum percutiam:vt verba illa, Et videbo &c. legātur per parentheſin, hoc pacto, Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus in quibus eritis(aſpiciam enim ſanguinem,& tranſibo vos: nec erit in vobis plaga) dum percutiam, quando &c.id eſt, dum angelus quem mitto, percutiet primogenita AEgypti.

Habebitis autem hunc diem in monumentum: & celebrabitis eam ſolennem Domino 'in generationibus veſtris cultu ſempiterno. Septem diebus azyma comedetis: 'in die primo non erit 'fermentum in domibus veſtris:quicunque comederit fermentū, peribit anima illa de Iſrael, 'à primo die vſque ad diem ſeptimum. 'Dies prima erit ſancta atque ſolennis,& dies ſeptima eadem feſtiuitate venerabilis: nihil operis facietis in eis,'exceptis his quæ ad veſcendum pertinent. 'Et obſeruabitis azyma: in eadem enim ipſa die 'educam exercitum veſtrum de Terra-AEgypti, '& cuſtodietis diem iſtum in generationes veſtras ritu perpetuo.

In generationibus veſtris. Cultu ſempiterno. Statuto mūdi

IN generationibus veſtris cultu ſempiterno.) per ætates veſtras,ſtatuto mundi celebrabitis eū. Id eſt, vos cū poſteris veſtris,ſtatuto ſempiterno celebrabitis illū.

IN die primo non erit fermentum in domibus veſtris: quicunque &c.) verū in die primo ceſſare facietis fermentum in domibus veſtris. nam quicunque &c. Id eſt,ante primum illum diem auferetis fermentū de domibus veſtris,ita vt primo illo die nullum inueniatur fermentum.

A PRIMO die &c.) ordo perturbatior ſic legi debet, Nam quicunque comederit fermentatum à prima die vſque ad diem ſeptimum, peribit &c.

Conuocatio ſancta.

DIES prima erit ſancta atque ſolennis,& dies ſeptima eadem feſtiuitate venerabilis.) Dies prima erit conuocatio ſancta, etiam dies ſeptima erit vobis conuocatio ſancta. Id eſt, dies ſolennis in quo conuocari iubetur populus. Hoc eſt, ex illis ſeptem diebus primus & ſeptimus erunt vobis ſolennes.

EXCEPTIS his quæ ad veſcendum pertinent.) tantum id quod comeditur ab omni anima,hoc ſolum à vobis parabitur. Id eſt,nullum opus fiet à vobis,præter cibum neceſſarium.

Azyma.

ET obſeruabitis azyma:) Id eſt, obſeruabitis ritum edendi azymos. erat enim ſignum quod Iudæos monere debuit diuinæ liberationis, qui eripuerat eos ab omni amaritudine ſpiritus.

Exercitus.

EDVCAM exercitum veſtrum) eduxi exercitus veſtros. Id eſt,omnem numerum filiorum Iſrael.

ET cuſtodietis) Vel,ideo cuſtodietis.

Leuit.23.a. nume.28.c.

‖Primo menſe,quartadecima die menſis ad veſperam comedetis azyma vſque ad diem viceſimamprimam eiuſdem menſis ad veſperam. Septē diebus 'fermentatum non inuenietur in domibus veſtris: 'qui comederit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Iſrael, 'tam de

aduenis quàm de indigenis Terræ. Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis veſtris edetis azyma. Vocauit autem Moyſes omnes ſeniores 'filiorũ Iſrael, & dixit ad eos, 'Ite tollentes animal per familias veſtras, & immolate 'phaſe.‖Faſciculúmq; hyſſopi tingite in ſanguine qui eſt 'in limine, & aſpergite ex eo ſuperliminare, & vtrunque poſtẽ: nullus veſtrũ egrediatur oſtium domus ſuæ vſque mane. Tranſibit enim Dominus 'percutiens AEgyptios: cúmque viderit ſanguinem in ſuperliminari & in vtroque poſte, 'tranſcendet oſtiũ domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras '& lædere. 'Cuſtodi verbum iſtud legitimum tibi & filiis tuis vſque in æternum. Heb.ᴎ.ᴄ.

FERMENTATVM) fermentum. Sic etiam legit oblongus codex S. Dionyſii.

QVI comederit) nam quicunque comederit.

TAM de aduenis, quàm de indigenis terræ.) in aduena & indigena terræ. Hebraiſmus eſt, pro, ſiue aduena ſit, ſiue indigena terræ. In aduena, & in indigena.

FILIORVM) Hæc vox non legitur hoc loco in Hebraico codice.

ITE tollentes animal) Extrahite, & tollite pecudes. Extrahite, ſubaudi, de ouili. Chaldæus paraphraſtes vertit, Capite de filiis gregis. Id eſt, agnos vel hœdos. Filii gregis.

PHASE.) Id eſt, victimam quæ trãſitum ſignificabat, quando Dominus tranſiit per AEgyptum, occidens primogenita AEgyptiorum, præteritis primogenitis Iſraelitarum. Phaſe.

IN limine,) in vaſe, quo ſcilicet exceptus fuit ſanguis agni.

PERCVTIENS) vt percutiat.

TRANSCENDET oſtiũ domus,) tranſibit Dominus oſtium. Vel, præteribit Dominus oſtium. Antecedens pro relatiuo poſitum. Latini dicerent, Tranſibit ipſe oſtium.

ET lædere.) ad percutiendum. Subaudi, primogenita.

CVSTODI verbum iſtud legitimum) Obſeruabitis igitur rẽ iſtã in ſtatutũ. Trãſitus perſonæ eſt: ita vertendũ eſſet, Erũt tibi ceremoniæ hæ vice ſtatuti &c. Legitimum.

Cúmque introieritis terram' quã Dominus Deus daturus eſt vobis vt pollicitus eſt, obſeruabitis 'ceremonias iſtas. Et cum dixerint vobis filii veſtri, 'Quæ eſt iſta religio? dicetis eis, Victima tranſitus Domini eſt, 'quando tranſiuit ſuper domos filiorum Iſrael in AEgypto percutiens AEgyptios, & domos noſtras liberans. Incuruatúſque populus adorauit.

QVAM Dominus Deus) Hoc loco non legitur DEVS in Hebræo, neque in antiquioribus Latinis, oblongo S. Dionyſii, & tribus S. Germani, neque in Victorino codice, neque in Complutenſi editione.

CEREMONIAS iſtas.) cultum iſtũ. Vox Hebræa AAVODA, ſignificat ſer- עֲבֹדָה

ultutem & miniſterium.hic autem accipitur prō ritu.

QVAE eſt iſta religio?) Quis eſt hic cultus veſter? Id eſt, Quid ſibi vult hic cultu veſter?

QVANDO tranſiuit ſuper domos) quia tranſiit iuxta domos. Vel, præteriit domos. Hic ponit etymon dictionis Phaſe.

Et egreſſi filii Iſrael fecerunt ſicut præceperat Dominus Moyſi & Aaron. Factum eſt autem, in noctis medio percuſſit Dominus omne primogenitum in Terra-AEgypti, à primogenito Pharaonis 'qui in ſolio eius ſedebat, ‖vſque ad primogenitum 'captiuæ quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum. Surrexítq; Pharao nocte, '& omnes ſerui eius, cũctáque AEgyptus: & ortus eſt clamor magnus in AEgypto: neque enim erat domus in qua non iacêret mortuus. Vocatíſq; Pharao, Moyſe & Aaron nocte, ait, Surgite, egredimini à populo meo, 'vos & filii Iſrael: 'ite, & immolate Domino ſicut dicitis. Oues veſtras & armenta aſſumite vt petieratis, & abeuntes 'benedicite mihi.' Vrgebántque AEgyptii populum Iſrael de Terra exire velociter, dicentes, Omnes 'moriemur.

Sapien. 18. b

QVI in ſolio eius ſedebat,) ſeſſuro ſuper ſolium eius. ita docte vertit Chaldæus paraphraſtes.

CAPTIVAE quæ) Vel, captiui qui.

ET omnes) Præcedit pronomen IPSE apud Hebræos, Ipſe, & omnes.

VOS & filii) Legendum Et vos, & filii. atque ita legunt vetera Latina exemplaria S. Dionyſii, Germani, & Victoris.

ITE, & immolate) ite, ſeruite. Nulla coniunctio intercedit apud Hebræos, neque etiam legitur in codicibus Latinis vetuſtis, oblongo S. Dionyſii, & vtroque S. Germani, & Victorino.

Benedicere alicui.

BENEDICITE mihi.) benedicite etiam mihi. Chaldæus paraphraſtes, Orate pro me. Ne ſcilicet moriar.

VRGEBANTQVE AEgyptii populum Iſrael de Terra exire velociter,) Et præualeſcebat AEgyptus ſupra populum ad feſtinandum dimittere illos è Terra. Hebraiſmus, pro, Totis autem viribus AEgyptii vrgebãt populum vt mature diſcederent ab AEgypto. Dictio ISRAEL hoc loco nō legitur neque Hebraice, neque in Latinis vetuſtioribus codicibus S. Germani, Dionyſii & Victoris, neque in editione Moguntinenſi.

MORIEMVR.) morimur, præſentis temporis. Id eſt, actum eſt de nobis.

Tulit igitur populus conſperſam farinam antequam fermentaretur: '& ligans in palliis poſuit ſuper humeros ſuos.' Fecerúntque filii Iſrael ‖ſicut præceperat Dominus Moyſi: & petierunt ab AEgyptiis vaſa argentea

Ī. II. a.

& aurea, veſtémque plurimam. Dominus autem 'dedit gratiam populo coram AEgyptiis 'vt commodarent eis: & ſpoliauerunt AEgyptios.

ET ligans in palliis poſuit ſuper humeros ſuos.) cibos ſuos ligatos in veſtibus poſuit ſuper humeros ſuos. Alii vertunt, panaria ſua inuoluta veſtibus. Id eſt, vaſa in quibus ſeruatur maſſa illa. Vt tamen continens ſit pro contento: quaſi dicat, conſperſiones ſuas conſperſas. Alii dicunt vocem Hebræã SERVROTH, pro qua cibos vertimus, ſignificare reliquias ciborum. Poſſet & ita verti, ſubintelligendo IN, In panariis ſuis inuolutis veſtibus &c. צְרֹרֹת

FECERVNTQVE filii Iſrael ſicut præceperat Dominus Moyſi: & petierũt) Fecerant autem filii Iſrael ſicut præceperat Moyſes: & petierant, &c.

DEDIT gratiam &c.) dederat gratiam &c. Id eſt, reddiderat populum ſuum gratum AEgyptiis.

VT commodarent eis: & ſpoliauerunt AEgyptios.) & commodauerant ea: & ſpoliauerant AEgyptios.

Profectíque ſunt filii Iſrael de Rameſſe in Socoth, ſex centa ferè milia peditum virorum, abſque paruulis '& mulieribus. Sed & 'vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis, oues & armenta '& animantia diuerſi generis multa nimis. Coxerúntque farinam quam 'dudum de AEgypto conſperſam tulerãt: & fecerunt ſubcineritios panes azymos: 'neque enim poterat fermentari cogẽtibus exire AEgyptiis, & nullam facere finentibus moram: nec pulmenti quicquam occurrerat præparare. Habitatio autem filiorum Iſrael qua manſerũt in AEgypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Quibus expletis, eadem die 'egreſſus eſt omnis exercitus Domini de Terra-AEgypti. 'Nox iſta eſt obſeruabilis Domini, quãdo eduxit eos de Terra-AEgypti: 'hanc obſeruare debẽt omnes filii Iſrael in generationib' ſuis.

ET mulieribus.) Hæc neque in Hebræis, neque in veteribus Latinis codicibus S. Dionyſij, Victoris, & Germani leguntur, admonente de hoc etiam Correctorio Sorbonico.

VVLGVS promiſcuum innumerabile) miſtio multa. Chaldæus paraphraſtes vertit, Extranei multi qui non erant Iſraelitici.

ET animantia diuerſi generis multa nimis.) & pecora multa admodum.

DVDVM) Hæc dictio non legitur Hebraice.

NEQVE enim &c. Habitatio) non enim erat fermentata: quoniam quum expellerentur ab AEgyptiis, non potuerũt facere moram, neque etiam viaticum ſibi apparauerant.

EGRESSVS eſt omnis exercitus) egreſſi ſunt omnes exercitus.

NOX iſta eſt obſeruabilis Domini.) Nox cuſtodiarum eſt Domino. Id eſt, hac nocte Dominus cuſtodiuit filios Iſrael ne læderentur à vaſtatore, vt educeret eos

de terra AEgypti,& aſſereret in libertatem.

HANC obſeruare debent filii ſrael) nox inquam iſta erit Domino, obſeruantiæ filiis Iſrael. Pluralis numeri eſt obſeruantiæ. quaſi dicat, Nox iſta obſeruabitur ab omnibus filiis Iſrael Domino. Id eſt, in honorem Domini.

Dixítque Dominus ad Moyſen & Aaron, hæc eſt 'religio phaſe, Omnis alienigena nō comedet ex eo. Omnis autem ſeruus emptitius circuncidetur, & ſic comedet.

Num.9 b. Aduena & mercenarius non edent ex eo.‖In vna domo

Iohan.19.f. comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras, ‖nec 'os illius confringetis. Omnis cœtus filiorum Iſrael faciet illud.'Quòd ſiquis peregrinorū in veſtram voluerit tranſire coloniam,& facere phaſe Domini, circuncidetur priusomne maſculinum eius,& tunc'rite celebrabit: erítque ſicut indigena Terræ. ſiquis autem circunciſus non fuerit, non veſcetur ex eo. Eadem lex erit indigenæ & colono qui peregrinatur apud vos.'Fecerúntque omnes filii Iſrael ſicut præceperat Dominus Moyſi & Aaron.'Et eadem die eduxit Dominus filios Iſrael de Terra-AEgypti per turmas ſuas.

RELIGIO phaſe,) lex phaſe. Vel, hoc ſtatutum phaſe. Id eſt, hic debet eſſe ritus, hæc obſeruantia, hoc more celebrandum eſt phaſe.

OS illius) os ex illo. Vel, os in illo.

QVÒD ſiquis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere phaſe Domini,) Quòd ſiquis peregrinetur apud te aduena, & velit facere phaſe Domino.

RITE celebrabit:) accedat vt faciat ipſum.

ET colono) & peregrino.

FECERVNTQVE) Fecerunt autem. Sic etiam legitur in oblongo S. Dionyſii, lato item & paruo S. Germani.

ET eadem die eduxit) Factum eſt igitur vt in ipſa eadem die educeret.

CAP. XIII.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen, dicens,

I34.c. num. 8.c. luc.2.d. leuit.27.c. ‖Sanctifica mihi omne primogenitum 'quod aperit vuluam in filiis Iſrael, tam de hominibus quàm de iumentis:'mea ſunt enim omnia. Et ait Moyſes ad populū, Memētote diei huius in qua egreſſi eſtis de AEgypto '& de domo ſeruitutis, quoniam 'in manu forti eduxit vos Dominus de loco iſto:'vt non comedatis fermentatum panem. Hodie egredimini 'menſe nouarum frugū.

Cúmque introduxerit te Dominus in Terrã-Chananæi & Hethæi & Amorrhæi & Heuæi & Iebuſæi, quã iurauit patribus tuis vt daret tibi, terrã fluẽtẽ lacte & melle, 'celebrabitis hunc morem 'ſacrorũ menſe iſto. Septem diebus veſcêris azymis: & in die ſeptimo erit 'ſolennitas Domini. Azyma comedetis ſeptẽ diebus: non apparebit apud te aliquid fermentatũ, nec in cunctis finibus tuis.

SANCTIFICA) Id eſt, conſecra. — Sanctificare.

QVOD aperit vuluam) apertionem omnis vteri. Hoc per appoſitionem dictum eſt, primogenitum quod primo aperit matris vterum.

MEA ſunt enim omnia.) meum enim eſt. Subaudi, primogenitum.

ET de domo ſeruitutis,) Coniunctio ET, non legitur apud Hebræos. Per appoſitionem enim AEgyptum vocat domum ſeruorum, id eſt, locu in quo ſeruiebant ſeruitutem duram. — Domus ſeruorum.

IN manu forti) Id eſt, magnis viribus, magna virtute & fortitudine.

VT non comedatis fermentatum panem.) neque comedetur fermentatum. Vt ſcilicet hac ratione memores ſitis quomodo non tantum vi exiſtis ex AEgypto, ſed etiam ita feſtinanter eiecti fuiſtis, vt non licuerit immorari diutius ad parandum viaticum, nondũmque maſſæ veſtræ eſſent fermentatæ: tantum abeſt vt vos retinuerint.

MENSE nouarum frugum.) menſe ſpicarum. Id eſt, menſe quo ſpicæ exeunt è calamis. Vox Hebræa ABIB, ſignificat proprie calamum in cuius ſummitate eſt ſpica. Hoc fit menſe Martio, vel in principio Aprilis. — אָבִיב

CELEBRABITIS) celebrabis. ſingulari numero. Sic etiam legunt vetera Latina exemplaria, S. Dionyſii latum, S. Germani latum & paruum: atque ita impreſſum eſt in Complutenſi editione.

SACRORVM) Hoc verbum non legitur Hebraice.

SOLENNITAS Domini.) ſolennitas Domino. Id eſt, in honorem Domini.

Narrabíſq; 'filio tuo 'in die illo, dicẽs, 'Hoc eſt quod fecit mihi Dominus quãdo egreſſus ſum de AEgypto. 'Et erit quaſi ſignũ in manu tua, & quaſi monimentũ ante oculos tuos: '& vt lex Domini ſẽper ſit in ore tuo. in manu enim forti eduxit te Dominus de AEgypto. 'Cuſtodies huiuſcemodi cultũ ſtatuto tẽpore à diebus in dies.

FILIO tuo) Id eſt, filiis & nepotibus tuis.

IN die illo,) quo ſcilicet comedes agnum paſchalem.

HOC eſt) Propter hoc. Id eſt, propter ea ſigna quæ fecit Dominus, propter occiſa primogenita, celebramus paſchæ iſtius feſtũ, in memoriam beneficii accepti.

ET erit) Adde pronomen TIBI.

ET vt lex Domini ſemper ſit in ore tuo,) vt ſit lex Domini in ore tuo.

CVSTODIES huiuſcemodi cultum ſtatuto tempore à diebus in dies.) Cuſtodi itaque ritum hunc tempore ſuo de anno in annum. Id eſt, quotannis, ſiue per ſingulos annos.

Cúmque introduxerit te Dominus in Terram-Chananæi, ſicut iurauit tibi & patribus tuis, & dederit tibi

cam: 'ſeparabis omne quod aperit vuluam Domino, & quod primitiuum eſt in pecoribus tuis: quicquid habueris maſculini ſexus, conſecrabis Domino. Primogenitū aſini 'mutabis oue: quòd ſi non redemeris, interficies. omne autem primogenitum hominis de filiis tuis, pretio redimes. Cùmque interrogauerit te filius tuus 'cras, dicens, Quid eſt hoc? reſpondebis ei, In manu forti eduxit nos Dominus de Terra-AEgypti, 'de domo ſeruitutis. Nam 'cum induratus eſſet Pharao, & nollet nos dimittere, occîdit Dominus omne primogenitum in Terra-AEgypti à primogenito hominis vſque ad primogenitū iumentorū: idcirco immolo Domino omne quod aperit vuluam maſculini ſexus, & omnia primogenita filiorum meorum redimo. Erit igitur 'quaſi ſignū in manu tua, & quaſi appenſum quid, ob recordationem, ante oculos tuos: eo quòd in manu forti eduxit nos Dominus de AEgypto.

SEPARABIS omne quod aperit vuluam Domino, & quod primitiuum eſt in pecoribus tuis:) tunc adduces omne quod aperit vuluam, ad Dominum: & omnem apertionem, emiſſionem iumenti. Vel, pecoris. Per appoſitionem dictū, emiſſionem iumenti. Id eſt, omne quod aperit vuluam beſtiæ, hoc eſt omne primogenitum beſtiæ.

MVTABIS oue.) redimes agno. Vel, hœdo.

CRAS,) Id eſt, poſthac.

Domus ſeruitutis. DE domo ſeruitutis.) Id eſt, de loco in quo ſeruiebamus duram ſeruitutem.

CVM induratus eſſet Pharao, & nollet nos dimittere,) quum difficilem ſe redderet Pharao, ita vt non dimitteret nos. Vel, quando indurauit ſeſe Pharao, ita vt nollet &c.

QVASI ſignum in manu tua, & quaſi appenſum quid, ob recordationem, ante oculos tuos: eo quòd &c.) in ſignum ſuper manum tuā, & in monimentū (vel, frontale) inter oculos tuos, quòd in manu &c. Quaſi dicat, hæc oblatio primogenitorum reuocabit tibi perpetuò memoriam beneficiorum acceptorum: erit tibi vice ſigni alligati manibus & fronti tuæ. Vetus exemplar Latinum S. Germani oblongum legit, inter oculos. De hoc admonet etiā Correctoriū Sorbonicum.

Igitur cum emiſiſſet Pharao populum, non eos 'duxit Dominus per viam Terræ-Philiſthiim 'quæ vicina eſt: reputans ne fortè pœniteret eum, ſi vidiſſet aduerſum ſe bella conſurgere, & reuerteretur in AEgyptum. Sed 'circunduxit per viam deſerti, quæ eſt iuxta Mare rubrum: & armati aſcenderunt filii Iſrael de Terra-AEgypti.

Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum:‖eo quòd adiuraſſet filios Iſrael, dicens, 'Viſitabit vos Deus, efferte oſſa mea hinc vobiſcum. Profectíq; de Socoth,caſtrametati ſunt in Etham in extremis finibus ſolitudinis. ‖Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viã per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: 'vt dux eſſet itineris vtroque tempore.‖Nunquam defuit columna nubis per diem,nec columna ignis per noctem, coram populo. Gene.50.d. Num.14.c. 1.cor.10.a Nehem.9.d.

DVXIT Dominus) duxit Deus.Ita in veteribus Latinis codicibus S.Dionyſii vtroque,& lato S.Germani,& Victorino.

QVAE vicina eſt:) quia vicina erat.

EVM,) populum.

CIRCVNDVXIT per viam deſerti,quæ eſt iuxta Mare-rubrum:) circunduxit populũ per viã deſerti,Maris-rubri. Quidã repetunt dictionem DESERTI, hoc pacto,Per viam deſerti,deſerti inquam Maris-rubri.quaſi dicat,per vias obliquas duxit populum ad Mare-rubrum.Alii ſubaudiunt præpoſitionem Hebræam ל,ante ים,ſic לים, & vertunt,ad Mare-rubrum.

VISITABIT vos Deus, efferte) Hebraiſmus eſt;pro, Cum viſitauerit vos Deus,efferte &c.

VT dux eſſet itineris vtroque tempore.Nunquam defuit columna) vt prælucerent illis, vt ambularent die ac nocte.Nunquam recedebat columna.

CAP. XIIII.

LOCVTVS eſt autem Dominus ad Moyſen,dicens, Loquere filiis Iſrael, 'Reuerſi caſtrametentur eregione Phi-hahiroth quæ eſt inter Magdalum & mare 'contra Beel-ſephon:in conſpectu eius caſtra ponetis ſuper mare. 'Dicturúſque eſt Pharao ſuper filiis Iſrael, 'Coarctati ſunt in terra, concluſit eos deſertum. Et indurabo cor eius, 'ac perſequetur vos: & 'glorificabor in Pharaone & in omni exercitu eius; ſciéntque AEgyptii quia ego ſum Dominus.Fecerúntque ita.

REVERSI caſtrametentur) vt reuertantur & caſtrametentur.

CONTRA) Vel,eregione.

DICTVRVSQVE eſt) Nam dicturus eſt.

COARCTATI) Perplexi.Vox Hebræa NEVVCHIM,ſignificat animo perplexos,& vſqueadeo ambiguos,vt neſciant quò ſe vertant. נְבֻכִים

AC perſequetur) vt perſequatur.

GLORIFICABOR) gloriabor.Id eſt,glorioſus apparebo.

Et nuntiatum eſt regi AEgyptiorũ quòd fugiſſet populus: 'immutatúmque eſt cor Pharaonis & ſeruorum

eius ſuper populum, & dixerunt, 'Quid voluimus facere vt dimitteremus Iſrael, ne ſeruiret nobis?'Iunxit ergo currum, & omnẽ populum ſuum aſſumpſit ſecum. Tulítque ſexcentos currus electos, & quicquid in AEgypto curruum fuit: '& duces totius exercitus. Indurauítque Dominus cor Pharaonis regis AEgypti, & perſecutus eſt

1.Mach.4.2. filios Iſrael: at illi egreſſi erant 'in manu excelſa. ¶'Cúmque perſequerentur AEgyptii veſtigia præcedentium, repererunt eos in caſtris ſuper mare: omnis equitatus & currus Pharaonis, & vniuérſus exercitus erãt in Phi-hahiroth contra Beel-ſephon.

IMMVTATVMQVE eſt cor Pharaonis) Id eſt, mutata eſt ſẽtẽtia Pharaonis.

QVID voluimus facere) Cur hoc fecimus. Vel, Quid hoc rei eſt quod fecimus, quando dimiſimus &c.

IVNXIT ergo currum,) Id eſt, curauit apparandum currum ſuum. olim enim pugnabant in curribus.

ET duces totius exercitus. Indurauítque) & præfectos ſuper quenque illorũ. Indurauit Igitur. Præfectos intelligit qui præerant omnibus curribus.

In manu excelſa. IN manu excelſa.) Id eſt, cũ magna potẽtia, & magna audacia, animóq; alacri.

CVMQVE perſequerentur AEgyptii &c. Cúmque appropinquaſſet) Cúmque perſequerentur eos AEgyptii, aſſequuti ſunt eos caſtrametatos iuxta mare: omnes inquam equi curruum Pharaonis, atque equites eius, & exercitus eius, iuxta Phi-hahiroth, qui eſt eregione Beel-ſephon. Ordo perturbatior eſt, quem ſic poteris ordinare, Inſecuti ſunt AEgyptii, hoc eſt omnes equi curruum Pharaonis, & equites eius, & exercitus eius filios Iſrael: & aſſequuti ſunt eos iuxta &c.

Cúmque appropinquaſſet Pharao, leuantes filii Iſrael oculos, viderunt AEgyptios 'poſt ſe: & timuerunt valde, clamauerúntque ad Dominum, & dixerunt ad Moyſen, 'Forſitan non erant ſepulchra in AEgypto, ideo tuliſti nos vt moreremur in ſolitudine: 'quid hoc facere voluiſti, vt educeres nos ex AEgypto? 'Nónne iſte eſt ſermo quem loquebamur ad te in AEgypto, dicentes, Recede à nobis, vt ſeruiamus AEgyptiis? multo enim melius erat ſeruire eis, quàm mori in ſolitudine. Et ait Moyſes ad populum, Nolite timere: ſtate, & 'videte magnalia Domini quæ facturus eſt hodie: AEgyptios enim 'quos nunc videtis, nequaquã vltrà videbitis vſque in ſempiternũ. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.

POST ſe:) Addendum ex Hebræo, PROFICISCENTES.

FORSITAN non erant &c.) An quòd non erant &c.

QVID hoc facere voluiſti,) quare ſic feciſti nobis. Vel, quid hoc eſt quod feciſti nobis.

NONNE iſte eſt ſermo quem loquebamur) Nónne hæc res eſt quam loquebamur &c.

VIDETE magnalia Domini quæ facturus eſt hodie:) videte ſalutem Domini quam vobiſcum faciet hodie. Vel, quam allaturus eſt vobis hodie. Magnalia.

QVOS nunc videtis,) quemadmodum vidiſtis. Ita Chaldæus paraphraſtes.

Dixítque Dominus ad Moyſen, Quid 'clamas ad me? Loquere filiis Iſrael vt proficiſcantur. Tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & diuide illud: vt gradiantur filii Iſrael in medio mari per ſiccum. Ego autem indurabo cor AEgyptiorum vt perſequantur vos: & 'glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus & in equitibus illius. Et ſciẽt AEgyptii quia ego ſum Dominus: cũ 'glorificatûs fuero in Pharaone, & in curribus atque in equitibus eius.

Tollénſque ſe 'angelus Domini qui præcedebat caſtra Iſrael, abiit poſt eos: '& cum eo pariter columna nubis, priora dimittẽs poſt tergum. Stetit inter caſtra AEgyptiorum & caſtra Iſrael: & erat 'nubes tenebroſa, & illuminans noctem, ita vt ad ſe inuicem toto noctis tẽpore accedere non valerẽt. Cúmque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus, flante 'vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum: ‖diuiſáque eſt aqua. Pſal.113.a.
‖Et ingreſſi ſunt filii Iſrael per medium ſicci maris: erat enim aqua quaſi murus à dextra eorum & læua. Pſal.77.b.d. 114.d.heb.11.c

CLAMAS) Hic Moyſes, vt nonnullis placet, populi perſonam ſuſtinet. quaſi dicat, Quare populus cui præes, clamat ad me?

GLORIFICABOR in Pharaone,) gloriabor de Pharaone.

GLORIFICATVS fuero in Pharaone,) gloriabor de Pharaone. Id eſt, glorioſus apparebo propter mortem eius.

ANGELVS Domini) Angelus Dei. Atque ita legũt exemplaria Latina ſcripta S. Dionyſii, Germani & Victoris, cum editione Complutenſi.

ET cũ eo pariter columna nubis, priora dimittẽs poſt tergũ. Stetit &c.) columna quoque nubis quæ erat ante faciem illorum, ſtetit à tergo eorum. Veníteque &c. ſubaudi, columna vel angelus.

NVBES tenebroſa, & illuminans noctem,) nubes & tenebræ, & illuminabat noctem. Id eſt, columna illa quæ erat inter vtraque caſtra, ex parte Iſraelis, noctem illuminabat: ex parte autem AEgyptiorum, erat nubes obſcura & tenebroſa. ita Chaldæus paraphraſtes. Vel, erat nubes quæ illuſtrabat noctẽ filiis Iſrael: tenebræ autem erant AEgyptiis.

VENTO vehementi,& vrente) vento Orientali fortiſſimo.

Perſequentéſque AEgyptii ingreſſi ſunt poſt eos, '& omnis equitatus Pharaonis, currus eius & equites per medium maris. Iámque aduenerat vigilia matutina,'& ecce reſpiciēs Dominus ſuper caſtra AEgyptiorum per columnam ignis & nubis,'interfecit exercitum eorū,'& ſubuertit rotas curruum, ferebantúrque in profundum. Dixerunt ergo AEgyptii,Fugiamus Iſraelem:Dominus enim pugnat pro eis cōtra nos.Et ait Dominus ad Moyſen, Extende manum tuam ſuper mare, vt reuertantur aquæ'ad AEgyptios,ſuper currus & equites eorū.Cúmque extendiſſet Moyſes manum 'contra mare,reuerſum eſt primo diluculo'ad priorem locum: fugientibúſque AEgyptiis occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus.Reuerſǽque ſunt aquæ,'& operuerūt currus '& equites cuncti exercitus Pharaonis,qui 'ſequētes ingreſſi fuerant mare: nec vnus quidem ſuperfuit ex eis. Filii autem Iſrael perrexerūt per medium ſicci maris, & aquæ eis erant quaſi pro muro à dextris & à ſiniſtris: liberauítque Dominus in die illa Iſrael de manu AEgyptiorum. Et viderunt AEgyptios mortuos ſuper litus maris, & 'manū magnam quam exercuerat Dominus contra eos:timuítque populus Dominum,& crediderunt Domino,& Moyſi ſeruo eius.

Sapien.18.b

ET omnis equitatus) omnis ſcilicet equitatus.

ET ecce) aduerbium demonſtrandi ECCE,non legitur Hebraice, neque in editione Complutenſi.

INTERFECIT) perturbauit.Vel attriuit.

ET ſubuertit rotas curruū,ferebantúrque in profundum.) abſtulit enim rotas curruum,ita vt deducerent grauiter.Subaudi,AEgyptii illos currus.Vel,cum magna difficultate.

AD AEgyptios, ſuper currus & equites eorum.) ſuper AEgyptios,ſuper currū eius & ſuper equites eius.Id eſt,ſuper AEgyptios, hoc eſt currus & equites eorum. quaſi dicat,Vt reuerſæ aquæ obruant currus & equites AEgyptiorum.

CONTRA mare,) ſuper mare.

AD priorem locum: &c.Reuerſǽque) ad robur ſuum, fugerúntque AEgyptii in occurſum eius,& excuſſit Dominus AEgyptios in medium mare.Quod ait,Fugerúntque AEgyptii in occurſum eius: ſignificat aquas occurriſſe AEgyptiis fugientibus,eóſque attonitos fuiſſe:vſqueadeo vt fugerent in ipſas aquas.

ET equites cuncti exercitus) & equites,atque totum exercitum.

SEQVENTES) addendum pronomen ILLOS.

MANVM magnam) Id eſt, potentiam & virtutem illam magnam qua vſus fuerat Dominus in AEgyptios. Manus.

CAP. XV.

TVnc cecinit Moyſes & filii Iſrael carmen hoc Domino, & dixerunt,

Cantemus Domino: glorioſe enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem deiecit in mare. Sapien. 10. d

Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem: iſte Deus meus, & glorificabo eũ: Deus patris mei, & exaltabo eum. Iſa. 12. a. pſal. 117. c.

TVNC cecinit) ſingulari numero dicit CECINIT: quòd ſolus Moyſes compoſuerit canticum in laudem Domini licet alii vnà cum eo cecinerint.

CARMEN hoc Domino,) Vel, canticum iſtud in laudem Domini. Hoc capite continetur encomium huius tantæ victoriæ: agit enim gratias Deo ob tantam victoriam.

CANTEMVS) Cantabo. Compoſuit enim hoc canticum Moyſes.

GLORIOSE enim magnificatus eſt,) magnificando enim magnificatus eſt. Id eſt, magnum & fortem & ſtrenuum ſe eſſe oſtendit. Glorioſe magnificatus.

EQVVM & aſcenſorem) Id eſt, equites enim & ipſos equos. Singulare pro plurali.

FORTITVDO mea, & laus mea Dominus,) Id eſt, Deus eſt cuius auxilio hoſtibus ſuperior fui, & qui mihi propterea canticis celebrandus eſt. Fortitudo & laus mea De9

ET factus eſt mihi in ſalutem:) Id eſt, tulit enim mihi opem, & liberauit me. אֵל

ISTE Deus) Hic EL, Deus dicitur à fortitudine, quia fortitudinem ſuam oſtenderat.

ET glorificabo) & decorabo. Vel, propterea extruam illi tabernaculum.

ET exaltabo eum.) propterea exaltabo eum.

Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius.

Currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare: electi principes eius ſubmerſi ſunt in Mari-rubro.

Abyſſi operuerunt eos, deſcenderunt in profundũ quaſi lapis.

Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine: dextera tua Domine percuſſit inimicum.

Et in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios meos: miſiſti irã tuã quæ deuorauit eos ſicut ſtipulã.

Et in ſpiritu furoris tui cõgregatæ ſunt aquæ: ſtetit vnda fluens, congregatæ ſunt abyſſi in medio mari.

QVASI vir pugnator,) vir belli. Hebraiſmus eſt, pro admodum bellicoſo.

OMNIPOTENS) Dominus. Hic IEHOVA ponitur, de quo vide annotationem ſuprà in principio capitis ſexti.

PROIECIT) Vel, eiaculatus eſt. quaſi dicat, Tanta facilitate deiecit in mare, quanta quis emittere ſolet ſagittas arcu. Id ſignificat vox Hebraica IARA. ירה

IN profundum) in profunda. Pluralis numeri.

Magnificata manus in fortitudine.

MAGNIFICATA eſt in fortitudine:) Id eſt, planũ factum eſt, manum tuam magnam ac fortem eſſe, ex eo quod per eam fortiter egeris. Hebraiſmus.

PERCVSSIT) confregit.

ET in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios meos:) in multitudine magnificentiæ tuæ deſtruxiſti aduerſarios tuos. Hoc eſt, magnificentia tua inſigni & multa, ſiue excellenti tua fortitudine deſtruxiſti &c. Hebraiſmus. Complutenſis editio legit Aduerſarios tuos.

MISISTI iram tuam) immiſiſti furorem tuum. Id eſt, oſtendiſti te iratum, & ſtatim perierunt.

Flatus naris Dei.

ET in ſpiritu furoris tui) Per flatum naris tuæ. Id eſt, quem emiſiſti. quia Deus eſt author flatuum & ventorum. ideo dicitur ventus naris eius, hoc eſt, ab eo emiſſus.

STETIT vnda fluens, congregatæ ſunt abyſſi.) ſteterunt ſicut cumulus fluenta: coagulatæ ſunt abyſſi. Id eſt, ita ſteterunt acſi congelatæ fuiſſent.

Dixit inimicus, Perſequar & comprehendam, diuidam ſpolia, 'implebitur anima mea: euaginabo gladium meum, 'interficiet eos manus mea.

'Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare: ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.

Quis ſimilis tui 'in fortibus Domine? 'quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate, 'terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?

'Extendiſti manum tuam, & deuorauit eos terra.

'Dux fuiſti in miſericordia tua populo quem redemiſti: & portaſti eum in fortitudine tua, ad habitaculum ſanctum tuum.

IMPLEBITVR anima mea:) implebitur ab eis anima mea. Vel, explebitur eis deſyderium meum. Id eſt, diuitiis eorum replebor.

INTERFICIET eos) depauperabit eos.

FLAVIT ſpiritus tuus,) Flauiſti ſpiritu tuo. Id eſt, immiſiſti ventum.

IN fortibus) Vel, inter deos, ſiue inter angelos. Incipit admirari fortitudinem Dei, poſtquam facta eius mirabilia enarrauit.

Magnificatus in ſanctitate.

QVIS ſimilis tui, magnificus in ſanctitate,) quis ſicut tu, magnificatus eſt in ſanctitate? Id eſt, quis ſicut tu pollet, ſiue præditus eſt ſanctitate?

TERRIBILIS atque laudabilis, faciens mirabilia?) terribilis laudibus, faciens mirabile? Id eſt, terribilis quoque es quum laudaris, quum nemo mortaliũ te ſatis laudare queat. Vel rurſum ſubaudiuntur verba illa, Quis ſicut tu. quaſi dicat, quis ſicut tu, tanta reuerentia laudari debeat, ſiue laudandus ſit, vt qui facias mirabilia magna ſolus? Alii vertunt, Terribilis laudibus. Id eſt, qui magno cum timore laudari debeat.

EXTENDISTI manum &c.) quaſi dicat, Non ſolum abſorpti ſunt aquis, ſed etiam terra aperuit ſe, & abſorbuit eos.

DVX fuiſti &c.) Præteritum pro futuro hic poſitũ eſt, Duces (vel, Deduces) per miſericordiam tuam populum iſtum quem redemiſti: duces tuis viribus ad

tabernaculum ſanctitatis tuæ. Id eſt, ad tabernaculum ſanctum, in quo tu qui ſan- Tabernaculũ
ctus es, habitabis. intelligit montem Sion, in quo poſtea extructum templũ. Re- ſanctum.
demiſſe dicitur Deus populum ſuum, quando aſſeruit eum in libertatem.

'Aſcenderunt populi, & irati ſunt: dolores obtinuerunt habitatores Philiſthiim.

'Tunc conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanáan.

'Irruat ſuper eos formido & pauor: 'in magnitudine brachii tui fiant immobiles quaſi lapis: donec 'pertranſeat populus tuus Domine, donec 'pertranſeat populus tuus iſte quem 'poſſediſti.

Introduces eos, & 'plantabis in monte hæreditatis tuæ, 'firmiſſimo habitaculo tuo quod operatus es Domine: 'ſanctuariũ tuũ Domine, quod firmauerũt manus tuæ.

Dominus regnabit in æternum '& vltrá.

Ingreſſus eſt enim 'eques, Pharao cum curribus & equitibus eius in mare: & reduxit ſuper eos Dominus aquas maris: filii autem Iſrael ambulauerunt per ſiccũ in medio eius.

ASCENDERVNT populi &c.) Audient populi, & commouebuntur: dolor corripiet habitantes Palæſthinam. Id eſt, Philiſthæos. Quidam pro Cõmouebuntur, vertunt Iraſcentur.

TVNC conturbati ſunt &c.) Tunc turbabuntur principes Edom: fortes Moab corripientur tremore: diſſoluentur habitatores Chanáan. Id eſt, animo demiſſo erunt. Principes Edom, vocat Idumæorũ principes: & fortes Moab, fortes Moabitidis regionis.

IRRVAT) Cadet. futuro tempore.

IN magnitudine brachii tui fiant immobiles) in magnitudine brachii tui cõticeſcent. Id eſt, ob fortitudinem tuam quam brachio tuo oſtendes.

PERTRANSEAT) tranſierit.

POSSEDISTI.) acquiſiſti.

PLANTABIS) dicit Plantabis, quaſi perpetuo habitaturos.

FIRMISSIMO habitaculo tuo quod operatus es) in ſede quam feciſti vt illic ſedeas.

SANCTVARIVM tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ.) Subaudiendum eſt NAM: hoc modo, Nam templum firmabunt (vel, parabunt) ô Domine, manus tuæ. Quaſi dicat, præcipies tibi ædificari templum in ſede illa & loco in quo conſtituiſti habitare.

ET vltrá.) Id eſt, perpetuo. Quaſi dicat, Ipſe extrues tibi templum, & tũc rex Vltra.
eris in æternum in ea ſede quam firmabunt manus tuæ.

EQVES, Pharao) equus Pharaonis. Exemplaria latum S. Dionyſii, & tria S. Germani legunt EQVVS.

Sumpſit ergo Maria prophetiſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua: egreſſǽque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis & choris, ʻquibus præcinebat, dicēs, ʻCantemus Domino: ʻglorioſe enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem eius deiecit in mare. Tulit autē Moyſes Iſrael de Mari-rubro, & egreſſi ſunt in deſertum Sur: ambulauerúntque tribus diebus per ſolitudinem, & non inueniebant aquam. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quòd eſſent amaræ. ʻvnde & congruum loco nomen impoſuit, vocans illū Mara, id eſt amaritudinem. Et murmurauit populus cōtra Moyſen, dicens, Quid bibemus? At ille clamauit ad Dominum. ʻqui oſtendit ei lignum: quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt.‖ibi conſtituit ʻei

Iudic.5.c. eccli 38.a.

præcepta, atque iudicia, & ibi tentauit eum, dicens, Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum eſt corā eo feceris, & obedieris mandatis eius, cuſtodierı́ſque omnia ʻpræcepta illius: ʻcunctum languorem quem poſui in AEgypto, non inducam ſuper te. ʻego enim ſum Dominus Deus ſanator tuus.‖Venerunt autem in Elim filii Iſrael, vbi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ: & caſtrametati ſunt iuxta aquas.

Num.33.b.

QVIBVS præcinebat,) quibus (ſcilicet mulieribus) ipſa præcinebat. Alii vertunt, Reſpondit illis Maria. Moyſi ſcilicet, & aliis viris præcinentibus. Vt enim illi dixerunt, Cantate Domino, &c. ſic quoque illa iiſdē verbis prorupit in laudē.

CANTEMVS) Cantate. Ponitur hic ſolum initium cantici: veriſimile eſt tamen illis præcinuiſſe totum canticum: verum noluit repetere.

GLORIOSE enim magnificatus eſt.) Vide tertiā annotationē huius capitis.

VNDE & congruum &c. Et murmurauit) vocatúmque eſt ob id nomen eius Mara. Et murmurauit.

QVI oſtendit ei lignum:) qui docuit eum arborem. Id eſt, oſtēdit ei arborem, ex qua decerptum ramum proiecit in mare.

Conſtituere præcepta. Ponere morbum in, &c.

EI præcepta, atque iudicia:) ei ſtatutum & iudicium. Ei, ſcilicet Iſraeli. Id eſt, illic Deus tulit Iſraelitis aliquot leges.

PRAECEPTA illius:) ſtatuta illius.

CVNCTVM languorem &c.) Id eſt, nullum morborum genus quibus afflixi AEgyptios, inducam ſuper te. Hebraiſmus.

EGO enim ſum Dominus Deus ſanator tuus.) Quaſi dicat, Quomodo immitterem in te morbos, quum ego is ſim qui ſanare te ſoleā ſiquando morbo tenteris? Corrupte quædā exemplaria legunt Saluator, pro Sanator. In omnibus Latinis ſcriptis, & impreſſis emēdatioribus codicibus legitur Sanator.

CAP. XVI.

PROFECTIQVE ſunt de Elim, & venit omnis Sapien.11.a
multitudo filiorũ Iſrael in deſertum Sin, quod eſt inter Elim & Sinai: quintodecimo die menſis ſecundi, poſtquam egreſſi ſunt de Terra-AEgypti. Et murmurauit omnis congregatio filiorum Iſrael contra Moyſen & Aaron in ſolitudine. Dixeruntque filii Iſrael ad eos, Vtinam mortui eſſemus per manum Domini in Terra-AEgypti, quando ſedebamus 'ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate: 'cur induxiſtis nos in deſertum iſtud, vt occideretis omnem multitudinem fame? Dixit autem Dominus ad Moyſen, Ecce ego 'pluã vobis panes de cælo: 'egrediatur populus, & colligat quæ ſufficiunt per ſingulos dies: vt tentẽ eũ vtrum ambulet in lege mea, an non. Die autẽ ſexto 'parent quod 'inferãt: & 'ſit duplũ quàm colligere ſolebant per ſingulos dies.

SVPER ollas) iuxta ollas.

CVR induxiſtis) quia induxiſtis.

PLVAM vobis panes de cælo:) Id eſt, Inſtar pluuiæ è cælo demittã vobis cibũ.

EGREDIATVR populus, & colligat quæ ſufficiunt per ſingulos dies:) & egredietur populus, colligentque rem diei in die ſuo. Id eſt, colligent quotidie quãtum ſatis erit pro ipſo die. Hebraiſmus eſt. Per hoc autem voluit Dominus tentare & probare eos an crederent verbis eius, & non plus colligerent quàm illis opus eſſet per ſingulos dies. Voluit præterea dare illis cibos, non per ſingulos menſes, ſed per ſingulos dies: vt nullus trãſiret dies, in quo Dei circa ſe nõ ſentirent beneficiũ: atque ob id eſſent ſemper memores Dei. Ob ipſam cauſã videtur CHRISTVS docuiſſe nos orare, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. — Colligent rẽ diei in die ſuo — Panem noſtrũ quotidianum &c.

PARENT) parabunt ſibi.

INFERANT) Subaudi, in domos ſuas.

SIT duplum quàm colligere) erit duplum eius quod colligere &c.

Dixeruntq; Moyſes & Aaron ad omnes filios Iſrael, Veſpere ſcietis quòd Dominus eduxerit vos de Terra-AEgypti. & mane videbitis 'gloriam Domini: 'audiui enim murmur veſtrum 'contra Dominũ: nos verò quid ſumus, 'quia muſſitaſtis contra nos? Et ait Moyſes, 'Dabit vobis Dominus veſpere carnes edere, & mane panes in ſaturitate: eo quòd audierit murmurationes veſtras, quibus murmurati eſtis cõtra eũ: nos enim quid ſumus? 'nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Domi-

num. Dixit quoque Moyſes ad Aaron, Dic vniuerſæ cõ-
gregationi filiorum Iſrael, Accedite corã Domino: au-
diuit enim murmur veſtrum. Cúmque loqueretur Aa-
ron ad omnem cœtum filiorum Iſrael, reſpexerunt ad
ſolitudinem: & ecce gloria Domini apparuit in nube.
Eccli 45.a. 'Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens, ‖Audi
ui murmurationes filiorum Iſrael, 'loquere ad eos, 'Ve-
ſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus:
ſcietíſque quòd ego ſum Dominus Deus veſter.

Gloria Domini. GLORIAM) declaratur iſtud verſiculo paulo poſt ſequẽti, Ecce gloria Domini.

AVDIVI enim) audiuit enim, tertia perſona, ita legitur in veteribus Latinis codicibus S. Dionyſii & Germani.

CONTRA Dominum:) more Hebraico dictum, pro, contra ſe. Antecedens pro relatiuo.

QVIA muſſitaſtis) quòd murmuratis.

DABIT vobis) Cum dederit vobis. Subaudiendum eſt, videbitis gloriã Domini. Vel, Cognoſcetis quòd Dominus eduxerit vos de AEgypto, quũ dederit &c.

NEC contra nos) non contra nos.

LOCVTVS eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens,) Dixerat autẽ Dominus ad Moyſen in hunc modum, Audiui &c.

LOQVERE ad eos,) Hebraice legitur, Loquere ad eos dicens, pro, Loquere ad eos hoc modo.

VESPERE) inter duas veſperas. Vide de hoc annotationem capitis XII.

Factum eſt ergo veſpere, & 'aſcendens coturnix, co-
operuit caſtra: mane quoque 'ros iacuit per circuitum
Num. 11.b. caſtrorum. 'Cúmque operuiſſet ſuperficiem terræ, ‖appa
pſal. 77.c. ſapien. 16.c. ruit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimi-
iohan. 6.d. litudinem pruinæ ſuper terram. Quod cum vidiſſent fi-
lii Iſrael, 'dixerunt adinuicem, Man hu. (quod ſignificat
Quid eſt hoc:) ignorabant enim quid eſſet. Quibus ait
1. Corin. 10.a Moyſes, ‖Iſte eſt panis quem Dominus dedit vobis 'ad
veſcendum. Hic eſt ſermo quem præcepit vobis Domi
nus, Colligat vnuſquiſque ex eo 'quantũ ſufficit ad ve-
ſcendum: gomor per ſingula capita, iuxta numerum
animarum veſtrarum 'quæ habitant in tabernaculo ſic
tolletis. Feceruntque ita filii Iſrael: & collegerunt, alius
plus, alius minus. Et menſi ſunt ad menſuram gomor:
2. Corin. 8.d. ‖nec qui plus collegerat, habuit amplius: 'nec qui minus
parauerat, reperit minus: ſed ſinguli iuxta id quod edere
poterant 'congregauerunt.

ASCENDENS coturnix ,cooperuit caſtra:) aſcendit coturnix, & cooperuit caſtra.Quaſi dicat, Ex alio loco aduolarunt tot coturnices vt caſtra cooperirẽtur.

ROS iacuit) fuit deſcenſio roris.Id eſt,deſcendit ros.

CVMQVE operuiſſet ſuperficiem terræ,) Cúmque diſparuiſſet deſcenſio roris.Id eſt,quum euanuiſſet ros qui deſcenderat.

APPARVIT in ſolitudine minutũ & quaſi pilo tuſum) apparuit in ſuperficie deſerti minutum quiddam,rotundæ figuræ,minutum inquam &c. Chaldæus paraphraſtes pro rotundæ figuræ,vertit candidi coloris.

DIXERVNT adinuicẽ, Man hu quod ſignificat,Quid eſt hoc:ignorabãt &c.) Hebraice tantum legitur,Dixerunt adinuicem, Donum eſt. ignorabant &c.Hoc eſt,donum illud eſt quod Dominus pollicitus fuerat.Appellauerunt autem vocabulo generali,quòd proprium illi nomen indere non poſſent. Man hu

AD veſcendum.) in cibum.

HIC eſt ſermo quem præcepit vobis Dominus.) Hoc eſt quod præcepit Dominus.Pronomen VOBIS, ne in veteribus quidem Latinis codicibus S.Dionyſii, Germani & Victoris legitur.

QVANTVM ſufficit ad veſcendum:) Vel,quantum comedere poſſit.

QVAE habitant in tabernaculo,ſic tolletis.) ſinguli capiant pro iis qui ſunt in tabernaculo ſuo.

NEC qui minus parauerat,reperit minus:) nec qui minus collegerat, minus habuit.

CONGREGAVERVNT.) Vel,congregauerant.

Dixítque Moyſes ad eos, Nullus relinquat ex eo in mane.Qui non audierunt eum,ſed dimiſerunt quidam ex eis vſque mane,& ſcatere cœpit vermibus, atque cõputruit. & iratus eſt contra eos Moyſes. Colligebãt autem mane ſinguli,quantum ſufficere poterat ad veſcendum: cúmque incaluiſſet ſol,liquefiebat. In die autem ſexta collegerunt cibos duplices,id eſt duo gomor per ſingulos homines:venerunt autẽ omnes principes multitudinis,& narrauerũt Moyſi.Qui ait eis,Hoc eſt quod locutus eſt Dominus: requies ſabbathi ſanctificata eſt Domino cras.quodcunque operandũ eſt,facite: & quæ coquenda ſunt,coquite: quicquid autem reliquum fuerit, reponite vſque in mane. Fecerúntque ita vt præceperat Moyſes,& non computruit, neque vermis inuentus eſt in eo. Dixitque Moyſes, Comedite illud hodie, quia ſabbathum eſt Domini: non inuenietur hodie in agro.Sex diebus colligite: in die autem ſeptimo ſabbathum eſt Domini:idcirco non inuenietur.Veníτque ſeptima dies: & egreſſi de populo vt colligerent,non inuenerunt.

Mane & mane.

Cibus duplex

RELINQVAT ex eo.) relinquat quicquam ex eo.
MANE ſinguli,) mane & mane. Id eſt, ſingulo mane. Hebraiſmus.
CIBOS duplices,) panē duplicē. Id eſt, cibos pro duobus diebus. Hebraiſmus.
PER ſingulos homines:) pro vnoquoque homine.
QVOD locutus eſt) quod præcipit.
REQVIES ſabbathi ſanctificata eſt Domino cras.) ceſſatiuncula, ceſſatio inquam ſanctitatis Domino cras. Id eſt, Die craſtino vobis ceſſandum eſt in honorē Domini. Is dies tribuendus eſt Domino & laudi diuinæ, qui ipſe ceſſauit ſeptimo die.
QVODCVNQVE operandum eſt, facite: & quæ coquenda ſunt, coquite:) quod cocturi eratis, coquite: & quod elixaturi, elixate. Id eſt, quod die craſtino eratis cocturi, coquite hodie.
FECERVNTQVE ita) Et repoſuerunt illud vſque in mane.
SABBATHVM eſt Domini:) ſabbathum eſt Domino. Id eſt, ceſſandum eſt vobis hodie in honorem Domini. Vetus Latinum exemplar oblongum S. Germani, vtraque S. Dionyſii, editiones Complutenſis & Moguntinenſis, legunt Domino, dandi cauſa.
NON inuenietur hodie in agro.) non inuenietis ipſum hodie in agro.
COLLIGITE) addendum pronomen IPSVM.
SABBATHVM eſt Domini:) Dictio DOMINI, non legitur Hebraice, neque in Complutenſi editione.
NON inuenietur.) nō erit in eo. Subaudi, die man. Id eſt, nō cadet man eo die.
EGRESSI de populo) egreſſi quidam de populo.

Dixit autem Dominus ad Moyſen, Vſquequo nō vultis cuſtodire mandata mea, '& legem meā? Videte quòd Dominus dederit vobis ſabbathum, '& propter hoc die ſexta tribuit vobis 'cibos duplices: maneat vnuſquiſque apud ſemetipſum, '& nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo. 'Et ſabbathizabit populus die ſeptimo. Appellauítque domus Iſrael nomen eius Man: quod erat quaſi ſemen 'coriandri album, guſtúſque eius quaſi 'ſimilæ cum melle.

ET legem meam?) & leges meas?
ET propter) Coniunctio ET, non legitur hoc loco Hebraice.
CIBOS duplices:) Id eſt, pro duobus diebus.
ET nullus) Coniunctionem ET, ne vetera quidē exemplaria Latina S. Dionyſii, Germani, & Victoris habent.
ET ſabbathizabit) Ceſſauit itaque. Vel, Quieuit itaque. Vetera exemplaria Latina, S. Dionyſii latum, vtraque S. Germani, Victorinum, Complutenſis & Baſilienſis editio legunt Sabbathizauit, præterito tempore.
CORIANDRI) Aſſimilatur man coriandro, non colore, quum ſemina coriandri ſint nigra: ſed figura, quòd man fuerint granula paruula in morem granulorum coriandri.

צַפִּיחִית

SIMILAE) Vox Hebræa SAPIHITH, pro cruſtula accipitur quæ cum pinguedine coquitur, & melli immergitur.

'Dixit autem Moyſes, 'Iſte eſt ſermo quem præcepit Dominus, Imple gomor ex eo, & cuſtodiatur 'in futuras

retrò generationes: 'vt nouerint panem quo alui vos in ſolitudine, 'quando educti eſtis de Terra-AEgypti. Dixítque Moyſes ad Aaron, Sume 'vas vnum, & mitte ibi man, quantum poteſt capere gomor: & repone 'coram Domino ad ſeruandum in generationes veſtras, 'ſicut præceperat Dominus Moyſi. Poſuítque illud Aaron 'in tabernaculo reſeruandum. ‖Filii autem Iſrael comede- Nehem.9.d.
runt man quadraginta annis: donec venirent in terram iudith 5.c.
'habitabilem: hoc cibo aliti ſunt, 'vſquequo tangerent fines Terræ-Chanáã. Gomor autẽ decima pars eſt ephi.

DIXIT autem Moyſes,) Omnia hæc dicuntur per anticipationem, vſque ad finem capitis, quaſi dicerentur poſt conditum templum & tabernaculum.

ISTE eſt ſermo quem præcepit) Hoc eſt quod præcepit. vel, quod præcipit.

IN futuras retro generationes:) In generationes veſtras.

VT nouerint) vt videant.

QVANDO educti eſtis) quando eduxi vos.

VAS) quidam ſcutellam vertunt.

CORAM Domino) Id eſt, in arca teſtimonii. Coram Domino.

SICVT præceperat Dominus Moyſi. Poſuítque illud Aaron) ſicut præcepit Dominus Moyſi, repoſuit illud Aaron &c. Vetera ſcripta exemplaria S.Germani & Dionyſii legunt PRAECEPIT.

IN tabernaculo) coram teſtimonio. Id eſt, coram arca teſtimonii.

HABITABILEM:) habitandam. Vel, habitatam.

VSQVEQVO tangerent fines) vſquequo venerunt in fines &c.

CAP. XVII.

IGITVR profecta omnis multitudo filiorum Iſrael de deſerto Sin, 'per manſiones ſuas, 'iuxta ſermonem Domini, caſtrametati ſunt in Raphidim, vbi non erat aqua ad bibendum populo. ‖Qui iurgatus cõtra Moy- Nume.20.a
ſen, ait, 'Da nobis aquam, vt bibamus. Quibus reſpondit Moyſes, Quid iurgamini contra me? cur tentatis Dominum? Sitiuit ergo ibi populus præ aquæ penuria, & murmurauit contra Moyſen, dicens, Cur feciſti nos exire de AEgypto, vt occideres nos, & liberos noſtros, 'ac iumenta ſiti? 'Clamauit autem Moyſes ad Dominum, dicẽs, Quid faciam populo huic? adhuc paululum, & lapidabit me. Et ait Dominus ad Moyſen, Antecede populũ, & ſume tecum de ſenioribus Iſrael: & virgam qua ‖per- 5.14.e.
cuſſiſti fluuium, tolle in manu tua, & vade. ‖En ego ſta- Pſal.7.b.1.co-
bo ibi corã te, 'ſupra 'petrã Horeb: percutiéſque petrã, rinth.10.a.

& exibit ex ea aqua,vt bibat populus. Fecit Moyſes ita coram ſenioribus Iſrael. Et vocauit nomen loci illius 'Tentatio,propter iurgiũ filiorũ Iſrael,& 'quia tentauerunt Dominũ,dicẽtes,Eſtne Dominus in nobis, an nõ?

Per manſiones ſuas.

PER mãſiones ſuas,) per profectiões ſuas.Gallice dicimus,Par leurs iournees.
IVXTA ſermonem) iuxta præceptum.
DA nobis,) Date nobis.Tu ſcilicet Moyſes & Aaron.
AC iumenta) ac pecora.
CLAMAVIT autem) Clamauit ergo.
SVPRA petram) Vel,iuxta petram.
PETRAM Horeb:) petram quæ eſt in Horeb.
TENTATIO,) Maſſa & Meribba.Id eſt,Tentatio & contentio.Vetus exemplar Latinum partium S.Germani legit Tentatio & lis.
QVIA tentauerunt) quia tentauiſſent.
IN nobis,) in medio noſtri.

Iudith 4.d
ſapien.11.a.
deut.25.d.

¶Venit autem Amalec,& pugnabat 'cõtra filios Iſrael in Raphidim.Dixítque Moyſes ad Ioſue,'Elige viros,& egreſſus pugna contra Amalec: cras ego ſtabo in vertice collis,habens 'virgam Dei in manu mea.'Fecit Ioſue vt locutus erat Moyſes,& pugnauit cõtra Amalec:Moyſes autem,& Aaron,& Hur aſcenderunt ſuper verticem collis.Cúmque leuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael: ſin autem 'paululũ remiſiſſet, ſuperabat Amalec. Manus autem Moyſi erant graues:ſumentes igitur lapidem, poſuerunt ſubter eum, in quo ſedit: Aaron autem, & Hur ſuſtentabãt manus eius ex vtraque parte. 'Et factum eſt vt manus illius non laſſarentur vſque ad occaſum ſolis. 'Fugauítque Ioſue Amalec,& 'populũ eius 'in ore gladii.

CONTRA filios Iſrael) Latini vetuſtiores codices S.Germani,Dionyſii,& Victoris non legunt FILIOS, neque etiam Hebraice legitur.
ELIGE viros,) Elige nobis viros.
VIRGAM Dei) qua ſcilicet Deus tanta miracula operatus erat.
FECIT Ioſue) Fecit itaque Ioſue.
PAVLVLVM) Aduerbium iſtud non legitur Hebraice.
ET factum eſt vt manus illius non laſſarentur) Et fuerunt manus eius ſtabiles.vel,firmæ.Hebraice ad verbum legitur,Fuit manibus eius fidelitas.Vel,& quælibet manus eius fuit fidelis.hoc eſt,Fuerunt manus eius fideliter & firmiter extenſæ.Chaldæus paraphraſtes, Fuerunt manus eius extenſæ in orationem,donec &c.
FVGAVÍTQVE) Debilitauítque.
POPVLVM eius) Id eſt,populũ qui venerat ei auxilio qui nõ erat Amalecites.

In ore gladii.

IN ore gladii.) Hebraiſmus,pro,acie gladiorum.

Dixit autẽ Dominus ad Moyſen,Scribe hoc 'ob monimẽtum in libro,'& trade auribus Ioſue : delebo enim

memoriam Amalec ſub cælo. AEdificauítq; Moyſes altare: & vocauit nomen eius, Dominus 'exultatio mea, dicens, Quia 'manus ſolius Domini, & bellum Domini erit contra Amalec, 'à generatione in generationem.

OB monimentum) Vel, pro memoriali.

ET trade auribus Ioſue: delebo enim memoriã) Et trade in auribus Ioſue, quòd proculdubio delebo &c. Id eſt, Inculca ipſi Ioſue quòd &c. *Tradere auribus alicuius.*

EXVLTATIO mea,) vexillum meum. Alii vertunt miraculum meum: Id eſt, miraculo & miſericordia Dei factum eſt iſtud Chaldæus paraph. vertit, Et coluit ſuper ipſum altare Dominum, qui fecit ei mirabilia. Alii, Vocauit nomẽ eius Altare Domini vexilli mei. Id eſt, qui fuit mihi loco vexilli. Vetera Latina exẽplaria S. Dionyſii, Germani & Victoris, præterea Moguntinenſis & Cõplutẽſis editio legunt, Exaltatio mea, per primam vocalem in ſecunda ſyllaba. *Exultatio mea. Vexillũ meũ.*

MANVS ſolius Domini, & bellum Domini erit) manus ſuper ſolium Domini, bellum Domino erit &c. Hebraiſmus eſt, Manus Domini ſuper ſolium eius. Id eſt, Iurauit Dominus per ſolium ſuum, quòd bellum erit ei contra &c. Vetera exemplaria Latina S. Dionyſii, Victoris & Germani legunt, Manus ſolii Domini. atque ita legitur in editione Complutenſi. De hoc admonet etiam Correctoriũ Sorbonicum. *Manus ſuper ſoliũ Domini*

A generatione in generationem.) Id eſt, per omnes ætates & in ſempiternũ. Hebraiſmus eſt.

CAP. XVIII.

CVMQVE audiſſet Iethro 'ſacerdos Madian, 'cognatus Moyſi, omnia 'quæ fecerat Deus Moyſi, & Iſraeli populo ſuo, & quòd eduxiſſet Dominus Iſrael de AEgypto: tulit Sephoram vxorem Moyſi quam remiſerat: & duos filios eius, quorum vnus vocabatur Gerſam, dicente patre, ‖Aduena fui in terra aliena. alter verò s̄.2.d. Eliézer, Deus enim, ait, patris mei adiutor meus, '& eruit me de gladio Pharaonis. Vênit ergo Iethro cognatus Moyſi, & filii eius & vxor eius ad Moyſen in deſertum, vbi erat caſtrametatus iuxta Montẽ-Dei. Et mandauit Moyſi, dicens, Ego Iethro cognatus tuus venio ad te, & vxor tua, & duo filii tui cum ea. Qui egreſſus in occurſum cognati ſui, 'adorauit, & oſculatus eſt eum: 'ſalutauerúntque ſe mutuo verbis pacificis.

SACERDOS) Vel, princeps, vt vertit Chaldæus paraphraſtes.

COGNATVS) ſocer. Sic toto capite vertendum eſt.

QVAE fecerat Deus Moyſi, & Iſraeli populo ſuo,) Id eſt, propter Moyſen & Iſraelem populum ſuum. In gratiam Moyſi & populi ſui Iſraelis.

ET eruit) eruit enim.

ADORAVIT,) incuruauit ſe.

Interrogare ſe mutuo.

SALVTAVERVNTQVE ſe mutuo verbis pacificis.) & interrogauit alter alterum de pace. Hebraiſmus eſt, pro Interrogauerunt ſe mutuo quinam valerent. Quidam vertunt, Beneprecati ſunt alter alteri.

Cúmque intraſſet tabernaculum, narrauit Moyſes cognato ſuo cũcta quæ fecerat Dominus Pharaoni & AEgyptiis propter Iſrael: 'vniuerſúmque laborẽ qui accidiſſet eis in itinere, & quòd liberauerat eos Dominus. Lætatúſque eſt Iethro ſuper omnibus bonis quæ fecerat Dominus Iſraeli, 'eo quòd eruiſſet eum de manu AEgyptiorũ, & ait, 'Benedictus Dominus qui liberauit vos de manu AEgyptiorum & de manu Pharaonis, qui eruit populum ſuum de manu AEgypti. 'Nunc cognoui quia magnus Dominus 'ſuper omnes deos: 'eo quòd ſuperbe egerint contra illos. Obtulit ergo Iethro cognatus Moyſi holocauſta & 'hoſtias Domino: venerúntque Aaron & omnes 'ſeniores filiorũ Iſrael, vt comederẽt panem cum eo 'coram Deo.

Ꝫ.1.b.c.d.5.b. c.d.14.b.

Inuenit eos labor.

VNIVERSVMQVE laborem qui accidiſſet eis) omnẽ denique moleſtiam quæ inueniſſet eos. Id eſt, quam ſuſtinuiſſent & paſſi fuiſſent.

EO quòd eruiſſet eum) quem liberaſſet. vel, quando eripuit eum.

Benedictus Dominus.

BENEDICTVS Dominus) Id eſt, omni laude dignus eſt Dominus.

NVNC cognoui quia magnus) Nunc ſcio quòd magnus &c.

SVPER omnes deos:) præ omnibus diis.

EO quòd ſuperbe egerint contra illos.) quoniam eadem re qua ſuperbe agebant in eos. Subaudi, perdidit eos. Chaldæus paraphraſtes, Quoniam in re qua cogitauerũt AEgyptii iudicare Iſraelem, in ea iudicauit eos Deus. Id eſt, puniuit. Dominus enim ſubmerſit AEgyptios perſequẽtes Iſraelẽ, quemadmodũ pueros Hebræorum ipſi præceperant ſubmergere quum naſcerentur.

HOSTIAS Domino:) hoſtias Deo. Sic etiã legũt Latina exemplaria vetera S. Dionyſii & Germani, conſentiente editione Complutenſi.

SENIORES filiorũ Iſrael,) ſeniores Iſrael. Genitiuũ FILIORVM, non habent etiam Latina ſcripta exemplaria S. Dionyſii, Germani & Victoris.

Coram Deo.

CORAM Deo.) Id eſt, nõ longe ab eo loco vbi Deum cõſulebant: ante tabernaculũ ſcilicet fœderis, nõ lõge à tabernaculo Moyſi. Nã tabernaculũ Moyſi erat iuxta tabernaculum fœderis. Hæc autem dicuntur per anticipationẽ: quia nõdum erat tabernaculum fœderis.

Altera autẽ die ſedit Moyſes 'vt iudicaret populum, 'qui aſſiſtebat Moyſi à mane vſque ad veſperam. Quod cum vidiſſet cognatus eius, omnia ſcilicet quæ agebat in populo, ait, 'Quid eſt quod facis in plebe? cur ſolus ſedes, & omnis populus 'præſtolatur de mane vſque ad veſperam? Cui reſpondit Moyſes, 'Venit ad me populus

'quærẽs ſentẽtiam Dei. Cúmque acciderit eis aliqua diſceptatio, veniunt ad me 'vt iudicem inter eos,& oſtendam præcepta Dei,& leges eius.

VT iudicaret populum,) Id eſt,vt ius redderet populo. Iudicare populum.
QVI aſſiſtebat Moyſi,) qui ſtabat iuxta Moyſen.
QVID eſt quod facis in plebe?) Quid eſt hoc quod facis in populo? Id eſt,propter populum,ſiue populi cauſa.
PRAESTOLATVR) ſtat iuxta te.
VENIT) Hebraice legitur Quia venit.eſt autem Venit,præſentis temporis: id eſt,venire ſolet.
QVAERENS ſententiam Dei.) vt conſulat Deũ.Vel,vt requirat ſententiam Dei.Chaldæus paraphraſtes,Vt inquirat Inſtructionem à Deo. Cõſulere Deum.
VT iudicem inter eos,& oſtendam præcepta Dei,) & iudico inter vtrum aut alterum,atque oſtendo ſtatuta Dei.

At ille,Non bonã,inquit,rem facis:'ſtulto labore conſúmeris & tu,& populus iſte qui tecum eſt: 'vltra vires tuas eſt negotium,‖ſolus illud non poteris ſuſtinere. Deut.1.b. Sed audi verba mea 'atque cõſilia,'& erit Dominus tecum. Eſto tu populo 'in his quæ ad Deum pertinẽt,vt referas 'quæ dicuntur,ad eum: oſtendáſque populo ceremonias & ritum colendi, 'viámque per quam ingredi debeãt,& opus quod facere. Prouide autẽ de omni plebe viros 'ſapientes & timentes Deũ,in quibus ſit veritas,& qui oderint 'auaritiã,& cõſtitue 'ex eis tribunos,& centuriones, & quinquagenarios,& decanos,qui iudicẽt populum omni tempore: quicquid autem maius fuerit,referant ad te,& ipſi minora tantummodo iudicent:'leuiúſque ſit tibi,partito in alios onere. Si hoc feceris,'implebis imperium Dei, & præcepta eius poteris ſuſtentare: & omnis hic populus reuertetur ad loca ſua 'cum pace.

STVLTO labore conſumeris) ſuccũbendo ſuccumbes Quaſi dicat, proculdubio ſuccumbes. Hoc ſignificat geminatio illa verbi Hebraica. Vel,deficiendo deficies.
VLTRA vires tuas eſt negotium,ſolus illud non poteris ſuſtinere. Sed audi.) nam grauior eſt hæc res,quàm vt eam ſolus poſſis perficere. Nũc ergo audi. Id eſt, acquieſce mihi monenti.
ATQVE conſilia,) & ego conſilium tibi dabo.
ET erit Dominus tecum.) & erit Deus tecum. Id eſt,erit tibi auxilio. Vel,dabo tibi tale conſilium quod Deus tibi fauendo probabit.
IN his quæ ad Deum pertinent,) coram Deo. Id eſt,tu propter populum aſta coram Deo.
QVAE dicuntur,ad eum:) oſtendáſque populo ceremonias & ritum colẽdi.
VIAMQVE per quam &c.) negotia ipſa ad Deũ: Doceáſque eos ſtatuta & le

ges: & indices illis viam per quam &c.

SAPIENTES) potentes. vel fortes. Quidam interpretantur viros diuites & conſtantes, qui in iudicio nec minis nec muneribus à recto deflecti poſſunt. Alii viros robuſtos & duros qui laborem ſufferre poſſint. Vetera Latina exemplaria S. Dionyſii & Germani cõſentiente Complutenſi editione legunt POTENTES.

AVARITIAM,) Chaldæus paraphraſtes, Qui oderint accipere pecuniam & munera.

EX eis) ſuper eos. ſuper populum ſcilicet.

LEVIVSQVE ſit tibi, partito in alios onere.) & ſarcinam tuam leuiorem reddent, quum illam ferent tecum. Id eſt, te iuuabunt.

IMPLEBIS imperiũ Dei, & præcepta eius poteris ſuſtentare: & omnis &c.) & præceperit tibi Deus, poteris ſuſtinere: & etiam omnis &c. Id eſt, ídque volente Deo, poteris ſufficere huic labori.

CVM pace.) Id eſt, ſublatis iurgiis ac litibus.

ᵃQuibus auditis Moyſes fecit omnia quæ ille ſuggeſſerat. Et electis viris ᵇſtrenuis de cuncto Iſrael, conſtituit eos principes populi, tribunos, & cẽturiones, & quinquagenarios, & decanos. ᶜQui iudicarent ᵈplebem Domini, omni tempore: quicquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes. Dimiſítque ᵉcognatum ſuum: qui reuerſus abiit in terram ſuam.

QVIBVS auditis Moyſes fecit) Acquieuit igitur Moyſes monitis ſoceri ſui, & fecit omnia &c.

STRENVIS) eadem dictio Hebræa pro qua paulo ante interpres vertit POTENTES.

QVI iudicarent) Qui iudicabant. Sic etiam vetera Latina exemplaria S. Germani, Dionyſii & Victoris habent: itáque legit editio Complutenſis.

PLEBEM Domini,) Dictionem DOMINI, non legit codex Hebraicus, neque oblongus Latinus S. Dionyſii, neque latus S. Germani, neque Victorinus: conſentiente editione Complutenſi.

COGNATVM) ſocerum.

CAP. XIX.

Num. 33. c. MENSE tertio ᵃegreſſionis Iſrael de Terra-AEgypti, ᵇin die hac venerũt in ſolitudinẽ Sinai. ᶜNam profecti de Raphidim, & peruenientes vſque in deſertum Sinai, caſtrametati ſunt in eodẽ loco, ibíque Iſrael fixit tentoria eregione montis.

EGRESSIONIS Iſrael) egreſſionis filiorũ Iſrael. Sic etiam legit exemplar oblongum & paruum S. Germani.

IN die hac) Id eſt, ipſo die quo receſſerunt ex Raphidim. Hoc autẽ dicit, quòd eſſet magna diſtãtia ex Raphidim ad montem Sinai. quaſi dicat, plus itineris confecerunt eo die, quàm aliis diebus.

NAM profecti) Profecti ſunt ergo. Vel, vt alii volunt, Iam verò profecti erãt.

Act. 7. c. Moyſes autem aſcendit ᵃin montem, ᵇad Deum: ᶜvocauítque eum Dominus de mõte, & ait, Hæc dices domui

Iacob, & annuntiabis filiis Iſrael, Voſipſi vidiſtis quæ fecerim AEgyptiis, quomodo portauerim vos 'ſuper alas aquilarum,& aſſumpſerim mihi.‖Si ergo audieritis Deut.29.a
vocem meam,& cuſtodieritis pactum meum,eritis mihi 'in peculium de cunctis populis:‖mea eſt enim omnis Pſal.23.a.
terra.‖Et vos eritis mihi 'in regnum ſacerdotale,& gens 1.Petr.2.b
ſancta.hæc ſunt verba quæ loqueris ad filios Iſrael. Vênit Moyſes:& conuocatis maioribus natu populi, expoſuit omnes 'ſermones quos mandauerat Dominus.Reſpondítque omnis populus ſimul, Cuncta quæ locutus eſt Dominus,faciemus.

IN montem) Hæc verba neque Hebraïce, neque in antiquis ſcriptis codicibus S.Germani,Dionyſii & Victoris,neque in editione Complutenſi leguntur.

AD Deum:) Hebræi ſubaudiunt MONTEM,& legunt,ad montẽ Dei: in quo ſcilicet Deus ſe manifeſtauit. Ad Deum.

VOCAVÍTQVE eum Dominus de monte,& ait,) Chaldæus paraphraſtes, Vocauerat enim eum Dominus de monte,dicendo.

SVPER alas aquilarum,) Id eſt portaui vos quaſi in humeris,ſicut aquila pullos ſuos portat in alis,præter morem aliarum auium quæ pedibus portant.

SI ergo) Nunc ergo ſi audieritis &c.

IN peculium de cunctis populis:) vt theſaurus vnice dilectus,præ cunctis populis.

IN regnum ſacerdotale,) regnum ſacerdotale.ſine præpoſitione.vel,ſacerdotium regale.Id eſt, regnum ſacerdotum.Chaldæus paraphraſtes vertit,reges & ſacerdotes:quaſi dictiones eſſent ſeparatæ.

SERMONES quos) ſermones iſtos coram illis,quos &c.

Cúmq; retuliſſet Moyſes verba populi ad Dominum, ait ei Dominus, Iam nũc veniã ad te 'in caligine nubis, vt audiat me populus loquẽtẽ ad te,& credat tibi in perpetuũ.'(Nuntiauit ergo Moyſes verba populi ad Dominũ.)Qui dixit ei,Vade ad populũ,& 'ſanctifica illos hodie,& cras,lauéntque veſtimẽta ſua.Et ſint parati in diẽ tertiũ:in die enim tertia 'deſcẽdet Dominus corã omni plebe ſuper montem Sinai. 'Conſtituéſque terminos populo per circuitum, & dices ad eos, Cauete ne aſcendatis in montẽ,nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit montem,morte morietur.‖Manus nõ tangent eum, Hebr.12.c.
ſed lapidibus opprimetur,aut cõfodietur iaculis:ſiue iumentum fuerit ſiue homo,non viuet.'cum cœperit clan

gere buccina, 'tunc aſcendant in montem.

IN caligine nubis,) in denſa nube.

NVNTIAVIT ergo Moyſes verba populi ad Dominũ.) Renuntiauerat enim Moyſes verba populi ad Dominum. Hæc debent legi per parentheſin. quaſi dicat, Moyſes retulerat Domino populum non credere, eum eſſe miſſum ab ipſo Deo vt eos liberaret.

Sanctifica. SANCTIFICA) Hic ſanctificare, pro præparare accipitur.

DESCENDET Dominus) Id eſt, Deſcendam. Hebraiſmus.

CONSTITVESQVE) Præfiges autem.

Manus non tanget eum. MANVS non tangent eum:) Vtraque vetera Latina exemplaria S. Germani legunt TANGET ſingulari numero. Id eſt, nemo ſequetur eũ qui tetigerit montem, vt eripiat eum ne lapidetur.

CVM cœperit clãgere buccina;) cum traxerit buccina. Subaudi, vocem ſuam. quum prolixius inſonuerit buccina.

TVNC aſcendant) tunc aſcendent. futuro tempore. Id eſt, aſcendere poterũt.

Deſcendítque Moyſes de monte ad populum, & ſanctificauit eum. Cúmque lauiſſent veſtimenta ſua, ait ad eos, Eſtote parati in diem tertium, & 'ne appropinquetis vxoribus veſtris. Iámque aduenerat tertius dies, & mane inclaruerat: & ecce cœperũt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangórque buccinæ vehementius perſtrepebat: & 'timuit populus qui erat in caſtris. Cúmque eduxiſſet eos Moyſes in occurſum Dei de loco caſtrorum, ſteterũt ad radices mõtis. ¶Totus autem mõs Sinai fumabat: eo quòd deſcẽdiſſet Dominus 'Deus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace: 'eratque omnis mons terribilis. Et ſonitus buccinæ paulatim creſcebat in maius, & prolixius tendebatur: Moyſes loquebatur, & Deus 'reſpondebat ei.

Deut. 4. b.

NE appropinquetis vxorib⁹ veſtris.) Id eſt, abſtineat vnuſquiſq; ab vxore ſua.

TIMVIT populus) timuit omnis populus. Ita etiam legũt oblongum & paruum exemplar S. Germani.

DEVS ſuper) Hebraice hoc loco non legitur DEVS.

ERATQVE omnis mons terribilis.) & tremuit vniuerſus mons vehemẽter.

Reſpondere in voce. RESPONDEBAT ei,) Hebraice additur, IN VOCE, Id eſt, clara voce & exaudibili ab omnibus.

'Deſcendítque Dominus ſuper mõtem Sinai in ipſo mõtis vertice, & vocauit Moyſen in cacumen eius. Quò cum aſcendiſſet, dixit ad eum, Deſcende, '& conteſtare populum: ne fortè velit tranſcẽdere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. Sa

cerdotes quoque '& populus 'qui accedũt ad Dominũ, ſanctificẽtur,'ne percutiat eos. Dixítque Moyſes ad Dominum, Nõ poterit vulgus aſcendere in montem Sinai: tu enim 'teſtificatus es & iuſſiſti, dicens, Pone terminos circa montem,& ſanctifica illum. Cui ait Dominus, Vade, deſcende: aſcendéſque tu,& Aaron tecum: ſacerdotes autem & populus 'ne tranſeant terminos,nec aſcendant ad Dominum, ne fortè interficiat illos. 'Deſcendítque Moyſes ad populum,'& omnia narrauit eis.

DESCENDITQVE Dominus) Deſcenderat autem Dominus. Quaſi dicat, Poſteaquam Dominus deſcenderat, ſtabat in vertice montis &c.

ET conteſtare populum: ne fortè velit tranſcendere terminos) & denuntia populo ne diſſipent terminos. Denuntia, inquit, quaſi teſtibus adhibitis.

ET populus) Hæc non leguntur ne in veteribus quidem Latinis codicibus S. Germani, Dionyſii & Victoris, neque in editione Cõplutenſi & Moguntinenſi.

QVI accedunt) Vel, qui acceſſuri ſunt.

NE percutiat eos.) ne diſſipet eos Dominus. Chaldæus paraphraſtes, Ne interficiat eos Dominus.

TESTIFICATVS es & iuſſiſti, dicens,) denuntiaſti nobis, hoc modo. Vel, dicendo.

NE tranſeant terminos, nec aſcendant) ne diruant, vt aſcendant. Ne diruant, inquit, terminos: vel, ne deſerant ſtationem ſuam.

DESCENDITQVE) Deſcendit itaque.

ET omnia narrauit eis.) & dixit eis. Subaudi, quæ ſequuntur.

CAP. XX.

L'OCVTVSQVE eſt Dominus cunctos ſermones 'hos, Ego ſum Dominus 'Deus tuus, qui eduxi te de Terra-AEgypti,'de domo ſeruitutis.'Nõ habebis Deos alienos coram me. '¶Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cælo déſuper,& quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. 'Non adorabis ea, neque coles: ego ſum Dominus Deus tuus 'fortis, zelotes, 'viſitans iniquitatem patrũ in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderũt me:& faciens miſericordiã in milia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.

Deut.5.a. pſal. 80.c.96 b.113.b leuit.26.a.

LOCVTVSQVE eſt Dominus) Locutúſque eſt Deus. ita etiã legitur in oblongis codicibus S. Dionyſii & Germani & in Victorino.

HOS, Ego) hos, dicens, Ego &c. Primum præceptum ſecundum Hebræos.

DEVS tuus, qui) Deus qui. TVVS hoc loco nõ legitur in codice Hebræo.

DE domo ſeruitutis.) De domo ſeruorum. Id eſt, de loco vbi ſeruiebas.

De domo ſeruitutis.

Hebraiſmus.

Coram me.

NON habebis Deos alienos coram me.) Ne ſint tibi dii alii coram me. Id eſt, me vidente, qui omnia videam. Sic in ſequentibus futura per imperatiuum reddi debent. Secundum præceptum.

NON facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt &c.) Ne facias tibi ſculptilia, neque vllas omnino ſimilitudines earum rerum quæ ſunt &c. Quaſi dicat, abſtine à cultu creaturarum.,

NON adorabis ea, neque coles: ego) Ne incurues te coram illis, neque ſeruias illis: quia ego ſum &c.

Zelotes.

FORTIS zelotes,) Deus zelotypus. Id eſt, qui non poſſum ferre vt alius ametur quàm ego.

Viſitans iniquitatem.

VISITANS iniquitatem &c.) Id eſt puniens iniquitatem patrum in filiis tertiæ & quartæ generationis: ſed ita ſi impietate patres referant.

Deut.5.b. leuit.19.c. matth.5.c. Ezech.20.b. deu.5.b.ꝗ.31.b.

‖ˈNon aſſumes nomē Domini Dei tui ˈin vanum: nec enim habebit ˈinſontem Dominus eum qui aſſumpſerit ˈnomen Domini Dei ſui fruſtra. ‖Memēto vt diem ſabbathi ˈſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die ˈſabbathum Domini Dei tui eſt: ˈnon facies omne opus in eo, tu & filius tuus & filia tua, ſeruus tuus & ancilla tua, iumētum tuum & aduena ˈqui eſt intra portas tuas.

Gen.2.a.

‖Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram & mare, & omnia quæ in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo: idcirco benedixit Dominus diei ſabbathi, ˈ& ſanctificauit eum.

Deut.5.b. matth. 15 a. epheſ.6.a. Matth.5.c.

‖Honora patrem tuum & matrem tuam: vt ſis longæuus ſuper terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi. ‖ˈNon occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loquêris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

Rom.7.b.13.c

‖Non concupiſces domū proximi tui: nec deſyderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.

Aſſumere nomen Dei.

NON aſſumes) Ne aſſumas. Chaldæus paraphraſtes, Non iurabis. Tertium præceptum.

In vanum.

IN vanum,) Vel, fruſtra. ſiue temere. Id eſt, ſiquid iuraueris te facturum, adhibito nomine Domini, illud præſtes.

Non habebit inſontem.

INSONTEM) Vel, pro inſonte. Id eſt, pro impio & ſcelerato habebit eum Dominus, qui &c. Hebræi enim cum rem augere volunt, id per negationem nominis, quod nos per ſuperlatiuum, facere ſolent.

NOMEN Domini Dei ſui) nomen ſuum.

SANCTIFICES.) Id eſt, da operam vt ceſſes ab operibus tuis die ſabbathi. Quartum præceptum.

Sabbathum Dei.

SABBATHUM Domini Dei tui eſt.) Id eſt, quieſcendum eſt ab operibus corporis, vt vaces operibus ſpiritus in laudem Domini.

NON facies omne opus in eo tu) non facias (vel, ne feceris) quicquam operis in eo neque tu &c.

QVI eſt intra portas tuas.) Id eſt, qui habitat in tua vrbe. Qui eſt intra portas tuas.

ET ſanctificauit eum.) Vide principium capitis ſecundi Geneſeos.

NON occides.) Ne occidas. Futurum pro imperatiuo: & ſic in ſequentibus, Ne mœcheris, Ne furtum feceris, Ne loquaris &c. Ne concupiſcas &c.

Cunctus autem populus 'videbat voces & lampades, & ſonitum buccinæ, montémque fumantem: & perterriti ac pauore concuſſi, ſteterunt procul, dicentes Moyſi, Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Et ait Moyſes ad populum, ‖Nolite timere: vt enim probaret vos vênit Deus, & 'vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis. Stetitq; populus délõge. Moyſes autẽ acceſſit ad caliginem in qua erat Deus. Dixit præterea Dominus ad Moyſen, Hæc dices filiis Iſrael, Vos vidiſtis quòd de cælo locutus ſim vobis. 'Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis. Hebr.12.c. deut.18.c.

VIDEBAT) Id eſt, audiebat. Nam apud Hebræos, quod ad ſenſus attinet, alter pro altero vſurpatur. Videre.

VT terror illius eſſet in vobis,) Id eſt, vt timeretis illum.

NON facietis) Ne faciatis. Addũt præterea Hebræi MECVM. Id eſt, Ne habeatis alium Deũ præter me. Atque ita legitur in paruo exemplari veteri S. Germani.

‖Altare de terra facietis mihi, & offeretis ſuper eo holocauſta & 'pacifica veſtra, oues veſtras & boues in omni loco 'in quo memoria fuerit nominis mei: 'veniam ad te, & benedicam tibi. ‖Quòd ſi altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus: ſi enim leuaueris 'cultrum ſuper eum, 'polluetur. Non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reueletur 'turpitudo tua. 1.27.b.38.a Deut.27.a. ioſ.8.f.

PACIFICA) Sunt ſacrificia quæ pro pace & incolumitate offeruntur. Pacifica.

IN quo memoria fuerit nominis mei.) Id eſt, in quo inſtituam memoriam nominis mei.

VENIAM ad te, & benedicam tibi.) Id eſt, te exaudiam, & fœlicem reddam. Veniã ad te.

CVLTRVM) Hebraice additur pronomẽ TVVM: ſic etiam in vetuſtioribus Latinis codicibus S. Germani, Dionyſii, & Victoris legitur. Cultrum autem vſurpat pro quocunque inſtrumento ferreo. Culter.

POLLVETVR.) Id eſt, pro polluto habebo. Polluetur.

TVRPITVDO tua) Hebræi addunt, iuxta illud.

CAP. XXI.

Deut.15.c. ierem.34.c. HAEC ſunt 'iudicia quæ propones eis, ||Si emeris ſeruum Hebræum, ſex annis ſeruiet tibi: in ſeptimo egredietur liber gratis.'Cum quali veſte intrauerit,cum tali exeat. ſi habens vxorem: & vxor egredietur ſimul. Sinautem dominus dederit illi vxorē,& pepererit filios & filias: mulier & liberi eius erunt domini ſui,ipſe verò exibit 'cum veſtitu ſuo. Quòd ſi dixerit ſeruus, Diligo dominum meum & vxorem ac liberos, 'non egrediar liber:offeret eum dominus 'diis,& applicabitur ad oſtiū '& poſtes,perforabítque aurem eius ſubula,& erit ei ſeruus 'in ſeculum.

IVDICIA) Vel,leges.

Cum corpore ſuo ingredi. CVM quali veſte intrauerit,cum tali exeat.) Si cū corpore ſuo ingreſſus fuerit,cum corpore ſuo egredietur.Hebraiſmus eſt,pro,ſi ſolus ſine vxore venerit in domum tuam,ſine vxore exibit.

CVM veſtitu ſuo.) Id eſt,ſolus.

NON egrediar liber:) Id eſt,nolo donari libertate.

Dii. DIIS,) Id eſt,iudicib⁹,vt vertit Chaldæus paraphraſtes. LXX,ad tribunal Dei.

ET poſtes,) aut ad poſtes.Subaudi,vrbis.Et hoc,ſententia iudicum.

In ſeculum. IN ſeculum.) Id eſt,vſque ad iubileum: ſiue is annus propè fuerit, ſiue longe abfuerit.

Siquis vendiderit filiam ſuam in famulam, non egredietur ſicut ancillæ exire conſueuerūt. Si diſplicuerit oculis domini ſui'cui tradita fuerat, dimittet eam: populo autem alieno vendendi non habebit poteſtatem, 'ſi ſpreuerit eam.Sinautem filio ſuo deſpōderit eam, iuxta morem filiarū faciet illi. Quòd ſi alteram ei acceperit, 'prouidebit puellæ nuptias,& veſtimenta,& pretium pudicitiæ non negabit. 'Si tria iſta non fecerit, egredietur gratis abſque pecunia.

CVI tradita fuerat, dimittet eam:) qui non deſpondit eam, redimere faciet eam.Id eſt,perinde quaſi pretium pro redemptione eius accepiſſet, liberam eam abire permittet.Hoc eſt,habebit rationem temporis quo ſeruiuit ei: quod ſeruitutis tempus,erit ei loco pecuniæ quam pro redemptione puellæ alioqui recepturus erat. Alii vertunt,Et diſplicuerit in oculis heri ſui,qui ſibi deſpondit eam,redimere faciet eam.atque ita legunt, Chaldæus paraphraſtes & LXX. eſt enim duplex lectio apud Hebræos,לו vel לא.

SI ſpreuerit eam.) quum ipſe contempſerit eam. Vel,eo quòd fefellerit eā.

PROVIDEBIT puellæ nuptias,& veſtimenta,& pretiū pudicitiæ nō negabit.) victum & veſtitū eius,& mercedē pudoris non negabit ei.Id eſt,coniugale debitū,

ſiue concubitum non negabit ei. Sic Chaldæus paraphraſtes & L X X. Alii vertũt, Tempus eius non imminuet. Id eſt, pretium illi ob tẽpus quo opera eius vſus eſt, debitum, non imminuet. Prior expoſitio melior apparet ex ſequenti verſiculo.

SI tria iſta non fecerit, egredietur) Quòd ſi tria iſta non fecerit ei, illa egredietur, &c.

‖Qui percuſſerit hominẽ 'volens occidere, morte mo- Leuit.24.c.
riatur. Qui autem non eſt inſidiatus, ſed Deus illum tra
didit in manus eius: ‖conſtituam tibi locum in quẽ 'fu- Deut.19.a.
gere debeat. Siquis 'per induſtriam occiderit proximum
ſuum, '& per inſidias: ab altari meo euelles eum vt mo-
riatur. Qui percuſſerit patrem ſuum 'aut matrem, mor-
te moriatur. ‖'Qui maledixerit patri ſuo vel matri, mor- Leuit.20.b. prouerb.20.c.
te moriatur. Qui furatus fuerit hominem, & vendide- matth.15.a.
rit eum, 'conuictus noxæ, morte moriatur. marc.7.b.

VOLENS occidere, morte moriatur.) ita vt moriatur, morte morietur.

FVGERE debeat.) fugiat.

PER induſtriam) per ſuperbiam. Vel, cum fraude. Aut, de induſtria, vt habent vetera Latina exemplaria vtraque S. Dionyſii, & latũ & paruũ S. Germani. LXX vertunt, Si autem aliquis aggreſſus fuerit proximum ſuum vt occidat eum.

ET per inſidias:) Hæc non leguntur Hebraice.

AVT matrem,) & matrem. ita legit oblongum S. Dionyſii, oblongum item & paruum S. Germani. Tamen ET pro AVT poſitum, eſt more Hebraico.

QVI maledixerit &c. Item Qui furatus fuerit &c.) Poſterior verſus debet priorem præcedere etiam iuxta antiqua exemplaria S. Dionyſii & Germani, & Complutenſem editionem.

CONVICTVS noxæ,) inuentúſque fuerit in manu eius. Hebraiſmus eſt, Inuẽtum in
quem reddidit interpres. manu eius.

Si rixati fuerint 'viri, & percuſſerit alter proximũ ſuũ lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, ſed iacuerit in lectulo: ſi ſurrexit, & ambulauerit foris ſuper baculũ ſuum, 'innocens erit qui percuſſerit, ita tamen vt 'operas eius, & impenſas in medicos, reſtituat. Qui percuſſerit ſeruum ſuum, vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus eius, 'criminis reus erit. Sin autem vno die vel duobus ſuperuixerit, 'nõ ſubiacebit pœnæ, quia 'pecunia illius eſt. Si rixati fuerint viri, '& percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortiuũ quidẽ fecerit, ſed ipſa vixerit: 'ſubiacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, & 'arbitri iudicauerint. Sin autem mors eius fuerit ſubſecuta, 'reddet animam pro anima, 'oculum pro ocu

lo, dentem pro dente, manum pro manu, pedẽ pro pede, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore. Si percuſſerit quiſpiam oculum ſerui ſui aut ancillæ, & luſcos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. Dentem quoque ſi excuſſerit ſeruo vel ancillæ ſuæ, ſimiliter dimittet eos liberos.

Viri. VIRI,) vertendum fuit ALIQVI. eſt enim Hebraiſmus.

Innocẽs erit. INNOCENS erit) Subaudi, à cæde. Id eſt, non cenſebitur homicida.

OPERAS eius,) ceſſationem eius. Subaudi, ab opere: id eſt, iacturam temporis eius.

CRIMINIS reus erit.) de eo vltio ſumetur. Chaldæus paraphraſtes, Iudicio judicabitur. LXX, pœna punietur.

NON ſubiacebit pœnæ,) non exigetur vltio de eo. vel vt LXX, non punietur.

PECVNIA illius eſt.) Id eſt, ſeruus quem emit pecunia ſua.

ET percuſſerit quis) & percuſſerint.

SVBIACEBIT damno quantũ maritus mulieris expetierit,) punietur quẽadmodũ imponet ſuper illũ maritus mulieris. Id eſt, mulctabitur ea mulcta quã impoſuerit maritus ſententia iudicũ arbitrorũ: dabit quãtum arbitri cenſuerint.

ARBITRI) iudices.

REDDET) reddes. ſecundæ perſonæ. Id eſt, morieris, quia mortuus eſt.

OCVLVM pro oculo, &c.) Id eſt, ſi oculum eruerit, oculus ei eruetur: ſi dentem excuſſerit, dens ei excutietur &c.

Si bos cornu percuſſerit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur: & non comedentur carnes eius, dominus quoque bouis innocens erit. Quòd ſi bos cornupeta fuerit ab heri & nudiuſtertius, & conteſtati ſunt dominum eius, nec recluſerit eum dominus, occiderítque virum aut mulierem: & bos lapidibus obruetur, & dominum eius occident. Quòd ſi pretiũ fuerit ei impoſitum, dabit pro anima ſua quicquid fuerit poſtulatus. Filium quoque & filiam ſi cornu percuſſerit, ſimili ſententiæ ſubiacebit. Si ſeruum ancillámque inuaſerit, triginta ſiclos argenti domino dabit, bos verò lapidibus opprimẽtur.

OBRVETVR:) addendum ex Hebræo, BOS.

DOMINVS quoque) & dominus.

Innocẽs erit. INNOCENS erit.) Id eſt, habebitur pro inſonte, & abſoluetur.

Ab heri & nudiuſtertius. AB heri & nudiuſtertius.) Hebraiſmus, pro antea.

ET conteſtati ſunt dominum eius,) & teſtibus adhibitis denuntiatum fuerit domino eius. Vel, admonitúſque fuerit dominus eius teſtibus adhibitis.

EVM dominus) Ne in antiquis quidem veteribus codicibus S. Germani, Dionyſii, editione Complutenſi & Baſilienſi legitur DOMINVS.

ET dominum eius occident.) etiam dominus illius interficietur. Sententia

ſcilicet iudicum.

PRO anima ſua) pro redemptione animæ ſuæ. Id eſt, ne interficiatur.

INVASERIT,) percuſſerit. Chaldæus paraphraſtes, Cornu percuſſerit.

Siquis aperuerit ciſternā, & foderit, & non operuerit eā, ceciderítque bos aut aſinus in eam, reddet dominus ciſternæ pretiū iumentorum: quod autem mortuū eſt, ipſius erit. Si bos alienus bouem alterius vulnerauerit, & ille mortuus fuerit: vendent bouem viuum, & diuident pretium. cadauer autem mortui inter ſe diſpertiēt. Si autem ſciebat quòd bos cornupeta eſſet ab heri & nudiuſtertius, & non cuſtodiuit eum dominus ſuus: reddet bouem pro boue, & cadauer integrum accipiet.

ET foderit,) aut ſi quiſpiam foderit foueam.

REDDET dominus ciſternæ pretium iumentorum:) damnum reſarciet, ſummam pecuniæ reddet domino eius.

SCIEBAT) manifeſtum fuerit. Vel, notum.

ET cadauer integrum accipiet.) & qui mortuus eſt, illius erit. Id eſt, bos qui mortuus eſt, illius erit cuius bos interfecit illum bouem.

CAP. XXII.

SIQVIS furatus fuerit bouem aut ouem, & occiderit, vel vendiderit: quinque boues pro vno boue reſtituet, & quatuor oues pro vna oue. Si effringēs fur domum ſiue ſuffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percuſſor nō erit reus ſanguinis. Quòd ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipſe morietur. Si nō habuerit quod pro furto reddat: ipſe venundabitur. ſi inuentum fuerit apud eum quod furatus eſt, viuēs, ſiue bos, ſiue aſinus, ſiue ouis: duplum reſtituet. Si læſerit quiſpiam agrum vel vineam, & dimiſerit iumentum ſuum vt depaſcatur aliena: quicquid optimū habuerit in agro ſuo vel in vinea, pro damni æſtimatione reſtituet.

2.Reg.12.b.

SI effringens fur domum ſiue ſuffodiens) Si in ſuffoſſione fur. Id eſt, Si fur ſuffodiens domum, inuentus &c.

PERCVSSOR non erit reus ſanguinis.) non ſunt illi ſanguines. Id eſt, non fundetur ſanguis percuſſoris propter occiſum à ſe furem.

Non ſunt illi ſanguines.

HOMICIDIVM perpetrauit, & ipſe morietur.) ſanguines ſunt illi: reddendo reddet. Id eſt, percuſſor occidatur, fur reddet quod furto abſtulerit. Hebraiſmus. Quaſi dicat, furem diurnum non licet occidere.

SI læſerit quiſpiam agrum &c.) Quando quiſpiam deduxerit iumenta ſua in

agrum &c.

VT depaſcatur aliena:) & depauerit(Subaudi, iumentum)agrum alterius.

PRO damni æſtimatione) Hæc non leguntur in Hebraicis codicibus.

Si egreſſus ignis inuenerit 'ſpicas,& 'comprehenderit aceruos frugum,ſiue ſtātes ſegetes 'in agris: reddet 'damnum qui ignem ſuccenderit. 'Siquis commendauerit amico pecuniam aut vas in cuſtodiam:& ab eo qui ſuſceperat, furto ablata fuerint: 'ſi inuenitur fur, duplum reddet: ſi latet fur, dominus domus 'applicabitur ad deos, '& iurabit quòd non extenderit manum in rem proximi ſui, 'ad perpetrandam fraudem, tam in boue quàm in aſino, & oue ac veſtimento, & quicquid damnum inferre poteſt: ad deos vtriuſque cauſa perueniet: & ſi illi iudicauerint,duplum reſtituet proximo ſuo.

SPICAS,) ſpinas.Sic etiam legitur in Complutenſi editione & in oblongo, itémque in paruo veteri ſcripto exemplari S.Germani.

COMPREHENDERIT) abſumpſerit.

IN agris:) ſiue agrum ipſum.

DAMNVM) id quod exuſtum eſt.

SIQVIS commēdauerit &c.ſi inuenitur) Siquis dederit proximo ſuo pecuniam aut vaſa in cuſtodiam, & ſurrepta fuerint de domo viri illius: ſi &c.

SI inuenitur) Vel, ſi inuentus fuerit.

Applicari ad deos.

APPLICABITVR ad deos,) Id eſt,ad iudices:id eſt,vocabitur in ius.

Mittere manum in rem proximi.

ET iurabit quòd non extenderit) an non miſerit.Subaudiendum aliquid, Vt ſciatur an non ipſe dominus domus furatus fuerit. Illud enim ſignificat mittere manum in rem proximi.

Negotium tranſgreſſionis.

AD perpetrādam &c.) De omni negotio tranſgreſſionis, nempe de boue, de aſino,de oue,de veſte,& omni re quæ perierit,de qua quis dixerit quòd hoc ſit:ad iudices perueniet cauſa vtriuſque: & quem dānauerint iudices,is reddat duplum proximo ſuo. Omne negotiū trāſgreſſionis vocat quodcunque crimen. Quòd hoc ſit, id eſt,quòd ea res ſit quæ perdita eſt.Alii vertunt pro,quòd hoc ſit:quia ipſe eſt.hoc eſt,ſi dixerit teſtis eum eſſe reum,poterítque id probare coram iudicibus,dabit reus duplum.

Siquis cōmēdauerit proximo ſuo aſinū,bouem,ouem, & omne iumentū ad cuſtodiā,& mortuū fuerit '& debilitatum, vel captū 'ab hoſtibus, nullúſque hoc viderit: 'iuſiurandū erit in medio quòd nō extenderit manū ad rem proximi ſui: ſuſcipiétque 'Dominus iuramentum,

Gen.31.f.

& ille reddere non cogetur.‖Quòd ſi furto ablatum fuerit,reſtituet damnum domino.'Si comeſtum à beſtia, deferat ad eum quod occiſum eſt, & non reſtituet.

ET debilitatum,) aut confractum.Latini antiquiores codices S.Dionyſii,Germani & Victoris, Complutenſis etiam editio legunt, Aut debilitatum.

AB hoſtibus,) Hæc Hebraice non leguntur.

IVSIVRANDVM erit in medio quòd nõ &c.) Iuſiurandum Domini erit inter vtrunque an non &c. Id eſt, iurabit vterque per Dominum &c. Iuſiurandum Domini erit.

DOMINVS iuramentum, & ille reddere non cogetur.) Dominus eius, & ille non reſtituet. Id eſt, Dominus rei ſuſcipiet iuramentum à proximo cui commendauerat eam rem, & ille proximus non reſtituet.

SI comeſtum à &c.) Si laceratum à beſtia, afferet illius partem in teſtem, & dilaniatum non reſtituet. Chaldæus paraphraſtes, Afferat quod dilaniatum eſt in teſtimonium. Alii vertunt, Adducat ille teſtem.

Qui à proximo ſuo 'quicquid horum mutuo poſtulauerit, & debilitatum aut mortuum fuerit domino non præſente: reddere compelletur. Quòd ſi 'impræſentiarũ dominus fuerit, non reſtituet, maximè 'ſi conductum venerat pro mercede operis ſui. ¶Si ſeduxerit quis virginem necdum deſponſatã, dormierítque cum ea: dotabit eam, & habebit eã vxorem. Si pater virginis dare noluerit, 'reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere conſueuerunt. 'Maleficos non patieris viuere. Qui coierit cum iumento, morte moriatur. 'Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino ſoli. Deut. 22. d.

QVICQVID horum mutuo) aliquid mutuum. Vetera Latina exemplaria S. Dionyſii & Germani legunt mutuum.

IMPRAESENTIARVM) præſens.

SI conductum venerat pro mercede operis ſui.) ſi conductum fuerit veniens pro mercede ſua. Hebraiſmus eſt, Id eſt, ſi pecunia conduxerit eum. Satis fuerat dixiſſe conductum fuerit. verũ amplius expoſuit, quum addidit Veniens pro mercede ſua. hoc eſt, quod animal habetur data mercede.

REDDET) appendet. Vel, dabit.

MALEFICOS) maleficas. genere fœminino. Hæc lex intelligitur etiã de malefico: vtitur tamẽ fœminino genere, quòd fœminæ vt plurimũ maleficiis vacent.

QVI immolat &c.) Chaldæus paraphraſtes vertit, Qui immolauerit diis præterquam Domino ſoli, interficiatur.

Aduenam 'non contriſtabis, neque affliges eum: aduenæ enim & ipſi fuiſtis in Terra-AEgypti. 'Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læſeritis eos, 'vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum: & 'indignabitur furor meus, percutiámque vos gladio, & erunt vxores veſtræ viduæ, & filii veſtri pupilli.

NON contriſtabis, neque affliges eum:) ne decipias, neque expiles eum. Vel, ne contriſtaueris neque denudaueris. Id eſt, ne priuaueris bonis.

VIDVAE & pupillo nõ nocebitis. Si læſeritis eos,) Neque viduam, neque pupillum affligatis. ſi affligendo afflixeritis eum. Reticentia eſt, ſubaudiendũ autem, Poſtea te affligam. EVM pro EOS poſuit, ſingulare pro plurali.

VOCIFERABVNTVR ad me,& ego &c.) Nam ſi vociferando vociferatus fuerit ad me,ego &c.Singulare pro plurali,ſi vociferati fuerint ad me.

Indignatur furor.

INDIGNABITVR furor meus,) Hebraiſmus, pro Iraſcar valde.

Si pecuniam mutuã dederis populo meo pauperi qui habitat tecum,non vrgebis eum 'quaſi exactor,nec vſuris opprimes. Si pignus à proximo tuo acceperis veſtimentum, ante ſolis occaſum 'reddes ei. Ipſum enim eſt ſolum quo operitur,'indumẽtum carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat: ſi clamauerit ad me, exaudiam eum,quia miſericors ſum.

QVASI exactor,) tanquam fœnerator.

REDDES ei.) redde ei.atque ita legunt vetera Latina exemplaria S.Dionyſii,& Germani.

INDVMENTVM carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat:) ea eſt veſtis ipſius cuti,in qua cubat.Veſtis ipſius cuti,id eſt,ad tegendum corpus.

Act.23.a.

¶'Diis non detrahes,& principi populi tui non maledices. 'Decimas & primitias tuas non tardabis reddere: ¶primogenitum filiorum tuorum dabis mihi.De bobus quoque,& ouibus ſimiliter facies:ſeptem diebus ſit cum matre ſua,die octaua 'reddes illum mihi. Viri ſancti eritis mihi: carnem 'quæ à beſtiis fuerit prægustata,non comedetis,ſed proiicietis canibus.

Leuit.22.b. ezech.44.g.

DIIS) Id eſt,iudicibus,& legem docentibus.

DECIMAS & primitias tuas non tardabis reddere:) Muſtum tuũ,& lachrymam tuã non tardabis offerre.Id eſt,primitias muſti tui,& primitias olei tui primo quoque tempore offeres.Muſtum dicitur Hebraice MELEA, quòd magna copia è torcularibus defluere ſoleat.Oleum autem vocauit lachrymã,quòd guttatim defluat cum ſit in lacu.Vetera Latina exemplaria S.Dionyſii & Germani legunt, Decimas tuas & primitias tuas.

מְלֵאָה

REDDES) dabis.

QVAE à beſtiis fuerit prægustata,) quæ in agro lacerata fuerit. Subaudi,à beſtiis.Id eſt,abſtinere à carnibus ferarum interfectarum ab aliis beſtiis.

CAP. XXIII.

NON ſuſcipies vocem mendacii: 'nec iunges manum tuam vt pro impio dicas falſum teſtimoniũ. Non ſequêris turbam ad faciẽdum malum:'nec in iudicio,plurimorũ acquieſces ſententiæ, vt à vero deuies.

Aſſumere rumorem falſũ.

NON ſuſcipies vocem mendacii:) Ne aſſumas rumorem falſum: Id eſt, ne ſis author falſi rumoris cõtra proximum tuum: aut fingas in corde tuo, vnde illius fama lædi poſſit.Vel,ne admiſeris rumorem falſum.

Iungere manum.

NEC iunges manum tuam vt pro impio dicas falſum teſtimonium.) nec ponas manum tuam cum impio vt ſis teſtis iniquus.Id eſt,non adiuuabis cauſam improbi falſo tuo teſtimonio.

NEC in iudicio, plurimorum acquieſces ſententiæ, vt à vero deuies.) nec loquaris in lite, vt declines poſt multos ad peruertendum. Id eſt, in lite, ne ſequaris plurium ſententiam vt peruertas iudicium. Si plures in iudicio condemnauerint innocentem, tu ſequere pauciores qui illum ſaluare conantur, & ne inclines in iudicium cum multis.

‖ Pauperis quoque non miſereberis in iudicio. Si oc- Deut.12.a.
curreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eũ.
Si videris aſinum odientis te iacẽre ſub onere, 'non per-
tranſibis, ſed ſubleuabis cum eo. 'Non declinabis in iu-
dicium pauperis. 'Mendacium fugies. ‖Inſontem & Dan.13.f.
iuſtum non occides: quia 'auerſor impium.

PAVPERIS quoque non miſereberis in iudicio.) Pauperem ne honora in lite ſua. Id eſt, ne habeas reſpectum perſonæ in iudicio. Vetera Latina exemplaria S. Dionyſii & Germani legunt, In negotio.

NON pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo.) cauebis dimittere eum: exonerando exonerabis cũ eo. Id eſt, cauebis deſerere aſinum cum onere, verum detrahes eì onus illud cum inimico tuo. Chaldæus paraphraſtes, Quando videris aſinum odientis te iacentem ſub onere ſuo, & deſieris adiuuare eum: dimittens dimittes odiũ quod erat in corde tuo aduerſus eum, & ſubleuabis eum cum eo. Quidam Hebræorum vertunt, Cauebis ne deſeras illi ſoli onus ſubleuãdum: verũ ſubleuando ſubleuabis cum illo, vt animal facilius ſe erigat in pedes.

NON declinabis in iudicium pauperis.) Ne peruertas iudicium pauperis tui in cauſa ſua. Id eſt, pauperum qui ſunt apud te. Hoc eſt, neque pauperi fauendum eſt, neque auerſandus eſt in iudicio. quaſi dicat, Non habendus reſpectus perſonarum in iudicio. Vetera Latina exemplaria S. Dionyſii, Germani, & Victoris legunt, In iudicio.

MENDACIVM fugies.) A ſermone falſo recedes. Id eſt, à iudicio falſo. Iuſtificare impium.

AVERSOR impium.) non iuſtificabo impium. Hebraiſmus eſt, pro, non ſinam eum inultum.

‖Nec accipies munera, 'quæ etiam excæcant pruden- Deut.16.d.
tes, & ſubuertunt 'verba iuſtorum. Peregrino moleſtus eccli.20.d.
non eris. 'ſcitis enim aduenarũ animas: quia & ipſi ‖per- Gen.46.a.
egrini fuiſtis in Terra-AEgypti. Sex annis ſeminabis
terram tuam, & congregabis 'fruges eius. Anno autem
ſeptimo 'dimittes eam, & requieſcere facies, vt comedãt
pauperes populi tui: & quicquid reliquum fuerit edant
beſtiæ agri. ita facies in vinea, & in oliueto tuo.

QVAE etiam) quia munera.

VERBA iuſtorum.) Id eſt, negotia & cauſam iuſtorum.

SCITIS enim aduenarum animas:) Id eſt, noſtis animum aduenæ, ſcitis quales ſint peregrinorum affectus: ſatis eſt id pœnarum, quòd peregrini ſunt, ne addatis & alias moleſtias. Hebraiſmus. Scitis animas peregrinorũ.

FRVGES eius.) prouentum eius.

DIMITTES eam, & requieſcere facies,) liberam dimittes, atque deſeres eã. Id eſt, non coles, neque ſeminabis eam, ſed deſeres: & quæ ſponte naſcentur, nõ congregabis, ſed dimittes pauperibus & beſtiis terræ.

Sex diebus operaberis: 'ſeptimo die ceſſabis, vt requi-
eſcat bos & aſinus tuus, '& refrigeretur filius ancillæ tuæ,
& aduena. 'Omnia quæ dixi vobis cuſtodite. 'Et per
nomen externorũ deorum non iurabitis, neque audietur
ex ore veſtro. Tribus vicibus per ſingulos annos mihi
feſta celebrabitis. 'Solẽnitatem quoque azymorum cu
5 13.a. ſtodies. Septem diebus 'comedetis azyma, ‖ſicut præcepi
tibi, 'tempore menſis nouorũ, 'quando egreſſus es de AE
3.34.c.deut.16. gypto: ‖non apparebis in cõſpectu meo vacuus. 'Et ſolen
d.eccli 35 a. nitatem meſſis primitiuorum operis tui, quæcũque ſemi
naueris in agro: 'ſolẽnitatem quoque in exitu anni, quan
do congregaueris 'omnes fruges tuas de agro.

SEPTIMO die) ſeptimo autem die.

ET refrigeretur) Vel, & reſpiret. ſiue recreetur.

Cauti eſtote in his quæ dixi vobis. OMNIA quæ dixi vobis cuſtodite.) In omnibus quæ dixi vobis, cauti eſtote. Hebraiſmus eſt, quem reddidit interpres.

ET per nomen externorum deorum non iurabitis,) Et nominis externorum deorum ne recordemini. Quaſi dicat, Non tantum non coletis deos alienos, ſed ne vllam quidem eorum mentionem facietis.

SOLENNITATEM quoque) Dictio QVOQVE non legitur in antiquis Latinis codicibus S. Dionyſii & Germani.

COMEDETIS azyma,) comedes azyma. ſingulari numero. atque ita legitur in vetuſtioribus Latinis codicibus S. Dionyſii, Germani & Victoris.

TEMPORE menſis &c. Et ſolennitatem) tempore menſis quo matureſcunt fruges: in illo enim egreſſi eſtis de AEgypto: neque videbũtur facies meæ inanes. Hebraiſmus eſt, pro, In memoriam egreſſionis veſtræ ex AEgypto celebrabitis feſtum iſtud: in eóque feſto filii Iſrael non apparebunt coram me vacui & ſine muneribus. אָבִיב Vox Hebræa ABIB, pro qua interpres vertit NOVORVM, ſignificat maturitatẽ frugum: quæ in Martio apud Ieroſolymitanos & AEgyptios contingere ſolet: hoc eſt, circa æquinoctium Vernum: ſicut collectio aliorum fructuum, in fine anni; hoc eſt circa æquinoctiũ Autumnale fieri ſolet. Incipiunt enim Hebræi annum ſuum circa æquinoctium Autumnale: licet in ſacris ab æquinoctio verno illum iubeantur auſpicari. Feſtũ meſſis. Proinde feſtum meſſis, eſt feſtum Pentecoſtes: & feſtũ Feſtum collectionis. collectionis, feſtũ tabernaculorũ. & in his feſtis Deus noluit vt vacui venirẽt ante conſpectũ ſuum: id eſt, coram arca fœderis, vbi præſentẽ ſeſe exhibebat illis.

In conſpectu meo. QVANDO egreſſus es de AEgypto: non apparebis &c.) quia eo menſe egreſſus es de AEgypto: neque apparebunt ante me vacui. Id eſt, In memoriã egreſſus tui celebrabis hoc feſtum: neque filii Iſrael apparebũt coram me ſine muneribus.

Solennitas meſſis primitiuorum. ET ſolennitatem meſſis primitiuorum) Subaudi, celebrabis. Id eſt, celebrabis feſtum in quo offeres Deo primitias frugum quas terra à te culta reddiderit.

SOLENNITATEM quoque in exitu anni,) Hebraice legitur, Solennitatem quoque collectionis quæ eſt in exitu anni. Quũ ſcilicet Sol egreditur Libram.

OMNES fruges tuas) opera tua.

Ter in anno 'apparebit omne maſculinum tuum co-
ram Domino Deo tuo. 'Non immolabis ſuper fermen
to ſanguinem victimæ tuæ, nec remanebit adeps 'ſolen-

nitatis meæ vſque mane. ‖Primitias ʼfrugum terræ tuæ ʼdeferes in domum Domini Dei tui. ʼNon coques hœdum‖in lacte matris ſuæ. Deut.14.c. 134.c.

APPAREBIT) Id eſt, ter in anno mares omnes venient ad eum locum vbi ego mei cultum inſtituero, nēpe in Ieruſalem. offeréntque ibi munera mihi.

DEO tuo.) Pronomen TVO, neque etiā in vetuſtioribus Latinis codicibus S. Germani & Dionyſii legitur.

NON immolabis ſuper fermento ſanguinem victimæ tuæ,) Ne immoles ſuper fermentatum (vel, cum fermentato) ſanguinem ſacrificii mei. Id eſt, antequā immoles victimam paſchalem, remouebis fermentatum de domo tua. Vetera Latina exemplaria S. Dionyſii, Germani, & Victoris legunt Victimæ meæ. De hoc admonet etiam Correctorium Sorbonicum.

SOLENNITATIS meæ) victimæ meæ. Id eſt, hoſtiarū quæ mihi occidūtur.

FRVGVM) primitiuorum.

DEFERES in domum &c.) Id eſt, offeres Domino Deo tuo.

NON coques) Ne coquas.

IN lacte matris ſuæ.) Id eſt, quandiu ſugit lac. Hoc eſt, ne offeras mihi hœdum poſtea coquendum miniſterio ſacerdotum, ne offeras inquam eum dum lac matris ſugit. Alii vertunt, Cum matre lactante. quaſi dicat, Satis tibi ſit comedere hœdum, abſtineas à matre: hoc enim præ ſe fert crudelitatem quandam. Sic præcepit, pullos auium comprehendere in nido, dimiſſa matre.

Ecce ego ʼmittam ʼangelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem præparaui. ʼObſerua eum, & audi vocem eius, ʼnec contemnendum putes: quia ʼnon dimittet quum peccaueris, ʼ& eſt nomen meum in illo. Quòd ſi audieris vocem eius, & feceris omnia ʼquæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, ʼ& affligam affligentes te. ‖Præcedétque te angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, Chananæúmque, & Heuæum, & Iebuſæum, quos ego conteram. 133.a.ioſ.24.c. deut.7.c.

MITTAM) mitto. Præſens tēpus pro futuro. ita legit latus codex S. Dionyſii.

ANGELVM meum,) pronomen MEVM, hoc loco non additur in Hebraicis codicibus, neque in vetuſtioribus Latinis S. Dionyſii & Germani.

OBSERVA eum,) Caue à conſpectu illius. Id eſt, Caue tibi ab eo, & parce ei. Hebraiſmus. Cauere à cōſpectu Dei.

NEC contemnendum putes:) nec exacerbes eum. Vel, ne rebellem te illi præbeas.

NON dimittet quum peccaueris,) non parcet iniquitati veſtræ. Vel, tranſgreſſioni veſtræ. Vetus Latinum exemplar oblongum S. Germani, & paruum legunt Quum peccaueritis, plurali numero.

ET eſt nomen meum in illo.) ſiquidem nomen meū eſt in medio illius. Iſtud debet referri ad præcedentia, Obſerua eum. Quaſi dicat, Caue tibi ab eo: quia angelus eſt legatus meus: & quæ dicet, nomine meo dicet. Nomen meū in illo.

QVAE loquor,) quæ loquar. futuri temporis.

ET affligam affligentes te. Præcedétque te) & aduerſabor aduerſariis tuis. Nā

præcedet te &c.Vel,hoſtis ero hoſtibus tuis.Nam &c.

ⁱNon adorabis deos eorum,nec coles eos: ˡnon facies opera eorum,ſed deſtrues eos,& confringes ſtatuas eorum.ˢSeruietíſque Domino Deo veſtro, ᵛvt benedicam panibus tuis & aquis, & auferam infirmitatem de medio tui. Non erit ⁱinfœcunda , nec ſterilis in terra tua: ⁿnumerum dierum tuorum implebo.

NON adorabis deos) Ne incurues te diis. Verba ſequentia verti debent per imperatiuum.

NON facies opera eorum,) Ne feceris ſecundum opera eorum.

SERVIETISQVE) Seruite autem.vel,Sed ſeruite.

Benedicere panibus. VT benedicam panibus tuis & aquis,) & benedicet pani tuo & aquis tuis.Mutatio perſonæ more Hebræorum,pro,& benedicam:Id eſt,dabo tibi cibum & potum in magna abundantia.

INFOECVNDA,) abortiuum faciens.

Implere numerũ dierũ. NVMERVM dierum tuorũ implebo.) Hebraiſmus eſt,Faciam,inquit, vt vos viuatis vſque ad extremam ſenectam ſine ægritudine.

ᵗTerrorem meum mittam in præcurſum tuũ,& ᵒoccidam omnem populum ad quem ingrediêris : cunctorúmque inimicorum tuorum coram te terga vertam: ᵉemittens crabrones prius,qui fugabunt Heuæũ,& Chananæum,& Hethæum,antequam introeas. Nõ eiiciam eos à facie tua anno vno: ne terra in ſolitudinem redigatur,ᵉ& creſcant contra te beſtiæ. Paulatim expellam eos de conſpectu tuo,donec augearis, & poſſideas Terram.Ponam autem terminos tuos à Mari-rubro vſque ad mare Palæſtinorum,& à deſerto vſque ad ᶠFluuium: ᵗtradam in manibus veſtris habitatores Terræ, & eiiciã

deu.7.a.J.34.b eos de conſpectu veſtro.¶Non inibis cum eis fœdus,nec cum diis eorum.Non habitent in terra tua,ne fortè peccare te faciant in me, ſi ſeruieris diis eorum: ᑫquod tibi certe erit in ſcandalum.

TERROREM meum mittam in præcurſum tuũ,) Terrorem mei mittam ante te.Id eſt, terrebo omnes te aduenientc.

OCCIDAM) Vel,tumultuari faciam.ſiue frangam animos totius populi.

EMITTENS crabrones prius,) mittam quoque crabronem ante te. Singulare pro plurali, Crabrones,vel veſpas.

ET creſcant contra te beſtiæ.) & multiplicetur cõtra te beſtia agri.Id eſt,multiplicentur in tuam perniciem feræ & animalia ſylueſtria.

FLVVIVM:) ſubaudi,Euphraten,qui ab Oriente terminus eſt terræ promiſſionis,vt Mare mediterraneum ab Occidente.

TRADAM) Nam tradam.

QVOD tibi certe erit in ſcãdalũ.) quia hoc erit tibi offendiculo. Vel, ruinæ.

CAP. XXIIII.

MOYSI quoque dixit,'Aſcende ad Dominum tu & Aaron, Nadab & Abiü, & ſeptuaginta 'ſenes ex Iſrael,& adorabitis procul.'Solúſque Moyſes aſcendet ad Dominum,& illi non appropinquabunt:nec populus aſcendet cum eo. Venit ergo Moyſes, & narrauit plebi omnia verba Domini,atq; iudicia: reſpõdítque omnis populus vna voce,Omnia verba Domini quæ locutus eſt,faciemus.Scripſit autem Moyſes vniuerſos ſermones Domini: & mane conſurgens 'ædificauit altare Domino ad radices montis, & duodecim 'titulos per duodecim tribus Iſrael. Miſítq; iuuenes de filiis Iſrael, & obtulerũt holocauſta, immolauerúntque victimas pacificas Domino,vitulos 'duodecim. Tulit itaque Moyſes dimidiam partem ſanguinis,& miſit in crateras:partem autem reſiduam fudit ſuper altare. Aſſuménſque volumen fœderis,legit audiente populo. qui dixerunt, Omnia quæ locutus eſt Dominus faciemus, & erimus obedientes. Ille verò, ſumptum ſanguinem reſperſit in populum, & ait, ‖Hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Heb.9.c. Dominus vobiſcum ſuper cunctis ſermonibus his.

ASCENDE ad Dominum) Hebraiſmus eſt, pro, Aſcende ad me. Antecedens pro relatiuo.

SENES ex Iſrael,) præpoſitionem EX, non legit Latinum exemplar vetus S. Victoris,nec oblongum S.Dionyſii.

SOLVSQVE Moyſes &c. Venit) Accedat autem ſolus Moyſes ad Dominum: illi verò non accedant,neque populus aſcendat cum illo.Subaudi, Moyſe.

AEDIFICAVIT altare Domino) apud Hebræos dictio DOMINO non legitur,neque in veteribus Latinis codicibus S.Dionyſii,Germani & Victoris,neque in editione Complutenſi.

TITVLOS) Vel,ſtatuas.

DVODECIM) Dictio hæc non legitur hoc loco in vtroque lato S.Dionyſii, & Germani,neque in editione Complutenſi.

Aſcenderúntque Moyſes & Aaron, Nadab & Abiü, & ſeptuaginta de ſenioribus Iſrael: & viderunt Deum Iſrael:'ſub pedibus eius quaſi opus 'lapidis ſapphirini, &

quaſi cælum cum ſerenum eſt.ᵃNec ſuper eos qui procul receſſerāt de filiis Iſrael,miſit manū ſuam:ᵃvidérūntque Deum,& comederunt,ac biberunt. Dixit autem Dominus ad Moyſen, Aſcende ad me in montem, & eſto ibi:ᵃdabóq; tibi duas tabulas lapideas,& legem,ac mandata quæ ſcripſi, vt ᵃdoceas filios Iſrael. Surrexerunt Moyſes,& Ióſue miniſter eius: aſcendénſque Moyſes in montem Dei,ſenioribus ait,Expectate ᵃhîc donec reuertamur ad vos. habetis Aaron, & Hur vobiſcum: ſiquid natum fuerit quæſtionis,referetis ad eos.Cúmque aſcēdiſſet Moyſes,operuit nubes montem,& habitauit gloria Domini ſuper Sinái, ᵃtegens illum nube ſex diebus: ſeptimo autem die vocauit eū ᵃDominus de medio caliginis.Erat autem ſpecies gloriæ Domini,quaſi ignis ardens ſuper verticem montis ᵃin conſpectu filiorū Iſrael. Ingreſſúſque Moyſes medium nebulæ,aſcēdit in mon-
J.34.d. deut.9.b.c. tem: & ‖fuit ibi quadraginta diebus,& quadraginta noctibus.

SVB pedibus) In codicibus Latinis vetuſtioribus latis S.Dionyſii & Germani, & in Victorino præcedit præpoſitio ET, Et ſub pedibus.

LAPIDIS) Vel,lateris.aut menſulæ ſapphirinæ. Alii vertunt, Sicut opus mēſæ ſapphirinæ.

Mittere manum ſuam ſuper aliquem quomodo dicatur Deus.

NEC ſuper eos qui procul receſſerant de filiis Iſrael,miſit manum ſuam:) Ad principes autem filiorum Iſrael non miſit manum ſuā.Id eſt,Deus non læſit principes Iſrael,qui illum viderant. biberunt enim & comederunt poſtea: quod argumentum fuit, illos non fuiſſe à Deo occiſos, quum tamen ſcriptum ſit, Non videbit me homo, & viuet.

VIDERVNTQVE Deum, & comederunt,ac biberunt.) Hoc eſt, qui quum vidiſſent Deum, comederunt & biberunt vt antea, nullo accepto incommodo.Chaldæus paraphraſtes vertit, Principibus autem filiorū Iſrael nullum incōmodum fuit: & viderunt gloriam Dei,& gauiſi ſunt in ſacrificiis ſuis quæ accepta fuerunt quaſi comediſſent & bibiſſent.

DABÓQVE tibi duas tabulas) Vel,vt dem tibi tabulas. Vetera Latina exemplaria S.Germani & Dionyſii, conſentiente Complutenſi & Baſilienſi editione, non legunt DVAS.

DOCEAS filios Iſrael.) doceas eos. Atque ita legunt vetuſtiores Latini codices S. Dionyſii, & oblongum cum paruo S.Germani. De hoc admonet etiam Correctorium Sorbonicum.

HÎC donec) hîc nos donec.

TEGENS illum nube) & operuit illum nubes.

DOMINVS de medio) Neque in vetuſtioribus Latinis codicibus S.Germani & Dionyſii & Victoris legitur DOMINVS hoc loco.

IN conſpectu) in oculis. Id eſt, talis apparebat filiis Iſrael,non autem Moyſi.

CAP. XXV.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen, dicẽs, Loquere filiis Iſrael, vt tollant mihi 'primitias: ab omni homine 'qui offert vltroneus, accipietis eas. Hæc ſunt autem quæ accipere debetis, Aurum & argentum, & æs, 'hyacinthũ & purpuram, coccúmque bis tinctum, & byſſum, pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas, pelléſque 'ianthinas, & ligna 'ſetim. oleum ad luminaria concinnanda, aromata 'in vnguentum, & thymiamata boni odoris: lapides onychinos, '& gẽmas ad ornandum ephod, ac rationale. E.35.a.

PRIMITIAS:) oblationem. de bonis ſuis ſcilicet.

QVI offert vltroneus, accipietis eas. Hæc ſunt autem quæ accipere debetis,) cuius cor (ſiue animus) voluntarie dederit, accipietis oblationem mihi. Hæc eſt autem oblatio quam accipietis ab eis. Vel, accipere debetis ab eis.

HYACINTHVM, & purpuram, coccúmque bis tinctum, & byſſum, pilos caprarum,) Id eſt, veſtes hyacinthinas, ſiue pannos hyacinthinos & cæruleos, vt Hebræi interpretantur: & pannos purpureos, & ſericum coccineum, ſiue cocco tinctum, & byſſum, & veſtes factas ex pilis caprarum. Coccum bis tinctum, pro ſerico coccineo.

IANTHINAS,) taxorum, vt quibuſdam Hebræorũ placet, qui putant fuiſſe animal mundum varii coloris. Vnde quidam Hebræam vocem relinquunt, ſcribentes Thaſorum. Alii, violacei coloris vertunt. Ianthinus.

SETIM.) Hebræi dicunt cedri eſſe ſpeciem optimam. Setim.

IN vnguentum, & thymiamata boni odoris:) pro oleo vnctionis, & pro incẽſo ſuauium odorum. Vel, ad vnguentum odoriferum, & ad ſuffitum odoratum. Hoc vnguento vngebantur ſacerdotes. Vnguentum. Thymiama.

ET gemmas ad ornandum ephod, ac rationale.) & lapides plenitudinum in ſuperhumerale & pectorale. Lapides plenitudinum vocat gemmas quæ auro & argento includi ſolent, vt videmus in annulis: quas parabant ad ornandum ſuperhumerale & pectorale. Ephod, vox Hebræa, quæ veſtis erat ſuperhumeralis. Pectorale autem, quod HOSEN Hebraice dicitur, ornamentum fuit ex ſerico auro, & pretioſis lapidibus factum, quod ſummus ſacerdos in pectore ſuo & ſuper cor ſuum portabat, in quo erant Vrim & Thummim. Lapides plenitudinum. Ephod. Pectorale. חשן

'Faciéntque mihi ſanctuarium, & habitabo in medio eorum: iuxta omnem ſimilitudinem tabernaculi quod Heb.9.a. oſtendam tibi, & omnium vaſorum in cultũ eius: ſicque facietis illud, Arcam de lignis ſetim compingite, cuius longitudo habeat duos & ſemis cubitos, latitudo cubitum & dimidium, altitudo cubitum ſimiliter ac ſemiſſem. Et deaurabis eam auro mundiſſimo intus & foris: faciéſque ſuprà, 'coronam aureã per circuitum:' & quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ an-

gulos. duo circuli ſint in latere vno, & duo in altero. Facies quoque vectes de lignis ſetim, & operies eos auro. 'Inducéſque per circulos qui ſunt in arcæ lateribus, vt portetur in eis:'qui ſemper erũt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis.

FACIENTQVE mihi ſanctuarium) facient quoque mihi ſanctuarium. Hæc præcipit Deus, vt eos auerteret ab idololatria.

IVXTA omnem ſimilitudinem &c. Arcam) omnino vt ego oſtendam tibi exemplar (vel ſimilitudinem) tabernaculi, & exemplar omnium vaſorum eius, ſic faciatis.

CORONAM auream) limbum (vel labium) aureum.

ET quatuor circulos) & fundes illi quatuor annulos.

INDVCESQVE per circulos) Immittéſque vectes illos per annulos.

QVI ſemper erunt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis.) erunt autem vectes illi in annulis arcæ, neque recedent ab ea. Vel, non remouebuntur ab ea.

Ponéſque in arca'teſtificationem quam dabo tibi. Facies & 'propitiatorium de auro mundiſſimo: duos cubitos & dimidium tenebit longitudo eius, & cubitum ac ſemiſſem latitudo. Duos quoque 'cherûbim aureos, '& productiles facies, ex vtraque parte 'oraculi. Cherub vnus ſit in latere vno, & alter in altero. 'Vtrunque latus propitiatorii tegant expandentes alas, & operientes oraculum, reſpiciántque ſe mutuò verſis vultibus in propitiatorium 'quo operienda eſt arca, in qua pones teſtimonium quod dabo tibi.'Inde præcipiam, & loquar ad te ſupra propitiatorium, ac de medio duorũ cherûbim, qui erunt ſuper arcam teſtimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Iſrael.

Teſtificatio & Teſtimoniũ. TESTIFICATIONEM quam dabo tibi.) teſtimonium quod daturus ſum tibi. Id eſt, librum fœderis, tabulas lapideas continentes decalogum, quæ vobis teſtantur meam voluntatem.

Propitiatorium. PROPITIATORIVM) tegmen, ſiue operimentum: aut velamen & cælũ. Erat tabula quæ ſuperponebatur arcæ. Quòd interpres vertit propitiatoriũ, magis

כַּפֹּרֶת habuit rationẽ verbi à quo deducitur, quàm rei Hebraice dicitur CAPORETH.

Cherub. CHERVBIM) Cherub, ſecundum Hebræos, eſt dictio compoſita, idem ſignificans quod Quaſi puer. Cherubim, plurale eſt. habebant enim formam & figuram puerorum.

ET productiles facies,) & opere ductili facies. Quidam vertunt, opere integro & ſolido. vt ſcilicet tam operculum, quàm cherubim fuerint opus vnum, abſque vlla iunctura factum.

Oraculum. ORACVLI.) operimenti. ſiue cæli. Oraculum vertit interpres, quod paulo ante propitiatorium: propterea quòd illinc Dominus oracula ſua edebat. Id eſt, Moyſi loquebatur, docebátque eum quid populum Iſraeliticum facere vellet.

VTRVNQVE latus propiciatorii tegant, expandentes alas, & operientes oraculum,) In operimento facies cherubim in duabus extremitatibus eius: extendẽtes alas ſurſum, & tegentes alis ſuis operimentum. Alii vertunt, Ex operimento facies cherubim quaſi velint eſſe eiuſdem materiæ cum operimento.

QVO operienda eſt arca,) pones autem operimentum ſurſum ſuper arcam.

INDE præcipiam &c. Facies) Et conueniam tecum ibi, loquárque tecum ab operimento, inter duos cherubim qui erunt ſuper arcam teſtimonii, (loquar inquam tecum) quæcunque tibi præcipiam ad filios Iſrael. Vel, quæcunque iniungam dicenda filiis Iſrael.

Facies & menſam de lignis ſetim, habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum ac ſemiſſem. Et inaurabis eam auro puriſſimo: faciéſque illi 'labium aureum per circuitum, '& ipſi labio coronam interraſilem altam quatuor digitis: & ſuper illam, alteram coronã aureolam. Quatuor quoque circulos aureos 'præparabis, & pones eos in quatuor angulis 'eiuſdem menſæ per ſingulos pedes. 'Subter coronam erunt circuli aurei, vt mittantur vectes per eos, & poſſit menſa portari. Ipſos quoque vectes facies de lignis ſetim, & circundabis auro ad ſubuehendam menſam. Parabis & 'acetabula, ac 'phialas, 'thuribula, & cyathos, in quibus offerenda ſunt libamina, ex auro puriſſimo. Et pones ſuper menſam 'panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper.

LABIVM aureum) Vel, limbum aureum.

ET ipſi labio &c. Quatuor &c) Sed & clauſuram facies ei quatuor digitos latã in circuitu: faciéſque illi clauſuræ coronam auream per circuitum. Clauſuram vocat quod Gallice dicimus Soubaſſement.

PRAEPARABIS,) facies illi.

EIVSDEM menſæ per ſingulos pedes.) qui ſunt in quatuor pedibus eius.

SVBTER coronam erunt circuli aurei, vt mittantur vectes per eos, & poſſit menſa portari.) Ex aduerſo clauſuræ erunt annuli in domos vectibus, ad portandum menſam illam. Id eſt, Eregione additamenti illius inferioris collocabuntur annuli, per quos traiicientur vectes ad portandum menſam.

ACETABVLA,) ſcutellas eius. in quibus ſcilicet ponebantur panes. Hebraice KEAAROTH. קְעָרֹת

PHIALAS,) cochlearia eius. vel thuribula: in quibus ponebatur thus. Hebraice CAPPOTH, dicta, fortaſſe quòd volæ cauitatem imitarentur. כַּפֹּת

THVRIBVLA, & cyathos, in quibus offerenda ſunt libamina,) opercula & crateres, quibus tegentur. Subaudi, thus & panes propoſitionis. Vox Hebræa KESOTH, pro qua thuribula vertit interpres, quæ per opercula, quibus thus tegebatur, hîc redditur: à nonnullis accipitur pro mediis calamis vacuis quos ponebant in ſummitate vniuſcuiuſque panis, vt ingrederetur ventus ſiue aer inter ipſos panes, ne mucidi efficerẽtur: erántque veluti operimentũ ipſis panibus. Dictio vero MENAKIOTH, pro qua vertimus crateres, interpres autem cyathos, ſignificat קְשׂוֹת מְנַקִּיֹּת

crateres quibus panes tegebantur: vt KESOTH opercula thuris: aut contrá. nam ordo horum vaſorum eſt incertus.

Panes facierum. PANES propoſitionis.) panes facierum. Sic dicuntur, quòd ſemper eſſent in facie & conſpectu Domini.

Facies & candelabrum 'ductile de auro mundiſſimo, haſtile eius, & calamos, 'ſcyphos & ſphærulas, ac lilia 'ex ipſo procedentia. Sex calami egredientur 'de lateribus, tres ex vno latere, & tres ex altero. 'Tres ſcyphi quaſi in nucis modum per calamos ſingulos, ſphærulǽq; ſimul, & lilia: & tres ſimiliter ſcyphi inſtar nucis in calamo altero, ſphærulǽque ſimul & lilia. hoc erit opus ſex calamorum, qui producendi ſunt de haſtili. 'In ipſo autem candelabro erunt 'quatuor ſcyphi in nucis modũ, ſphærulǽque per ſingulos, & lilia. Sphærulæ ſub duobus calamis per tria loca, qui ſimul ſex fiunt procedentes de haſtili vno. Et ſphærulæ igitur & calami 'ex ipſo erunt. vniuerſa ductilia de auro puriſſimo. Facies & 'lucernas ſeptem, & pones eas ſuper candelabrum, 'vt luceant ex aduerſo. Emunctoria quoque, & vbi quæ emuncta ſunt extinguantur, fiant auro puriſſimo. Omne pondus candelabri cum vniuerſis vaſis ſuis habebit 'talentum auri

Hebr. 8. b. act. 7. f. puriſſimi.‖'Inſpice, & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.

DVCTILE) opere ductili. quaſi dicat, malleo fiet, non fuſione. Alii vertunt, opere integro fiet: eadem ſententia. volunt enim candelabrum fuiſſe factum, nõ ex diuerſis partibus in vnum coagmentatis: verum ex craſſo ſtipite, malleis producebantur calami, ſcyphi &c.

SCYPHOS) Vel, calices. Intelligit partes quaſdam extantes, quæ calicis formam habebant.

EX ipſo procedentia.) ex ipſo erunt. Vel, fient. Id eſt, ex eadẽ materia, & nõ ex alia. malleo enim ex ipſo trunco & ſtipite formabantur omnia.

DE lateribus,) Hebraice additur EIVS, ſcilicet candelabri.

TRES ſcyphi quaſi &c. In ipſo) Tres calices in ſpeciẽ nucis amygdalinæ deformati erunt in calamo vno, cum ſphærula & flore: tres item ſcyphi in ſpeciem amygdali deformati in calamo altero, cũ ſphærula & flore: ſic de ſex calamis qui egrediuntur ex candelabro. Subaudi, dicendum eſt.

IN ipſo autem candelabro) Id eſt, in haſtili candelabri, & trunco.

QVATVOR ſcyphi in &c. Et ſphærulæ) quatuor calices in amygdali formã deformati, cũ ſphærulis & floribus ſuis. Eritq; ſphærula vna ſub duobus calamis ex ipſo, ſphærula itẽ erit ſub duobus calamis ex ipſo, ſphærula poſtremo ſub duobus calamis ex ipſo: ſub ſex calamis exeuntibus de candelabro. Et ſphærulæ &c. Id eſt, ſub ſingulis duobus calamis erit ſphærula vna. Hoc eſt, ſphærula prima erit ſub

duobus primis calamis qui vtrinque ex ipſo ſunt candelabro: id eſt, ex eadẽ materia candelabri deinde alia ſphærula erit ſub duobus ſecundis calamis, qui vtrinque ex ipſo ſunt. poſtremo, ſphærula vna erit ſub duobus poſtremis calamis, qui vtrinque ſunt ex ipſo candelabro, ex eadémque candelabri materia. atque ita fiet vt ſint ſub ſex calamis de candelabro procedentibus.

EX ipſo erunt.) Id eſt, egredietur ex ipſo candelabro. Vel, ex eadem candelabri materia erunt. malleo enim ex ipſo trunco producuntur.

LVCERNAS) Codex Hebræus addit EIVS.

VT luceant ex aduerſo.) vt luceant ad latus faciei eius. Hebraiſmus, pro, vt verſus eam partem lumen emittant, ad quam verſum erit candelabrum.

TALENTVM) Hebraice talentum dicitur CHICHAR. continet autem vulgare talentum ſexaginta libras: illud autem quo in templo vtebantur, duplum erat ad prophanum. כִּכָּר

INSPICE, & fac) Vide igitur vt facias.

CAP. XXVI.

T'ABERNACVLVM verò ita facies, Decẽ cortinas de byſſo retorta, & hyacintho, ac purpura, coccóque bis tincto, variatas opere plumario facies. Longitudo cortinæ vnius habebit vigintiocto cubitos: latitudo, quatuor cubitorum erit. vnius menſuræ fient 'vniuerſa tentoria. Quinque cortinæ ſibi iungentur mutuò, & aliæ quinque nexu ſimili cohærebunt. 'Anſulas hyacinthinas in lateribus ac ſummitatibus facies cortinarum, vt poſſint inuicẽ copulari. Quinquagenas anſulas cortina habebit in vtraque parte, ita inſertas, vt anſa contra anſam veniat, & altera alteri poſſit adaptari. Facies & quinquaginta 'circulos aureos quibus cortinarum vela iungenda ſunt, vt vnum tabernaculum fiat.

TABERNACVLVM vero, &c. Longitudo) Tabernaculum autem facies ex decem cortinis, ex byſſo retorta, & hyacintho, ac purpura, coccóque bis tincto: cherubim opere artificis peritiſſimi facies eas. Id eſt, eas cortinas, ſiue ea aulæa, ſparges imaginibus alatis, vius opera artificis peritiſſimi. Per hyacinthum intellige pannum tinctum colore hyacinthino. Coccum bis tinctum, vel ſericum coccineum. Tabernaculum dicitur Hebraice MISCAN. Tabernaculũ מִשְׁכָּן

VNIVERSA tentoria.) vniuerſæ cortinæ ſiue vniuerſa aulæa.

ANSVLAS hyacinthinas &c Facies) Quinquaginta laqueolos facies in cortina vna, quinquaginta præterea laqueolos facies in extremitate cortinæ quæ ſecundo loco eſt coniungenda: vt ſcilicet laqueoli illi mutuo ſibi reſpondeant. Facies &c. Id eſt, quinquaginta laqueolos facies in prima, & totidem in ſecunda. Vocamus Gallice Laſſez. Non male vertit interpres anſulas.

CIRCVLOS aureos quibus cortinarum vela iungenda ſunt,) vncinos aureos, quibus cortinæ inuicem iungendæ ſunt.

'Facies & ſaga cilicina vndecim, ad operiendũ tectum tabernaculi. Longitudo ſagi vnius habebit triginta cubi

tos: & latitudo, quatuor: æqua erit menſura ſagorum omniū. E quibus quinque iunges ſeorſum, & ſex ſibi mutuò copulabis, ita vt ſextum ſagum in fronte tecti duplices. Facies & quinquaginta 'anſas in ora ſagi vnius, vt coniūgi cum altero queat: & quinquaginta anſas in ora ſagi alterius, vt cū altero copuletur. Facies & quinquaginta 'fibulas æneas quibus iungātur anſæ, vt vnum ex omnibus operimentum fiat. 'Quod autem ſuperfuerit in ſagis quæ parantur tecto, id eſt, vnum ſagum quod amplius eſt, ex medietate eius operies poſteriora tabernaculi. Et cubitus ex vna parte pendebit, & alter ex altera qui plus eſt in ſagorum longitudine, vtrunque latus tabernaculi protegens.

FACIES & ſaga cilicina vndecim, ad operiendum tectum tabernaculi.) facies & vndecim cortinas (ſiue aulæa) ex pilis caprarum, in operimentum ſuper tabernaculum. Id eſt, quibus tegetur tabernaculum. Operimentum dicitur Hebraice OEL. אֹהֶל

ET ſex ſibi mutuò copulabis, ita vt ſextū ſagum in fronte tecti duplices.) & ſex ſeorſum: & duplicabis ſextam (ſub. cortinam) verſus faciem tabernaculi. Per faciem tabernaculi intelligit anteriorem partem tabernaculi.

ANSAS in ora ſagi &c. Facies) laqueolos in ora cortinæ vnius, in ora extrema quæ coniungenda eſt alteri: & quinquaginta laqueolos in extremitate cortinæ alterius quæ iungenda eſt cum altera. Facies &c.

FIBVLAS æneas quibus iungantur anſæ,) vncinos æneos, & induces vncinos in laqueolos.

QVOD autem &c. Facies) Quod autem ſuperfuerit in cortinis tabernaculi, nempe dimidium cortinæ quæ ſupereſt, redundabit (vel extendetur) ſuper poſteriora tabernaculi. Et cubitus hinc & illinc qui ſupereſt in lōgitudine cortinarum tabernaculi, redundabit (vel extendetur) ſuper latera tabernaculi hinc & illinc, vt cooperiat illud. Facies &c. Id eſt, longius cubitis duobus extendetur quàm cortina prior quæ XXVIII cubitos habebat. hæc enim XXX cubitos habet. Poſteriora tabernaculi vocat alteram partē quæ à tergo eius partis eſt quam reſpicis.

Facies & operimentū aliud 'tecto de pellibus arietum rubricatis: & ſuper hoc rurſum aliud operimentum 'de hyacinthinis pellibus. Facies & tabulas ſtantes tabernaculi de lignis ſetim, quæ ſingulæ denos cubitos in longitudine habeāt, & in latitudine ſingulos ac ſemiſſem. 'In lateribus tabulæ, duæ incaſtraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur: atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur. Quarum viginti erunt in latere

Meridiano quod vergit ad Auſtrum. 'Quibus quadraginta baſes argenteas 'fundes,'vt binæ baſes ſingulis tabulis per duos angulos ſubiiciantur. In latere quoque ſecundo tabernaculi quod vergit ad Aquilonem, viginti tabulæ erunt, quadraginta habentes baſes argenteas. binæ baſes ſingulis tabulis ſupponentur. Ad Occidentalem verò plagam tabernaculi facies ſex tabulas,'& rurſum alias duas quæ in angulis erigantur poſt tergum tabernaculi. Erúntque ſibi côiunctæ à deorſum vſque surſum, & vna omnes compago retinebit. 'Duabus quoq; tabulis quæ in angulis ponēdæ ſunt, ſimilis iunctura ſeruabitur. Et erūt ſimul tabulæ octo, baſes earū argenteæ ſedecim,'duabus baſibus per vnam tabulam ſupputatis.

TECTO) ſuper ipſum tabernaculum.

DE hyacinthinis pellibus.) ex pellibus taxorum ſupremum. Vel, deſuper. Hebraice ſcribitur Thaſorum. Alii vertunt, ex pellibus coloris violacei.

IN lateribus tabulæ, &c. Quarum) Duos cardines habebit vnaquæque tabula, inſtar graduū ſcalæ diſpoſitos, alter è regione alterius. ſic facies in omnibus tabulis tabernaculi. Quarum &c. Id eſt, Duo illi cardines qui erunt in extremitate tabularum, erunt veluti duo parui vectes, qui præ ſe ferent figuram ſcalarum. Cardines hîc vocat quod nos Galli, Le tenon qui ſe met en vne mortaiſe.

QVIBVS quadraginta) Quibus viginti tabulis quadraginta &c.

FVNDES,) facies.

VT binæ baſes ſingulis tabulis per duos angulos ſubiiciantur,) vt binæ baſes ſint ſub tabula vna in duobus cardinibus eius: & duæ baſes ſub tabula alia in duobus cardinibus eius.

ET rurſum alias &c. Duabus) & rurſum alias duas pro angulis tabernaculi in latere illo Occidentali. Erűntque coniunctæ à deorſum vſque ſurſum vno circulo. Duabus &c. In veteribus ſcriptis codicibus S. Dionyſii & Germani, non legitur SIBI.

DVABVS quoque tabulis quæ in angulis ponendæ ſunt, ſimilis iunctura ſeruabitur.) Sic erit de duabus illis tabulis quæ ponentur in angulis.

DVABVS baſibus per vnam tabulam ſupputatis.) duabus baſibus vnicuique tabulæ ſuppoſitis.

Facies & vectes de lignis ſetim quinque ad continendas tabulas in vno latere tabernaculi, & quinque alios in altero, & eiuſdem numeri ad Occidētalem plagam: 'qui mittentur per medias tabulas à ſummo vſque ad ſummum. Ipſas quoque tabulas deaurabis, & 'fundes in eis annulos aureos per quos vectes tabulata contineant,'quos operies laminis aureis. Et eriges tabernacu-

f.24.c. lum 'iuxta exemplar quod tibi in Monte mõſtratũ eſt.

QVI mittentur per medias tabulas à ſummo vſque ad ſummum.) Et vectis medius qui eſt in medio tabularum, traiicietur ab extremitate ad extremitatem. Id eſt, per totam illam compagem traiicietur.

FVNDES in eis) facies pro eis.

QVOS operies) ipſóſque vectes operies.

IVXTA exemplar quod tibi) iuxta diſpoſitionem eius, vt tibi &c.

Facies & velum de hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto, & byſſo retorta, 'opere plumario, & pulchra varietate contextum: quod appendes 'ante quatuor columnas de lignis ſetim, quæ ipſæ quidẽ deauratæ erunt, & habebunt 'capita aurea, ſed baſes argenteas.

OPERE plumario, & pulchra varietate contextum:) opere artificis doctiſſimi facies illud, cherubim. Hebraiſmus eſt, pro, Artifex peritiſſimus ſparget illud magna induſtria imaginibus alatis, formam pueri habentibus.

ANTE quatuor columnas) ſuper quatuor columnas. Vel, contra, aut iuxta quatuor columnas.

CAPITA aurea, ſed baſes argenteas.) capitella aurea, ſed baſes argenteas quatuor.

'Inſeretur autem velum per circulos, intra quod pones arcam teſtimonii, 'quo & Sanctuarium, & Sanctuarii ſanctuaria diuidentur. Pones & 'propitiatorium ſuper arcam teſtimonii 'in Sancta ſanctorum: menſámque extra velum: & contra menſam candelabrum in latere tabernaculi Meridiano: menſa enim ſtabit in parte Aquilonis.

INSERETVR autem velum per circulos,) Pones autem velum ſub vncinis. Id eſt, appendes vncinis, vel facies vt pendeat ab vncinis.

QVO & Sanctuarium, & Sanctuarii ſanctuaria diuidentur,) quo velo & Sanctuarium ſeparabitur à Sancto ſanctorum. Id eſt, à ſacrario illo ſanctiſſimo.

PROPITIATORIVM) cooperimentum. Vide de hoc annotationem, capite XXV huius, fere in principio.

IN Sancta ſanctorum:) in Sancto ſanctorum.

'Facies & tentoriũ in introitu tabernaculi de hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto, & byſſo retorta, opere plumarii. 'Et quinque columnas deaurabis lignorũ ſetim, ante quas ducetur tentorium, quarum erunt capita aurea, & baſes æneæ.

FACIES & tentorium in introitu tabernaculi) Facies & velum pro oſtio tabernaculi. Subaudi, exteriore.

ET quinque columnas &c.) Facies inſuper ipſi velo (id eſt, pro velo ſuſtinendo) quinque columnas de lignis ſetim, quas operies auro: quarũ erunt capitella aurea, & baſes æneæ quinque fundentur illis.

CAP. XXVII.

FACIES & altare de lignis ſetim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, id eſt quadrũ, & tres cubitos in altitudine. Cornua autem per quatuor angulos 'ex ipſo erunt: & operies illud ære. Faciéſque in vſus eius 'lebetes ad ſuſcipiendos cineres, '& forcipes atque fuſcinulas, & ignium receptacula. omnia vaſa ex ære fabricabis. 'Craticulámq; in modum retis æneam: per cuius quatuor angulos erũt quatuor annuli ænei, 'quos pones ſubter arulam altaris: eritque craticula vſque ad altaris medium. Facies & vectes altaris de lignis ſetim 'duos, quos operies laminis æneis: & induces per circulos, 'eruntque ex vtroque latere altaris 'ad portandum.‖Non ſolidum, ſed inane & cauum intrinſecus facies illud, ſicut tibi in Monte monſtratum eſt. E.10.d.

EX Ipſo erunt:) Id eſt, ex eadẽ materia, & ex eodem ligno, nõ aliunde aſſuta:

LEBETES) ollas.

ET forcipes atque fuſcinulas, & ignium receptacula.) & palas eius, pelues, fuſcinulas, pateráſque eius. Quidam pro palas, vertunt ſcopas. erat autem inſtrumẽtum quo cinis remouebatur. Fuſcinula verò, inſtrumentum dentes recuruos habens, quo caro ex olla extrahebatur. Poſtremo, patera erat vas patens in quo carbones recipiebantur. Palæ. Fuſcinula. Patera.

CRATICVLAMQVE) Vel, Rete.

QVOS pones ſubter arulam altaris: eritque craticula vſque ad altaris mediũ.) ponéſque rete illud ſub ambitu altaris inferne: ipſumque rete perueniet vſque ad altaris medium.

DVOS,) Hæc dictio Hebraice non legitur hoc loco.

ERVNTQVE) Ex Hebræo addendum VECTES.

AD portandum. Non ſolidũ, ſed inane & cauum intrinſecus facies illud,) dũ portabitur. Concauum ex tabulis facies illud.

Facies & atrium tabernaculi, in cuius Auſtrali plaga 'contra Meridiem erunt tentoria de byſſo retorta: centum cubitos vnum latus tenebit in longitudine. Et columnas viginti 'cum baſibus totidem æneis, quæ 'capita cum cælaturis ſuis habebunt argentea. Similiter & in latere Aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum, columnæ viginti, & baſes æneæ eiuſdem numeri, & capita earum cum cælaturis ſuis argẽtea. In la-

titudine verò atrii quod reſpicit ad Occidentem erunt 'tentoria per quinquaginta cubitos,& columnæ decem, baſéſque totidem. In ea quoque atrii latitudine quæ reſpicit ad Orientem,quinquaginta cubiti erũt,in quibus quindecim cubitorum tentoria 'lateri vno deputabuntur,columnáque tres & baſes totidem: &'in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, colũnæ tres,& baſes totidem.In introitu verò atrii fiet 'tentorium cubitorũ viginti ex hyacintho & purpura, coccóque bis tincto, & byſſo retorta, opere'plumarii. 'columnas habebit quatuor, cum baſibus totidem. Omnes columnæ atrii per circuitum veſtitæ erunt argenteis laminis,'capitibus argenteis,& baſibus æneis. In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine 'quinquaginta,'altitudo quinque cubitorum erit: 'fiétq; de byſſo retorta, '& habebit baſes æneas. Cuncta vaſa tabernaculi in omnes vſus '& ceremonias tam 'paxillos eius quàm atrii,ex ære facies.

CONTRA meridiem erunt tentoria) Aut,verſus meridiem erunt cortinæ.

CVM baſibus) In Hebræo additur pronomen EARVM.

הַשׁוּק CAPITA cum cælaturis ſuis) capitella cũ zonis ſuis. Hebraica vox HASVC, pro qua cælaturas vertit interpres, ſignificat circulos & alia ornamenta quæ per gyrum ambiunt columnas,velut circulus doliatis.

TENTORIA per quinquaginta cubitos,) cortinæ quinquaginta cubitorum.

LATERI vno) Subaudi,oſtii:vel,ingreſſus atrii.

IN latere altero) Subaudi,oſtii:vel,ingreſſus,vt ſuprà.

TENTORIVM) aulæum aut velum.

PLVMARII.) Vel,phrygionis aut acupictoris.

COLVMNAS habebit quatuor,) columnæ earum quatuor. Subaudi, cortinarum,ex quibus tentorium viginti cubitorum erit concinnatum.

CAPITIBVS argenteis,) capitellis argenteis.

QVINQVAGINTA,) quinquaginta in quinquaginta. Id eſt, Latitudo erit per omnia æqualis in vtroque latere.

ALTITVDO) Subaudi,cortinarum.

FIETQVE de byſſo retorta,) ex byſſo retorta.ſubaudi, erunt columnæ illæ.

ET habebit baſes æneas.) & baſes earũ(Sub.columnarũ quatuor)æneæ erunt.

ET ceremonias) Hæc verba Hebraice hoc loco non leguntur.

Paxilli. PAXILLOS) Paxilli erant veluti claui quibus affigebantur cortinæ illæ,ne à vento agitatæ,dimouerentur.

'Præcipe filiis Iſrael vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarũ puriſſimũ,'pilóq; cõtuſum: 'vt ardeat lucerna ſemper 'in tabernaculo teſtimonii, extra velũ quod

'oppanſum eſt teſtimonio. Et 'collocabunt eā Aaron & filii eius, vt vſque mane luceat coram Domino. Perpetuus erit cultus per ſucceſſiones eorū 'coram filiis Iſrael.

PRAECIPE filiis) Præcipe autem filiis.

PILO QVE contuſum:) Addendum ex Hebræo, pro luminari.

VT ardeat lucerna ſemper) ad accendēdas lucernas iugiter. Id eſt, ſingulis noctibus: vt ipſe poſtea exponit quum ait, Vt vſque mane luceat coram Domino. Interdiu enim erant extinctæ.

IN tabernaculo teſtimonii,) in tabernaculo conuentionis. ſiue congreſſus, aut cōgregationis. Vox Hebræa MOEED dicitur à cōueniendo, eo quòd illuc cōueniret Deus, vt loqueretur Moyſi & ſucceſſoribus eius: vt capite 25.b, Deus ipſe exponit quare ita ſit appellatū. ait enim, Et conueniam tecum illuc. Pro quo noſter interpres vertit, Inde præcipiam tibi. Item Nume. 17.b, Coram teſtimonio, vbi conueniam vobiſcum. pro quo interpres vertit, Vbi loquar ad te. Alii vertunt, In tabernaculo fœderis: quòd illic Deus dabat hominibus reſponſa. מוֹעֵד Tabernaculū teſtimonii, cōuentionis, vel fœderis.

OPPANSVM eſt teſtimonio.) Quidam dicunt hîc ſubintelligendum eſſe vocem ARCA, hoc modo, Quod oppanſum eſt arcæ teſtimonii.

COLLOCABVNT eā) Singulare pro plurali, Collocabunt eas. Sub. lucernas.

CORAM filiis Iſrael.) apud filios Iſrael. Id eſt, perpetuum hoc erit ſtatutum Iſraelitis. Vetera exemplaria ſcripta Latina S. Dionyſii & Germani, admonente Sorbonico Correctorio, legunt A filiis Iſrael.

CAP. XXVIII.

A'PPLICA quoq; ad te Aaron fratrē tuū cum filiis ſuis de medio filiorū Iſrael, vt ſacerdotio fungantur mihi: Aaron, Nadab & Abiu, Eleazar, & Ithamar. Faciéſque 'veſtē ſanctā Aaron fratri tuo 'in gloriam & decorē. Et loquêris cunctis 'ſapientibus corde, quos repleui Spiritu 'prudentiæ, vt faciant veſtes Aaron 'in quibus ſanctificatus miniſtret mihi. Hæc autem erunt veſtimenta quæ facient, 'Rationale & ſuperhumerale, 'tunicam & 'lineam ſtrictam, 'cidarim & baltheum. Facient veſtimenta ſancta fratri tuo Aaron & filiis eius, vt ſacerdotio fungantur mihi. Accipiéntque aurum & hyacinthū & purpuram, coccúmq; bis tinctū, & byſſum:

APPLICA) Accedere fac.

VESTEM ſanctam) veſtes ſanctas.

IN gloriam & decorem.) Id eſt, ad ornamentum.

SAPIENTIBVS corde,) Hebraiſmus eſt, pro, peritis artificibus. Sapientes corde.

PRVDENTIAE,) ſcientiæ.

IN quibus ſanctificatus miniſtret mihi.) ad ſanctificandū eum, vt miniſtret mihi. Id eſt, ad ſeparandum & dedicandum eum, vt agat ſacerdotem apud me. Sanctificare.

RATIONALE) Pectorale.

TVNICAM) Vel, pallium.

LINEAM ſtrictā,) Vel, tunicā ocellatā. Id eſt, opere phrygionico quibuſdam

veluti ocellis intextam.

CIDARIM) Vel, pileum. ſeu vittam quæ capiti circunuoluitur.

Facient autem ſuperhumerale de auro & hyacintho & purpura, coccóque bis tincto, & byſſo retorta, opere polymito. Duas oras iunctas habebit in vtroque latere ſummitatum, vt in vnum redeant. Ipſa quoque textura, & cuncta operis varietas erit ex auro & hyacintho & purpura, coccóque bis tincto, & byſſo retorta. Suméſque duos lapides onychinos, & ſculpes in eis nomina filiorum Iſrael: ſex nomina in lapide vno, & ſex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum. Opere ſculptoris & cælatura gemmarii, ſculpes eos nominibus filiorum Iſrael, incluſos auro atque circundatos, & pones in vtroq; latere ſuperhumeralis, memoriale filiis Iſrael. Portabítque Aaron nomina eorum coram Domino ſuper vtrunque humerum, ob recordationem.

Sapient. 18. d.

OPERE polymito.) opere ingenioſi artificis.

DVAS oras iunctas habebit in vtroque latere ſummitatum, vt in vnum redeant.) Duo latera coniuncta erũt illi in extremitatibus eius: & ita coniũgetur.

IPSA quoque textura, & cuncta operis varietas erit ex auro). Et textura (ſiue artificium ipſius ſuperhumeralis) quæ ſuper ipſum eſt, eodem opere fieri debet. Id eſt, Ex eodem panno, & ex eadem materia erit. Gallice, La bordure.

OPERE ſculptoris & cælatura gemmarii, ſculpes eos nominibus filiorũ Iſrael,) Opere artificis lapidum, ſculpturis ſigilli ſculpes eos nominibus filiorum Iſrael. Artificem lapidum vocat gemmariũ. Sculpturæ ſigilli, id eſt quibus vti ſolent in annulis. Hoc eſt, curabis vt gemmarius ſculptura qua ſolet vti in annulis, ſculpat in illis lapillis nomina filiorum Iſrael.

Artifex lapidum.

MEMORIALE filiis Iſrael.) Id eſt, qui reuocabũt in memoriam Deo vel Aaroni, filios Iſrael. ſequitur enim, Portabit nomina eorum coram Domino ob recordationem, vel ad memoriam.

Facies & vncinos ex auro, & duas catenulas auri puriſſimi ſibi inuicẽ cohærentes, quas inſeres vncinis. Rationale quoque iudicii facies opere polymito iuxta texturam ſuperhumeralis ex auro, hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto, & byſſo retorta. Quadrangulum erit & duplex: menſuram palmi habebit tam in longitudine quàm in latitudine. Ponéſque in eo quatuor ordines lapidum. in primo verſu erit lapis ſardius, & topazius, & ſmaragdus. in ſecundo: carbunculus, ſapphirus, & iaſpis. in tertio: ligurius, achates, & amethyſtus. in quarto:

chryſolithus, onychinus, & 'beryllus. incluſi auro erunt 'per ordines ſuos. 'Habebúntque nomina filiorũ Iſrael: duodecim nominibus celabuntur, ſinguli lapides nominibus ſingulorum per duodecim tribus.

FACIES & vncinos ex auro,) facies itaque palas aureas. Hebraice, incluſoria erant quibus includebantur lapilli illi. Eſt autem recapitulatio eorum lapidum de quibus iam dixerat.

SIBI inuicem cohærentes, quas inſeres vncinis.) definitæ magnitudinis, ex opere intorto: & inſeres catenas illas intortas palis illis. Definitæ magnitudinis catenas vocat breues. Definita magnitudo.

RATIONALE quoque iudicii facies opere polymito) Pectorale quoque iudicii facies opere artificis. Dicebatur pectorale iudicii, quòd ſacerdos nunquam dicebat ius in re graui, niſi quum habebat pectorale ſuper pectus collocatum. Quidam dicunt, Pectorale iudicii ideò dici, quòd contineret iudicium & ſententiam Dei, quæ erat vt ſummus ſacerdos eſſet ornatus eruditione ſumma & doctrina, morúmque integritate abſolutiſſima. Hoc enim ſignificabant voces illæ VRIM & 'THVMMIM, quæ intra pectorale erant. Nam VRIM, id eſt illuminationes, ſignificabant doctrinam ſanctam, quæ eſt vitæ noſtræ verum lumen: & THVMMIM, perfectiones, id eſt ſingularem morum integritatem. Vocem Hebræam HOSEN verterunt LXX λογεῖον, quos ſecutus noſter interpres, vertit rationale. λογεῖον enim nomen habet ἀπὸ τοῦ λόγου, id eſt à ratione. Videtur autem rationale & Græcis & Latinis ita dictum, quòd contineret quæ ſumma prudentia & exacta ratione conſyderanda erant à ſummo pontifice, nempe VRIM & THVMMIM, & nomina filiorum Iſrael. Pectorale iudicii. חֹשֶׁן

LIGVRIVS,) Plinius lib. 37. cap. 3. vocat lyncurium, quæ gemma eſt è lyncis vrina coacta.

BERYLLVS.) iaſpis.

PER ordines ſuos.) in repletionibus ſuis. Id eſt, in palis quas replent.

HABEBVNTQVE nomina &c.) Erúntque lapilli illi iuxta nomina filiorum Iſrael: duodecim ſcilicet iuxta nomina illorum: in modum ſigilli, ſculpti erant ſinguli nominibus ſuis iuxta duodecim tribus. Iuxta (inquit) nomina illorum: id eſt, erunt totidem quot nomina patriarcharum. Iuxta nomina illorum.

'Facies in rationali catenas ſibi inuicem cohærentes ex auro puriſſimo: & duos annulos aureos quos pones in vtraque 'rationalis ſummitate: catenáſq; 'aureas 'iunges annulis qui ſunt in marginibus eius: & 'ipſarum catenarum extrema 'duobus copulabis vncinis in vtroque latere ſuperhumeralis quod rationale reſpicit. Facies & duos annulos aureos quos pones 'in ſummitatibus rationalis, in oris quæ è regione ſunt ſuperhumeralis, & poſteriora eius aſpiciũt. Necnon & alios duos annulos aureos 'qui ponendi ſunt in vtroque latere ſuperhumeralis deorſum, 'quod reſpicit contra faciem iuncturæ inferioris, vt aptari poſſit cum ſuperhumerali, & ſtringatur

rationale annulis ſuis cum annulis ſuperhumeralis vitta hyacinthina, 'vt maneat iunctura fabrefacta, & à ſe inuicem rationale & ſuperhumerale nequeant ſeparari.

Catenæ termini.

FACIES in rationali catenas ſibi inuicē cohærentes) Facies in pectorali catenas termini, opere tortili. De ſumma parte pectoralis loquitur. Catenas termini vocat terminatas & præfinitæ magnitudinis. Opus tortile, quale eſt funium.

RATIONALIS ſummitate:) pectoralis extremitate.

AVREAS) Hebraice additur TORTILES.

IVNGES annulis) inſeres in duos annulos. Vel, circulos.

IPSARVM catenarum) ipſarum duarum catenarum.

DVOBVS copulabis vncinis in vtroque latere ſuperhumeralis quod rationale reſpicit.) inſeres duobus vncinis: poneſque in lateribus ipſius ſuperhumeralis eregione faciei eius, id eſt in parte anteriore. Vncinos intelligit qui adhærent palis duorum lapidum onychinorum.

IN ſummitatibus rationalis, in oris quæ eregione ſunt ſuperhumeralis, & poſteriora eius aſpiciunt.) in duobus extremis ipſius pectoralis, in labio ſcilicet eius quod eſt in latere ſuperhumeralis intrinſecus. Id eſt, in parte interna quæ contingit ſuperhumerale. Labium vocat oram, vel extremum.

QVI ponendi ſunt) quos pones.

QVOD reſpicit contra faciem iuncturæ inferioris, vt aptari poſſit cum ſuperhumerali, & ſtringatur rationale &c.) in anteriore parte, eregione vtriuſque iũcturæ eius, ſupra cingulum ſuperhumeralis. Et coniungēt pectorale &c. Cũ iuncturam dicit, ſingulare eſt pro plurali. eæ erant in lateribus ſuperhumeralis.

VT maneat iunctura fabrefacta,) vt ſcilicet ſit ſupra cingulum ipſius ſuperhumeralis.

Portabítque Aaron nomina filiorum Iſrael 'in rationali iudicii ſuper pectus ſuum, quando ingredietur Sanctuarium, memoriale coram Domino in æternum. 'Pones autem in rationali iudicii Doctrinam & Veritatem, quæ erunt 'in pectore Aaron quando ingredietur coram Domino: & geſtabit 'iudicium filiorum Iſrael in pectore ſuo, in conſpectu Domini 'ſemper.

IN rationali iudicii) in pectorali iudicii.

אוּרִים תֻּמִּים

PONES autem in rationali iudicii Doctrinam & Veritatem,) Pones quoque in pectorali iudicii Vrim & Thummim. Chaldæ[a] paraphraſtes integra reliquit vocabula Vrim & Thummim. LXX interpretati ſunt, Declarationem & Veritatem. Intra pectorale erat ſcriptura quædam quæ complectebatur nomen Dei tetragrammaton יהוה quæ dicebatur Vrim & Thummim. Hoc autē nomē יהוה, trinitatis myſteriũ continet, vt veteres Iudæi qui CHRISTVM præceſſerũt, dixere in ſuis traditionibus. nam per י, intelligitur pater qui eſt principium & origo omniũ rerum. Per ה, filius per quē omnia quæ facta ſunt, eſſe cœperunt. Per ו, quæ eſt coniunctio copulatiua, intelligitur Spiritus ſanctus: qui eſt amor & nexus vtriuſque qui ab vtroq; procedit. Geminatur autem ה propter duplicem naturam quæ eſt in CHRISTO. per primum ה, natura diuina intelligitur: per ה poſtremũ natura humana. Hoc nomen יהוה dicebatur Hebræis שם המפורש Id eſt, nomen expoſitum ſiue declaratum: aut nomen quod exponitur. Exponebatur enim ab eis per nomen duodecim literarum אב בן ורוח הקדש, Hoc eſt, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Item per nomen quadraginta duarũ

literarum אב אלהים בן אלהים רוח הקדש אלהים שלשה באחד אחד בשלשה Id eſt, Pater Deus eſt, Filius Deus eſt, Spiritus ſanctus Deus eſt: tres in vno (hoc eſt in vna ſubſtantia) vnum in tribus, (id eſt vna eſſentia.) Hæc autem ſcriptura nominis Dei יהוה dicebatur Vrim & Thummim, id eſt, illuminationes & perfectiones, quòd ex huius trinitatis intellectu, mens illuminetur & perficiatur. Hæc ferè ex Rabbi Salomone magni nominis viro apud Iudæos: inter quos non deſunt Rabbini etiam docti, qui quid ſit Vrim & Thummim, ingenue fateantur ſe ignorare. Quidam exiſtimant VRIM & THVMMIM, quæ (vt dictum eſt) ſignificant illuminationes & perfectiones, hoc eſt, ſummam illuminationem & perfectionem: ideo Dominum iuſſiſſe inſcribi pectorali, vt admoneretur ſummus ſacerdos, oportere eum eſſe ſumma doctrina præditum, qui lumen & illuminatio ſæpe in ſcripturis dicitur: & morum ſumma integritate.

IN pectore) ſuper pectus.

IVDICIVM) Hîc iudiciũ, pro pectorali iudicii accipitur. Vel potius iudiciũ, pro memoriali ponitur: quo reuocabat filios Iſrael Deo in memoriam. Iudicium.

SEMPER.) Id eſt, quotieſcunque ingredietur tabernaculum.

Facies & 'tunicam ſuperhumeralis totam hyacinthinam, 'in cuius medio ſuprà erit capitium, & ora per gyrum eius textilis, ſicut fieri ſolet 'in extremis veſtiũ partibus, ne facilè rumpatur. 'Deorſum verò ad pedes eiuſdem tunicæ per circuitum quaſi mala punica facies ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, '& byſſo retorta, miſtis in medio tintinnabulis, ita vt tintinnabulũ 'ſit aureum & malum punicum: 'rurſúmq; tintinnabulũ aliud aureum & malum punicum. ¶Et veſtietur ea Aaron in officio miniſterii, vt audiatur ſonitus quando ingreditur '& egreditur Sanctuarium in conſpectu Domini, '& non moriatur. Eccli 45.b.

TVNICAM ſuperhumeralis) Vel, pallium ſuperhumeralis. Id eſt, quod ſuberat ſuperhumerali.

IN cuius medio ſupra erit capitium) in cuius ſummæ partis medio foramẽ erit. Per quod ſcilicet caput immittatur.

IN extremis veſtium partibus,) in extremis loricæ partibus.

DEORSVM verò ad pedes eiuſdem tunicæ per &c) In fimbriis etiam eius per circuitum &c.

ET byſſo retorta,) Hæc verba Hebraice non leguntur, neque in Latinis veteribus codicibus S. Dionyſii oblongo & lato, & S. Germani lato, neque in editione Baſilienſi.

SIT aureum & malum punicum:) aureum priore loco ponatur, deinde malum punicum.

RVRSVMQVE tintinnabulum aliud aureum & malum punicum.) Poſt hæc verba legitur in codice Hebræo, in fimbriis pallii in circuitu.

ET egreditur Sanctuariũ in conſpectu Domini,) in Sanctuarium in conſpectum Domini, & quando egreditur.

ET non moriatur.) Hebraiſmus eſt, pro, vt non moriatur.

Facies & laminam de auro puriſſimo: in qua ſculpes

'opere cælatoris, Sanctum Domino. Ligabíſque eam vitta hyacinthina,'& erit ſuper tiaram,'imminens fronti pontificis.'Portabítque Aaron iniquitates eorum,quæ obtulerunt & ſanctificauerunt filii Iſrael,in cunctis muneribus & donariis ſuis. Erit autem lamina ſemper in fronte eius,'vt placatus ſit ei Dominus.

Sanctitas Domini eſt.. Sculpturæ annuli.

OPERE cælatoris, Sanctum Domino,) ſculpturis annuli, Sanctitas Domini eſt.Id eſt,Sanctitas decet Dominum.Hoc eſt,ſancte colendus eſt Deus. Verti poteſt,Sanctitas Domino eſt.Id eſt, Deus ſanctiſſimus eſt . Sculpturas annuli vocat explanatas,quæ facile legi poſſint.

ET erit) Vel,vt ſit.

IMMINENS fronti pontificis.) in parte anteriore eius.Subaudi, tiaræ. Vel, ex aduerſo faciei eius.

Iniquitas ſanctificationū.

PORTABITQVE &c.Erit autē) & hæc erit in fronte Aaron,vt portet iniquitatem ſanctificationū quas ſanctificabunt Iſraelitæ in omnibus muneribus ſanctificationum ſuarum.Id eſt,tollet iniquitatem quam admittere poſſent Iſraelitæ in ſanctificationibus ſuis:hoc eſt,in oblationibus ſuis ſanctis, & in omnibus aliis donis,ſiquid peccent,non rite offerendo,aut ea offerendo quæ offerri non debēt, condonabitur eis propter ſacerdotē ſummū,qui CHRISTVM repræſentabat.

VT placatus ſit ei Dominus.) ad beneplacitum eis coram Domino. Hebraiſmus,Vt ipſos reconciliet Domino.

'Stringéſque tunicam byſſo,& tiaram byſſinam facies, & balteum opere 'plumarii. Porrò filiis Aaron tunicas lineas parabis,& balteos ac tiaras 'in gloriam & decorē: veſtiéſque his omnibus Aaron fratrem tuum & filios eius cum eo.'Et cunctorum conſecrabis manus, ſanctificabíſque illos,vt ſacerdotio fungantur mihi. Facies & feminalia linea,vt operiant 'carnem turpitudinis ſuæ, 'à renibus vſque ad femora:& vtentur eis Aaron & filii eius quando ingredientur 'tabernaculum teſtimonii, vel quando appropinquant ad altare 'vt miniſtrent in ſanctuario, 'ne iniquitatis rei moriantur. 'Legitimum ſempiternum erit Aaron,& ſemini eius poſt eum.

STRINGESQVE tunicam byſſo,) Vel,Ocellabíſque tunicam byſſinam. Id eſt,veluti oculis opere phrygionico factis diſtingues.

PLVMARII.) Vel, acupictoris.

In gloriam.

IN gloriam & decorem:) Id eſt,ad ornamentum.

Implere manus alicuius.

ET cunctorum conſecrabis manus,ſanctificabíſque illos,) Et vnges illos, implebíſque manus eorum,& ſanctificabis eos.Id eſt, ſuppeditabis illis victimas,& trades in manus eorum,vt eas offerant.Alii interpretantur, Tu mittes eos in poſſeſſionem ſacerdotii. nam quum aliquis mittitur in poſſeſſionem alicuius rei, traditur aliquid in manu eius.Alii exponunt,Conſecrabis.Hoc enim vox Hebræa etiam ſignificat.

CARNEM turpitudinis ſuæ,) Hebraiſmus eſt,pro pudendis. Caro turpitudinis.
A RENIBVS) à lumbis.
TABERNACVLVM teſtimonii,) De tabernaculo teſtimonii vide annotationem capite præcedenti,circiter finem.
VT miniſtrent in ſanctuario,) Vel,vt miniſtrent in ſanctimonia.aut, ſanctè.
NE iniquitatis rei moriantur.) ne portent iniquitatem,& moriantur. Hebraiſmus eſt,Ne ſi aliter faciant,peccent,ob ídque moriantur.
LEGITIMVM) Statutum.Hoc eſt,Ita induentur,& id obſeruabunt quotquot fungentur ſummo ſacerdotio. Legitimum.

CAP. XXIX.

SED & hoc 'facies,'vt mihi in ſacerdotio conſecrentur.Tolle vitulum 'de armento,& arietes duos immaculatos,panéſque azymos, & 'cruſtulam abſque fermento,'quæ cõſperſa ſit oleo, 'lagana quoque azyma oleo lita: de ſimila triticea cuncta facies. Et poſita in caniſtro offeres:'vitulum autem & duos arietes.Et Aaron, ac filios eius 'applicabis ad oſtium tabernaculi teſtimonii. 'Cúmque laueris patrem cum filiis ſuis aqua,indues Aaron veſtimentis ſuis, 'id eſt linea & tunica, & ſuperhumerali & rationali,quod conſtringes balteo.Et pones tiarã in capite eius, & 'laminam ſanctam ſuper tiaram, & 'oleum vnctionis fundes ſuper caput eius,'atque hoc ritu conſecrabitur. Filios quoque illius 'applicabis, & indues tunicis lineis,cingéſque balteo, Aaron ſcilicet & liberos eius,& impones eis mitras, 'erúntque ſacerdotes mihi religione perpetua. Leuit.9.a.

FACIES,) Hebræi addunt EIS.
VT mihi in ſacerdotio conſecrentur.) ad ſanctificandum eos, vt ſacerdotio fungantur mihi. Id eſt, hac quoque ratione conſecrabis illos, vt mihi ſacerdotes ſint. Vetus exemplar paruum S. Germani legit, In ſacerdotiũ, accuſatiuo caſu.
DE armento,) filium bouis.Hebraiſmus, pro nondum adulto. Filius bouis.
CRVSTVLAM) placentas.
QVAE conſperſa ſit oleo,) quæ miſtæ ſint oleo.Gallice,touillees.
LAGANA) Vox Hebræa,à tenuitate dicitur.
VITVLVM autem) Vitulum etiam. Vel, vnà cũ vitulo, & duobus arietibus.
APPLICABIS ad oſtium tabernaculi teſtimonii.) accedere facies ad oſtiũ tabernaculi conuentus.Id eſt,quò,ſiue ad quod conuenire ſoleo vobiſcum.
CVMQVE laueris patrem cum filiis ſuis) Cúmque laueris eos.Interpres expoſuit quos referret pronomen EOS.
ID eſt linea & tunica,& ſuperhumerali & rationali,quod conſtringes balteo.) tunica ſcilicet,& pallio ſuperhumeralis,& ſuperhumerali & pectorali:& cinges illũ artificio ſuperhumeralis.Palliũ ſuperhumeralis vocat ſupra quod ſtatim ponebatur ſuperhumerale.Artificiũ autẽ ſuperhumeralis,texturã interpres noſter alio loco vertit:alii,ingenioſiſſimũ opus quod ex eodẽ panno & materia in extremi-

tatibus ephod ſiue ſuperhumeralis fabrefactum erat. Vetus exemplar ſcriptum S. Dionyſii vtrunque,& paruum S.Germani,non legunt coniunctionem ET,ante ſuperhumerali.

LAMINAM ſanctam) coronam ſanctam.Id eſt,laminam auream in qua deſcriptum erat Sanctitas Domini.ſiue,Sanctitas decet Dominum.

Oleum vnctionis.

OLEVM vnctionis) Hebraiſmus eſt,pro vnguento.

ATQVE hoc ritu conſecrabitur.) atque ita vnges eum.

APPLICABIS,) accedere facies.

ERVNTQVE ſacerdotes mihi religione perpetua.) eritque eis ſacerdotium ſtatuto perpetuo.Id eſt,volo vt ſacerdotium perpetuo pertineat ad eos.

Leuit.1.b.

ʻPoſtquam initiaueris manus eorum,‖applicabis & vitulum coram tabernaculo teſtimonii. Imponéntque Aaron & filii eius manus ſuper caput illius,& mactabis eũ in conſpectu Domini,iuxta oſtium tabernaculi teſtimonii. Sumptúmq; de ſanguine vituli, pones ſuper cornua altaris digito tuo, reliquum autem ſanguinẽ fundes iuxta baſim eius.

Leuit.3.a.

‖Sumes & adipem totum qui operit inteſtina,& ʻreticulum iecoris, ac duos renes, & adipem quĩ ſuper eos eſt, ʻ& offeres incenſum ſuper altare. Carnes verò vituli & corium & fimũ combures foris extra caſtra,ʻeo quòd pro peccato fit. Vnum quoque arietem ſumes,ſuper cuius caput ponent Aaron & filii eius manus. Quem cum mactaueris,tolles de ſanguine eius, & ʻfundes circa altare.ipſum autem arietem ſecabis in fruſta : lotáque inteſtina eius ac pedes pones ſuper conciſas carnes, & ſuper caput illius. ʻEt offeres totum arietẽ in incenſum ſuper altare: ʻoblatio eſt Domino,odor ſuauiſſimus victimæ Domini.

POSTQVAM initiaueris manus eorum,) Poſtquam impleueris manũ Aaronis & filiorum eius. Vide interpretationem horum verborum capite præcedenti,paulo ante finem.

RETICVLVM iecoris,) reticulum quod eſt ſuper iecur.

ET offeres incenſum ſuper altare.) & incendes ſuper altare.

EO quòd pro peccato fit.) eo quòd peccatum eſt.Id eſt,ſacrificium pro peccato eſt. Sic Paulus,2.Corinth.5.d,Eum qui non nouerat peccatum,pro nobis peccatum fecit. Hic monent Hebræi,Dominum potiſſimum exigere pro ſuo ſacrificio animalia illa & membra quæ concupiſcentiis ſubiiciuntur. Non vult habere animal infirmum,aut quod teſticulis ſit priuatum. Requirit renes,qui concupiſcentiæ prima ſunt officina. Vult habere hepar: quod roborat libidinem. & adipes,qui effrænem faciunt concupiſcentiam,iuxta illud,Impinguatus eſt Iſrael, & recalcitrauit. Hæc omnia Dominus in ſuo vult habere ſacrificio. non quòd illum delectent renes : ſed quòd hæc ſignificent mortificanda eſſe membra noſtra ſuper terram.

Quæ animalia & mẽbra exigat Dominus in ſacrificiis ſuis.

Renes.

Hepar.

FVNDES circa altare.) fundes ſuper altare per circuitum.

ET offeres totum arietem in incenſum.) & incendes totum arietem.

OBLATIO eſt Domino, odor ſuauiſſimus victimæ Domini.) holocauſtum enim eſt Domino, odor quietis, oblatio ignita eſt Domino. Id eſt, Oblatio eſt enim quæ tota igni abſumi debet in honorē Dei: éſtque oblatio quæ quieſcere facit iram Dei: hoc eſt, pacatum eum reddit hominibus. Quod autem addit, oblatio ignita eſt Domino: repetitio eſt verbis paulum immutatis. Dicitur præterea holocauſtũ, HOOLA Hebraice, à verbo עלה Id eſt aſcendit: quòd totum illud ſacrificium in fumum, vt ita dicam, aſcendat & conuertatur.

Odor quietis. Oblatio ignita. Holocauſtũ. עולה עָלָה

Tolles quoque arietē alterũ, ſuper cuius caput Aaron & filii eius ponent manus. Quē cũ immolaueris, ſumes de ſanguine eius, & pones ſuper extremũ auriculæ dextræ Aaron & filiorum eius, & ſuper pollices manus eorum ac pedis dextri, fundéſque ſanguinem ſuper altare per circuitum. Cúmque tuleris de ſanguine qui eſt ſuper altare, & de oleo vnctionis, aſperges Aaron & veſtes eius, filios & veſtimenta eorum. Conſecratíſque ipſis & veſtibus, tolles adipem de ariete, & caudam, & aruinam quæ operit vitalia, ac reticulũ iecoris, & duos renes, atque adipem qui ſuper eos eſt, armúmque dextrum, eo quòd ſit aries conſecrationis: tortámq; panis vnius, cruſtulam conſperſam oleo, laganum de caniſtro azymorum, quod poſitum eſt in conſpectu Domini: ponéſque omnia ſuper manus Aaron & filiorum eius, & ſanctificabis eos eleuans coram Domino. Suſcipiéſque vniuerſa de manibus eorum: & incendes ſuper altare in holocauſtum, odorem ſuauiſſimum in conſpectu Domini, quia oblatio eius eſt.

EXTREMVM auriculæ dextræ) teneriorem auris dextræ partem.

ET aruinam quæ operit vitalia,) & adipē qui operit inteſtina. Hoc loco ET, accipitur expoſitiue. quaſi dicat, Id eſt adipem tegentem inteſtina. — Et pro id eſt.

ARIES conſecrationis: tortámque panis vnius, cruſtulam) aries impletionũ: fruſtúmque panis vnius, placentam &c. Arietem impletionum appellat, qui immolabatur in conſecratione ſummi ſacerdotis. — Aries impletionum.

LAGANVM) In codice Hebræo additur VNVM.

DE caniſtro azymorum.) de caniſtro infermentatorum. Id eſt, in quo infermentata fuerint oblata Deo. — Caniſtrũ azymorum.

QVOD poſitum eſt in conſpectu Domini:) Hebraiſmus eſt, pro, quod oblatum eſt Deo. — Poſitũ in cõſpectu Domini.

ET ſanctificabis eos eleuans coram Domino.) agitabis ea agitatione. Sublatā enim hoſtiam agitabant ſeu mouebant primum ab Oriente in Occidentē, deinde à Septentrione in Meridiem: qua agitatione Deum totius eſſe terræ Dominum ſignificabant. — Agitare agitatione hoſtiā.

SVSCIPIESQVE vniuerſa) Suſcipiéſque ea.

QVIA oblatio eius eſt.) Eſt enim oblatio ignita Domino. Id eſt, quæ igni abſumitur in honorem Domini.

Sumes quoque pectuſculum de ariete quo initiatus eſt Aaron, 'ſanctificabíſque illud eleuatum coram Domino, & cedet 'in partem ſuam. Sanctificabíſque & 'pectuſculum conſecratum, '& armum quem de ariete ſeparaſti, quo initiatus eſt Aaron & filii eius, cedéntque in partem Aaron & filiorũ eius iure perpetuo à filiis Iſrael, 'quia primitiua ſunt & initia de victimis eorum pacificis quæ offerunt Domino.

SANCTIFICABISQVE illud eleuatum) agitabis illud pectuſculum agitatione.

IN partem ſuam.) Hebraice legitur pronomen ſecundæ perſonæ, TVAM: cõſentientibus Latinis codicibus ſcriptis S. Dionyſii & Germani latis, & paruo S. Germani, admonente Correctorio Sorbonico.

PECTVSCVLVM conſecratum,) pectuſculum agitationis. Id eſt, agitatum.

ET armum quem de ariete ſeparaſti, quo &c.) & armum eleuationis qui agitatus eſt & eleuatus, de ariete quo &c.

QVIA primitiua ſunt, & initia de victimis eorũ pacificis quæ offerunt Domino.) quia oblatio eleuationis eſt: eleuatio autem quæ offertur à filiis Iſrael de ſacrificiis ſuis pacificis: eleuatio (ſiue oblatio) inquam eorum erit Domini. Id eſt, pars illa offeretur Domino, & propterea ſacerdotes habebunt illam, hoc eſt, armum dextrum cum pectore.

'Veſtem autem ſanctam qua vtetur Aaron, habebunt filii eius 'poſt eum, 'vt vngantur in ea, & conſecrentur manus eorum. Septem diebus 'vtetur illa qui pontifex pro eo fuerit conſtitutus de filiis eius, '& qui ingredietur tabernaculum teſtimonii vt miniſtret in Sanctuario.

'Arietem autem cõſecrationis tolles, & coques carnes eius in loco ſancto, quibus veſcetur Aaron & filii eius.

Leuit. 8. f. ‖Panes quoque qui ſunt in caniſtro, in veſtibulo tabernaculi teſtimonii comedent, 'vt ſit placabile ſacrificiũ,' & ſanctificentur offerentium manus. Alienigena non veſcetur ex eis, 'quia ſancti ſunt. Quòd ſi remanſerit de carnibus conſecratis ſiue de panibus vſque mane, combures reliquias igni: non comedentur, quia ſanctificata ſunt.

VESTEM autem ſanctam qua &c.) Veſtes autem ſanctæ quibus &c.

Poſt eum. POST eum) Id eſt, eo mortuo.

VT vngantur in ea, & conſecrentur manus eorum.) vt vngantur in eis, &

impleant manum ſuam in eis. Id eſt, vt illis veſtiti, vngantur & conſecrentur.

VTETVR illa) induet eas.

ET qui ingredietur tabernaculũ teſtimonii vt miniſtret in Sanctuario.) quã-do venerit ad tabernaculum cõuentionis, vt miniſtret in ſanctitate. Id eſt, ſancte.

ARIETEM autem conſecrationis) Arietem autem conſecrationũ. plurali numero. atque ita legitur in oblongis codicibus Latinis, & paruo S. Germani, Dionyſii, & Victoris, admonente Correctorio Sorbonico.

VT ſit placabile ſacrificium, & ſanctificentur offerentiũ manus.) quibus (ſcilicet carnibus & panibus) expiatus fuit Aaron, dum conſecrarentur manus eorum, & ſanctificarentur.

QVIA ſancti ſunt.) qui ſancta ſunt. Ita legendum eſſe ex Hebræo, admonet Correctorium Sorbonicum.

Omnia quæ præcepi tibi, facies ſuper Aaron & filiis eius. Septem diebus conſecrabis manus eorum: & vitulum pro peccato offeres per ſingulos dies 'ad expiandum. Mundabíſque altare 'cum immolaueris expiationis hoſtiam, & vnges illud 'in ſanctificationem. Septem diebus expiabis altare & ſanctificabis, & 'erit ſanctum ſanctorum: 'omnis qui tetigerit illud, ſanctificabitur.

AD expiandum.) propter expiationes. Id eſt, ad expiãdum, ſcilicet altare. Vel, Vltra expiationum, ſubaudi arietes. Id eſt, vltra arietes qui mactabuntur altaris expiandi cauſa.

CVM immolaueris expiationis hoſtiam,) cum expiaueris eum. Vel, dum expiabis illud.

IN ſanctificationem.) Id eſt, vt ſanctum ſit altare.

ERIT ſanctum ſanctorum:) Hebraiſmus, erit ſanctiſſimum.

OMNIS qui tetigerit) quicquid tetigerit. Id eſt, quæcunque ſuper altare illud offerentur, fient ſancta.

Hoc eſt quod facies 'in altari, ‖ Agnos anniculos duos Num. 28. a.
per ſingulos dies 'iugiter, vnum agnum mane, & alterũ 'veſpere, 'decimam partem ſimilæ conſperſæ oleo tuſo, quod habeat menſuram quartam partem hin, & vinum ad libandum eiuſdem menſuræ 'in agno vno. Alterum verò agnum offeres 'ad veſperam iuxta ritum matutinæ oblationis, '& iuxta ea quæ diximus, in odorem ſuauitatis. ſacrificium eſt Domino Deo, oblatione perpetua in generationes veſtras, ad oſtiũ tabernaculi 'teſtimonii' coram Domino, 'vbi conſtituam vt loquar ad te. 'Ibíque præcipiam filiis Iſrael, '& ſanctificabitur altare in gloria mea. 'Sanctificabo & tabernaculum teſtimonii cum altari, & Aaron cum filiis ſuis, vt ſacerdotio

fungantur mihi. Et habitabo in medio filiorum Iſrael, eróque eis Deus, & ſcient quia ego Dominus Deus eorum, qui eduxi eos de Terra-AEgypti, vt manerem inter illos, 'ego Dominus Deus ipſorum.

IN altari,) ſuper altare. Vel altaris cauſa.

IVGITER,) Subaudi, offeres.

VESPERE,) inter duas veſperas.

Ephi. Hin. Log. Gomer. Chorus.

DECIMAM partem) Subaudi, ephi. Habet autem menſura ephi, tria ſata, ſeu modios. Et decima pars ephi habet menſuram quadraginta trium ouorum. Hin verò eſt menſura liquidorum, continens duodecim login. Log verò menſura eſt quæ cõtinet ſex oua. Porrò Homer, ſiue Gomer, qui & Chorus dicitur, de quo Leuitici vltimo, eſt menſura continens tres menſuras ephi, hoc eſt, mille ducenta & nonaginta oua.

In agno.

IN agno vno.) Id eſt, pro vnoquoque agno. Hebraiſmus.

AD veſperam) inter duas veſperas.

Oblatio ignita Domino. Per ætates veſtras.

ET iuxta ea quæ diximus, in odorem ſuauitatis. ſacrificium eſt Domino Deo, oblatione perpetua in generationes veſtras,) & iuxta libamẽ eius, in odorẽ quietis: oblatio eſt ignita Domino: holocauſtum iuge erit per ætates veſtras. Id eſt, oblatio eſt quæ igni abſumitur in honorem Domini: quandiu viuetis, offeretis mihi iuge ſacrificium. Vetera exemplaria Latina ſcripta S. Dionyſii, Germani, & Victoris, & rurſum S. Germani paruum, hoc loco non legunt DEO.

TESTIMONII) conuentus.

Coram Domino.

CORAM Domino,) Id eſt, coram arca fœderis, vbi præſentem ſeſe exhibebat Dominus. Ita ſemper intelligendum eſt.

אֹהֶל מוֹעֵד Tabernaculũ conuentus.

VBI conſtituam vt loquar ad te.) quò cõueniã vobiſcũ, vt vos illic alloquar Hoc loco aperte declarat quare appelletur OHEL MOHED, tabernaculũ conuẽtus, vt ita dicam, id eſt quò conuenire ſolebat Deus cum filiis Iſrael

IBÍQVE præcipiam filiis) Ibíque conueniam cum filiis &c.

ET ſanctificabitur altare in gloria mea.) & ſanctificabitur ob gloriam meã. Id eſt, tentorium illud ſanctificabitur ob meam præſentiam glorioſam.

SANCTIFICABO & tabernaculum teſtimonii) Sanctificabo inquam tabernaculum conuentus. Exponit ſuperiora.

EGO Dominus) Id eſt, ſum Dominus Deus eorum, qui promitto auxilium meum illis.

CAP. XXX.

FACIES quoque altare ad adolendum thymiama, de lignis ſetim, habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, id eſt quadrangulum, & duos cubitos in altitudine. Cornua 'ex ipſo procedent. Veſtiéſque illud auro puriſſimo, tam 'craticulam eius, quàm parietes per circuitũ, & cornua. 'Faciéſque ei 'coronam aureolã per gyrũ, & duos annulos aureos 'ſub corona per ſingula latera, vt mittantur in eos vectes, & altare portetur. 'Ipſos quoque vectes facies de lignis ſetim, & inaurabis.

EX ipſo procedent.) ex ipſo erunt. Id eſt, ex eodem ligno, non aliunde affixa & compacta.

CRATICVLAM) tectum.

FACIES QVE) Vetera Latina exemplaria S. Dionyſii oblongum, & S. Germani paruum legunt, Facies quoque.

CORONAM aureolam) limbum aureum.

SVB corona per ſingula latera,) ſub limbo eius in vtroque latere eius.

IPSOS quoque vectes) Ipſos autem vectes.

Ponéſque altare ʽcontra velum quod ante arcam pendet teſtimonii corã propitiatorio quo tegitur teſtimonium, vbi loquar tibi. Et adolebit ʽincenſum ſuper eo Aaron, ſuaue fragrans mane. Quandoʽcomponet lucernas, incendet illud: & ʽquando collocabit eas ad veſperum, vret thymiama ſempiternum coram Domino in generationes veſtras. Non offeretis ſuper eo thymiama compoſitionis alterius, ʽnec oblationem & victimam, nec libabitis libamina. ʽEt deprecabitur Aarõ ſuper cornua eius ſemel per annum, ʽin ſanguine quod oblatum eſt pro peccato, & placabit ſuper eo in generationibus veſtris. ʽſanctum ſanctorum erit Domino.

CONTRA velum, quod &c. Et adolebit) e regione veli quod eſt iuxta arcã teſtimonii coram tectorio (vel cælo) quo tegitur teſtimonium quò conueniam tecum. Arcam teſtimonii vocat, in qua teſtimonium diuinæ voluntatis duabus tabulis cõprehenſũ, ponebatur. Præterea, Teſtimoniũ poſuit pro arca teſtimonii. Arca teſtimonii. Teſtimoniũ.

INCENSVM ſuper eo Aaron, ſuaue fragrans mane.) incenſum ſuper eo Aaron, aromatum, ſingulo mane.

COMPONET lucernas,) bonas fecerit lucernas. Id eſt, bene cõpoſuerit. Hoc eſt, quum quicquid immunditiarum oleum & ellychnium contraxerit, remouerit, & repurgarit. Bonas facere lucernas.

QVANDO collocabit eas ad veſperum, vret thymiama) quando accendet eas inter duas veſperas, adolebit ipſum: incenſum erit ſempiternum &c.

NEC oblationem & victimam,) nec holocauſtum, nec victimam. Id eſt, tantum ſuper illud incenderis odores.

ET deprecabitur Aaron ſuper cornua) & expiabit Aaron cornua.

IN ſanguine quod oblatum eſt pro peccato, & placabit ſuper eo) ſanguine ſacrificii pro peccato, quo facta eſt expiatio: ſemel in anno expiabit illud in &c.

SANCTVM ſanctorum erit Domino.) Sanctitas ſanctitatum eſt Domino. Hebraiſmus eſt, pro ſanctiſſimo. Id eſt, tanquam res Deo dicata ſanctiſſimum erit vobis: Sanctum ſanctorum Domino.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, ‖ʽQuando tuleris ſummam filiorum Iſrael iuxta numerũ, dabunt ſinguli ʽpretium pro animabus ſuis Domino, & nõ erit plaga in eis, cum fuerint recenſiti. Hoc autem dabit omnis qui tranſit ʽad nomẽ, dimidium ſicli ʽiuxta menſuram templi. ‖Siclus, viginti obolos habet. Media pars

Nume. 1. a.

Leuit. 27. c. num. 3. g. ezech. 45. d.

ſicli offeretur Domino.'Qui habetur in numero, à viginti annis & ſuprà, 'dabit pretium. Diues non addet ad medium ſicli, & pauper 'nihil minuet. Suſceptámque 'pecuniam, quæ collata eſt à filiis Iſrael, trades in vſus tabernaculi 'teſtimonii, 'vt ſit monimentum eorum corā Domino,'& propitietur animabus eorum.

QVANDO tuleris ſummam filiorum Iſrael iuxta numerum,) Quando capies ſummam filiorum Iſrael per numeratos eorum. Id eſt, quando recenſere voles filios Iſrael qui veniunt in numerum. non enim omnes numerabantur: nam qui viceſimum annum nondum attigerant, reiiciebantur ab eo numero.

Pretium. Redemptio. PRETIVM) redemptionem. Oblationem intelligit qua redimebant vitā ſuā. Nam alioqui Deus interficiebat eos, vt fecit temporibus Dauid.

AD nomen,) ad numeratos. Id eſt, omnis qui venerit in numerum recenſitorum: ſiue, omnis qui numerabitur. Vetus exemplar oblongum S. Germani, & paruum, latum item S. Germani legunt Ad numerum.

Siclus tēpli, ſiue ſanctuarii. IVXTA menſuram templi.) iuxta ſiclum ſanctuarii. Hoc eſt, quo vtebantur in templo. Nam ſiclus templi, vt aiunt Hebræi, conſentiente Ioſepho, habebat quatuor drachmas: & quælibet drachma quinque obolos. quare eueniebat vt ſiclus templi, viginti caperet obolos.

Talentum. Idem eueniebat in talento. nam talentum tēpli capiebat centum & viginti libras: prophanum verò, quo vulgo vtebantur, ſexaginta tantum, id eſt dimidium. Ita & ſiclus vulgaris capiebat duas drachmas, id eſt didrachmon, & decem obolos. Viginti obolorum erat ſiclus.

QVI habetur in numero,) Omnis qui tranſit ad numeratos. Id eſt, omnis qui venerit in numerum recenſitorum, ſiue numerabitur.

DABIT pretium.) dabit oblationem Domino. Vel, dabit oblationem quæ leuabitur coram Domino.

Expiare animas. NIHIL minuet.) plura leguntur in codice Hebraico, Nihil minuet de dimidio ſiclo qui datur in oblationem Domino, ad expiandas animas veſtras. Id eſt, vt reconcilietur vobis.

PECVNIAM,) pecuniam expiationum. Id eſt, qua expiatur iniquitas.

TESTIMONII,) conuentus. Vel conuentionis. De hoc vide annotationem circiter finem viceſimiſeptimi capitis huius.

Monimentū coram Domino. VT ſit monimentum eorum coram Domino,) Id eſt, vt cauſa ſit quamobrē recorder filiorum Iſrael. Hebraiſmus: de ſe loquitur in tertia perſona.

Propitiari animabus. ET propitietur animabus eorum.) ad expiandum animas veſtras. Id eſt, vt condonem vobis delicta veſtra.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Facies & 'labium æneum cum baſi ſua ad lauandum: ponéſque illud inter tabernaculum teſtimonii & altare. Et miſſa aqua lauabunt 'in ea Aaron, & filii eius manus ſuas ac pedes, quādo ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonii, & quando acceſſuri ſunt ad altare, 'vt offerāt in eo thymiama Domino: ne fortè moriantur. legitimum ſempiternum erit ipſi, & ſemini eius per ſucceſſiones.

LABIVM) labrum. Vel, ſolium.

IN ea) ex eo. Subaudi, labro. per ſalientes ſcilicet. Vetera Latina exemplaria S. Dionyſii, Germani & Victoris, legunt In eo, neutro genere.

VT offerant in eo &c. Locutúſque) vt miniſtrent & adoleant incenſum Domino, ne moriantur. Eritque hoc illis ſtatutũ perpetuum. Id eſt, illi & poſteritati eius in generationes ſuas: hoc eſt, quandiu viuent, perpetuò obſeruabitur ab illis hæc lotio. In generationes ſuas.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Sume tibi 'aromata, primæ myrrhæ & electæ quingentos ſiclos,& 'cinnamomi medium, id eſt ducentos quinquaginta ſiclos,'calami ſimiliter ducentos 'quinquaginta ſiclos, caſiæ autem quingentos ſiclos in pondere ſanctuarii,'oleum de oliuetis menſuram 'hin:'faciéſque 'vnctionis oleum ſanctum, vnguentum compoſitum opere 'vnguentarii, & vnges ex eo tabernaculum teſtimonii, & 'arcam teſtamenti, menſámque cum vaſis ſuis, candelabrum,& vtenſilia eius, altaria thymiamatis & holocauſti, & vniuerſam ſupellectilem quæ ad cultum eorum 'pertinet. Sanctificabíſque 'omnia, & erunt 'ſancta ſanctorum: 'qui tetigerit ea,'ſanctificabitur. Aaron & filios eius vnges, ſanctificabíſque eos, vt ſacerdotio fungantur mihi.

AROMATA, primæ myrrhæ & electæ) aromata capitis, myrrhæ liberæ. Aromata capitis vocat præcipua, primæ notæ,& optima. Myrrham autem liberã, intelligit non adulteratam. ſolet enim frequenter adulterari, vt tradit Plinius. Chaldæus paraphraſtes vertit, myrrhæ puriſſimæ. Aroma capitis. Myrrha libera.

CINNAMOMI medium,) cinnamomi aromatis medium. Id eſt, cinnamomi aromatici & optimi ſiue odorati dimidium eius, ſcilicet myrrhæ. Cinnamomũ aromaticum.

CALAMI ſimiliter) calami aromatici ſimiliter.

QVINQVAGINTA ſiclos,) Hoc loco SICLOS, ne in vetuſtioribus quidem Latinorum codicibus S. Dionyſii & Germani repetitur.

OLEVM) olei: in genitiuo. atque ita legitur in oblongo S. Dionyſii,& lato S. Germani.

HIN:) menſura eſt Ægyptiaca, duodecim logim continens, id eſt, vt vertit Hieronymus, ſextarios. Log autem eſt menſura quæ tantum capit quantum ſex ouorum teſtis contineri poteſt. Hin. Log.

FACIESQVE) addendum, EX EO. Id eſt, ex omnibus his aromatibꝰ cõfuſis

VNCTIONIS oleum) vnguentum.

VNGVENTARII,) addendum ex Hebræo, Oleum vnctionis ſanctæ erit. Vel, Vnguentum ſanctum erit.

ARCAM teſtamenti,) arcam teſtimonii.

PERTINET.) additur in Hebraico codice, Et labrum,& baſim eius.

OMNIA,) ea. Vel, hæc.

SANCTA ſanctorum:) Id eſt, ſanctiſſima. Sancta ſanctorum.

QVI tetigerit) quicquid tetigerit.

SANCTIFICABITVR.) Vel, ſanctum erit, quaſi dicat, ea re quæ tetigerit Sanctificare.

ſ.i.

ſanctificata,non licebit vti in rebus priuatis,ſed tantum in ſacris.

Filiis quoque Iſrael dices, Hoc oleum vnctionis 'ſanctum erit mihi in generationes veſtras. Caro hominis non vngetur ex eo, & iuxta compoſitionem eius nõ facietis aliud, quia 'ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis. Homo quicunque tale compoſuerit, & 'dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo. Dixítque Dominus ad Moyſen, Sume tibi aromata, ſtacten & 'onycham, galbanum 'boni odoris, & thus lucidiſſimum, 'æqualis ponderis erũt omnia: 'faciéſque thymiama cõpoſitum opere vnguentarii, miſtum diligenter, & purũ, '& ſanctificatione digniſſimum. 'Cúmque in tenuiſſimũ puluerem vniuerſa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo teſtimonii, in quo loco apparebo tibi. ſanctũ ſanctorum erit vobis thymiama. Talem compoſitionem non facietis in vſus veſtros, 'quia ſanctum eſt Domino. Homo quicunq; fecerit ſimile, vt odore illius perfruatur, 'peribit de populis ſuis.

Sãctum erit.

SANCTVM erit) Id eſt, hoc vnguentũ pro ſacroſancto habebitis, neque vobis eo aliter quàm in ſacris meis vti licebit, nempe quum vngetis ſacerdotes.

SANCTIFICATVM eſt, & ſanctũ erit vobis.) ſanctum eſt, ideóque pro ſancto habebitis illud. Id eſt, ſanctũ erit vobis, neque prophanabitis illud, hoc eſt non vtémini ad alios vſus quàm ad meos.

DEDERIT ex eo alieno,) poſuerit ex eo ſuper alienum: Id eſt, qui eo vnxerit eum qui non fuerit ſacerdos, aut ex genere ſacerdotali.

ONYCHAM,) vnguem aromaticum. vel, vngulam aromaticam. eſt enim vnguis aromaticus leuis & pellucidus inſtar vnguis. Vetera Latina exemplaria S. Germani & Dionyſii legunt ONYCHA, in accuſatiuo Græco.

BONI odoris, & thus lucidiſſimum,) aromata, vnà cum thure lucidiſſimo.

Põdus in põdere.
Vnicum in vnico.

AEQVALIS ponderis erunt omnia:) Hebraice legitur ad verbum, Pondus in pondere erit. Id eſt, æqualis ponderis erunt omnia. Vel, vnicum in vnico erit. id eſt, vnumquodque aroma in pila ſeorſum contundetur. Dicunt Hebræi vniuſcuiuſque horum aromatum libras ſeptuaginta Moyſen accepiſſe.

FACIESQVE thymiama) faciéſque ex eo thymiama. Id eſt, ex his omnibus facies thymiama.

ET ſanctificatione digniſſimum.) & ſanctitatem. Id eſt, omnia ita miſcebis diligenter cum ſumma puritate.

Sãctitas ſanctitatum.

CVMQVE in tenuiſſimum &c. Talem) Et contundes ex ea (ſcilicet compoſitione) & comminues: ponéſque ex ea coram arca teſtimonii in tabernaculo cõuentus, vbi conueniam tecum. ſanctitas ſanctitatum erit vobis. Talem &c. Id eſt, ſacroſanctum erit vobis hoc thymiama.

Sãctum ſanctorum.

QVIA ſanctũ eſt Domino.) Id eſt, quia hæc compoſitio dicabitur Domino.

PERIBIT de populis ſuis.) exterminabitur de popularibus ſuis. Id eſt, peribit anima eius.

CAP. XXXI.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen, dicēs, Ecce, 'vocaui ex nomine Beſeleel filiū Vri filii Hur de tribu Iuda, & impleui eum Spiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia 'in omni opere, ad excogitandū quicquid fabrefieri poteſt ex auro, & argento, & ære, 'marmore, '& gemmis, & diuerſitate lignorum. Dedíque ei ſocium Ooliab filium Achiſamech de tribu Dan. Et in corde 'omnis eruditi poſui ſapientiam: vt faciant cūcta quæ præcepi tibi, tabernaculum 'fœderis, & arcam teſtimonii, & 'propitiatorium quod ſuper eam eſt, & cuncta vaſa tabernaculi, menſámque, & vaſa eius, candelabrum puriſſimum cum vaſis ſuis, & 'altaria thymiamatis & holocauſti, & omnia vaſa eorum, 'labium cū baſi ſua, 'veſtes ſanctas in miniſterio Aaron ſacerdoti, & filiis eius, vt fungantur officio ſuo in ſacris, oleum vnctionis, & thymiama aromatum 'in ſanctuario. omnia quæ præcepi tibi, facient.

VOCAVI ex nomine) Hebraiſmus, pro, præ aliis delegi. *Vocare ex nomine.*

IN omni opere,) Vel, cuiuſuis artis mechanicæ.

MARMORE,) Hæc dictio non legitur Hebraice.

ET gemmis, & diuerſitate lignorum.) & in artificio gemmario, ad replendas (ſubaudi, palas lapillis pretioſis) & in arte fabrili lignaria, ita vt poſſit operari in omni arte mechanica. Id eſt, donaui eum cognitione omnium artium mechanicarum. Hinc diſcimus artes mechanicas eſſe à Deo.

OMNIS eruditi) addendū ex Hebræo, CORDE. Id eſt, ita docui omnes artifices, in eorum animis inſerendo ſapientiam, vt facere poſſint &c. Quædam exemplaria corrupte legunt, In corde hominis eruditi: contra omnium Latinorū codicum vetuſtiorum fidem: quum legendum ſit, Omnis eruditi, vt etiā habet Moguntinenſis & Cōplutenſis editio. De hoc & admonet Sorbonicū Correctoriū. *Eruditus corde.*

FOEDERIS,) conuentus.

PROPITIATORIVM) coopertorium.

ALTARIA thymiamatis & holocauſti,) altare incēſi, altare quoque holocauſti. Vetus Latinum exemplar oblongum S. Dionyſii, & Complutenſis editio, legunt Altare thymiamatis, ſingulari numero.

LABIVM) labrum.

VESTES ſanctas in miniſterio Aaron ſacerdoti,) veſtimenta miniſterii, & veſtimenta ſancta, pro Aarone ſacerdote. Veſtimenta miniſterii hoc loco vocat ea veſtimenta quibus arca, menſa, candelabrum, & reliqua vaſa inuoluebantur quando tabernaculum deponebatur. *Veſtimenta miniſterii.*

IN ſanctuario. omnia) pro ſanctuario, iuxta omnia. Vel, prorſus omnia &c

Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Loquere

3.10.b.ezech. 20.b. filiis Iſrael,& dices'ad eos,‖Videte vt ſabbathum meum cuſtodiatis: quia ſignum eſt inter me & vos 'in generationibus veſtris : vt ſciatis quia ego Dominus 'qui ſanctifico vos. 'Cuſtodite ſabbathum meum, 'ſanctum eſt enim vobis: qui polluerit illud,morte 'morietur:qui fecerit in eo opus, 'peribit anima illius de medio populi ſui.Sex diebus 'facietis opus:in die ſeptimo 'ſabbathum eſt, requies ſancta Domino. 'omnis qui fecerit opus in hac die, morietur.'Cuſtodiant filii Iſrael ſabbathum, & celebrent illud 'in generationibus ſuis.Pactum eſt ſempiternum inter me & filios Iſrael,ſignúmque perpetuũ.

Gen.1.d. ‖ſex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & in

Deut.9.b. ſeptimo 'ab omni opere ceſſauit. ‖Dedítque Dominus Moyſi,cõpletis huiuſcemodi ſermonibus in mõte Sinai, 'duas tabulas teſtimonii lapideas,ſcriptas'digito Dei.

AD eos,) Hebraice ſequitur Veruntamen. & eſt eclipſis. quaſi dicat, facient quidẽ omnia illa quæ iuſſi: tamẽ nolo ea fieri diebus feſtis. Itaque ſabbatha mea, id eſt,mihi dicata ſeruate,agnoſcendo me Dominũ eſſe qui ſanctificauerim vos.

In generationibus veſtris. IN generationibus veſtris:) Id eſt,per ætates veſtras,quandiu vixeritis.

Qui ſanctifico vos. QVI ſanctifico vos.) Id eſt,qui ſeparaui vos ab aliis populis,& mihi ſelegi, vt ſancti eſſetis.

CVSTODITE ſabbathum meum,) Cuſtodite itaque ſabbathum.Pronomen MEVM, Hebraice non legitur,neque in oblongo Latino S. Germani, neque in Complutenſi editione.

SANCTVM eſt enim vobis:) Vel,ſacroſanctum enim vobis eſſe debet.

Moriatur. MORIETVR:) moriatur.Imperatiui modi.Id eſt,ſententia iudicis moriatur. Hoc enim verbum Hebraicum in ſexta coniugatione Hebraica ſignificat. Ita intelligendum paulo pòſt,& aliis locis.

PERIBIT anima illius de medio populi ſui.) Hebraiſmus eſt, pro, excidetur & peribit.

FACIETIS opus:) fiet opus.Vetus exemplar oblongum ſcriptum S.Dionyſii,conſentiente Baſilienſi editione,legit Facies opus.

Sanctitas Domino. SABBATHVM eſt, requies ſancta Domino.) quies quietis eſt, & ſanctitas Domino.Id eſt,At in die ſeptimo omnino vobis ceſſandum eſt: eſt enim is dies Domino Deo ſacer,ſiue conſecratus.

OMNIS) Subintelligendum eſt, Proinde: vt ſic legatur,Proinde omnis,&c.

CVSTODIANT filii) Cuſtodiant itaque filii.

IN generationibus ſuis.Pactum eſt ſempiternũ inter me & filios Iſrael,ſignúmque perpetuum.) in generationibus ſuis fœdere perpetuo.Inter me enim,& inter filios Iſrael ſignum eſt perpetuum.

AB omni opere ceſſauit.) In Hebraico codice additur,Et recreatus eſt.Loquitur autem ſcriptura & hîc,& aliis pene infinitis locis,de Deo,humano more,perinde quaſi homo eſſet qui poſt laborẽ recrearetur.id quod diligentiſſime notant Hebræi.Particula OMNIS,neque Hebraice,neque in vetuſtioribus Latinis codicibus S.Dionyſii & Germani legitur.

DVAS tabulas teſtimonii) Id eſt, duas tabulas in quib⁹ decẽ præcepta erãt ſcripta, quib⁹ teſtabatur Iſraelitis ſuã voluntatẽ, quicquid eos in poſterũ facere vellet. Tabulæ teſtimonii.
DIGITO Dei.) Id eſt, digito ſuo. Hebraiſmus, antecedens pro relatiuo.

CAP. XXXII.

VIDENS autem populus quòd moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus aduerſus Aaron, dixit, ‖Surge, fac nobis deos qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro qui nos eduxit de Terra-AEgypti, ignoramus 'quid acciderit. Dixítque ad eos Aaron, 'Tollite inaures aureas de vxorũ, filiorúmque, & filiarum veſtrarũ auribus, & afferte ad me. 'Fecítque populus quæ iuſſerat, deferens inaures ad Aaron. ‖Quas cũ ille accepiſſet, 'formauit opere fuſorio, & fecit 'ex eis vitulum conflatilem. Dixerúntque, Hi ſunt dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de Terra-AEgypti. Quod cum vidiſſet Aaron, ædificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit, dicens, Cras ſolennitas Domini eſt. Surgẽtéſque mane, obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas, & ‖ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.

Act.7.c. — Pſal.105.b. — 1.Corin.10.b.

QVID acciderit.) Ex Hebræo addendum EI, quod apud Latinos vacat. Eſt autẽ Hebraiſmus, Moyſi huic viro neſcimus quid acciderit ei: pro, Neſcimus quid acciderit huic viro Moyſi. Exemplar vetus oblongum S. Germani, & oblongũ S. Dionyſii legunt EI.
TOLLITE) Separate.
FECITQVE populus quæ iuſſerat,) Separauítque ſeſe omnis populus ab inauribus aureis quas habebat in auribus ſuis: Id eſt, priuauit ſe inauribus, vel detraxit inaures de auribus ſuis. Hebraiſmus.
FORMAVIT opere fuſorio,) formauit illud ſtilo. Alii volunt eſſe formulam & typum in quem proiecerit Aaron aurum, quod fuſum expreſſerit vituli ſimilitudinem. Gallice, Il le iecta en moule. Sequitur enim, Fecit ex eo vitulũ cõflatilẽ.
EX eis) ex eo, ſcilicet auro.

Locutus eſt autẽ Dominus 'ad Moyſen, dicens, ‖Vade, deſcende: 'peccauit populus tuus quem eduxiſti de Terra-AEgypti. Receſſerunt citò de via, quã 'oſtendiſti eis: 'fecerúntque ſibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hoſtias, dixerunt, ‖Iſti ſunt dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de Terra-AEgypti. Rurſúmque ait Dominus ad Moyſen, ‖Cerno quòd populus iſte, du-

Deut.9.b. — 3.Reg.12.g. — I.33.a.

ræ ceruicis ſit: dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, 'faciámque te in gentem magnã. Moyſes autem orabat Dominum Deum ſuum, dicens,
Pſal.105.b. ‖Cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum tuũ: quem eduxiſti de Terra-AEgypti, in fortitudine magna, & in manu robuſta? ‖'Ne quæſo dicant AEgyptii, Num.14.c.
Callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra: quieſcat ira tua, & 'eſto placabilis ſuper nequitia populi tui. Recordare Abraham, & Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum, quibus iuraſti per temetipſum, dicens, ‖Multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cæli: & Gen.12.b.15.b 48.c.
vniuerſam terram hanc, de qua locutus ſum, dabo ſemini veſtro, & 'poſſidebitis eam ſemper. 'Placatúſque eſt Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduerſus populum ſuum.

AD Moyſen, dicens,) Non legitur DICENS, in codice Hebræo, neque in veteribus Latinis S. Dionyſii, paruo item & oblongo S. Germani.

PECCAVIT) 'quia corrupit. Subaudi, viam ſuam: id eſt, peccauit.

OSTENDISTI) præcepi. prima perſona.

FECERVNTQVE) fecerunt enim.

Facere in gẽtẽ magnam. FACIAMQVE te in gentem magnam.) Id eſt, efficiam vt ex te gens oriatur magna. Vel, præficiam te alii genti multo maiori.

NE quæſo dicant AEgyptii, Callidè eduxit eos,) Quare dicent AEgyptii, Malo ſydere eduxit eos. Id eſt, Ne committas vt AEgyptii dicant in hunc modum, Infœlici ſydere eduxit eos. AEgyptii enim omnia tribuunt ſyderibus. Alii vertunt vt interpres, Malitioſè, ſiue callidè eduxit eos.

Pœnitet Deũ ſuper malo. ESTO placabilis ſuper nequitia populi tui.) Pœniteat te ſuper malo, populo tuo. Tria hæc verba, Quod facere decreuiſti, ſubintelligi debent hoc modo, Muta ſententiam de malo quod facere decreuiſti populo tuo. Ita exponendum eſſe docent ſequentia.

POSSIDEBITIS eam) poſſidebunt eam.

Locutus eſt malum populo ſuo. PLACATVSQVE eſt Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduerſus populum ſuum.) Pœnituit itaque Dominum mali quod locutus fuerat populo ſuo. Id eſt, quod propoſuerat facere populo ſuo. Eſt enim Hebraiſmus.

'Et reuerſus eſt Moyſes de mõte, portans duas tabulas teſtimonii in manu ſua, ſcriptas ex vtraque parte, & factas 'opere Domini: ſcriptura quoque Dei erat ſculpta in tabulis. Audiens autem Ióſue tumultũ populi vociferantis, dixit ad Moyſen, Vlulatus pugnæ auditur in caſtris. Qui reſpondit, 'Non eſt clamor adhortantium ad pugnam, neque voicferatio compellentium ad fugã:

ſed vocem cantantium ego audio. Cúmque appropinquaſſet ad caſtra, vidit vitulum & choros: iratúſque valde, proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicẽ montis. Arripiénſque vitulum quem fecerãt, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſrael. 'Dixítque ad Aaron, Quid tibi fecit hic populus, 'vt induceres ſuper eũ peccatum maximũ? Cui ille reſpondit, 'Ne indignetur dominus meus: tu enim noſti populum iſtũ 'quòd pronus ſit ad malum. 'dixerunt mihi, Fac nobis deos, qui nos præcedant: huic enim Moyſi, qui nos eduxit de Terra AEgypti, neſcimus quid acciderit. Quibus ego dixi, 'Quis veſtrum habet aurũ? Tulerunt, & dederunt mihi: & proieci illud in ignem, egreſſúſque eſt hic vitulus.

ET reuerſus eſt Moyſes) Et conuerſus eſt, & deſcendit. Conuerſus eſt, ſcilicet à Deo, auertit faciem ſuam à Deo, & deſcendit.

OPERE Domini:) opere Dei. Sic etiam legunt antiqui Latini codices S. Germani oblongus & paruus, & vtrique S. Dionyſii.

NON eſt clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam:) Non eſt vociferatio fortitudinis, neque eſt clamor vociferationis victorum. Id eſt, non eſt ſtrepitus qualis eſſe ſolet vincentiũ, neque eorum qui vincuntur. In bello audiuntur duæ diuerſæ voces: vna eorum qui victi ſunt, & hæc eſt vox calamitoſa, & triſtitiæ plena. Altera eſt eorum qui victoriam adepti ſunt: & illi iubilant pro fortitudine ſua. In caſtris autem Iſrael audiebatur vox gaudentiũ, ludentium, atque cantantium. Chaldæus paraphraſtes vertit, Non eſt vox virorum qui vincunt in prælio, neque vox debilium qui vincuntur.

DIXÍTQVE) Addendum, Moyſes. Ita etiam legit codex ſcriptus S. Victoris, & editio Moguntinenſis.

VT induceres ſuper eum peccatum maximum?) Id eſt, quòd impuleris eum in tantum peccatum: ſiue quòd eum peccare feceris tam grauiter: Hebraiſmus. Inducere peccatum ſuper aliquem.

NE indignetur dominus meus:) Hebraiſmus eſt, pro, Ne indigneris mihi domine.

QVÒD pronus ſit ad malum.) quòd in malo ſit. Hebraiſmus, pro, quòd omnino malus ſit. In malo eſſe.

DIXERVNT mihi,) dixerunt enim mihi.

QVIS veſtrum habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi:) Quibus eſt aurũ, ſeparate vos ab illo. Dederunt itaque mihi. Id eſt, ſiqui ſint qui habeant aurũ, auferant à ſe, & ad me afferant. quod & fecerunt. Hebraiſmus.

Videns ergo Moyſes populũ 'quòd eſſet nudatus (ſpoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat) & ſtans in porta caſtrorum, ait, 'Siquis eſt Domini, iungatur mihi. Congregatíque ſunt ad eũ omnes filii Leui: quibus ait, Hæc

dicit Dominus Deus Iſrael, 'Ponat vir gladium ſuper femur ſuum,'ite,& redite de porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum,& proximum ſuum. Feceruntque filii Leui 'iuxta ſermonem Moyſi, cecideruntq; in die illa 'quaſi triginta tria milia hominum.'Et ait Moyſes, Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, 'vnuſquiſque in filio, & in fratre ſuo,'vt detur vobis benedictio.

QVÒD eſſet &c.in porta &c.) quòd eſſet nudatus(nudauerat enim eum Aaron,ad ignominiã inter hoſtes eorum) tunc ſtetit in porta &c. Id eſt, Quum vidiſſet Moyſes quòd detecta eſſet malitia populi ipſius ad ignominiam eius apud aduerſarios. Erat enim magnum dedecus & magna confuſio Iſraelitis coram hoſtibus,vt deſerto Deo cæli,qui tot & tanta miracula fecerat in oculis eorũ, & pro vtilitate eorum,eligerent alium deum etiã cum magno diſpendio auri & argenti ſui. Denudauit igitur Aaron populum illum,primùm quòd innoteſcere fecerit vniuerſo mundo qualem haberent animum,quum illis fabricauit vitulum quem adorauerunt: præterea denudauit eum ornamentis ſuis aureis.

SIQVIS eſt Domini, iungatur mihi.) Quis eſt pro Domino? veniat ad me. Id eſt,quicunque eſt Domini,qui colit Dominũ,& vult tueri partes eius, nõ idoli,veniat ad me &c.

Vir. PONAT vir) Ponat vnuſquiſque. Hebraiſmus.

ITE,) tranſite.

IVXTA ſermonem Moyſi,) Id eſt,vt præceperat Moyſes. Hebraiſmus.

QVASI triginta tria) Hebraice tãtum legitur, Quaſi tria milia. Sic etiam in Cõplutenſi editione,& in paruo,oblongóque exemplari antiquo S.Germani.

Conſecrare. ET ait Moyſes,Conſecraſtis &c.) Iam ante dixerat Moyſes, Implete &c. Id eſt, Cõſecrate manus &c. Debebat hic verſus præcedere. hoc enim dixerat antè quàm interficerent eos. Quaſi dicat, Hoc agite quod vobis dicam,quod factũ,perinde reputabitur à Domino,quaſi obtuleritis ei dona & oblationes.

VNVSQVISQVE in filio,) nam quiſque in filio &c. Subaudi,conſecrabit,vel conſecrare poterit illas, interficiendo eum ſcilicet: quaſi dicat, Tanquam ſacrificium reputabit Dominus ſiquis fratrem ſuum idololatram interfecerit.

VT detur vobis benedictio.) vt det vobis hodie benedictionem. Vel,vt detur. Id eſt,vt bene ſit vobis.

'Facto autem altero die,locutus eſt Moyſes ad populum, Peccaſtis peccatum maximum: 'aſcendam ad Dominum, 'ſiquo modo quiuero eum deprecari pro ſcelere veſtro. Reuerſúſque ad Dominum,ait,'Obſecro, Domine,peccauit populus iſte peccatum maximum,'feceruntque ſibi deos aureos:' aut dimitte eis hanc noxã: aut ſi non facis, dele me 'de libro tuo quẽ ſcripſiſti. Cui reſpondit Dominus, Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo: tu autem vade, & duc populum iſtũ quò

locutus ſum tibi,'angelus autem meus præcedet te.Ego autem'in die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum. 'Percuſſit autem Dominus populum 'pro reatu vituli quem fecerat Aaron.

FACTO autem altero die,) Craſtino autem die.

ASCENDAM) nunc ergo aſcendam.

SI QVO modo quiuero eũ deprecari pro ſcelere veſtro.) fortaſſe expiabo peccatum veſtrum.Id eſt,placabo Deum vobis iratum ob peccatum veſtrum.

OBSECRO,Domine,) Neque in veteribus Latinis codicibus,oblongo S.Germani,& vtriſque S.Dionyſii, neque etiam in Complutenſi editione legitur vocatiuus DOMINE. De quo admonet etiam Correctorium Sorbonicum. Eſt autem hic eclipſis: non enim abſoluit quod dicturus erat. Verti poteſt,Certe, aut Profecto.

FECERVNTQVE) fecit enim.

AVT dimitte eis hanc noxam:) Nunc autem ſi remittis eis peccatum eorũ. Hîc multa ſunt ſubaudienda.Quaſi dicat,Si tantum peccatum remiſeris eis, quid ſentient de te Gentes? quanta apparebit miſericordia tua? quibus laudibus efferent te omnes?

DE libro tuo) In quo ſcilicet ſcripſiſti omnes electos tuos ab æterno.quaſi dicat,ne ſim de numero electorum tuorum.

ANGELVS autem meus) ecce angelus meus. Coniunctio AVTEM non legitur etiam in antiquis codicibus Latinis S.Dionyſii,Victoris,& Germani.

IN die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum.) in die viſitationis meæ viſitabo ſuper eos peccatum eorum.Id eſt, Eo tempore quo puniturus ſum peccata,puniam & iſtud peccatum.

PERCVSSIT autem) Percuſſit ergo. Ita etiam legunt vetera Latina exemplaria S.Germani & Dionyſii.

PRO reatu vituli) eo quòd fecerant vitulum.

CAP. XXXIII.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen,'dicẽs, Vade,'deſcende de loco iſto tu & 'populus tuus quẽ eduxiſti de Terra-AEgypti, in terram quam iuraui Abraham,Iſaac,& Iacob, dicens, ‖Semini tuo dabo eam. & mittam præcurſorem tui angelum, vt eiiciam Chananæum,& Amorrhæum,& Hethæum,& Pherezæum, & Heuæum,& Iebuſæum,'& intres in terram 'fluentem lacte & melle.‖Non enim aſcendam 'tecum,quia populus 'duræ ceruicis eſt: ne fortè diſperdam te in via. Audiénſque populus ſermonem hunc peſſimum, luxit: & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo.

Gen.12.b.&.13.c.ioſ.24.c. deut.7.c.

&.32.a.

DICENS,) Participium iſtud non legitur Hebraice,neque in paruo, oblongóque exemplari Latino vetuſtiore S.Germani.

DESCENDE) aſcende.Id eſt,hinc deſcendendo vade vt aſcendas.quia pars ſe-

ptentrionalis eſt editior meridionali. Latinum exemplar S. Germani paruum, oblongum, & latum, Complutenſis item editio, admonente Correctorio Sorbonico, legunt ASCENDE.

POPVLVS tuus) Pronomen TVVS, hoc loco non legitur Hebraice.

ET intres in terram) in terram inquam. Subaudi, aſcende.

Fluẽs lacte & melle terra. FLVENTEM lacte & melle.) Id eſt, plenam omnibus ſuauibus rebus. Per lac autem intelligit omnes res neceſſarias ad victum. Hebraiſmus.

TECVM,) in medio tui.

DVRAE ceruicis eſt:) duræ ceruicis es. Secunda perſona. Ita ſe legiſſe in antiquioribus Latinis codicibus admonet Correctorium Sorbonicum. ſic etiam legitur in Moguntinenſi editione.

ʹDixítque Dominus ad Moyſen, Loquere filiis Iſrael, Populus duræ ceruicis es, ʹſemel aſcendã in medio tui, & delebo te. ʹIam nunc depone ornatum tuum, vt ſciã quid faciã tibi. Depoſuerunt ergo filii Iſrael ornatũ ſuũ à monte Horeb. Moyſes quoque ʹtollens tabernaculũ, tetẽdit extra caſtra procul, vocauítq; nomẽ eius Tabernaculum fœderis. Et omnis populus qui habebat aliquã quæſtionem, egrediebatur ad Tabernaculũ fœderis extra caſtra. Cúmque egrederetur Moyſes ad Tabernaculum, ſurgebat vniuerſa plebs, & ſtabat vnuſquiſque in oſtio papilionis ſui, ʹaſpiciebántque tergũ Moyſi, donec ingrederetur tentorium. Ingreſſo autem illo Tabernaculum fœderis, deſcendebat columna nubis, & ſtabat ad oſtium, loquebatúrque ʹDominus cum Moyſe, cernentibus vniuerſis quòd columna nubis ſtaret ad oſtium Tabernaculi. Stabántque ipſi, & adorabant ʹ per fores tabernaculorum ſuorum.

DIXITQVE Dominus) Iam enim dixerat Dominus.

Semel. SEMEL) momento vno. Vel, vno impetu, ſiue breui tempore. Id eſt, ſi minimum temporis aſcendero tecum, conſumam te.

IAM nunc) Nunc igitur. Id eſt, Nunc ergo depone ornatum tuum à te, in ſignum animi reſipiſcentis & dolẽtis de peccato admiſſo, & videbo quid faciã tibi.

TOLLENS tabernaculum,) Iſtud per occupationẽ dictum eſt. tabernaculum enim nondum factum erat. Vel fortaſſe factum quidem erat, verum quo modo factum ſit, Moyſes nondum dixit.

TABERNACVLVM fœderis. Et omnis populus qui habebat aliquam quæſtionem, egrediebatur ad Tabernaculum fœderis) Tabernaculũ conuẽtus. Factũmque eſt vt omnis qui quærebat Dominum, egrederetur ad Tabernaculum cõuentus extra caſtra. Quærere Dominum, hoc loco, pro conſulere Dominũ ponitur. [margin: Quærere Dominum.]

ASPICIEBANTQVE tergum Moyſi, donec &c.) aſpiciebántque poſt Moyſen, donec &c. Id eſt, obſeruabant Moyſen abeuntem donec, &c.

DOMINVS cum Moyſe,) Dictio DOMINVS, non legitur in Hebraicis codicibus hoc loco, neque in vetuſtioribus Latinis codicibus S. Germani, Dionyſii &

Victoris, admonétque de hoc Correctorium Sorbonicum.
PER fores) in foribus.

Loquebatur autem Dominus ad Moyſen 'facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum. Cúmq; ille reuerteretur in caſtra, miniſter eius Ioſue filii Nun, 'puer, non recedebat de Tabernaculo. Dixit autẽ Moyſes ad Dominum, 'Præcipis vt educam populum iſtum: & non indicas mihi quem miſſurus es mecum, 'præſertim quũ dixeris, 'Noui te ex nomine, & 'inueniſti gratiam coram me. Si ergo inueni gratiã in conſpectu tuo, oſtende mihi 'faciem tuã, 'vt ſciam te, & inueniã gratiã ante oculos tuos: 'reſpice populum tuũ gentem hanc.

FACIE ad faciem,) Id eſt, familiariſſime. quod declaratur verbis continuo ſequentibus, Sicut ſolet loqui &c. — Facie ad faciẽ

PVER,) More Hebraico vocat puerũ miniſtrũ. erat enim grandior natu Ioſue. — Puer.

PRAECIPIS) In Hebraico codice præponitur ECCE, aut VIDE: quaſi dicat, Ecce: aut, vide, tu præcipis.

PRAESERTIM quum dixeris,) & tamen tu dixiſti.

NOVI te ex nomine,) Noui te nominatim. Id eſt, præ cæteris te elegi. — Noui te ex nomine.

INVENISTI gratiam coram me.) Hebraiſmus, Gratus es mihi. — Inuenire gratiã corã Deo.

FACIEM tuam,) viam tuam. Per quam ſcilicet ducam populum tuum. Ita legunt exemplar S. Dionyſii latũ, & vtraque S. Germani, cum paruo eiuſdem, itáque legendum eſſe admonet Correctorium Sorbonicum.

VT ſciam te, & inueniam) vt cognoſcam te, vt inueniam &c.

RESPICE populũ tuũ gentem hanc.) & vide quòd populus tuus eſt gẽs iſta.

Dixítque Dominus, 'Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi. Et ait Moyſes, Si non tuipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto. In quo enim ſcire poterimus ego & populus tuus inueniſſe nos gratiam in conſpectu tuo, 'niſi ambulaueris nobiſcũ, vt glorificemur ab omnibus populis qui habitant ſuper terrã? Dixit autẽ Dominus ad Moyſen, Et 'verbum iſtud quod locutus es, faciam: inueniſti enim gratiam coram me, & teipſum noui ex nomine. Qui ait, 'Oſtende mihi gloriam tuam. Reſpondit, Ego 'oſtendam omne bonum tibi, '& vocabor in nomine Domini coram te: & ‖miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit. Rom. 9. c. Rurſúmque ait, Non poteris videre 'faciẽ meam: 'non enim videbit me homo, & viuet. Et iterum, Ecce, inquit, eſt lo-

cus apud me, & ſtabis ſupra petram. Cúmque tranſibit gloria mea, ponã te in foramine petræ,& 'protegã dextera mea,donec tranſeã:tollámq; 'manũ meã,& videbis poſteriora mea, 'faciem autem meã videre non poteris.

FACIES mea præcedet te,) Id eſt, Ego te præcedam. nam ſtatim Moyſes dicit,Si non tuipſe præcedas,&c.

NISI ambulaueris nobiſcum,vt glorificemur ab omnibus &c.) nónne quũ ambulaueris nobiſcum,& ſeparabimur ego & populus tuus ab omnibus aliis populis qui &c.

VERBVM iſtud quod locutus es,) rem hanc quam tu dixiſti.Quaſi dicat, Ego gradiar cum populo hoc vt tu rogas.

OSTENDE mihi) Addendum QVAESO.

OSTENDAM omne bonum tibi,) Præterire faciam omnia bona mea ante faciem tuam.Id eſt,oſtendam tibi veſtigia aliqua bonorum meorũ quæ ſunt infinita: hoc eſt,tantum oſtendam tibi de bonis meis, quantum mens humana capere & cognoſcere poteſt.

ET vocabor in nomine Domini coram te: & miſerebor cui voluero,) & clamabo nominatim,Dominus eſt,coram te: miſerebor enim cuius miſerebor. Id eſt,Dicam coram te nominatim,Dominus eſt qui præterit : idque faciã pro miſericordia mea qua vtor erga eos quibus mihi placet.Editio Baſilienſis, paruum item exemplar vetus S.Germani legunt,Vocabo,in actiua voce.

FACIEM meam:) Id eſt, faciem ſimilitudinis quam tibi obiiciam : tantum abeſt vt meram ipſam diuinitatem videas.

NON enim videbit me homo,& viuet.) Hebraiſmus, Nemo viuens videbit me: non videbit,non aſſequetur diuinitatem meam quiſquã, quandiu viuet: nemo homo viuens hanc vitam temporariam & caducam , poterit aſſequi meam eſſentiam, quid ſim ego. ſic quidam interpretantur. Alii colligunt ex hoc loco, Deum nulli mortaliũ apparere in ſua eſſentia citra mortis diſcrimen. atque hinc eſſe quòd Manue dicebat,Iudicum cap.13.d,Morte moriemur.

PROTEGAM dextera mea,) protegam te vola mea.

MANVM) volam.

FACIEM autem &c.) facies autem mea non videbitur. aut non aſpicietur, ſubaudi,ab homine.

CAP. XXXIIII.

Deut.10.a. A'C deinceps,Præcîde,ait,tibi duas tabulas lapideas inſtar priorũ, & ſcribã ſuper eaſ verba quæ habuerunt tabulæ quas fregiſti. Eſto paratus mane, vt aſcendas 'ſtatim in montem Sinai,'ſtabíſque mecum ſuper verticem montis.'Nullus aſcendat tecum,nec videatur quiſpiam per totum montem, boues quoque & oues non paſcantur 'econtra. Excîdit ergo duas tabulas lapideas,'quales antea fuerant:& de nocte conſurgens aſcendit in montem Sinai, ſicut præceperat ei Dominus,'portans ſecum tabulas. Cúmque deſcendiſſet Do-

minus per nubem,'ſtetit Moyſes cum eo, 'inuocans nomen Domini.'Quo tranſeunte coram eo,ait, Dominator Domine Deus, miſericors, & clemens, 'patiens & multæ miſerationis,ac verus,qui ‖'cuſtodis miſericordiã in milia: qui 'aufers iniquitatem,& ſcelera,atque peccata,'nullúſque apud te per ſe innocens eſt. ‖'Qui reddis iniquitatem patrum filiis, ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem.

Pſal.142.a. Ierem.32.c. deut.5.a.

AC deinceps,) Dominus rurſum ad Moyſen.

STATIM) mane.

STABISQVE mecum) & ſtes mihi.Id eſt,propter me,vel expectans me.

NVLLVS aſcendat) Nullus autem aſcendat.

ECONTRA.) eregione montis huius.

QVALES antea fuerant: & de nocte conſurgens) ſimiles prioribus: & mane conſurgens.

PORTANS ſecum tabulas.) Hebraice legitur,Portans ſecum duas tabulas lapideas.In editione Moguntinenſi legitur,Duas tabulas.

STETIT Moyſes) ſtetit illic.In codice S.Germani paruo,quidam pro hac dictione MOYSES, repoſuerat IBIDEM,ex Hebræo.

INVOCANS nomen Domini.) & clamauit nominatim, Dominus eſt. Id eſt,Clamauit Dominus ad Moyſen,alta voce denuntiauit ei hanc vocem,Dominus eſt:vt capite præcedenti dixerat, Vocabo in nomine Domini,corã te: ſic nomen ſuum magnificum exprimens,hic dicit, Dominus eſt.Omnia autem quæ ſequuntur, Dei ſunt verba,non Moyſi. Vt enim ſuprà dixerat,Clamabo nominatim, Dominus eſt: miſerebor,&c. ita & hic idem dicit,Deus miſericors:quaſi dicat, Ego ſum Dominus ille,& Deus miſericors quem tu rogaſti pro populo &c.

QVO tranſeunte coram eo,ait, Dominator Domine) Qui quum tranſiret coram ipſo,clamauit,Dominus,Dominus eſt.Id eſt,quum ipſe Dominus tranſiret coram Moyſe,ipſe Dominus clamauit &c.

PATIENS,& multæ miſerationis,ac verus,) tardus ad iram,& abundans miſericordia & veritate.Id eſt,verax in promiſſis meis. Oblonga vtraque exẽplaria S.Dionyſii & Germani,legunt VERAX:& ita etiam legitur in editione Baſilienſi & Complutenſi.

CVSTODIS) cuſtodiens.Id eſt,qui cuſtodio,hoc eſt,cuius miſericordia nunquam exhauritur.

Cuſtodire miſericordiam in milia.

AVFERS) auferens.Id eſt,qui aufero,& condono iniquitates.

NVLLVSQVE apud te per ſe innocens eſt.) quique abſoluendo non abſoluit.In tertia perſona de ſe loquitur.Id eſt, nocentem,non pronuntio innocentẽ: ſed punio.Hebraiſmus.

Abſoluendo non abſoluere.

QVI reddis iniquitatem patrum filiis,) Qui viſitat iniquitatem patrum in filiis.Id eſt,punio peccata maiorũ in poſteris,ſi pergant maioribus ſuis eſſe ſimiles.

Feſtinúſque Moyſes,curuatus eſt pronus in terram, & adorans ait,'Si inueni gratiam in conſpectu tuo Domine,obſecro vt gradiaris'nobiſcum : populus enim duræ ceruicis eſt, 'vt auferas iniquitates noſtras atque peccata,'nóſque poſſideas. Reſpondit Dominus, Ego inibo

pactum'videntibus cunctis,ſigna faciam 'quæ nunquam viſa ſunt ſuper terram, nec in vllis gentibus: vt cernat populus iſte, in cuius es medio, opus Domini terribile quod 'facturus ſum.

SI inueni) Si nunc inueni.

NOBISCVM:) in medio noſtri.

VT auferas) & auferas.ſic etiam legitur in antiquioribus Latinis codicibus S. Germani, Dionyſii,& Victoris, ſimiliter in editione Baſilienſi.

NÓSQVE poſſideas.) nóſque in hæreditatem accipias.

VIDENTIBVS cunctis,ſigna &c.) coram vniuerſo populo tuo,& ſigna &c.

QVAE nunquam viſa ſunt ſuper terram,) quæ nunquam facta ſunt ſuper vniuerſam terram.

ISTE,) Leuiculum eſt admonere, hoc loco pronomen ISTE, non legi Hebraice,neque in oblongo,paruóque S. Germani.

FACTVRVS ſum.) Ex Hebræo addendum TECVM.

'Obſerua cuncta quæ hodie mandaui tibi: ego ipſe eiiciam ante faciem tuam Amorrhæum,& Chananæum, & Hethæum,Pherezæum quoque, & Heuæum,& Iebuſæum.'Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias,quæ ſint tibi in ruinam:'ſed & aras eorum deſtrue, confringe ſtatuas, lucóſque ſuccîde. Noli adorare deum alienum.'Dominus zelótes nomen eius,

S.13.d.deut.7.a. Deus eſt æmulator. ‖'Ne ineas pactũ cum hominibus illarum regionum:ne cum fornicati fuerint cũ diis ſuis, & adorauerint ſimulachra eorum,vocet te quiſpiam 'vt

3.Reg.11.a. comedas de immolatis.‖Nec vxorem de filiabus earum 'accipies filiis tuis:ne poſtquam ipſæ 'fuerint fornicatæ, 'fornicari faciant '& filios tuos in deos ſuos.

OBSERVA cuncta quæ hodie mandaui tibi:) Cuſtodi tibi id quod ego præcipio tibi hodie.Hebraiſmus eſt,Cuſtodi tibi,pro Obſerua diligenter.

Cuſtodi tibi.

CAVE ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias,quæ ſint tibi in ruinam:) Caue tibi ne forte percutias fœdus cum habitatoribus regionis huius quam ingreſſurus es: ne forte ſint offendiculum in medio tui.Id eſt, ne tibi ſint cauſa ruinæ quum habitabunt tecum. fiet enim vt te inducant in idololatriam,vt poſtea declaratur.

Offendiculũ.

SED & aras eorum deſtrue, confringe) ſed aras eorum deſtrue & confringe &c.Coniunctionem ET, ante ARAS non legit latum S.Dionyſii exemplar,neque exemplar S. Victoris,oblongúmque & paruum S.Germani. Editio Moguntinenſis legit ET ante CONFRINGE.

Zelotes nomen eius.

DOMINVS zelotes nomen eius,) Dominus enim zelotes nomen eius. Hebraiſmus eſt,pro, Dominus enim dicitur zelotypus, id eſt, non patitur vt ſecum alius deus colatur: ſolus pro Deo amari & coli vult.

NE ineas pactum cum hominibus illarum regionum: ne cum &c.) Ne forte percutias fœdus cum habitatoribus eius regionis,& cum &c.Subauditur verbum

præcedens, Caue inquam tibi &c.

VT comedas de immolatis.) & comedas de victimis eius. Hac de cauſa reprehendebat eos Paulus qui comedebant idolothyta, 1.Corinth.8.b.c. Vetus exemplar paruum S.Germani legit Et comedas.

ACCIPIES) accipias. Rurſum hic ſubaudiendum, Caue tibi, ne accipias, &c.

FVERINT fornicatæ,) Addendum, poſt deos ſuos.

FORNICARI faciant) Id eſt, ne eos adducant ad cultum idolorum ſuorum, vt de Salomone legimus, 3.Reg.11.a.

ET filios) Coniunctio ET non legitur neque in Moguntinenſi editione, neque in exemplari vetuſto S.Victoris.

Deos conflatiles 'non facies tibi. Solennitatem azy-
morum cuſtodies. Septem diebus veſcêris azymis, ſicut
præcepi tibi, in tempore 'menſis nouorum. menſe enim
'verni temporis egreſſus es de AEgypto. ‖'Omne quod ſ.13.a.
aperit vuluam 'generis maſculini, meum erit. 'De cun-
ctis animantibus tam de bobus, quàm de ouibus, meum
erit. 'Primogenitum aſini redimes oue. 'ſin autẽ nec pre-
tium pro eo dederis, occidetur. 'Primogenitum filiorum
tuorum redimes: nec apparebis in conſpectu meo va-
cuus. ‖Sex diebus operaberis, die ſeptimo ceſſabis 'ara- ſ.13.b. deut. 16.d. eccli 35.a
re & metere.

NON facies tibi.) ne facias tibi. Sic ſequentia verba vertenda ſunt.

MENSIS nouorum.) menſis matureſcentis frugis. Vox Hebræa ABIB, ſignificat culmum, quando ſcilicet è culmo primum prodit ſpica: quod fieri ſolet menſe Martio apud Palæſthinos. אָבִיב Menſis nouorum.

VERNI temporis) matureſcentis frugis. Vel, quo ſpicæ è culmis primũ prodibant. Eadem vox Hebræa pro qua prius NOVORVM tranſtulit.

OMNE quod aperit vuluam) Id eſt, Omne primogenitum. Quod aperit vuluam.

GENERIS maſculini,) Hæc verba hoc loco non leguntur in Hebraicis codicibus.

DE cunctis animantibus tam de bobus, quàm de ouibus, meum erit.) Omne enim pecus tuum recenſebitur, primogenitum tam in armento, quàm in pecore. Id eſt, omnia primogenita tam boum quàm ouiũ recenſebuntur, & mea erũt. Vel, omne quod memorabitur inter primogenita boum & ouium, meum erit.

PRIMOGENITVM aſini) Primogenitum autem aſini.

SINAVTEM nec pretium pro eo dederis, occidetur.) ſin autem pretium nõ dederis pro eo, ceruicem illi præcide.

PRIMOGENITVM) Hebraice legitur, Omne quoque primogenitum.

ARARE & metere.) in ipſa aratione & in ipſa meſſe. Id eſt, etia tempore quo arandum eſt, & quo ſegetes demetendæ ſunt, volo diligenter obſeruari ſabbatha mea: tametſi vos alio vocet priuata vtilitas, vel arandi, vel ſegetes demetendi.

‖Solennitatem hebdomadarum facies tibi in primitiis ſ.23.b.
frugum meſſis tuæ triticeæ, & Solennitatem quãdo re-
deunte anni tempore cuncta 'conduntur. 'Tribus tem-
poribus anni apparebit omne maſculinum tuum in cõ-

ſpectu 'omnipotentis Domini Dei Iſrael. 'Cũ enim tu-
lero gentes à facie tua,& dilatauero terminos tuos,nul-
lus inſidiabitur terræ tuæ, aſcendente te & apparente in
ſ̄.23.c conſpectu Domini Dei tui ter in anno. ‖'Non immo-
labis ſuper fermento ſanguinẽ hoſtiæ meæ:'neque reſi-
ſ̄.13.c.deut.24.c. debit mane de victimis ſolennitatis Phaſe. ‖'Primitias
frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui.
'Non coques hœdum in lacte matris ſuæ.

Solennitas hebdomadarum.

SOLENNITATEM hebdomadarum) Id eſt,feſtum pentecoſtes.
CONDVNTVR.) colliguntur.Id eſt,celebrabis feſtum tabernaculorum menſe Septembri.
TRIBVS temporibus) Tribus vicibus.
OMNIPOTENTIS Domini) Domini IEHOVA. Vide caput ſextum huius libri.
CVM enim tulero &c.in conſpectu) Quia expellam gentes à facie tua, & dilatabo terminos tuos, neque deſyderabit quiſquam terram tuam aſcendente te vt appareas in conſpectu &c.
NON immolabis &c.) Vide annotationem huius loci capite viceſimotertio huius libri.
NEQVE reſidebit mane de victimis ſolennitatis Phaſe.) neque pernoctet vſque mane victima ſolennitatis Paſchæ. Latina antiquiora exemplaria S. Dionyſii oblongum, vtraque S. Germani, cum paruo,& Victorino, legunt De victima, ſingulari numero.
PRIMITIAS frugum) Principium primitiarum. Id eſt, primitias illas primas.Eandem materiam vide ſupra capite viceſimo tertio.
NON coques &c.) Vide annotationem huius loci,capite viceſimotertio præcedente.

Dixítq; Dominus ad Moyſen, Scribe tibi verba hæc,
ſ̄.24.d. 'quibus & tecum & cum Iſrael ‖pepigi fœdus. 'Fecit er-
go ibi 'cum Domino Moyſes quadraginta dies & qua-
draginta noctes: panem non comedit, & aquã non bi-
Deut.4.b. bit,& 'ſcripſit in tabulis ‖verba fœderis,'decem.

QVIBVS & tecum) quia iuxta verba hæc, tecum &c.
FECIT ergo) Fuit ergo.ita etiam legit Baſilienſis & Complutenſis editio.
CVM Domino Moyſes) Hoc loco non legitur MOYSES, neque in oblongo exemplari S. Germani & paruo,neque ſimiliter in oblongo S. Dionyſii,conſentiente editione Baſilienſi.
SCRIPSIT) Subaudi, Dominus.

Verba decẽ.

DECEM.) Hebraice legitur, Decem verba. Per hæc duo verba, declarat quid velit intelligi per VERBA FOEDERIS, nempe decem verba,decẽ præcepta.

Cúmque deſcenderet Moyſes de monte Sinai, tene-
bat duas tabulas 'lapideas teſtimonii,& ignorabat 'quòd
cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini.
Videntes autem Aaron & filii Iſrael 'cornutam Moyſi

faciem, timuerunt propè accedere. 'Vocatíque ab eo, reuerſi ſunt tã Aaron, quàm principes ſynagogæ. Et poſtquam locutus eſt ad eos, venerunt ad eum etiam omnes filii Iſrael: quibus præcepit cuncta 'quæ audierat à Domino in monte Sinai. Impletíſque ſermonibus poſuit velamen ſuper faciem ſuã. 'Quod ingreſſus ad Dominum, '& loquens cum eo, auferebat donec exiret, '& tunc loquebatur ad filios Iſrael omnia quæ ſibi fuerant imperata. Qui 'videbant faciem egredientis Moyſi eſſe cornutam, ſed operiebat ille rurſus faciem ſuam ſiquando loquebatur ad eos. 2.Corint.3.c

LAPIDEAS) Neque in Latinis exemplaribus vetuſtioribus S. Dionyſii, Germani, & Victoris legitur hæc dictio.

QVÒD cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini.) quòd ſplenderet cutis faciei ſuæ, quum ipſe loqueretur cum eo. Subaudi, Deo. Correctoriũ Sorbonicum admonet legendum eſſe ſplendida, pro cornuta. Verti poteſt per præteritum plusquàm perfectum coniunctiui, ſplenduiſſet.

CORNVTAM Moyſi faciem,) cutem faciei Moyſi ſplendentem. Vel fulgentem, ſiue radiantem.

VOCATIQVE ab eo, reuerſi ſunt tam Aarõ, quàm principes ſynagõgæ.) Et quum vocauiſſet illos Moyſes, reuerſi ſunt ad ipſum, Aaron & omnes principes cõgregationis. Ipſi enim abierant territi ſplẽdore qui apparebat in facie Moyſi.

QVAE audierat à Domino) quæ locutus fuerat Dominus cum eo.

QVOD ingreſſus) Qui ingreſſus. Refert enim Moyſen. Ita etiam legitur in Complutenſi editione.

ET loquens cum eo, auferebat) vt loqueretur cum eo, auferebat velamen.

ET tunc) & egreſſus.

VIDEBANT faciem &c.) videbant cutem faciei Moyſi radiantem, & reponebat Moyſes velamen illud ſuper faciem ſuam, donec ingrederetur ad loquendũ cum eo. Id eſt, donec ingrederetur tabernaculum vt cum Deo loqueretur.

CAP. XXXV.

IGITVR congregata omni turba filiorum Iſrael, dixit ad eos, Hæc ſunt 'quæ iuſſit Dominus fieri. Sex diebus facietis opus: 'ſeptimus dies erit vobis ſanctus, ſabbathum & requies Domini: qui fecerit opus in eo, 'occidetur. 'Nõ ſuccendetis ignẽ in omnibus habitaculis veſtris per diem ſabbathi. Et ait Moyſes ad omnẽ cateruam filiorum Iſrael, Iſte eſt ſermo quem præcepit Dominus, dicens, 'Separate apud vos primitias Domino. Omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino: aurum & argentum, & æs, hyacinthum & purpu- 5.25.a.

t.i.

ram, coccúmque bis tinctum,& byſſum, pilos caprarũ, pelléſque arietum rubricatas,& 'hyacinthinas, lignaſetim,& oleum ad luminaria concinnanda, '& vt conficatur vnguentũ,& thymiama ſuauiſſimũ,lapides onychnos,'& gemmas ad ornatũ ſuperhumeralis & rationalis.

QVAE iuſſit Dominus fieri.) quæ præcepit Dominus vt faciatis.

SEPTIMVS dies erit vobis ſanctus, ſabbathũ & requies Domini:qui &c.) at in die ſeptimo ſit vobis ſanctitas,ſabbathum ceſſationis Domino.Omnis qui fecerit &c. Id eſt,dies autem ſeptimus vobis ſanctus erit,& ſolennis,in quo omni ab operibus ceſſabitis.

OCCIDETVR.) moriatur.Id eſt,ſententia iudicum condemnetur.

NON ſuccendetis &c.) Senſus huius loci eſt,ſabbatho nullum accendendũ ignem fuiſſe vnde lucrum aliquod ſperari poſſet: vt ex fornace, in qua lateres vel ollæ, aut calx decoquitur: aut etiam ſi ſuccenderetur fornax ad coquẽdos panes.

Voluntarius corde. SEPARATE apud vos &c.& argentum) Accipite à vobis oblationẽ Domino:quicunque eſt voluntario corde,offerat eam Domino:nempe aurum,& argẽtum &c.Id eſt,Accipite de his quæ apud vos ſunt, de facultatibus veſtris,quas offeratis Domino: quicunque eſt liberali animo offerat &c.

HYACINTHINAS) Vetus exemplar oblongum S.Germani,legit ianthinas. Hebraice legitur,pelles taxorum.

ET vt conficiatur vnguentum & thymiama ſuauiſſimum,) & aromata pro oleo vnctionis & pro incenſo aromatico.

Lapides repletionum. ET gemmas ad ornatum ſuperhumeralis & rationalis.) & lapides repletionũ pro ſuperhumerali & pectorali. Lapides repletionum vocat eos qui palis aureis includi ſolent.

Quiſquis veſtrum 'ſapiens eſt, veniat, & 'faciat quod Dominus imperauit, Tabernaculum ſcilicet,& tectum eius, 'atque operimentum, 'annulos & tabulata cum vectibus, 'paxillos & baſes: Arcã & vectes, 'propitiatorium, & velum quod ante illud oppanditur: Menſam cum vectibus & vaſis & propoſitionis panibus: 'Cãdelabrum ad luminaria ſuſtentanda, vaſa illius & lucernas & 'oleum ad nutrimenta ignium: Altare thymiamatis, & vectes & oleum vnctionis & thymiama ex aromatibus: 'Tentorium ad oſtium tabernaculi: Altare holocauſti, & craticulam eius æneam cum vectibus & vaſis ſuis: Labrum '& baſes eius: Cortinas atrii cum columnis & baſibus, 'tentorium in foribus veſtibuli, paxillos tabernaculi & atrii cum funiculis ſuis: 'Veſtimẽta quorum vſus eſt in miniſterio ſanctuarii, veſtes Aaron pontificis ac filiorum eius vt ſacerdotio fungantur mihi.

SAPIENS eſt,) ſapienti eſt corde. Id eſt, quiſquis eſt induſtrius. Sapiēs corde
FACIAT quod) faciat quæcunque.
ET tectum) & tentorium.
OPERIMENTVM) addendum pronomen EIVS, ſcilicet tabernaculi.
ANNVLOS) fibulas. Vel, vncinos.
PAXILLOS) columnas.
PROPITIATORIVM) tegumentum. Vel, cælum arcæ.
CANDELABRVM ad luminaria ſuſtentãda) candelabrum luminaris. Id eſt, in quo erant luminaria.
OLEVM ad nutrimenta ignium:) oleum luminarium. Id eſt, quo luminaria ipſa fouebantur.
TENTORIVM ad oſtium tabernaculi:) velum oſtii pro oſtio tabernaculi.
ET baſes eius,) & baſim eius. ſingulari numero. Sic in Complutenſi & Baſilienſi editione, & in veteribus Latinis codicibus S. Dionyſii & Germani legitur.
TENTORIVM in foribus veſtibuli, paxillos tabernaculi & atrii) & velum portæ ipſius atrii, clauos tabernaculi & clauos atrii.
VESTIMENTA quorũ vſus eſt in miniſterio ſanctuarii, veſtes Aaron) Veſtimenta miniſterii ad miniſtrandum in ſancto, veſtes ſanctas Aarõ. Pro ſancto, ſanctuarium vertere potes. Hic veſtimenta, ſignificat ea indumenta quibus candelabrum & altare incenſi, atque arca inuoluebantur. Veſtimenta miniſterii.
VT ſacerdotio fungantur mihi.) ad miniſtrandum.

Egreſſáque omnis multitudo filiorum Iſrael de conſpectu Moyſi, 'obtulerunt mente promptiſſima atq; deuota primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi 'teſtimonii. Quicquid ad cultum & ad veſtes ſanctas neceſſarium erat, viri cum mulieribus præbuerunt, 'armillas & 'inaures, annulos & dextralia: 'omne vas aureũ 'in donaria Domini ſeparatum eſt. Siquis habebat aurum, hyacinthum & purpuram, coccúmque bis tinctũ, byſſum & pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, '& hyacinthinas, argenti & auri æríſque metalla, obtulerũt Domino, lignáque ſetim 'in varios vſus. Sed & mulieres 'doctæ, quæ neuerant, dederũt hyacinthum, purpuram, & 'vermiculum ac byſſum, '& pilos caprarũ, ſponte propria cuncta tribuentes. Principes verò obtulerunt lapides onychinos, '& gemmas ad ſuperhumerale & rationale, aromatáque, & oleũ ad luminaria concinnanda, & ad præparãdum vnguentum, ac thymiama odoris ſuauiſſimi componendum. Omnes viri & mulieres 'mente deuota obtulerunt donaria, vt fierent opera quæ iuſſerat Dominus per manum Moyſi. Cuncti filii Iſrael voluntaria Domino dedicauerunt.

OBTVLERVNT mente promptiſſima atque deuota primitias Domino,) Et venit vnuſquiſque quem incitauit cor ſuum,& omnis cuius voluntarius erat ſpiritus,& attulerunt oblationem Domini.Quaſi dicat,Venerunt omnes homines qui erant præditi animo liberali ac prono ad dandum.

TESTIMONII.) conuentus.

QVICQVID ad cultum & ad veſtes ſanctas neceſſarium erat,viri cum mulieribus præbuerunt &c.) & pro omni miniſterio eius, atque pro veſtibus ſanctis. Venerunt itaque tam viri quàm mulieres, quicunque prompto erant corde,& obtulerunt &c.

ARMILLAS) Vel,fibulas.Alii,inaurem vertunt,ornamentum aurium.

INAVRES,) ornamentum narium.

כּוּמָז DEXTRALIA,) Vox Hebræa CHVMAZ,ſignificat ornamentum quod ponebatur in brachiis.

OMNE vas aureum) quæ omnia ornamenta erant aurea Sic quidã vertunt. Alii ſubaudiunt ERAT, vertũntque, Et omnia vaſa aurea

IN donaria Domini ſeparatum eſt.Siquis habebat aurum,hyacinthum &c.) venerunt inquam omnes viri qui obtulerunt oblationem auri Domino,& omnes viri apud quos reperiebatur hyacinthus,purpura &c. Dictionem AVRVM, ne in vetuſtioribus quidem Latinis codicibus S.Germani, Dionyſii & Victoris, neque in editione Complutenſi legimus.

ET hyacinthinas,argenti,& auri,) & pelles taxorum,argenti,æriſque &c. Dictionem AVRI,neque Latina antiquiora exemplaria S.Dionyſii,& Germani legunt.Hoc etiam admonet Correctorium Sorbonicum. Pro hyacinthinas,Paruũ & oblongum exemplar S.Germani legunt ianthinas.

IN varios vius.) pro vniuerſo opere miniſterii obtulerunt illa.

DOCTAE) Hebraice legitur,quæ ſapienti corde erant. Id eſt,peritæ,quæ optime nere nouerant.

VERMICVLVM,) coccum bis tinctum.

ET pilos caprarum,ſponte propria cuncta tribuentes.) Sed & omnes mulieres quarum cor eleuauerat eas in ſapientia,neuerant pilos caprinos. Hebraiſmus eſt,Quarum cor eleuauerat eas in ſapientia,pro,Mulieres peritæ artis nendi.

ET gemmas ad ſuperhumerale & rationale,) & lapides repletionum pro ſuperhumerali & pectorali. Lapides repletionum vocat(vt iam dictum eſt)gemmas quæ palis aureis includi ſolent.

Lapides repletionum.

MENTE deuota obtulerunt &c.) quorum cor erat liberale,vt offerrent aliquid pro cuncto opere quod præceperat Dominus per Moyſen vt facerent,obtulerunt filii Iſrael donum ſpontaneum Domino. Id eſt, quod ſponte & libero animo dederunt.

Dixítq; Moyſes ad filios Iſrael,Ecce,ᵃvocauit Dominus ex nomine Beſeleel filium Vri filii Hur de tribu Iuda: impleuítque eum ᵇSpiritu Dei,ſapientia & intelligẽtia & ſcientia, & ᶜomni doctrina ᵈad excogitandum, & faciendum opus in auro & argento,& ære,ᵉ& ferro,ᶠſculpendíſque lapidibus,& opere carpentario. quicquid fabrè adinueniri poteſt,ᵍdedit in corde eius: Ooliab quoque filium Achiſamech de tribu Dan: ambos erudiuit ſapientia,vt faciant opera abietarii,polymitarii, ac plumarii de hyacintho ac purpura,coccóque bis tincto, &

byſſo,'& texant omnia,ac noua quæque reperiant.

VOCAVIT Dominus ex nomine) vocauit Dominus nominatim. Id eſt, delegit,ſiue ſelegit. Vocare ex nomine.

SPIRITV Dei) Hebraiſmus eſt,Impleuit Dominus ſpiritu Dei,pro,impleuit Dominus ſpiritu ſuo.Antecedens pro relatiuo.

OMNI doctrina) omni opere.Vel,omni arte.quaſi dicat,reddidit eum abſolutiſſimum in omni arte.

AD excogitandum & faciendum opus) ad cogitandum cogitationes ad operandum.Id eſt,ad excogitandas adinuentiones.

ET ferro,) Hæc verba non leguntur in Latinis vetuſtioribus codicibus,S.Dionyſii,Victoris,& Germani,neque etiam in Complutenſi editione. De hoc præterea admonet Correctorium Sorbonicum.

SCVLPENDISQVE lapidibus,& opere carpentario. quicquid fabrè adinueniri poteſt,) & in arte lapidis,ad replendas,& in artificio ligni,ad operandum in omni opere cogitationis. Artē lapidis,vocat artem gemmariam. Ad replendas, ſcilicet palas lapillis. Opus cogitationū dicitur opus plenum arte, in quo opus eſt ingenio acri. Opus cogitationum.

DEDIT in corde eius: Ooliab quoque filii Achiſamech de tribu Dan : ambos erudiuit ſapientia,vt faciant opera abietarii, polymitarii,ac plumarii) Hic locus eſt admodum obſcurus apud Hebræos, apud quos ſic ad verbum legitur, Et ad docendum poſuit in corde illius,ipſe & Ooliab filius Achiſamech de tribu Dā, impleuit eos ſapientia cordis,vt faciant omne opus artificis & cogitantis,& acupingentis. Poſuit,inquit,in corde illius,ad docendum:id eſt,reddidit eum facilē & promum ad docendum alios. Præterea quod ſequitur,Ipſe & Ooliab ,impleuit eos: Hebraiſmus,pro Impleuit ipſos,Beſeleel ſcilicet,& Ooliab filiū Achiſamech de tribu Dan,ſapientia &c. Sapientiam cordis vocat peritiam artis, & induſtriam,ſiue ingenioſitatem. Ponere in corde ad docendum. Sapientia cordis.

ET texant omnia,ac noua quæque reperiant.) & texentis,facientium omne opus excogitantiū cogitationes nouas.Id eſt,reddidit eos peritos lignarios, phrygiones, acupictores,vel plumarios,& textores: breuiter, ita peritos vt quoduis opus excogitare poſſent,& facere.

CAP. XXXVI.

FECIT ergo Beſeleel, & Ooliab, & omnis vir 'ſapiens, quibus 'dedit Dominus ſapiētiam & intellectū, vt ſcirent 'fabrè operari quæ in vſus ſanctuarii neceſſaria ſunt, '& quæ præcepit Dominus. 'Cúmque vocaſſet eos Moyſes, & omnem eruditum virū cui dederat Dominus ſapientiam,'& qui ſponte ſua obtulerant ſe ad faciendum opus,tradidit eis vniuerſa donaria filiorum Iſrael. Qui cum inſtarent operi,quotidie mane vota populus offerebat. Vnde artifices venire compulſi, dixerunt Moyſi,Plus offert populus 'quàm neceſſarium eſt. Iuſſit ergo Moyſes præconis voce 'cantari, Nec vir nec mulier quicquam offerat vltrà in opere ſanctuarii. Sícque 'ceſſatum eſt à muneribus offerendis,eo quòd obla-

ta 'ſufficerent & ſuperabundarent.

SAPIENS) addendum, corde. Id eſt, ingenioſus.

DEDIT) Vel, dederat.

FABRE operari) facere omnia opera.

ET quæ præcepit) fecit inquam prorſus vt præceperat Dominus.

CVMQVE vocaſſet eos Moyſes, & omnem eruditum virum) Vocauerat enim Moyſes Beſeleel & Ooliab, & omnem ſapientem corde virum. Id eſt, ingenioſos quoſque artifices.

Sapiẽs corde.

ET qui ſponte ſua &c. Plus offert) atque omnem quem excitauerat cor ſuum vt accederet ad hoc opus, ad perficiendum illud. Acceperunt itaque à conſpectu Moyſi omnem oblationem quam obtulerant filii Iſrael pro opere miniſterii ſanctuarii, vt perficerent illud: Ipſi autem votum adhuc afferebant ad eum in mane & mane. Quamobrem omnes ſapientes qui vniuerſum opus ſanctuarii faciebãt, vnuſquiſque ab opere ſuo quod faciebat, venerunt, & loquuti ſunt ad Moyſen, dicentes, Plus offert &c. A conſpectu Moyſi dixit, pro à Moyſe, more Hebraico. Votum, vocat ſpõtaneam oblationem. In mane & mane, Id eſt, ſingulis diebus. Ab opere ſuo, Hoc eſt relicto opere.

A conſpectu Moyſi.
Votum.
In mane & mane.
Ab opere ſuo

QVAM neceſſarium eſt) adde ex Hebraico codice, ad opus quod Dominus iuſſit fieri.

CANTARI) Adde, per caſtra.

CESSATVM eſt) prohibitus eſt populus.

SVFFICERENT, & ſuperabundarent.) ſufficerent pro vniuerſo opere faciendo, & ſuperabundarent.

Feceruntque omnes 'corde ſapientes 'ad explendum opus tabernaculi, cortinas decem de 'byſſo retorta, & hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto, 'opere vario, & arte polymita. quarum vna habebat in longitudine vigintiocto cubitos, & in latitudine quatuor. vna menſura erat omnium cortinarum. Coniunxítque cortinas quinque, alteram alteri, & alias quinque ſibi inuicem copulauit. Fecit & 'anſas hyacinthinas in ora 'cortinæ vnius ex vtroque latere, & in ora cortinæ alterius ſimiliter, vt contra ſe inuicem venirent anſæ, & mutuò iungerentur. vnde & quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum anſas, & fieret vnum tabernaculum.

Corde ſapientes.

CORDE ſapientes) Id eſt ingenioſi artifices.

AD explendum opus tabernaculi, cortinas decem) inter eos qui vacabant operi, fecerunt inquam tabernaculum ex cortinis decem.

Byſſ° retorta. שֵׁשׁ מָשְׁזָר

BYSSO retorta,) Voces Hebrææ, SES MASZAR, ſignificant linum duplicatum: vel vt alii volunt, ſeptuplicatum, ſi Latine dici poſſet. Gallice dicimus, Mis en ſix doubles.

OPERE vario, & arte polymita.) cherubimos opere phrygionico fecit eas. Id eſt, ſparſit eas imaginibus alatis repræſentantibus cherubim.

ANSAS) Vel, anſulas, ſiue laqueolos.

CORTINAE vnius ex vtroque &c. Fecit & ſaga) cortinæ primæ, ex latere quod iungebatur alteri: ſic fecit in ora cortinæ extrema, quæ erat coniungenda

ſecundæ. Quinquaginta anſulas fecit in cortina prima, quinquaginta item in extremitate cortinæ quæ erat iungenda ſecundæ, correſpondebántque ſibi mutuò anſulæ illæ. Fecit quoque quinquaginta fibulas aureas, & coniunxit cortinas, vnā ad alteram, per illas fibulas. atque ita factum eſt tabernaculum vnum. Fecit &c.

Fecit & 'ſaga vndecim de pilis caprarum ad operiendū tectum tabernaculi: 'vnum ſagū in longitudine habebat cubitos triginta, & in latitudine cubitos quatuor. vnius menſuræ erant 'omnia ſaga: quorū quinque iunxit ſeorſum, & ſex alia ſeparatim. Fecítque 'anſas quinquaginta 'in ora ſagi vnius, & quinquaginta 'in ora ſagi alterius, vt ſibi inuicem iungerentur. Et 'fibulas æneas quinquaginta, 'quibus necteretur tectum, vt vnum pallium ex omnibus ſagis fieret. Fecit & opertorium 'tabernaculi de pellibus arietum rubricatis: aliúdque déſuper velamentū de pellibus 'hyacinthinis.

SAGA) cortinas. Sic vbique pro SAGO vertendum.

VNVM ſagum) vna cortina.

OMNIA ſaga: quorum &c.) vndecim cortinæ: quarum &c.

ANSAS) anſulas. vel, laqueolos.

IN ora ſagi vnius,) in ora cortinæ extrema, in coniunctione. Id eſt, in ea parte qua cortina coniungi debet cum alia cortina.

IN ora ſagi alterius, vt ſibi inuicem iungerentur.) in ora cortinæ alterius quæ ſe coniungit in ſecunda. Subaudi, coniunctione.

FIBVLAS æneas) vncinos æneos.

QVIBVS necteretur tectum, vt vnum palliū ex omnibus ſagis fieret.) quibus necteretur tentorium, vt eſſet vnum.

TABERNACVLI) tentorio. Id eſt, pro tentorio.

HYACINTHINIS.) Oblongum exemplar vetus Latinum S. Germani, itē paruum eiuſdem legunt IANTHINIS. Ex Hebræo legendum TAXORVM.

Fecit & tabulas tabernaculi de lignis ſetim ſtantes. Decem cubitorum erat longitudo tabulæ vnius: & vnum ac ſemis cubitū latitudo retinebat. 'Binæ incaſtraturæ erant per ſingulas tabulas, 'vt altera alteri iungeretur. Sic fecit in omnibus tabernaculi tabulis. E quibus viginti ad plagam Meridianam erant contra Auſtrū cū quadraginta baſibus 'argenteis. Duæ baſes ſub vna tabula ponebantur 'ex vtraque parte angulorum, vbi incaſtraturæ laterum in angulis terminantur. Ad plagam quoque tabernaculi quæ reſpicit ad Aquilonē, fecit viginti tabulas cum quadraginta baſibus argenteis, duas

baſes per ſingulas tabulas. Contra Occidentem verò, id eſt ad eam partem tabernaculi quæ Mare reſpicit, fecit ſex tabulas, & duas alias per ſingulos angulos tabernaculi 'retro: quæ iunctæ erant 'à deorſum vſque ſurſum, & in vnam compaginem pariter ferebantur. Ita fecit ex vtraque parte per angulos: vt octo eſſent ſimul tabulæ, & haberent baſes argenteas ſedecim, binas ſcilicet baſes ſub ſingulis tabulis.

BINAE incaſtraturæ) duo cardines.

VT altera alteri iungeretur.) inſtar graduū ſcalarium diſpoſiti alter ad alterum. Id eſt, duo illi cardines correſpondebant ſibi.

ARGENTEIS.) Addendum ex Hebræo, ſub eis.

EX vtraque parte angulorum, vbi incaſtraturæ laterum in angulis terminantur.) pro duobus cardinibus eius, & duæ baſes ſub altera pro duobus aliis.

RETRÒ:) pro vtroque latere. Id eſt, pro vtroque angulo lateris Occidentalis. Alii vertunt, In extremitate vergente ad Occidentem.

A DEORSVM vſque ſurſum, & in vnam compaginem pariter ferebantur.) Deorſum, & pariter copulatæ vſque ad ſummum eius, idque circulo vno.

Fecit & vectes de lignis ſetim, quinque, ad continendas tabulas vnius lateris tabernaculi, & quinque alios ad alterius lateris coaptandas tabulas: & extra hos, quinq; alios vectes ad Occidentalem plagam tabernaculi 'contra Mare. Fecit quoque vectem aliū, qui per medias tabulas ab angulo vſque ad angulum perueniret. 'Ipſa autem tabulata deaurauit, 'fuſis baſibus earū argenteis. Et circulos eorum fecit aureos, per quos vectes induci poſſent: quos & ipſos laminis aureis operuit. Fecit & velum de hyacintho, & purpura, 'vermiculo, ac byſſo retorta, opere polymitario, variū atq; diſtinctū: & quatuor columnas de lignis ſetim, quas cum capitibus deaurauit: fuſis baſibus earum argenteis. Fecit & 'tentoriū in introitu tabernaculi ex hyacintho, purpura, vermiculo, byſſóque retorta, opere plumarii: & columnas quinque cum capitibus ſuis, 'quas operuit auro: 'baſéſque earum fudit æneas, quas & operuit auro.

CONTRA Marc.) Hæc verba non leguntur Hebraice.

IPSA autem tabulata) Ipſas autem tabulas.

FVSIS baſibus earum argenteis.) Hæc non leguntur in codice Hebraico.

VERMICVLO,) cocco bis tincto.

OPERE polymitario, varium atque diſtinctum.) opere phrygionico ſparſit velum illud imaginibus repræſentantibus cherubim.

BASIBVS earum argenteis.) baſibus earum quatuor argenteis.

TENTORIVM in introitu) aulæum pro oſtio. Aut velum.

QVAS operuit auro,) operuítque capita earum, & fila eas cingentia, auro. Fila vocat cælaturas quibus columnæ cingebantur. Fila.

BASESQVE earum fudit æneas, quas & operuit auro.) baſéſque earũ quinque fudit æneas. Quæ ſequũtur, Quas & operuit auro: nõ legũtur ne in antiquioribus quidem Latinis codicibus oblongo S. Dionyſii, vtroque S. Germani, Victorino, & Correctorio Sorbonico.

CAP. XXXVII.

FECIT autem Beſeleel & arcam de lignis ſetim, habentem duos ſemis cubitos in longitudine, & cubitum ac ſemiſſem in latitudine, altitudo quoque vnius cubiti fuit & dimidii: veſtiuítque eã auro puriſſimo intus ac foris. Et fecit illi 'coronam auream per gyrũ, cõflans quatuor annulos aureos per quatuor angulos eius: duos annulos in latere vno, & duos in altero. Vectes quoque fecit de lignis ſetim, quos veſtiuit auro, & quos miſit in annulos qui erant in lateribus arcæ, ad portandum eam. Fecit & 'propitiatorium, id eſt oraculũ, de auro mundiſſimo, duorum cubitorum & dimidii in lõgitudine, & cubiti ac ſemis in latitudine. Duos etiã cherûbim ex auro ductili, quos poſuit ex vtraq; parte propitiatorii, 'cherub vnum in ſummitate vnius partis, & cherub alterum in ſummitate partis alterius: duos cherûbim in ſingulis ſummitatibus propitiatorii, extendẽtes alas, & tegentes propitiatorium, ſéque mutuò & illud reſpicientes.

CORONAM auream) limbum aureum.

PROPITIATORIVM, id eſt oraculum,) tegumentum. Vel, cælum.

CHERVB vnum in &c. extendentes) cherub vnum ab vna parte, & alterum ex altera: de ipſo tegumento fecit ipſos cherubim, in duabus extremitatibus ei⁹. Subaudi, tegumenti. De ipſo tegumento dicit, id eſt, ex eadem materia qua factũ erat tegumentum ſiue cælum.

Fecit & menſam de lignis ſetim in longitudine duorum cubitorum, & in latitudine vnius cubiti, quæ habebat in altitudine cubitum ac ſemiſſem. 'circundedítque oɹnɐ ɯɐǝmundiſſimo, & fecit illi 'labium aureum per

gyrum, ipſique labio coronam aureã interraſilem quatuor digitorum,& ſuper eandem alteram coronam auream. Fudit & quatuor circulos aureos,quos poſuit in quatuor angulis per ſingulos pedes menſæ 'contra coronam: miſitque in eos vectes,'vt poſſit menſa portari. Ipſos quoque vectes fecit de lignis ſetim,'& circundedit eos auro. 'Et vaſa ad diuerſos vſus menſæ, acetabula, 'phialas,'& cyathos,& thuribula,ex auro puro,in quibus offerenda ſunt libamina.

CIRCVNDEDIT QVE) operuítque.

LABIVM aureum &c.Fudit) coronam auream per gyrum.Fecit etiã ei clauſuram palmi vnius per circuitum,limbúmque aureum ſuper ipſam clauſuram in circuitu.Pro clauſura vertere potes coronam interraſilem,vt vertit interpres.

CONTRA coronam:) e regione coronæ.

VT poſſit menſa portari.) ad portandum menſam.

ET circundedit) & operuit.

ET vaſa ad diuerſos vſus menſæ, acetabula) Et vaſa quæ ſuper menſam ponẽda erant,népe ſcutellas eius. Vox Hebræa KEAAROTH, pro qua interpres vertit acetabula,ſignificat ſcutellas in quibus ponebantur panes. Vide nomina horũ vaſorum capite viceſimoquinto huius libri.

PHIALAS,) cochlearia eius. vel thuribula, in quibus ponebatur thus. Hebraice CAPPOTH.

ET cyathos & thuribula ex auro puro,in quibus offerẽda ſunt libamina.) & opercula & crateres,quibus tegẽtur: ex auro puro fecit ea. Quib[9] tegẽtur, inquit: ſcilicet panes. Vide annotationem de hoc, viceſimoquinto capite huius libri.

Fecit & candelabrũ ductile de auro mundiſſimo. 'De cuius vecte calami, ſcyphi, ſphærulǽque ac lilia procedebãt: ſex in vtroque latere,tres calami ex parte vna,& tres ex altera.tres ſcyphi 'in nucis modum per calamos ſingulos,ſphærulǽque ſimul & lilia: & tres ſcyphi inſtar nucis in calamo altero,ſphærulǽq; ſimul & lilia. Æquũ erat opus ſex calamorum, qui procedebant de ſtipite candelabri. In ipſo autem 'vecte erant quatuor ſcyphi in nucis modũ,ſphærulǽque 'per ſingulos ſimul & lilia: & ſphærulæ ſub duobus calamis per loca tria,qui ſimul ſex fiunt calami 'procedentes de vecte vno. & ſphærulæ igitur, & calami 'ex ipſo erant, vniuerſa ductilia ex auro puriſſimo.

DE cuius vecte calami, ſcyphi,ſphærulǽque ac lilia procedebant: ſex in vtroque latere,) Truncus eius,haſtile eius, calami eius,ſcyphi eius, ſphærulæ eius, & flores eius,ex ipſo erant: ſex autem calami egrediebantur ex lateribus eius. Cum

ait, Ex ipſo erant: intellige, ex eadem maſſa auri ex qua candelabrũ erat factum.

IN nucis modum &c. In ipſo) in modum amygdali in calamo vno, cũ ſphærula & flore: & tres ſcyphi in formam amygdali in calamo altero cum ſphærula & flore: ſic fecit in ſex calamis aliis qui procedebant de candelabro.

VECTE) haſtili.

PER ſingulos) Hæc non leguntur in codice Hebræo.

PROCEDENTES de vecte vno) procedentes ex eo. Sub. haſtili candelabri.

EX ipſo erant,) Id eſt, ex eadem materia.

Fecit & lucernas ſeptem cum emunctoriis ſuis, & vaſa vbi ea quæ emuncta ſunt, extinguantur, de auro mũdiſſimo. Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vaſis ſuis. Fecit & altare thymiamatis de lignis ſetim, per quadrum ſingulos habens cubitos, & in altitudine duos: è cuius angulis procedebant cornua. Veſtiuítque illud auro puriſſimo cum craticula ac parietibus & cornibus. Fecítque ei coronam aureolam per gyrum, & duos annulos aureos ſub corona per ſingula latera, vt mittantur in eos vectes, & poſſit altare portari. Ipſos autem vectes fecit de lignis ſetim, & operuit laminis aureis. Compoſuit & oleũ ad ſanctificationis vnguentum, & thymiamata de aromatibus mundiſſimis opere pigmentarii.

QVAE emuncta ſunt, extinguantur,) quæ emuncta erant, reponebantur.

E CVIVS angulis procedebant cornua.) ex eo erant cornua. Id eſt, ex eadem materia.

CVM craticula) cum tecto eius.

AC parietibus) addendum, in circuitu.

CORONAM aureolam) Vel, limbum aureum.

PER ſingula latera, vt mittantur in eos vectes, & poſſit altare portari.) iuxta duas extremitates eius, in duobus lateribus eius, vt mitterentur in eos vectes ad portandum illud.

OLEVM ad ſanctificationis vnguentum, & thymiamata de aromatibus mundiſſimis.) vnguentũ vnctionis ſanctum, & incenſum aromaticũ mundũ. In lato exemplari S. Dionyſii & Paruo S. Germani legitur thymiama, ſingulari numero.

CAP. XXXVIII.

FECIT & altare holocauſti de lignis ſetim, quinque cubitorum per quadrum, & trium in altitudine: cuius cornua de angulis procedebant, operuítque illud laminis æneis. Et in vſus eius parauit ex ære vaſa diuerſa, lebetes, forcipes, fuſcinulas, vncinos, & ignium receptacula. Craticulámque eius in modum retis fecit æneam,

'& ſubter eam in altaris medio arulam, fuſis quatuor annulis per totidem retiaculi 'ſummitates, ad immittẽdos vectes 'ad portãdum. quos & ipſos fecit de lignis ſetim, & operuit laminis æneis: induxítque in circulos qui in lateribus altaris 'eminebant. Ipſum autem altare non erat ſolidum, ſed cauum ex tabulatis, & intus vacuum.

Exod. 20. d.

Fecit & labrum æneum cum 'baſi ſua de ſpeculis mulierum 'quæ excubabant in oſtio tabernaculi.

QVINQVE cubitorum per quadrum) quinque cubitorum erat longitudo ipſius, & quinque cubitorum latitudo eius per quadrum.

CVIVS cornua de angulis procedebant:) Fecit quoque cornua illi in quatuor angulis eius, quæ ex ipſo erant, Id eſt, ex eadem materia.

FORCIPES,) ſcopas.

FVSCINVLAS, vncinos,) Vel, pelues & fuſcinulas.

ET ſubter eam in altaris medio arulam) ſub circuitu eius, ab imo vſque ad dimidium altitudinis eius. Hæc craticula fiebat ne pedibus fœdaretur altare.

SVMMITATES,) extremitates.

AD portandum) Hæc non leguntur Hebraice.

EMINEBANT) Adde ex Hebræo, ad portandum ipſum.

BASI ſua) In Hebraico codice additur AENEA.

QVAE excubabant in oſtio tabernaculi.) quæ cõueniebant ad oſtium tabernaculi. Chaldæus paraphraſtes vertit, Quæ veniebant vt orarẽt in oſtio tabernaculi. Mos erat Iudæarum omnium (inquit Rabbi Abraham) ſuã decorare faciem, & aptare tiaram ſingulo mane ad ſpeculum æneum, aut in vitreis ſuam faciem reſpicere. Erant autem in Iſrael mulieres Deum colentes, quæ ſpreta mundi vanitate, ſoli Deo placere ſtudentes, ſua ſpecula Domino offerebant: non enim erat illis opus. veniebántque per ſingulos dies ad oſtium tabernaculi vt orarent, & Dei audirent præcepta.

Fecit & atrium, in cuius Auſtrali plaga erant 'tentoria de byſſo retorta, cubitorum cẽtum, 'columnæ æneæ viginti cum baſibus ſuis, capita columnarum, & tota operis cælatura, argentea. Æquè ad Septentrionalem plagam tentoria, columnæ, 'baſéſque, & capita columnarũ eiuſdem menſuræ, & operis ac metalli, erant. In ea verò plaga quæ ad Occidentem reſpicit, fuerũt tentoria cubitorum quinquaginta, columnæ decem 'cum baſibus ſuis æneæ, & capita columnarum, & tota operis cælatura, argentea. Porrò contra Orientem quinquaginta cubitorum parauit tentoria, è quibus, 'quindecim cubitos, columnarũ triũ, cum baſibus ſuis vnũ tenebant latus: & in parte altera (quia inter vtraque introitum tabernacu-

li fecit) quindecim æquè cubitorum erant tentoria, columnǽque tres, & baſes totidem. Cuncta atrii tentoria byſſus retorta texuerat. Baſes columnarũ fuere æneæ, capita autem earum cum cunctis cælaturis ſuis argentea: ſed & ipſas columnas atrii veſtiuit argento. Et in introitu eius opere plumario fecit tentorium ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac byſſo retorta, quod habebat viginti cubitos in longitudine, altitudo verò quinque cubitorum erat iuxta menſuram quam cuncta atrii tentoria habebant. Columnæ autem in ingreſſu fuere quatuor cum baſibus æneis, capitáque earum & cælaturæ argenteæ. Paxillos quoque tabernaculi & atrii per gyrum fecit æneos.

TENTORIA) cortinæ.
COLVMNAE æneæ) columnæ earum æneæ.
BASESQVE, &c. In ea) baſéſque earum viginti, æneæ, & capitella earum, & cincturæ earum ex argento.
CVM baſibus ſuis æneæ,) cum baſibus ſuis decem.
QVINDECIM cubitos, columnarum trium) quindecim cubitorum cortinæ & columnæ tres.
ATRII tentoria) Addendum ex Hebræo, per circuitum.
BYSSVS retorta) ex byſſo retorta.
ARGENTEA:) Poſt hoc verbum, Hebraice legitur, Et operimentum capitellorum earum erat argenteum.
IPSAS columnas) omnes columnas.
VESTIVIT) cinxit.
FECIT tentorium) fecit aulæum. Vel, velum.
VERMICVLO,) cocco bis tincto. Vel, vermiculo cocci.
ALTITVDO verò quinque cubitorum erat iuxta menſuram quam cũcta atrii tentoria habebant.) & altitudo quæ ex latitudine ſumitur, erat quinque cubitorum, obſeruata proportione ad cortinas.
CVM baſib⁹ æneis, capitáq; earũ, & cælaturæ argẽteæ. Paxillos quoque) cũ baſibus æneis quatuor: & capitella earũ argentea: operimentũmque capitellorum earum, & cælaturæ earum, erant ex argento. Clauos quoque &c. Quos Gallice Affiebes dicimus: quibus retinebãtur in terra cortinæ, ne facile à vẽto raperẽtur.

Hæc ſunt inſtrumenta tabernaculi teſtimonii, quæ enumerata ſunt iuxta præceptum Moyſi in ceremoniis Leuitarum per manum Ithamar filii Aaron ſacerdotis: quæ Beſeleel filius Vri filii Hur de tribu Iuda, Domino per Moyſen iubente, compleuerat, iuncto ſibi ſocio Ooliab filio Achiſamech de tribu Dan: qui & ipſe artifex lignorũ egregius fuit, & polymitarius atque plumarius

ex hyacintho,purpura,vermiculo,& byſſo. Omne aurum 'quod expenſum eſt in opere ſanctuarii, '& quod oblatum eſt in donariis,vigintinouem talentorum fuit, & ſeptingentorum triginta ſiclorum'ad menſuram ſanctuarii. Oblatum eſt autē ab his qui tranſierunt ad numerum à viginti annis & ſuprà,'de ſexcentis tribus millibus,& quingentis quinquaginta,'armatorum.

Area teſtimonii. TABERNACVLI teſtimonii,) Deeſt dictio arcæ, vt ſic legatur, Tabernaculi arcæ teſtimonii. Vocat autem arcam teſtimonii, eam in qua tabulæ quæ Domini voluntatem teſtabantur,repoſitæ erant.

IN ceremoniis.) in miniſterium.Id eſt,vt ea curarent Leuitæ.Officium enim Leuitarum erat transferendi tabernaculi, quando locum mutabant Iſraelitæ. Oblongum exemplar vetus Latinum S.Dionyſii,& latum S.Germani,legunt In ceremonias accuſandi caſu.

Per manum alicuius. PER manum ithamar) Id eſt,opera Ithamar.Hebraiſmus.

QVOD expenſum eſt in opere ſanctuarii,) quod inſumptum fuit in opus ſanctuarii.

ET quod oblatum eſt in donariis) fuit autem (vel,fuerat autem) aurum iſtud quod inſumptum fuit,ſponte oblatum.Hoc enim ſignificat aurum TENVPHA. תְנוּפָה Hæc vero debent legi per parentheſin.

AD menſuram ſanctuarii.) vel,iuxta ſiclos quibus vtebantur in ſanctuario. Poſt hæc verba,in Hebraico codice legũtur ea quæ ſequuntur,Argentũ autē numeratorũ congregationis,centum talenta mille ſeptingēti ſeptuagintaquinque ſicli,ſecundum ſiclum ſanctuarii Singula capita obtulerunt dimidium ſicli, iuxta pondus ſicli ſanctuarii.Oblatum eſt autem &c.

DE ſexcentis) in ſexcentis.Vel, à ſexcentis & tribus millibus hominum qui in numerum tranſibant &c.

ARMATORVM.) Hic genitiuus hoc loco non legitur Hebraice.

'Fuerunt præterea centũ talenta argenti, è quibus cõflatæ ſunt baſes ſanctuarii, & introitus vbi velum pendet. Centum baſes factæ ſunt de talentis centum, ſingulis talentis per baſes ſingulas ſupputatis.De mille autē ſeptingentis,& ſeptuaginta 'quinque ſiclis fecit capita columnarum, 'quas & ipſas veſtiuit argento. AEris quoque oblata ſunt talenta ſeptuagintaduo millia, & 'quadringēti ſupra ſicli, ex quibus fuſæ ſunt baſes in introitu tabernaculi 'teſtimonii, & altare æneum cũ craticula ſua, omniáque vaſa quæ ad vſum eius pertinent, & baſes atrii tam in circuitu, quàm in ingreſſu eius, & paxilli tabernaculi atque atrii,per gyrum.

FVERVNT præterea) Fueruntque.Vel,Eruntque.

QVINQVE ſiclis fecit &c.) Vox SICLIS,hoc loco non legitur neque in ve-

tuſtioribus Latinis codicibus S. Germani & Dionyſii.

CAPITA) capitella.

QVAS & ipſas veſtiuit auro.) quarum capitella texit,& cinxit cælaturis. Texit,inquit,auro: & cinxit cælaturis argenteis.

QVADRINGENTI ſuprà ſicli.) Aduerbium SVPRA,nō legitur Hebraice.

TESTIMONII,) conuentus.

CAP. XXXIX.

DE hyacintho verò & purpura, vermiculo ac byſſo 'fecit veſtes, quibus indueretur Aaron quādo miniſtrabat in ſanctis, ſicut præcepit Dominus Moyſi. 'Fecit igitur ſuperhumerale de auro, hyacintho,& purpura,coccóque bis tincto, & byſſo retorta, 'opere polymitario.'incidítque bracteas aureas,& extenuauit in fila, vt poſſent torqueri cum priorum colorum ſubtegmine, 'duáſque oras ſibi inuicem copulatas in vtroque latere ſummitatum,& balteū ex eiſdem coloribus, ſicut præceperat Dominus Moyſi.

FECIT veſtes,quibus indueretur Aaron quando miniſtrabat in ſanctis,ſicut præcepit Dominus) fecerunt veſtes miniſterii quæ ſeruirent ſanctuario: fecerunt item veſtes ſanctas quæ erant Aaronis,ſicut præceperat Dominus.

FECIT igitur) Dictio IGITVR,nō legitur hoc loco Hebraice.Nominatiuus autem qui ſubintelligitur ante FECIT,eſt Beſeleel.

OPERE polymitario.) Neque hocloco hæc duo vocabula legūtur in Hebræo.

INCIDÍTQVE bracteas aureas,& extenuauit in fila,vt poſſent torqueri cum priorum colorū ſubtegmine) Extenuauerúntque bracteas aureas vnde abſcidit fila quæ texebantur cum hyacintho,purpura,cocco,& lino,opere phrygionis.

DVASQVE oras &c. ſicut præceperat) Fecerúntque & latera illi, quæ copularentur inter ſe: in duabus extremitatibus coniungebatur. Artificium quoque cinguli eius quod erat ſuper ipſum, ex ipſo erat, & ſimilis texturæ,ex auro,hyacintho,purpura,cocco,& byſſo retorta. Ex ipſo ait,id eſt ex eadem materia.

'Parauit & duos lapides onychinos,aſtrictos & incluſos auro , & ſculptos arte gemmaria nominibus filiorum Iſrael. 'ſex nomina in lapide vno, & ſex in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum. Poſuítque eos in lateribus ſuperhumeralis in monimentū filiorum Iſrael, ſicut præceperat Dominus Moyſi. Fecit & 'rationale opere 'polymito iuxta opus ſuperhumeralis,ex auro,hyacintho,purpura,coccóque bis tincto, & byſſo retorta: quadrāgulū, duplex,mēſuræ 'palmi. Et poſuit in eo gēmarū ordines quatuor. in primo verſu erat 'ſardius,topazius,ſmaragdus.in ſecundo,carbunculus,ſapphîrus &

iaſpis. in tertio, ligyrius, achates & amethyſtus. in quarto, chryſolithus, onychinus, & berillus, 'circundati & incluſi auro per ordines ſuos. Ipſiq; lapides duodecim, ſculpti erant nominibus duodecim 'tribuũ Iſrael, ſinguli per nomina ſingulorũ. Fecerũt in rationali &'catenulas 'ſibi inuicem cohærentes, de auro puriſſimo: '& duos vncinos, totidémque annulos aureos. Porrò annulos poſuerunt in vtroque latere rationalis, è quibus pendérẽt duæ catenæ aureæ, quas inſeruerunt vncinis qui in ſuperhumeralis angulis eminebant.

PARAVIT) Parauerunt. Pluralis numeri.

SEX nomina in lapide vno, & ſex in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorũ.) Hæc non leguntur etiam in antiquioribus Latinis codicibus S. Germani, Victoris & Dionyſii, neque in editionibus Complutenſi & Baſilienſi. De hoc & admonet Correctorium Sorbonicum.

RATIONALE) pectorale.

POLYMITO) phrygionico.

PALMI.) Addendum ex Hebræo, Tam in longitudine, quàm in latitudine: atque ita erat duplex.

SARDIVS &c.) De his lapidum nominibus, vide caput XXVIII huius libri.

CIRCVNDATI & incluſi auro per ordines ſuos.) circundati palis aureis quas implebant.

TRIBVVM Iſrael,) Addendum, ſculpturis ſigilli. Vide annotationem ſuprà capite XXVIII.

CATENVLAS) Hebraice legitur, catenulas termini. Id eſt, breues.

SIBI inuicem cohærentes,) opere intorto. In modum ſcilicet funium.

ET duos vncinos) Iam autem fecerant duos vncinos aureos. Qui ſcilicet coniuncti erant palis lapidum onychinorum ſuperhumeralis.

'Hæc & antè & retrò ita cõueniebant ſibi, vt ſuperhumerale & rationale mutuò necterẽtur, ſtricta ad balteũ & annulis fortius copulata, quos iungebat vitta hyacinthina, ne laxa fluerent, & à ſe inuicẽ mouerentur, ſicut præcepit Dominus Moyſi. 'Fecerunt quoque tunicam ſuperhumeralis totã hyacinthinã: & capitium in ſuperiori parte contra medium, orámque per gyrum capitii textilẽ: 'deorſum autẽ ad pedes mala punica ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac byſſo retorta: & tintinnabula de auro puriſſimo, quæ poſuerunt inter malogranata 'in extrema parte tunicæ per gyrum: 'tintinnabulũ autem aureum & malum punicum, quibus ornatus ince-

debat pontifex quando miniſterio fungebatur,ſicut præceperat Dominus Moyſi. Fecerũt & tunicas byſſinas opere textili Aarõ & filiis eius: '& mitras cũ coronulis ſuis ex byſſo:feminalia quoq; linea, 'byſſina:cingulũ verò de byſſo retorta,hyacintho,purpura, ac vermiculo 'diſtinctũ arte plumaria,ſicut præceperat Dominus Moyſi.

HAEC & ante &c.Fecerunt quoque) Fecerunt & alios duos annulos aureos, quos poſuerunt in duobus lateribus pectoralis inferne,eregione faciei eius,& eregione coniunctionis eius,paulo ſupra artificium ſuperhumeralis.Et coniunxerunt pectorale ab annulis ſuis cum annulis ſuperhumeralis per vittam hyacinthinam,vt ſcilicet eſſet (ſubaudi, pectorale) ſuper artificium ſuperhumeralis, & nõ dimoueretur pectorale ab ipſo ſuperhumerali: ſicut præcepit Dominus Moyſi. Fecerunt quoque &c. Quod dicit, eregione faciei eius,ſignificat,in parte eius anteriore.

FECERVNT quoque &c. deorſum) fecit & pallium ſuperhumeralis opere textili,totum hyacinthinum.Erat autem foramen in medio pallii,inſtar foraminis loricæ:in eóque ora per circuitum foraminis,nè rumperetur. Pallium ſuperhumeralis vocat quod ſupponebatur ipſi ſuperhumerali.

DEORSVM autem ad pedes) Fecerunt & in fimbriis pallii.

IN extrema parte tunicæ) in fimbriis pallii.

TINTINNABVLVM autem aureum &c.ſicut præceperat) tintinnabulum autem & malum punicum,rurſum tintinnabulum & malum punicum erant in fimbriis pallii per circuitum ad miniſtrandum: ſicut præceperat &c.Id eſt,in pallio quo vteretur in miniſtrando.

ET mitras cum coronulis ſuis) & mitram byſſinam,& ornamenta galerorũ. Id eſt,elegantes galeros.

BYSSINA:) ex byſſo retorta.

DISTINCTVM arte plumaria,) opere phrygionico.

Fecerunt & 'laminam ſacræ venerationis de auro puriſſimo,'ſcripſerúntque in ea opere gemmario,'Sanctum Domini: '& ſtrinxerunt eam cum mitra vitta hyacinthina,ſicut præceperat Dominus Moyſi.

LAMINAM ſacræ venerationis) laminam coronæ ſanctitatis. Vel,pro corona ſancta.

SCRIPSERVNTQVE in ea opere gemmario,) ſculpſerúntque in ea ſculptura ſculpturarum annuli.Id eſt,ſculptura elegantiſſima,& facta affabre.

SANCTVM Domini.) KODES LAIEHOVA,Id eſt,Sãctitas Domino. Hoc eſt, ſanctitas decet Dominum. quaſi dicat, Procul eſte prophani, ſancte colendus eſt Deus. קֹדֶשׁ לַיהוָה

ET ſtrinxerunt eam cũ mitra vitta hyacinthina,) inſeruerúntque in ea (ſubaudi lamina)filum hyacinthinum,vt collocarent eam ſupra mitram.Id eſt,paulo ſupra frontem.

Perfectum eſt igitur omne opus 'tabernaculi & tecti teſtimonii.Fecerúntque filii Iſrael'cuncta quæ præceperat Dominus Moyſi. Et 'obtulerunt tabernaculũ '& tectum & vniuerſam ſupellectilẽ,annulos,tabulas,vectes,

columnas ac baſes, opertorium de pellibus arietum rubricatis, & aliud operimentũ de hyacinthinis pellibus, velum: arcam, vectes, propitiatorium, menſam cũ vaſis ſuis & propoſitionis panibus: candelabrum, lucernas, & vtenſilia earum cum oleo: altare aureum, & vnguentũ, & thymiama ex aromatibus, & tentoriũ in introitu tabernaculi: altare æneum, retiaculum, vectes, & vaſa eius omnia: labrum cum baſi ſua: tentoria atrii, & columnas cum baſibus ſuis, tentorium in introitu atrii, funiculóſque illius & paxillos. Nihil ex vaſis defuit quæ in miniſterium tabernaculi, & in tectũ fœderis iuſſa ſunt fieri. Veſtes quoque quibus ſacerdotes vtũtur in ſanctuario, Aaron ſcilicet & filii eius, obtulerunt filii Iſrael, ſicut præceperat Dominus. Quæ poſtquam Moyſes cuncta vidit completa, benedixit eis.

TABERNACVLI, & tectĩ teſtimonii.) tabernaculi, & tẽtorii cõuentus. Id eſt, tabernaculi quod alio nomine dicitur tentorium conuentus. Per appoſitionem enim tabernaculum dicitur tentorium conuentus. Debẽtque hoc loco ET, pro id eſt accipi.

CVNCTA) prorſus iuxta omnia.

OBTVLERVNT tabernaculum) Addendum, Moyſi, in datiuuo.

ET tectum, & vniuerſam ſupellectilem, annulos &c.) nempe tentorium, & omnia vaſa eius, vncinos eius &c. Hæc per expoſitionem dicuntur. exponit enim quid per tabernaculum intelligat, nempe &c.

DE hyacinthinis pellibus,) de pellibus taxorum. Vetus exemplar S. Germani paruum & latum legit, De ianthinis pellibus.

VELVM) & velum. Siue aulæum.

ARCAM, vectes,) arcam teſtimonii, & vectes.

PROPITIATORIVM) tectorium Siue tegumentum.

CANDELABRVM, lucernas & vtenſilia earum cum oleo:) candelabrũ purum cum lucernis eius, cum lucernis inquam diſpoſitionis, & omnia vaſa eius, & oleum luminaris. Lucernas diſpoſitionis vocat, quòd quotidie aptabãtur mane & veſperi. Oleum luminaris erat quod infundebatur lucernis.

Lucernæ diſpoſitionis.

TENTORIVM in introitu) velum pro oſtio. Sic paulo infra vertendum.

RETIACVLVM,) cum cribro eius æneo.

TENTORIA atrii,) cortinas atrii.

NIHIL ex vaſis defuit quæ in miniſterium tabernaculi, & in tectum fœderis iuſſa ſunt fieri.) & omnia vaſa miniſterii tabernaculi pro tentorio conuentus.

VESTES quoque &c. Quæ poſtquam) Veſtes quoque miniſterii ad miniſtrandum in ſanctuario, & veſtimenta ſancta pro Aaron ſacerdote, & veſtimenta filiorum eius, in quibus ſacerdotio fungerentur. Prorſus vt præceperat Dominus Moyſi, ſic fecerũt filii Iſrael omne opus. Quæ poſtquam &c. Veſtes miniſterii ad miniſtrandum in ſanctuario, vocat veſtes quibus vtebantur in transferendo tabernaculo.

Veſtes miniſterii.

COMPLETA) Addunt Hebræi, ſicut præceperat Dominus.

CAP. XL.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen, dicẽs, Menſe primo, prima die mẽſis eriges 'tabernaculum teſtimonii,& pones in eo 'arcam,'demittéſque ante illam velum: & illata mẽſa pones ſuper eam quæ ritè præcepta ſunt.'Cãdelabrum ſtabit cum lucernis ſuis, & altare aureũ in quo adoletur incẽſum, corã arca teſtimonii. 'Tentorium in introitu tabernaculi teſtimonii pones: & ante illud, altare holocauſti: labrum inter altare &'tabernaculum,quod implebis aqua.'Circundabíſque atrium tentoriis,& ingreſſum eius.

MENSE primo.) Id eſt, prima die mẽſis Niſan. Aſcendit enim Moyſes altera vice montem Sinai, viceſimanona die menſis Ab,& deſcendit, iterum de monte decima die menſis Tiſri, qui fuit dies propitiationis: fuitque per totum menſem Elul,& per decem dies menſis Tiſri in monte, quadraginta ſcilicet diebus ac noctibus. Et mox vt deſcendit, præcepit vt inſiſterent operi taberculi perficiendo: conſummauerũntque vniuerſum opus ab Autumno, vſque ad principium mẽſis Paſchalis, qui iam erat ſecundus annus(incipiens ſcilicet)ab egreſſu de AEgypto.

TABERNACVLVM teſtimonii,) tabernaculum, tentorium conuentus. Hoc per appoſitionem dictum eſt: tabernaculum, quod alio nomine dicitur tentoriũ conuentus.

ARCAM.) Addendum, teſtimonii.

DEMITTESQVE ante illam velum,) & teges arcam illam velo ipſo.

CANDELABRVM ſtabit cum lucernis ſuis,) Candelabrum introduces, & accendes lucernas eius.

TENTORIVM in introitu tabernaculi teſtimonii pones:& ante illud, altare, &c.) Velum pro oſtio tabernaculi pones:& ante illud tabernaculum, tentorium conuentus, altare &c.

TABERNACVLVM.) adde ex Hebræo, conuentus.

CIRCVNDABISQVE atrium tentoriis,& ingreſſum eius.) Pones autem atrium per circuitum,& expandes aulæum ad oſtium atrii.

Et aſſumpto vnctionis oleo vnges tabernaculum 'cũ vaſis ſuis, vt ſanctificetur: altare holocauſti & omnia vaſa eius: labrum cum baſi ſua: omnia vnctionis oleo conſecrabis, vt ſint ſancta ſanctorum. 'Applicabíſque Aaron & filios eius ad fores 'tabernaculi teſtimonii, & lotos aqua indues ſanctis veſtibus, vt miniſtrent mihi, & vnctio eorum in ſacerdotium ſempiternum proficiat. Fecítque 'Moyſes omnia quæ præceperat Dominus.

CVM vaſis ſuis,&c. Applicabíſque.) & omne quod eſt in eo, ſanctificabíſque illud,& omnia vaſa eius, erítque ſanctitas. Vnges altare holocauſti, & omnia vaſa eius, ſanctificabíſque illud,& erit altare ſanctitas ſanctitatum. Vnges etiã labrum

Sanctitas ſanctitatum. & baſim ejus: ſanctificabíſque illud. Quod ait, & erit ſanctitas ſanctitatū: perinde eſt ac ſi dicat, ſacroſanctum erit.

APPLICABISQVE) Accederéque facies.

TABERNACVLI teſtimonii, &c. Fecítque) tabernaculi cōuētus: & lauabis eos aqua. Indues autem Aaronem veſtibus ſanctis, vngéſque eū, & ſanctificabis, vt ſacerdotio fungatur mihi. Appropinquare facies & filios eius, induéſque eos tunicis, & vnges, ſicut vnxiſti patrem eorū, vt ſacerdotio fungantur mihi. Vngētur autē, vt perpetuo fungantur mihi ſacerdotio, ſeculis ſuis. Id eſt, quandiu viuent. Seculis ſuis.

MOYSES omnia.) Hebraice legitur Moyſes prorſus omnia, &c.

Igitur menſe primo anni ſecundi, prima die menſis
Num.7.a 'collocatum eſt tabernaculum. ‖Erexítq; Moyſes illud, & poſuit tabulas ac baſes & vectes, 'ſtatuítque columnas, & expandit tectum ſuper tabernaculum, impoſito deſuper operimento, ſicut Dominus 'imperauerat. Poſuit & 'teſtimonium in arca, 'ſubditis infrà vectibus, & oraculum déſuper. Cúmque intuliſſet arcam in tabernaculum 'teſtimonii, 'appendit ante eam velum, vt expleret Domini iuſſionem. Poſuit & menſam in tabernaculo 'teſtimonii ad plagam Septētrionalem 'extra velum, ordinatis coràm propoſitionis panibus, ſicut præceperat Dominus Moyſi.

COLLOCATVM) erectum.

STATVITQVE columnas,) erexítque columnas.

ET expandit tectum) expandítque tentorium.

IMPERAVERAT.) præceperat Moyſi.

TESTIMONIVM) tabulas teſtimonii.

SVBDITIS infrà vectibus, & oraculū deſuper.) poſuítque vectes in arca: poſtea poſuit tectoriū ſupra arcā. Id eſt, traduxit vectes per annulos arcæ: poſtea &c.

TESTIMONII,) Hæc vox hoc loco non legitur Hebraice, neque in Latinis vetuſtioribus codicibus S. Dionyſii & Germani, neque in Baſilienſi editione.

APPENDIT ante eam velum, vt expleret Domini iuſſionem.) poſuit velū, & texit arcam teſtimonii, vt præceperat Dominus Moyſi. De velo quod oppandebatur arcæ, loquitur.

TESTIMONII) conuentus. Sic & paulo poſt.

EXTRA velum, ordinatis coràm propoſitionis &c.) citra velum: rite ordinatis in conſpectu Domini propoſitionis &c. Velum illud intelligit quod diſtinguebat in duas partes tabernaculum.

'Poſuit & cādelabrum in tabernaculo teſtimonii eregione menſæ in parte Auſtrali, 'locatis per ordinem lucernis, iuxta præceptum Domini. Poſuit & altare aureū 'ſub tecto teſtimonii contra velum, & adoleuit ſuper eo incenſum aromatum, ſicut iuſſerat Dominus Moyſi. 'Poſuit & tentorium in introitu tabernaculi teſtimonii,

& altare holocauſti 'in veſtibulo teſtimonii, offerens in eo holocauſtum &'ſacrificia, vt Dominus imperauerat. Labrum quoque ſtatuit inter tabernaculum teſtimonii, & altare, implens illud 'aqua . 'Lauerúntque Moyſes & Aaron, ac filii eius manus ſuas & pedes, cum ingrederẽtur'tectum fœderis, & accederent ad altare, ſicut præceperat Dominus Moyſi. Erexit & atrium per gyrum tabernaculi & altaris, 'ducto in introitu eius tentorio.

LOCATIS per ordinẽ lucernis, iuxta præceptũ Domini.) accendítque lucernas corã Domino, vt præceperat Dominus Moyſi. Hebraiſmus eſt, corã Domino, vt præceperat Dominus: pro, vt ipſe præceperat. antecedens pro relatiuo.

SVB tecto teſtimonii contra velum) in tentorio conuentus ante velum.

POSVIT & tentorium in introitu tabernaculi teſtimonii) Poſuit & velum oſtii tabernaculi conuentus. Id eſt, obtendit oſtio tabernaculi velum, ſiue aulæũ.

IN veſtibulo teſtimonii,) ante oſtiũ tabernaculi tentorii conuentus. Iſta duo idem ſignificant: quaſi dicat, in oſtio tabernaculi, tabernaculi inquam conuentus, ſiue fœderis.

SACRIFICIA,) oblationem. Iſta oblatio fiebat de liquidis, farina ſimilaginea conſperſa oleo.

AQVA) addendum ex Hebræo, ad lauandum.

LAVERVNTQVE Moyſes) Lauerũntque ex eo Moyſes. Id eſt, ex eius aqua. Complutenſis & Moguntinenſis editio legunt in eo.

TECTVM fœderis,) tabernaculum conuentus.

DVCTO in introitu eius tentorio.) poſuítque velamen ad oſtium atrii.

Poſtquam omnia perfecta ſunt, operuit nubes tabernaculum teſtimonii, & gloria Domini impleuit illud. Nec poterat Moyſes ingredi'tectum fœderis, nube operiente omnia, & maieſtate Domini coruſcante, quia cũcta nubes operuerat. Siquãdo nubes tabernaculum deſerebat, proficiſcebãtur filii Iſrael'per turmas ſuas: ſi pẽdebat déſuper, manebãt in eodẽ loco. Nubes quippe Domini incubabat per diẽ tabernaculo, & ignis in nocte, videntibus cũctis'populis Iſrael per cunctas'mãſiones ſuas.

POSTQVAM omnia perfecta ſunt,) Poſtquam perfecit Moyſes opus illud.

TECTVM fœderis, nube operiente omnia, & maieſtate Domini coruſcante, quia cuncta nubes operuerat.) tentorium conuentus, nube operiente illud, & maieſtate Domini implente tabernaculum.

PER turmas ſuas: ſi pendebat déſuper, manebant in eodem loco.) in omnibus profectionibus ſuis: quando autem nubes non recedebat, non proficiſcebãtur vſque ad diem quo proficiſcebatur. In omnibus profectionibus ſuis, inquit, id eſt, per omnes profectiones ſuas, & quoties proficiſcebantur. In omnibus profectionibus ſuis.

POPVLIS) familiis.

MANSIONES) profectiones.

tem, non macilentum, non debilem, non languidum.

AD oſtium tabernaculi teſtimonii) ad oſtium tabernaculi conuentus. Vel, fœderis. id eſt, ad oſtium atrii. Tabernaculum conuentus ſiue fœderis, proprie domicilium arcæ & altaris thymiamatis, id eſt, Sanctum & Sanctum ſanctorum ſignificat. accipitur tamen aliquando pro toto ædificio illo ſacro quod etiam atriũ complectitur, vt hic & Nume. 4. c. ad oſtium enim atrii deducebãt hoſtiam, quam ſacerdotibus tradebant. Tabernaculũ teſtimonii.

AD placandum ſibi Dominum) propria ſua voluntate coram Domino. Sic rectius vertitur. Chaldæus tamen paraphraſtes vertit, Vt accepta ſit illi corã Domino. Id eſt, ad placandum Deum. ſic etiam LXX. Quod ait, Coram Domino, ſignificat ante Tabernaculũ conuentus, ſiue fœderis vbi exhibebat ſe Deus præſentem filiis Iſrael. Coram Domino.

PONETQVE manus ſuper caput hoſtiæ) Ponétque manus ſuper caput holocauſti. Id eſt, victimæ quæ futura eſt holocauſtum, totáque igni abſumenda eſt. Impoſitione manuum ſignificat offerens, ſuam oblationem eſſe ſpontaneam, ſeque omnia quæ in manu ſua erant, à Deo accepiſſe.

ACCEPTABILIS erit,) Hebraice additur pronomen EI. id eſt Deo.

IN expiationem eius) Id eſt, ad placandum ipſi Deum. quaſi dicat, hac victima reddetur Deus illi propitius. Chaldæus paraphraſtes, Vt ſit redẽptio pœnarũ quas ille daturus erat. In expiationẽ eius.

'Immolabítque 'vitulum 'coram Domino, & offerent filii Aaron 'ſacerdotis ſanguinem eius, fundentes 'per altaris circuitum, quod eſt ante oſtium 'tabernaculi. detractáq; pelle hoſtiæ, artus in fruſta 'concídent, & 'ſubiicient in altari ignem, ſtrue lignorum antè compoſita: & membra quæ ſunt cæſa, déſuper ordinãtes, caput videlicet, '& cuncta quæ adhærent iecori, inteſtinis & pedibus lotis aqua: adolebítque ea ſacerdos ſuper altare 'in holocauſtum & ſuauem odorem Domino.

IMMOLABITQVE) ſubaudi, ſacerdos.

VITVLVM) Ex Hebræo addendum, armenti.

CORAM Domino) Id eſt, coram altari Domini.

SACERDOTIS) Hebraice plurali numero legitur, ſacerdotes. Atque ita in oblongo S. Germani legitur, & lato S. Dionyſii, & Complutenſi editione.

PER altaris circuitum,) ſuper altare per circuitum.

TABERNACVLI) Addendum, conuentus.

CONCÍDENT,) concídet. Singulari numero, ſacerdos nempe, aut miniſter.

SVBIICIENT in altari ignem, ſtrue lignorum antè compoſita:) ponent filii Aaronis ſacerdotis, ignem ſuper altare, diſponéntque ligna ſuper ignem.

ET cuncta quæ adhærent iecori,) & adipem. Vox Hebræa PEDER, ſignificat adipem illum ſiue reticulum illud quod ſuper hepar poſitum inuenitur. פֶּדֶר

IN holocauſtum & ſuauem odorem Domino.) holocauſtum eſt vſtulatũ (vel ignitum) odoris quietis Domino. Id eſt, odoris gratiſſimi. Quaſi dicat, holocauſtũ iſtud quod igni abſumitur, nidorem reddit ſuauiſſimum quo placatur Deus. Holocauſtum odoris quietis

Quòd ſi de pecoribus oblatio eſt, de ouibus ſiue 'de capris 'holocauſtum: 'agnum anniculum & abſque macula offeret: 'immolabítque ad latus altaris quod reſpi-

cit Aquilonem,'coram Domino.ſanguinem verò illius fundent ſuper altare 'filii Aaron per circuitũ:'diuidéntque membra, caput '& omnia quæ adhærent iecori: '& imponent ſuper ligna, 'quibus ſubiiciendus eſt ignis:inteſtina verò & pedes 'lauabunt aqua. Et oblata omnia adolebit ſacerdos ſuper altare 'in holocauſtum & odorem ſuauiſſimum Domino.

DE capris) Id eſt,de maſculo caprarum fœtu.

HOLOCAVSTVM) ad holocauſtum faciendum.Ordo talis eſſe debet,Si oblatio ad holocauſtum faciendum eſt de pecoribus &c.

AGNVM anniculum,& abſque macula) maſculum integrum.Aut,ſine vllo vitio.Latina antiquiora exẽplaria S.Dionyſii & Germani non legunt AGNVM. De hoc etiam admonet Correctorium Sorbonicum: próque anniculo, legendũ maſculum,vt legimus in editione Complutenſi.

IMMOLABITQVE) Subaudi,ſacerdos.

Coram Domino. CORAM Domino) Vel, in conſpectu Domini. hoc dicit quia mactabatur coram Sancto.

FILII Aaron) Addendum,ſacerdotes.

DIVIDENTQVE) diuidẽtque. Subaudi,ſacerdos.

ET omnia quæ adhærent iecori:) & adipem.Vide paulo ſuprà,de hoc annotationem.

ET imponent) & diſponet ea.

QVIBVS ſubiiciendus eſt ignis:) quæ ſunt in altari ſuper ignem.

LAVABVNT) lauabit. Subaudi,ſacerdos.

Holocauſtum odoris quietis Domino. אִשֶּׁה IN holocauſtum,& odorem ſuauiſſimum Domino.) holocauſtum & ſacrificium eſt odoris quietis Domino Quaſi dicat,Holocauſtum quod dixi, & ſacrificiũ ſiue res igni abſumpta, eſt gratiſſima Domino.Vox Hebræa ISSE, pro qua hic ſacrificium vertimus, ſignificat oblationem quæ igni abſumebatur.

Si autem de auibus,holocauſti 'oblatio fuerit Domino: 'de turturibus '& pullis columbæ'offeret eam ſacerdos ad altare:'& retorto ad collum capite,ac rupto vulneris loco decurrere faciet ſanguinem ſuper crepidinẽ altaris: veſiculã verò gutturis & plumas proiiciet prope altare 'ad Orientalem plagam,in loco in quo cineres effundi ſolent.'confringétque aſcellas eius, & non ſecabit, neque ferro diuidet eam, & adolebit ſuper altare, 'lignis igne ſuppoſito. Holocauſtum eſt & 'oblatio ſuauiſſimi odoris Domino.

OBLATIO) Addendum pronomen EIVS.

DE turturibus) In codice Hebraico præcedit ET, quod pro tunc accipiendũ eſt. Tunc de turturibus &c.

Et pro tunc.

ET pullis) aut de pullis.

OFFERET eam ſacerdos) offeret oblationẽ ſuam.Et offeret eã ſacerdos &c.

ET retorto ad collum capite,ac in pro vulneris loco,decurrere faciet ſanguinē per crepidinem altaris:) ſecabitque vngue caput eius,& cremabit ſuper altare, ſanguis vero eius exprimetur iuxta parietem altaris.

AD Orientalem plagam,) Id eſt,ad eam partem quæ procul erat à Sancto ſanctorum. ingrediebantur enim tabernaculum ab Oriente.

CONFRINGETQVE aſcellas eius,& non ſecabit,neque ferro diuidet eam,) Et findet illam cum alis ſuis,& non abrumpet. Id eſt,oblationē illam cū alis ſuis remanentibus findet,& non ſeparabit eas.quaſi dicat,alæ eius non reſecabuntur, neque ſeparabit ſacerdos partem alteram ab altera.

LIGNIS igne ſuppoſito.) ſuper ligna quæ ſunt ſuper ignem.

OBLATIO) ignitum.Vel,incenſum.Id eſt,oblatio igni abſumpta.

CAP. II.

ANIMA cum obtulerit oblationē ſacrificii Domino, ſimila erit eius oblatio. fundétque ſuper eā oleum, & ponet thus, ac deferet ad filios Aaron ſacerdotis: quorum vnus tollet pugillum plenum ſimilæ & olei, ac totum thus, & ponet memoriale ſuper altare in odorem ſuauiſſimum Domino. quod autem reliquum fuerit de ſacrificio,erit Aaron & filiorum eius, ſanctum ſanctorum de oblationibus Domini. Eccli.7.d.

ANIMA cū obtulerit) Ordo eſt inuerſus,Cū autē offeret anima.Id eſt,aliquis priuatus Chaldæus paraphr. vertit,Et homo.Priuatum hominē ſignificare volēs. Anima.

SACRIFICII) muneris. Id eſt,oblationem quæ vocatur munus. Hebraice MINHA,Id eſt,quum quis priuatus oblationē offerre volet quæ vocatur munus. מִנְחָה Munus.

SIMILA erit eius oblatio.) Id eſt,ē ſimila offeret eam.

SACERDOTIS:) ſacerdotes.Plurali numero : atque ita legitur in oblongo veteri exemplari S. Germani.

TOLLET pugillū plenū ſimilæ & olei,ac totū thus,) tollet ex eo(ſub.munere) pugillum plenū de ſimila eius (ſub.muneris) & oleo eius cū toto illius thure.

ET ponet memoriale ſuper altare in odorem ſuauiſſimū Domino.) & adolebit ſacerdos memoriale eius ſuper altare: hoc quod igni abſumitur,eſt odoris ſuauiſſimi Domino.Id eſt,adolebit id quod Deo reducet in memoriā ipſum offerentem: eáque res, ſacrificium ſcilicet illud quod ita crematur, gratiſſimum eſt Domino.Alii dicunt vocem Hebræam AZCARA,pro qua memoriale verſum eſt, ſignificare odorem,vt ſic legatur,& adolebit ſacerdos odorē eius ſuper altare. Memoriale. אַזְכָּרָה

DE ſacrificio,) de munere.

SANCTVM ſanctorum de oblationibus Domini.) ſanctum ſanctorū eſt de oblationibus Domini ignitis.Vel,de iis quæ in honorem Domini incenduntur. quaſi dicat,Id enim eſt ſacroſanctū:quia id eſt de iis quæ incenduntur in honorē Domini: cóque comedi non poſſunt,niſi à ſanctis,hoc eſt ſacerdotibus. Sanctum ſanctorū de oblationibus Domini.

Cum autem obtuleris ſacrificium coctum in clibano: de ſimila, panes ſcilicet abſque fermento conſperſo oleo, & lagana azyma oleo lita. Si oblatio tua fuerit de ſartagine: ſimilæ conſperſæ oleo & abſque fermēto, diuides eam minutatim,& fundes ſuper eam oleum.

'Sinautem de craticula fuerit ſacrificium, æque ſimila oleo conſpergetur: quã offerens Domino, trades manibus ſacerdotis.'Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de ſacrificio, & adolebit ſuper altare 'in odorẽ ſuauitatis Domino. quicquid autem reliquum eſt, erit Aaron & filiorum eius, ſanctum ſanctorum de oblationibus Domini.

OBTVLERIS) Vel, offerre voles.

SACRIFICIVM coctum in clibano:) oblationẽ quæ vocatur munus, coctionem clibani. Id eſt, quũ offerre volueris aliquid quod coctũ fuerit in clibano.

PANES ſcilicet abſque fermento conſperſos oleo, & lagana azyma oleo lita.) placentas ſcilicet maiores infermentatas, verſatas in oleo:(vel tinctas oleo) & placentas minores infermentatas, oleo vnctas.

SI oblatio tua fuerit de ſartagine: ſimilæ conſperſæ oleo, & abſque fermẽto:) Si autem oblatio tua erit munus, coctum inter duas ſcutellas (vel, in ſartagine) ſimila erit infermentata, oleo conſperſa. Gallice, Des bignez.

EAM) illud. ſubaudi, munus.

MINVTATIM,) in buccellas.

SINAVTEM de craticula &c. Qui) Sinautem munus craticulæ (vel ſartaginis profundæ valde) fuerit oblatio tua: ex ſimila oleo conſperſa fiet: & afferes munus quod fiet ex illis, Domino, offeréſque ſacerdoti. Munus craticulæ vocat, coctum ſuper craticulam.

QVI cum obtulerit eam, tollet memoriale de ſacrificio,) Tollétque ſacerdos aliquam muneris illius partem memoriale eius. Subaudi, muneris. Id eſt, quæ faciat vt Deus recordetur illius muneris.

IN odorem ſuauitatis Domino.) ſacrificium igni abſumptum, eſt odoris ſuauiſſimi Domino. Quaſi dicat, Hæc munera etiam placent Domino.

Omnis oblatio quæ offertur Domino, abſque fermẽto fiet, 'nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domini. 'Primitias tantum eorum offeretis, ac munera: ſuper altare verò 'non imponentur in odorem ſuauitatis. 'Quicquid obtuleris ſacrificii, ſale condies, 'nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo. In omni oblatione offeres ſal.

NEC quicquam &c.) quia ex omni fermento & omni melle non incendetis incenſum Domino.

PRIMITIAS tantum eorum offeretis, ac munera:) in oblatione primitiarũ offeretis eas. Quaſi dicat, Tempore nouarum frugum offeretis primitias. Hebraiſmus eſt. De oblatione enim primitiarum frugum hic loquitur.

NON imponentur in odorem ſuauitatis.) Id eſt, non imponentur ſuper altare, vt incendantur, exſpiraturæ nidorem Domino: quia debent quidem offerri Deo primitiæ, ſed non debent adoleri, quòd cedant in cibum ſacerdotum.

QVICQVID obtuleris ſacrificii) Omnem oblationem muneris tui. Id eſt, quæ munus erit.

Sal fœderis. NEC auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo.) nec ceſſare facies ſal fœde-

tis Dei tui de ſacrificio tuo. Id eſt, Perpetuo vtêris ſale in omni munere quod mihi oblaturus es ratione fœderis quod tecum percuſſi.

Si autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarũ Domino, 'de ſpicis adhuc virentibus torrebis igni, & cõfringes in morem farris, & ſic offeres primitias tuas Domino, fundens 'ſuper ea oleum, & thus imponens, 'quia oblatio Domini eſt. de qua adolebit ſacerdos in memoriam muneris partem farris fracti & olei ac totũ thus.

DE ſpicis adhuc &c. fundens) ſpicam recentem toſtam igni, & triticum contuſum, triticum inquam ſpicarum plenarum offeres munus primitiarum tuarũ, fundẽs &c. Id eſt, de ſpicis recẽtibus toſtis igni, & è tritico ſpicæ plenæ cõtuſo &c.

SVPER ea) ſuper illud. Subaudi, munus.

QVIA oblatio Domini &c.) quia munus eſt. Adolebítq; ſacerdos in memoriã eius (ſubaudi, muneris) partẽ de frumento eius contuſo, & de oleo eius, vnà cũ toto thure eius: id eſt incenſum Domino. Hoc eſt, Sacerdos adolebit partem aliquã muneris eius, quæ Deum meminiſſe faciat oblationis. Alii vertunt, adolebit ſuffitũ eius. Incenſum Domino, inquit, vel quod incenditur Domino. Adolebit ſacerdos memoriam eius.

CAP. III.

QVOD ſi 'hoſtia pacificorum fuerit eius oblatio, & de bobus voluerit offerre, marem ſiue fœminam, 'immaculata offeret 'coram Domino. Ponétq; manum ſuper caput 'victimæ ſuæ, 'quæ immolabitur in introitu tabernaculi teſtimonii. fundéntque filii Aaron 'ſacerdotis, ſanguinem per altaris circuitum. 'Et offerent de hoſtia pacificorum 'in oblationem Domino, adipem qui operit vitalia, & quicquid pinguedinis eſt 'intrinſecus: duos renes cum adipe 'quo teguntur ilia, & 'reticulum iecoris cum renunculis. 'adolebúntque ea ſuper altare in holocauſtum, lignis igne ſuppoſito: 'in oblationem ſuauiſſimi odoris Domino. Exod. 29. b.

HOSTIA pacificorum) ſacrificium pacium. Si ita loqui liceret. Id eſt, ſacrificium pacificum. Quaſi dicat, Si homo priuatus offerre voluerit hoſtiam pacis. De ſacrificio pacifico, vide caput ſeptimum huius libri.

IMMACVLATA) Legendum, immaculatam, in accuſatiuo fœminino, pro, plurali immaculatos. Latina exemplaria ſcripta S. Germani, Dionyſii & Victoris legunt, immaculatum, in accuſatiuo maſculino. Immaculatã autem oblationẽ, ſiue immaculatum munus vocat ſine vllo vitio. Immaculata oblatio.

CORAM Domino.) Id eſt, in oſtio atrii, in quo quidem atrio erat tabernaculum, in quo tabernaculo erat arca ſuper quam apparebat eis Dominus. Coram Domino.

VICTIMAE ſuæ,) oblationis ſuæ.

QVAE immolabitur in introitu tabernaculi teſtimonii. fundéntque filii) quã immolabit (ſub. ſacerdos) ad oſtium tabernaculi conuentus: ſpargéntque filii &c.

SACERDOTIS) ſacerdotes. plurali numero: atque ita legitur in oblongo S. Germani codice veteri.

ET offerent) & offeret. Subaudi, ſacer dos.

IN oblationem Domino,) inceſum Domino. Id eſt, partem aliquam quæ incendatur in honorem Dei. id quod poſtea exponit, cum dicit, adipem &c.

INTRINSECVS:) ſuper inteſtina.

QVO teguntur ilia) quo teguntur ipſi, qui adeps eſt iuxta ilia. Vel, qui renes ſunt iuxta ilia.

RETICVLVM iecoris cum renunculis.) reticulum quod eſt ſuper iecur, cum renibus ipſis tollet.

ADOLEBVNTQVE ea ſuper altare in holocauſtum,) adolebúntque ea filii Aaron ſuper altare vnà cum holocauſto.

IN oblationem ſuauiſſimi odoris Domino.) hæc res eſt incenſum odoris quietis Domino. Quaſi dicat, Tale ſacrificium ſic factum, erat acceptiſſimum Domino Deo.

Si verò de ouibus fuerit eius oblatio '& pacificorum hoſtia, ſiue maſculum obtulerit ſiue fœminam, immaculata erunt 'omnia. Si agnum 'obtulerit coram Domino, ponet manum ſuã ſuper caput 'victimæ ſuæ: quæ immolabitur 'in veſtibulo tabernaculi teſtimonii: fundéntque filii Aaron ſanguinem eius per circuitum altaris. Et offerent de pacificorum hoſtia 'ſacrificium Domino: adipem & caudam totam 'cum renibus, & pinguedinem quæ operit ventrem atque vniuerſa vitalia, & vtrũque renunculũ cum adipe 'qui eſt iuxta ilia, reticulúmque iecoris 'cũ renunculis. & adolebit ea ſacerdos ſuper altare 'in pabulum ignis & oblationis Domini.

ET pacificorum hoſtia,) pro ſacrificio pacifico. Id eſt, Si de ouibus ſacrificiũ pacificum offerre velit Domino.

OMNIA.) Hæc dictio non legitur Hebraice, hoc loco, neque in vetuſtioribus Latinis codicibus S. Dionyſii, Germani, & Victoris, neque in editione Baſilienſi.

OBTVLERIT coram Domino,) obtulerit oblationem ſuam, offeret ipſum coram Domino. Oblationẽ ſuã, id eſt pro oblatione ſua. Interpretatione horum verborum Coram Domino, vide paulo ſuprá.

VICTIMAE) oblationis.

IN veſtibulo tabernaculi teſtimonii: fundéntque filii &c.) coram tabernaculo conuentus: ſpargéntque filii &c.

SACRIFICIVM) incenſum.

CVM renibus,) ea parte qua coniungitur ſpinæ dorſi, tollet. Pro incenſo ſcilicet faciendo Domino, & non idolis.

QVI eſt iuxta ilia,) qui eſt ſuper eos, qui adeps eſt iuxta ilia.

CVM renunculis,) vnà cum renibus remouebit. Subaudi ſacerdos. Vel, vltra renes auferet.

IN pabulum ignis & oblationis Domini.) in cibum incenſi ſacrificii Domino. Vel, cibus eſt incenſi ſacrificii Domino. Id eſt, cibus eſt qui incenditur in honorem Domini.

Si capra fuerit eius oblatio, '& obtulerit eam Domino, ponet manum ſuam ſuper caput eius, immolabítque eam 'in introitu tabernaculi teſtimonii. Et fundent filii Aaron ſanguinem eius 'per altaris circuitum. 'Tolléntque ex ea in paſtum ignis Dominici, adipem qui operit ventrem, & qui tegit vniuerſa vitalia: 'duos renunculos cum reticulo quod eſt ſuper eos iuxta ilia, & aruinā iecoris cum renunculis, adolebítque ea ſuper altare ſacerdos 'in alimoniam ignis, & ſuauiſſimi odoris. Omnis adeps, Domini erit 'iure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis veſtris: nec ſanguinem nec adipem omnino comedetis.

ET obtulerit eā Domino, ponet) tū illā offeret corā Domīo, ponétq; &c.
IN introitu tabernaculi teſtimonii. Et fundent filii &c.) corā tabernaculo conuentus Spargéntq; filii &c. Hoc eſt, ante oſtium atrii, in quo erat tabernaculum. Filios Aaron vocat minores ſacerdotes qui aſtabant ſacerdoti ſacrificanti.
PER altaris circuitum.) ſuper altaris circuitum. Ita legitur in oblongo & paruo antiquiori codice S. Germani.
TOLLENTQVE ex ea in paſtum ignis Dominici,) Et offeret ex eo oblationē ſuam, vt fiat incenſum Domino. Ex eo, ſcilicet hœdo. nam per capram intelligit & hœdum.
DVOS renunculos &c. adolebítque) duos rénes cum adipe qui eſt ſuper eos, qui adeps eſt iuxta ilia, & reticulum quod eſt ſuper iecur, vnà cum renibus auferet. adolebítque &c.
IN alimoniam ignis, & ſuauiſſimi odoris.) eſt enim cibus qui igni abſumitur, in odorem quietis Domino. Id eſt, quo Dominus pacatur.
IVRE perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis veſtris:) ſtatuto perpetuo, per ætates veſtras, in omnibus habitationibus veſtris. Id eſt, quandiu viuetis, & vbicunque contigerit vos habitare.

CAP. IIII.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Loquere filiis Iſrael, 'Anima quæ peccauerit per ignorantiam, '& de vniuerſis mādatis Domini quæ præcepit vt non fierent, quippiam fecerit: Si ſacerdos 'qui vnctus eſt peccauerit, 'delinquere faciens populum, offeret pro peccato ſuo 'vitulum immaculatum, 'Domino. & adducet illum 'ad oſtium tabernaculi teſtimonii coram Domino, ponétque manum ſuper caput eius, & 'immolabit eum Domino.

ANIMA quæ peccauerit) Anima quum peccauerit. Ita legunt vetera Lati-

na exemplaria S. Germani & Dionyſii. Eſt autem Hebraiſmus, pro, Quum quis peccauerit.

ET de vniuerſis mandatis Domini quæ præcepit vt non fierent, quippiam fecerit:) in aliquod præceptum Domini ex omnibus his contra quæ nihil committi debet, & fecerit vnum ex illis. Id eſt, ſi quicquam contra præcepta negatiua admiſerit.

Sacerdos vnctus.

QVI vnctus eſt) Chaldæus paraphraſtes vertit, ſummus. Vnctus igitur ſignificat ſummum ſacerdotem: quia ſummi ſacerdotes vngebantur vnctione ſolenni, non autem alii infimi ſacerdotes.

DELINQVERE faciens populum,) Vel, ſecundum delictum populi. Id eſt, ſi tale peccatum admiſerit quale admitti ſolet ab vnoquouis è populo.

VITVLVM) iuuencum.

DOMINO.) Addendum ex Hebræo, Pro ſacrificio peccati ſui.

AD oſtium tabernaculi teſtimonii) ad oſtium tabernaculi conuentus. Id eſt, ad oſtium atrii, in quo erat tabernaculum, in tabernaculo vero arca teſtimonii ſuper quam apparebat Dominus. Vide annotationem de hoc in principio primi capitis huius libri.

IMMOLABIT) ſubaudi, ſacerdos.

'Hauriet quoque de ſanguine vituli, inferens illum in tabernaculum teſtimonii. Cúmque intinxerit digitum in ſanguinem, 'aſperget eum ſepties corã Domino 'contra velum 'ſanctuarii: ponétque de eodẽ ſanguine ſuper cornua altaris 'thymiamatis gratiſſimi Domino, quod eſt in tabernaculo teſtimonii. omnem autem reliquum ſanguinem fundet in baſim altaris holocauſti 'in introitu tabernaculi. Et 'adipem vituli offeret pro peccato, tã eũ qui vitalia operit, 'quàm omnia quæ intrinſecus ſunt: duos 'renunculos & reticulum quod eſt ſuper eos iuxta ilia, '& adipem iecoris cum renunculis, 'ſicut offertur de vitulo hoſtiæ pacificorum: & adolebit ea ſuper altare holocauſti. Pellem verò & omnes carnes cum capite & pedibus & inteſtinis & 'fimo, & reliquo corpore efferet extra caſtra in locum mundum, vbi cineres effundi ſolent: incendétque ea ſuper lignorum ſtruem, quæ in loco effuſorum cinerum cremabuntur.

HAVRIET quoque de ſanguine vituli,) Accipiet quoque ſacerdos vnctus de ſanguine iuuenci illius.

ASPERGET eum) Legendum eſt, aſperget eo. Scilicet ſanguine. Atque ita legitur in paruo exemplari Latino S. Germani, & lato S. Dionyſii.

CONTRA velum) Vel, ante velum. quod ſcilicet ſeparabat Sanctum ſanctorum à Sancto.

SANCTVARII:) ſanctitatis. Id eſt ſanctum.

THYMIAMATIS gratiſſimi Domino,) thymiamatis aromatum coram Domino.

IN introitu tabernaculi.) quod eſt in oſtio tabernaculi conuentus.

ADIPEM vituli offeret pro peccato,) adipem iuuenci omnem pro peccato oblati tollet. Vetera Latina exemplaria S. Dionyſii oblongum, S. item Germani paruum & oblongum, & Victoris, legunt auferet. De hoc admonet etiam Correctorium Sorbonicum. Ex præcedentibus etiam capitibus coniicere licet ita eſſe legendum, in quibus eadem ſententia legitur ſæpius.

QVAM omnia quæ intrinſecus ſunt:) quàm adipē qui eſt ſuper inteſtina ipſa.

RENVNCVLOS, & reticulum quod eſt &c.) renes & adipem qui eſt &c.

ET adipem iecoris cum renunculis,) & reticulum iecoris vltra renes tollet. Vltra renes, ſubaudi, iam dictos.

SICVT offertur de vitulo hoſtiæ pacificorum:) ſicut ablatum eſt ex boue hoſtiæ pacis. Vetera exemplaria S. Dionyſii & Germani legunt aufertur.

FIMO,) ſtercore.

Quòd ſi omnis turba 'filiorum Iſrael 'ignorauerit, & per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini eſt, & poſtea intellexerit peccatum ſuum, 'offeret pro peccato ſuo 'vitulum, adducétque eum ad oſtium 'tabernaculi. Et ponent ſeniores 'populi manus ſuper caput eius coram Domino. Immolatóque vitulo in conſpectu Domini, inferet ſacerdos qui vnctus eſt, de ſanguine eius in tabernaculum 'teſtimonii, tincto digito aſpergens 'ſepties 'contra velum. ponétque de eodem ſanguine in cornibus altaris, quod eſt coram Domino in tabernaculo teſtimonii. reliquum autem ſanguinem fundet iuxta baſim altaris holocauſtorum, quod eſt 'in oſtio tabernaculi teſtimonii. Omnémque eius adipem tollet, & adolebit ſuper altare: 'ſic faciens & de hoc vitulo quomodo fecit & prius: & rogante pro eis ſacerdote, propitius erit eis Dominus. Ipſum autem vitulum efferet extra caſtra, atque comburet ſicut & priorem vitulum: 'quia eſt pro peccato multitudinis.

FILIORVM) Hic genitiuus non legitur in antiquis codicibus Latinis S. Dionyſii oblongo, vtroque S. Germani, neque in Victorino, neque in Moguntinenſi & Baſilienſi editione.

IGNORAVERIT, & per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini eſt,) peccauerit, & occulta ſit res oculis congregationis, admiſeritque aliquid ex his quæ Dominus prohibuerit fieri, atque ita deliquerit. Id eſt, ſi per errorem peccauerit congregatio, & id lateat eam. admiſeritque &c. Ignorare.

OFFERET) Addendum ex Hebræo, ipſa congregatio.

VITVLVM) iuuencum.

TABERNACVLI) Addendum, conuentus.

POPVLI) congregationis.

TESTIMONII,) conuentus. Vel fœderis.

SEPTIES) Addendum, coram Domino.

CONTRA velum.) aut verſus velum.

IN oſtio tabernaculi teſtimonii.) Vel, iuxta oſtium tabernaculi conuentus.

SIC faciēt & de hoc vitulo quomodo fecit & prius: & rogāte pro eis ſacerdote, propitius erit eis Dominus.) Et apparabit iuuencum iſtum: quemadmodū fecit de iuuenco illo oblato pro peccato (ſubaudi, ſacerdotis) ſic faciet de iſto. & expiabit illos ſacerdos: remittetúrque illis. Subaudi, peccatum.

QVIA eſt) Adde ex Hebræo, ſacrificium.

Si peccauerit princeps, '& fecerit vnum è pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur: & poſtea intellexerit peccatum ſuum, offeret hoſtiam 'corā Domino, hircum de capris, immaculatum. Ponétque manum ſuam ſuper caput eius: cúmque immolauerit eum in loco vbi ſolet mactari holocauſtum corā Domino, quia pro peccato eſt, tinget ſacerdos digitum in ſanguine hoſtiæ pro peccato, 'tangens cornua altaris holocauſti, & 'reliquum fundens ad baſim eius. 'Adipem verò adolebit ſupra, ſicut in victimis pacificorum fieri ſolet: 'rogabítque pro eo ſacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei.

ET fecerit vnū &c offeret) & fecerit aliquid ex omnibus quæ Dominus Deus ſuus prohibuit fieri, idque fecerit per ignorantiam, & ita deliquerit: indicauerítque ei (ſubaudi, aliquis) peccatum ſuum quod peccauit. Vel, innotuerit ei peccatum quod peccauit.

CORAM) In nullis noſtris Latinis exemplaribus ſcriptis S. Dionyſii & Germani legitur hæc præpoſitio CORAM, neque in Victorino codice.

TANGENS cornua) & ponet ſuper cornua. Sic vertendum etiā paulo poſt.

RELIQVVM fundens) reliquum ſanguinis fundet.

ADIPEM vero adolebit ſupra,) Totum vero adipem adolebit ſuper altare.

Expiare aliquē quomodo dicatur ſacerdos.

ROGABÍTQVE pro eo ſacerdos, & pro peccato eius,) expiabítque eum ſacerdos à peccato ſuo. Id eſt, oratione ſua à Deo obtinebit vt illi peccatum condonetur pro quo ſacrificium offert.

Quòd 'ſi peccauerit anima per ignorantiam, de populo Terræ, vt faciat quicquam de his quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat, & cognouerit peccatū ſuum, 'offeret capram immaculatam. Ponétque manus ſuper caput hoſtiæ quæ pro peccato eſt, & 'immolabit eam in loco holocauſti. Tollétque ſacerdos de ſanguine in digito ſuo: & tangens cornua altaris holocauſti, reliquum fundet ad baſim eius. Omnem autem adipem auferens, ſicut auferri ſolet de victimis pacificorum,

adolebit ſuper altare in odorem ſuauitatis Domino: rogabítque pro eo, & dimittetur ei. Sinautem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ouem ſcilicet immaculatam: ponet manum ſuper caput eius, & 'immolabit eam in loco vbi ſolent cædi holocauſtorum hoſtiæ. Sumétque ſacerdos de ſanguine eius digito ſuo, & tangens cornua altaris holocauſti, reliquũ fundet ad baſim eius. Omnẽ quoq; adipẽ auferens, ſicut auferri ſolet adeps arietis qui immolatur pro pacificis: 'cremabit ſuper altare 'incenſum Domini: 'rogabítque pro eo & pro peccato eius, & dimittetur ei.

SI peccauerit anima per ignorantiam, de populo terræ, vt faciat quicquã &c. Hebraiſmus eſt, pro, Siquis è plebe per ignorãtiã peccauerit, faciẽdo quicquã &c. *Anima de populo terræ.*

OFFERET) Addendum ex Hebræo, pro peccato ſuo quod admiſit.

IMMOLABIT eam) Hebræi addunt, pro peccato. Id eſt, pro ſacrificio faciendo in expiationem peccati. *Pro peccato.*

CREMABIT ſuper altare) cremabit ea ſacerdos ſuper altare. Id eſt, totũ adipẽ cum renunculis. ideo dicit ea: nam intelligit quæ cremari ſolent in ſacrificio pacificorum.

INCENSVM Domini:) vt incendatur Domino. Id eſt, In honorẽ Domini.

ROGABITQVE pro eo & pro peccato eius,) expiabítque illũ ſacerdos à peccato ſuo quod admiſit.

CAP. V.

SI peccauerit anima, '& audierit vocem 'iurantis, 'teſtíſque fuerit 'quòd ipſe vidit, aut 'conſcius eſt: niſi indicauerit, 'portabit iniquitatẽ ſuam. Anima quæ tetigerit aliquid immundum, 'ſiue quod occiſum à beſtia eſt, aut per ſe mortuum, aut quodlibet aliud reptile: & oblita fuerit immunditiæ ſuæ, rea eſt, & deliquit. Et ſi tetigerit 'quicquam de immunditia hominis iuxta omnem impuritatẽ qua pollui ſolet, 'oblitáque cognouerit poſtea, ſubiacebit delicto.

ET audierit) Hoc loco ET pro id eſt poſitum eſt.

IVRANTIS) iuriſiurandi. Vel, adiurationis. Chaldæus paraphraſtes vertit, Vocem iudicis adiurantis. Id eſt, quum quiſpiam priuatus vocem iudicis adiurantis ipſum, audierit, vt id quod res eſt dicat, huiúſque rei teſtis eſſe poſſit de qua eũ interrogat iudex, eo quòd viderit &c. Paruũ S. Germani exemplar legit adiurãtis.

TESTISQVE fuerit) quum teſtificari poſſit quòd &c.

QVÒD ipſe) quòd aut ipſe &c. Ita etiam legunt antiquiora exẽplaria S. Germani, Victoris & Dionyſii.

CONSCIVS eſt) cognouerit. Siue, perſpectũ habuerit quacunque alia ratione.

Portare iniquitatē ſuam.

PORTABIT iniquitatem ſuam.) Id eſt, punietur à Deo, etiam ſi lateat id perpetuo homines. Hic iniquitas pro pœna ponitur.

SIVE quod occiſum &c. Et ſi) ſiue illud fuerit cadauer feræ immundæ, ſiue cadauer iuuenci immundi, vel cadauer reptilis immundi, & abſconditum fuerit ab ea, tunc immunda eſt. Subaudi, anima: vel, immundus eſt homo. Tropo Hebraico dicit, abſconditum fuerit ab ea, pro neſcierit eſſe immundū. Animā præterea pro homine poſuit: quòd ea ſit præcipua hominis pars. Anima agit in corpore, & corpus eſt velut inſtrumentum eius. quo fit, vt animæ tanquam omnium operatrici peccata aſcribantur.

Abſconditū ab eo. Anima pro homine.

QVICQVAM de immunditia hominis, iuxta omnem impuritatem qua pollui ſolet,) hominis impuritatem iuxta omnem impuritatem eius qua redditur impurus. Id eſt, hominem impurum quacunque impuritate ſit impurus.

OBLITAQVE cognouerit poſtea,) abſconditūmque fuerit ab eo, & poſtea cognouerit. Id eſt, neſcierit rem fuiſſe immundam, poſtea autem cognouerit.

Anima quæ iurauerit, & protulerit labiis ſuis vt vel male quid faceret, vel bene, ' & non fecerit, ' & idipſū iuramento & ſermone firmauerit, oblitáque poſtea intellexerit delictum ſuum, agat pœnitentiam pro peccato, & offerat de gregibus agnam ſiue capram, orabítque pro ea ſacerdos & pro peccatis eius. 'ſinautem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino, vnum pro peccato, & alterū in holocauſtū, dabítque eos ſacerdoti. 'Qui primum offerens pro peccato, retorquebit caput eius ad pennulas, ita vt collo adhæreat, & non penitus abrumpatur. Et aſperget de ſanguine eius parietem altaris. quicquid autem reliquum fuerit, 'faciet diſtillare ad fundamētum eius, quia pro peccato eſt. Alterum verò in holocauſtum adolebit, vt fieri ſolet: 'rogabítque pro eo ſacerdos & pro peccato eius, & dimittetur ei.

ET non fecerit) Hæc Hebraice non leguntur, neque in vetuſtioribus Latinis S. Dionyſii & Germani, neque in Complutenſi editione. De hoc etiam admonet Correctorium Sorbonicum.

ET idipſum iuramento &c. Sinautem) iuxta omnia quæ proferre ſolet homo cum iuramento, & abſconditum fuerit ab eo, & ipſe poſtea cognouerit peccaueritque in vno ex his: quum inquam peccauerit in altero iſtorū, confitebitur quòd peccauerit in ea re. Adducétque oblationē ſuam Domino pro peccato ſuo quod peccauit, agnam ſiue capram: & expiabit illum ſacerdos à peccato ſuo. Id eſt, ſiquis iurauerit ſe afflicturum ſeipſum, aut alteri benefacturū, vt facere ſolent homines adhibito iureiurando: eiúſque rei oblitus fuerit, poſtea autem reſciuerit, & ita peccauerit in altero ex illis: quum inquā peccauerit, tenebitur confiteri quòd &c. Vetera latina exemplaria S. Dionyſii & Germani legunt pro peccato, in ſingulari: non autem peccatis.

Manus eius non poteſt tāgere ſufficientiā ouis.

SINAVTEM non potuerit offerre pecus,) ſinautē manus eius non potuerit tangere ſufficientiam ouis. Hebraiſmus eſt, quem reddidit interpres. quaſi dicat,

Si adeo pauper ſit vt non ſupperat ouis quam offerat. Hinc diſcimus Deum non tam reſpicere ſacrificia, quàm animum offerentium.

QVI primum &c. Quicquid autem) Qui offerat eum qui pro peccato eſt, priore loco, & vngue diſſecet caput eius eregione ceruicis: non tamen ſeparet (iub audi, caput à reliquo corpore) aſpergátque de ſanguine eius parietē altaris. Quicquid autem &c.

FACIET diſtillare ad fundamentum eius,) exprimatur in baſim altaris.

ROGABITQVE pro eo ſacerdos, & pro peccato eius,) expiabitque illĩ ſacerdos à peccato ſuo quod peccauit.

'Quòd ſi non quiuerit manus eius duos offerre turtures, aut duos pullos 'columbarum, 'offeret pro peccato ſuo ſimilæ partem 'ephi decimam. non mittet in eā 'oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato eſt: tradétque eam ſacerdoti. qui plenum ex ea pugillū hauriens, cremabit ſuper altare in monimentū eius qui obtulerit, 'rogans pro illo & expians, reliquam verò partē ipſe habebit in munere.

QVÒD ſi non quiuerit manus eius duos offerre turtures,) Quòd ſi manus eius non apprehenderit duos turtures. Hebraiſmus, vt iam dictū eſt, pro, Si pauperior fuerit quàm vt offerre poſſit duos turtures. Si non apprehenderit manus eius duos turtures.

COLVMBARVM) columbæ. Singulari numero. ſic legunt antiquiora Latina exemplaria S. Germaui & Dionyſii.

OFFERET pro peccato) offerat oblationem ſuam qui peccauit, pro peccato. Vetera exemplaria Latina S. Germani legunt offerat, in imperatiuo.

EPHI) Tria ſata continebat ephi: tantum quantum in die ſolet homo edere.

OLEVM &c.) Oleum lætitiam ſignificat in ſcriptura ſacra: vt thus, gratā orationem. Triſtitia comes eſt peccati, & peccatoris oratio Deo placere nequit. Oleum. Thus.

ROGANS pro illo, & expians: reliquam vero partem habebit in munere.) vt fiat ſacrificium ignitum Domino: quia oblatio eſt pro peccato. Et expiabit illū ſacerdos à peccato ſuo quod admiſit in vno ex iſtis, & illi remittetur. erit autem ſacerdotis tanquam munus. Id eſt, Sacerdotis erit reliquum oblationis illius, quemadmodū reliquum muneris, ſacerdotis etiam erat.: hoc eſt, ſicut ſimila quæ dabatur quādo fiebat ſacrificium muneris. Pro, Vt fiat ſacrificiū ignitū Domino: verti poteſt, Vnà cū incēſis Domini. Id eſt, cū aliis quæ incenduntur Domino.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Anima 'ſi præuaricans ceremonias, per errorem in his quæ Domino ſunt ſāctificata peccauerit, offeret pro delicto ſuo arietem immaculatū de gregibus, 'qui emi poteſt duobus ſiclis, iuxta pondus ſanctuarii: ipſúmque quod intulit damni reſtituet, & quintam partem ponet ſuprà, tradens ſacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietē, & dimittetur ei. Anima 'quæ peccauerit 'per ignorantiam, feceritque 'vnum ex his quæ Domini lege prohibentur,

'& peccati rea intellexerit iniquitatem ſuam, offeret arietem immaculatum de gregibus ſacerdoti,'iuxta menſuram æſtimationémque peccati:qui orabit pro eo,quia neſciens fecerit: & dimittetur ei,quia per errorem deliquit in Domino.

SI præuaricans ceremonias, per errorem in his quæ Domino ſunt ſanctificata peccauerit,offeret pro delicto) cum præuaricationem aliquam admiſerit, id eſt peccauerit per errorem in re aliqua ex his quæ Domino conſecratæ ſunt tunc offeret Domino pro delicto ſuo &c. Id eſt, ſi abſtulerit quippiam ex conſecratis Domino, & neſcierit fuiſſe conſecratum.

QVI emi poteſt &c. Anima) qui valeat in argento duos ſiclos, iuxta ſiclum ſanctuarii: vt ſit pro ſacrificio delicti.& quod peccando abſtulerit de ſancto,reddet,& quintam illi partem addet, dabítque ſacerdoti: qui expiabit illum per arietem oblatum pro delicto:& dimittetur ei. Iuxta,inquit,ſiclum ſanctuarii:id eſt, iuxta æſtimationem ſicli ſancti,nō ſecundum ſiclum prophanum. Auferre aliquid de ſancto,id eſt ex his quæ Domino conſecrata ſunt.

Sanctum.

QVAE peccauerit) ſi peccauerit Ita etiam in vetuſtioribus Latinis codicibus S. Germani & Dionyſii legitur.

PER ignorantiam) Hæc non leguntur Hebraice hoc loco.

Vnum.

VNVM ex his) Id eſt,aliquid ex his.

ET peccati rea,intellexerit iniquitatem ſuam,offeret) & non nouerit,& deliquerit,& portauerit iniquitatem ſuam: tunc offeret &c. Id eſt, Idque fecerit per imprudentiam, & poſtea cognouerit ſe deliquiſſe,cognouerítque ſe eſſe prægrauatam delicto ſuo (Gallice dicimus, Et qu'il en ſente ſa conſcience chargee) tunc offeret &c.

IVXTA menſuram &c.) iuxta æſtimationem tuam pro delicto: & expiabit illum ſacerdos ab ignorantia ſua,qua neſciens errauit: & remittetur ei. Hoſtia hæc,pro delicto eſt: quia peccauit in Dominum. Expiare aliquem dicebatur ſacerdos,quando declarabat eum eſſe mundum ab eo quod per errorem admiſerat. Vetus exemplar Latinum oblongum,etiam paruum S. Germani legit, Deliquit in Dominum.

Explare aliquem.

CAP. VI.

LOCVTVS eſt Dominus ad Moyſen,dicens, Anima quæ peccauerit,'& contempto Domino negauerit proximo ſuo depoſitum, 'quod fidei eius creditū fuerat,'vel vi aliquid extorſerit, 'aut calumniā fecerit, Siue rem perditam inuenerit,& inficians inſuper peierauerit, & quodlibet aliud 'ex pluribus fecerit in quibus ſolent peccare homines,'cōuicta delicti,reddet omnia quæ per fraudem voluit obtinere,integra,& quintā inſuper partem domino cui damnum intulerat. Pro peccato autem ſuo'offeret arietem immaculatum de grege, '& dabit eū ſacerdoti, iuxta æſtimationem mēſurámque delicti: qui

rogabit pro eo coram Domino,& dimittetur illi pro ſingulis quæ faciendo peccauit.

ET contempto Domino,negauerit proximo ſuo depoſitũ,) Hebraice ſic legitur ad verbum, Et præuaricationem admiſerit contra Dominum, mentitúſque fuerit contra ſocium ſuum in depoſito. Id eſt, ſi contempto Domino, negauerit,in damnum proximi,ipſum proximum depoſuiſſe apud ſe aliquid.

QVOD fidei eius creditu fuerat,) aut in depoſitione manus.Subaudi mẽtitus fuerit. Hoc eſt, ſi negauerit datã ſibi fuiſſe pecuniã negotiationis cõmunis cauſa.

VEL vi aliquid extorſerit,) aut rapinã Subaudi,negauerit. Id eſt,ſi negauerit ſe vi pecuniam extorſiſſe.

AVT calumniam fecerit,) aut bona proximi ſui occupauerit aliqua fraude.

EX pluribus fecerit in quibus peccare ſolent homines,) ex omnibus fecerit, quæ facere ſolet homo peccando.Id eſt, quæ fieri non poſſunt ab homine citra peccatum.

CONVICTA delicti, &c. Pro peccato) Si itaq; ſic peccauerit & deliquerit,(.i. corã ſacerdote faſſus fuerit ſe peccaſſe) reſtituet quod rapuit,aut facultates, quas calumniando extorſit,ſiue depoſitum quod illi commiſſum fuerat,ſiue rem perditam quam inuenit: ſiue quidpiam aliud ex omnibus ſuper quo iurauerit mendaciter: & reddet illud in ſolidum,& quintam eius partem addet præter id, dans eam illi cuius eſt,die quo oblationem pro delicto facit.(aut,die confeſſionis delicti ſui.)Pro peccato,&c. In ſolidum vocat,quod Gallice dicimus, En la meſme eſpece.Ad hunc locum pertinet illud vulgare,Non remittitur peccatum,niſi reſtituatur ablatum.

OFFERET) Addendum, Domino.

ET dabit eum ſacerdoti,&c.Locutúſque) iuxta æſtimationem tuam,& dabit eum ſacerdoti pro delicto: qui expiabit illum coram Domino, & dimittetur illi quicquid illud fuerit & in quo deliquit. Locutúſque, &c. Iuxta æſtimationem tuam,inquit,id eſt,iuxta pretium quod conſtitueris.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen,dicens,Præcipe Aaron & filiis eius,Hæc eſt 'lex holocauſti.'Cremabitur in altari tota nocte vſque mane: ignis in eodem altari erit. veſtietur 'tunica ſacerdos,& feminalibus 'lineis:tollétque cineres 'quos vorans ignis exuſſit,& ponens iuxta altare,ſpoliabitur prioribus veſtimentis,indutúſque aliis,efferet eos extra caſtra, '& in loco mundiſſimo 'vſque ad fauillam conſumi faciet. Ignis autem in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubiiciens ligna mane per ſingulos dies,& impoſito holocauſto,déſuper adolebit adipes pacificorũ. ignis eſt iſte perpetuus, 'qui nunquam deficiet in altari.

LEX holocauſti) Id eſt, hæ ſunt ceremoniæ obſeruandæ in holocauſto. Lex holocauſti.

CREMABITVR in altari tota nocte vſque mane. ignis,in eodem altari erit.) Eſt autem holocauſtum propter aduſtionem quæ fit ſuper altare (id eſt, vt comburatur ſuper altare) tota nocte vſque ad matutinum tempus. ignis enim altaris incẽdetur in eo. Id eſt perpetuo ardebit ignis ille qui ſemel acceſus diuinitus fuerit ſuper altare.Hæc debent legi per parentheſin. Alii legunt ſine parentheſi, hoc Holocauſtũ.

pacto, Erit holocauſtum in incendio ſuper altare, tota nocte vſque ad mane: ignis enim erit in eo altari: induétque ſe tunica &c. In incendio, verti poteſt ſuper focum, ſiue ſuper incendium, id eſt ſuper ligna accenſa. Ignis autem ille ſcilicet qui diuinitus accenſus fuit.

TVNICA) Adde ex Hebræo, linea.

LINEIS:) Addendum ex Hebræo, ſuper carnem ſuam. Id eſt, teget pudenda ſua.

QVOS vorans ignis exuſſit,) poſteaquã ignis abſumpſerit holocauſtũ ſuper altare. In oblongo & paruo codice S. Germani antiquo legitur vorax ignis.

ET in loco) Cõiunctio ET, nõ legitur Hebraice, neq; in Cõplutenſi editione.

VSQVE ad fauillam conſumi faciet.) Hæc non leguntur Hebraice, neque in Complutenſi editione. De hoc admonet etiam Correctorium Sorbonicum.

QVI nunquam deficiet in altari.) in altare, & non extinguetur.

Hæc eſt 'lex ſacrificii & libamentorum, quæ 'offerent filii Aaron coram Domino, & coram altari, Tollet ſacerdos pugillum ſimilæ, quæ conſperſa eſt oleo, & totũ thus 'quod ſuper ſimilam poſitũ eſt: adolebítque illud in altari 'in monimentũ odoris ſuauiſſimi Domino. reliquam autem partem ſimilæ comedet Aaron cum filiis ſuis, abſq; fermẽto: & comedet 'in loco ſanctuarii tabernaculi. 'ideo autẽ nõ fermẽtabitur, quia pars eius in Domini offertur incenſum. 'ſanctum ſanctorum erit, ſicut pro peccato atque delicto. Mares tantùm ſtirpis Aaron comedent 'illud: 'legitimum ac ſempiternum erit in generationibus veſtris de ſacrificiis Domini. 'omnis qui tetigerit illa, ſanctificabitur.

LEX ſacrificii & libamentorũ quæ offerent) lex oblationis quæ dicitur munus, quam offerent &c. Id eſt, hæ ceremoniæ obſeruandæ ſunt quando offeretur Minha, id eſt munus.

OFFERENT filii Aaron) Id eſt, vnus ex filiis Aaron offeret.

QVOD ſuper ſimilam poſitum eſt:) quod eſt ſuper oblationem muneris.

IN monimentum odoris ſuauiſſimi Domino.) in odorem quietis, monimẽtum eius (ſubaudi, ſimilæ) Domino. Id eſt, quæ admoneat Dominum oblationis.

IN loco ſanctuarii tabernaculi:) in loco ſancto in atrio conuentus. Complutenſis editio, vetus præterea exemplar S. Victoris, legunt, in loco ſancto, in atrio.

Locus ſanct⁹. Locum ſanctum vocat atrium fœderis ſiue conuentus.

IDEO autem &c. Sanctum) Non coquentur ex ea panes fermentati: quia partem eorum dedi illam ex his quæ mihi incenduntur. Hebræus loquendi mos, pro, Volui portionem eorum quæ offeruntur mihi incendenda, cedere in cibum ſacerdotum, & ab illis tantum edi.

Sanctũ ſanctorum. SANCTVM ſanctorum erit,) ſanctitas ſanctitatum eſt. Id eſt, res ſacroſancta eſt: ꝙque à ſacerdotibus tantum edi debet ſicut hoſtia quæ pro peccato & quæ pro delicto offertur.

ILLVD:) Subaudi, munus: vel illam ſimilam, ſiue panes factos ex illa ſimila.

LEGITIMVM ac ſempiternũ erit in generationibus veſtris de ſacrificiis Domini.) ſtatuto perpetuo per ætates veſtras, de incenſis Domini. Hoc eſt, omnes

mares ſtirpis ſacerdotalis comedere poterunt panes ex ea ſimila factos: quandiu vixeritis, erit veſtra ſimila ex incenſis Domini.

OMNIS qui tetigerit illa, ſanctificabitur.) Quicquid tetigerit illa, ſanctificabitur. Id eſt, fiet ſacroſanctū, & nō poterit edi, niſi à ſacerdotibus. ILLA quum dicit, tam ſimilam intelligit, cum oleo & thure oblatam, quàm hoſtias pro delicto, & pro peccato oblatas. Sanctificari quomodo dicatur res.

'Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, 'Hæc eſt oblatio Aaron, & filiorum eius, quā offerre debent Domino 'in die vnctionis ſuæ. Decimam partem ephi offerent ſimilæ 'in ſacrificio ſempiterno, medium eius mane, & medium eius veſpere. Quæ in ſartagine oleo conſperſa frigetur: 'offeret autem eam calidam in odorē ſuauiſſimum Domino ſacerdos, qui iure patri ſucceſſerit, & tota cremabitur in altari. Omne enim ſacrificium ſacerdotum igne conſumetur, nec quiſquā comedet ex eo.

LOCVTVSQVE eſt Dominus) Vtitur hac præfatione ſolita Moyſes, vt oſtēdat ſacrificiorum leges à ſe confictas non eſſe, ſed à Deo inuentas & inſtitutas.

HAEC eſt oblatio &c.) Id eſt, hæc eſt lex & ritus quem obſeruare debent in oblatione muneris tam Aaron qui ſummus eſt ſacerdos, quàm filii eius qui minores ſunt ſacerdotes.

IN die vnctionis ſuæ.) in die quo vngetur. Refertur ad ſummum ſacerdotē: nā ille ſolus oleo puro vngebatur: alii autem oleo miſto ſanguini.

IN ſacrificio ſempiterno,) in munus, perpetuo. Siue iugiter. Id eſt quotieſcūque vngendi erunt ſummi ſacerdotes, offerent minores ſacerdotes decimā partē ſimilæ in munus. Sunt inter Hebræos qui habent rationem perpetuæ oblationis, & dictionem BEIOM, pro qua interpres vertit In die, exponunt per aliam, MIIOM, quæ ſignificat A die. בְּיוֹם מִיּוֹם

OFFERET autem &c. Locutus eſt) frictā offeres eam: munus coctum, & in fruſta diuiſum offeres, in odorem quietis Domino. Sacerdos autē vnctus pro eo, ex filiis eius, offeret illam: ſtatuto perpetuo tota Domino cremabitur. Et omne munus ſacerdotis cuiuſvis holocauſtum erit: & nihil ex eo munere comedetur. Locutus eſt &c. Quòd ait, In odorē quietis Domino: perinde eſt ac ſi dicat, Tale munus erit Domino acceptiſſimum. Sacerdos autem vnctus pro eo: id eſt, qui ſufficietur in locum Aaronis eo mortuo. Holocauſtum præterea fieri, more Hebraico poſitum pro totum cremari.

Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens, Loquere Aaron & filiis eius, Iſta eſt lex hoſtiæ 'pro peccato, In loco vbi 'offertur holocauſtum, 'immolabitur, coram Domino. 'ſanctū ſanctorū eſt. Sacerdos 'qui offeret, comedet eam in loco ſancto, in atrio 'tabernaculi. Quicquid tetigerit carnes 'eius, 'ſanctificabitur. Si de ſanguine illius, veſtis fuerit 'aſperſa, lauabitur in loco ſancto. Vas autem fictile in quo cocta eſt, confringetur. quòd ſi

vas æneum fuerit, defricabitur, & lauabitur aqua. Omnis maſculus de genere ſacerdotali veſcetur de carnibus eius, quia ſanctum ſanctorum eſt. Hoſtia enim quæ cæditur pro peccato, cuius ſanguis infertur in tabernaculum teſtimonii ad expiandum in ſanctuario, nō comedetur, ſed comburetur igni.

Heb.13.b.ſ.4.

PRO peccato,) Id eſt, pro expiatione peccati.
OFFERTVR) iugulatur.
IMMOLABITVR, coram Domino.) immolabitur, etiam oblatio pro peccato coram Domino. Id eſt, in atrio, in plaga Septentrionali.

Coram Domino.

SANCTVM ſanctorum eſt.) ſanctitas ſanctitatum eſt. Id eſt, hæc hoſtia ſacroſancta eſt.
QVI offert,) qui pro peccato offert eam.
TABERNACVLI) addendum, conuentus.
EIVS,) ſubaudi, hoſtiæ quæ immolatur pro peccato.

Sanctificari.

SANCTIFICABITVR.) Id eſt, cedet in vſum ſacerdotum, neque comedi debebit niſi à ſolis ſacerdotibus.
ASPERSA, lauabitur) aſperſa, illud ſuper quod aſperſum fuerit, lauabitur.
SANCTVM ſanctorum eſt.) Id eſt, Deo dicata eſt ea hoſtia.
HOSTIA enim) Omnis enim hoſtia.
TESTIMONII) conuentus.
AD expiandum) Subaudi, peccatum.
NON comedetur, ſcilicet à ſacerdotibus.

CAP. VII.

HAEC quoque eſt lex hoſtiæ pro delicto, ſancta ſanctorum eſt: idcirco vbi immolabitur holocauſtū, mactabitur & victima pro delicto: ſanguis eius per gyrū altaris fundetur. Offerent ex ea caudam & adipem qui operit vitalia. Duos renunculos, & pinguedinem quæ iuxta ilia eſt, reticulúmque iecoris cum renunculis, & adolebit ea ſacerdos ſuper altare: incēſum eſt Domini pro delicto. Omnis maſculus de ſacerdotali genere, in loco ſancto veſcetur his carnibus, quia ſanctum ſanctorum eſt. Sicut pro peccato offertur hoſtia, ita & pro delicto: vtriuſque hoſtiæ lex vna erit. ad ſacerdotē qui eam obtulerit, pertinebit. Sacerdos qui offert holocauſti victimam, habebit pellem eius. Et omne ſacrificium ſimilæ, quod coquitur in clibano, & quicquid in craticula, vel in ſartagine præparatur, eius erit ſacerdotis à quo offertur: ſiue oleo conſperſa, ſiue arida fuerint, cunctis filiis

Aaron menſura æqua per ſingulos diuidetur.

LEX hoſtiæ pro delicto,) Id eſt, ratio & ritus obſeruandus in mactanda hoſtia pro expiatione delicti. Hoc capite deſcribuntur leges ſacrificii quod pro minore peccato offertur.

SANCTA ſanctorum eſt:) ſanctitas ſanctitatum eſt. Id eſt, eſt res ſancta: ideo eſus eius ſolis ſacerdotibus permittitur.

IDCIRCO) Hæc vox non legitur Hebraice.

ALTARIS) ſubaudi, holocauſti.

OFFERENT ex ea caudam) Offeret ex ea omnem adipem eius, & caudã

VITALIA.) inteſtina.

RENVNCVLOS,) renes.

QVAE iuxta ilia eſt,) quæ eſt ſuper eos, quæ iuxta ilia eſt.

RENVNCVLIS,) Addendum verbum, remouebit.

INCENSVM eſt Domini pro delicto.) in incenſum Domino: talis eſt enim hoſtia quæ pro delicto offertur.

SANCTVM ſanctorum eſt.) Vide annotationem de hoc in præcedentibus capitibus.

SICVT pro peccato offertur hoſtia, ita & pro delicto: vtriuſque hoſtiæ lex vna erit.) Sicut peccatum, ſic delictum: eadem illis eſt lex. Compendium loquendi Hebræorum: id eſt, Vt hoſtia pro peccato ſe habet, ita hoſtia pro delicto, & viceuerſa: hoc eſt, idem ritus ſeruabitur in hoſtia pro delicto, qui obſeruabatur in hoſtia pro peccato.

AD ſacerdotẽ qui eam obtulerit, pertinebit.) ſacerdos qui ea victima expiabit aliquem, eius erit. Hebraiſmus eſt, pro, Ad eum ſacerdotem pertinebit hoſtia illa, qui per illam expiauerit peccatum alicuius.

VICTIMAM) Addendum pronomen, ALICVIVS.

SACRIFICIVM) munus. Hebraice vocatur minha.

Hæc eſt lex hoſtiæ pacificorum quæ offertur Domino. Si [a]pro gratiarum actione oblatio fuerit, [b]offerent panes abſque fermento conſperſos oleo, & [c]lagana azyma vncta oleo, [d]coctámque ſimilam, & [e]collyridas olei admiſtione conſperſas, [f]panes quoque fermentatos cum hoſtia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis: [g]ex quibus vnus pro primitiis offertur Domino, & erit ſacerdotis qui fundet [h]hoſtiæ ſanguinem. [i]cuius carnes eâdem comedentur die, [k]nec remanebit ex eis quicquã vſque mane.

PRO gratiarum actione) Hoc ſacrificium fiebat quoties aliquis Deum laudare volebat ſuper ſigno aliquo erga ſe facto. Vnde & offerens comedebat ex eo: quod in ſacrificio pro peccato & delicto non fiebat. Per ſignum factum, intellige liberationem ex vinculis: aut ſiquis Dei beneficio ex graui infirmitate conualuiſſet: aut prolem ex ſterili vxore impetraſſet. Notãdum autem eſt hoc loco Moyſen pro eodem, Sacrificium pro gratiarum actione, & Hoſtiã pacificorum ſiue pacificam, accipere.

Sacrificiũ pro gratiarũ actione.

Sacrificiũ pacificũ, & Pro gratiarũ actione, idem.

OFFERENT panes) offeret placentas.

LAGANA azyma) cruſtula infermentata.

COCTAMQVE) frictámque.

COLLYRIDAS) placentas.

PANES quoque fermentatos cum hoſtia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis:) cum placentis panis fermentati offeret oblationem ſuam in ſacrificio pacifico quod offertur pro gratiarum actione. Hic apertè declarat ſacrificium pacificum eſſe, quod pro gratiarum actione offerebatur. Pro pace autem impetrata, aut tranquillitate, aut ſanitate reſtituta, aut quum aliquis periculum aliquod euaſiſſet, (hæc enim omnia, pacis nomine apud Hebræos intelliguntur) pacificum ſacrificiu offerebatur. Panis infermẽtatus, agnitionẽ culpæ & infirmitatis ſignificat

Sacrificiũ pacificũ, & Pro gratiarũ actione, idem.

EX quibus vnus pro primitiis offertur Domino,) Ex iſto autem offeret vnũ ex vniuerſa oblatione, eleuationem Domino. Id eſt, Ex iſto ſacrificio offeret vnũ panem qui eleuabitur coram Domino. Vetera Latina exẽplaria S. Germani, Dionyſii, & Victoris, legunt offeretur, futuro tempore.

HOSTIAE ſanguinem.) hoſtiæ pacis ſanguinem.

CVIVS carnes eadem comedentur die, nec remanẹbit ex eis quicquam, &c.) caro vero ſacrificii gratiarum actionis pacium ſuarum, eadem die qua immolabitur, comedetur. nec relinquet quicquam, &c. Subaudi, ſacerdos. Hebraiſmus eſt, caro ſacrificii gratiarum actionis, pacium ſuarum: pro, caro oblata pro gratiarũ actione ob pacẽ impetratã, vel ob aliud inſigne beneficiũ à Deo recens acceptũ.

Sacrificiũ gratiarũ actionis pacium.

Si voto, vel ſponte quiſpiam obtulerit hoſtiam, eâdẽ ſimiliter edetur 'die: ſed & ſiquid in craſtinum remanſerit, veſci licitum eſt: quicquid autem tertius inuenerit dies, ignis abſumet. 'Siquis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, 'irrita fiet eius oblatio, nec proderit offerenti: quin potius quæcunque anima tali ſe edulio cõtaminauerit, præuaricationis rea erit. Caro quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, ſed comburetur igni: qui fuerit 'immundus, veſcetur ex ea. Anima polluta, quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ oblata eſt Domino, 'peribit de populis ſuis. Et quæ tetigerit 'immunditiam hominis, vel iumenti, 'ſiue omnis rei quæ polluere poteſt, & comederit de huiuſcemodi carnibus, 'interibit de populis ſuis.

DIE:) Addendum, qua oblata fuerit.

SIQVIS) Apud Hebræos præcedit coniunctio &, Et ſiquis. atque ita legitur in oblongo & paruo antiquiori codice S. Germani.

IRRITA fiet, &c. Caro) non erit gratus qui obtulerit illud, nec imputabitur illi (ſubaudi, ad gratiam) imò abominatio erit: anima enim quæ comederit ex ea oblatione, feret pœnam iniquitatis ſuæ.

IMMVNDVS.) mundus. Ita etiam legunt antiqui codices Latini S. Dionyſii & Germani, itáque & Complutenſis editio.

PERIBIT de populis ſuis.) excidetur de populis ſuis. Id eſt, ſeparabitur à congregatione.

Excidi de populo ſuo.

IMMVNDITIAM hominis vel iumenti,) omne immundum, nempe immũditiam hominis, aut iumenti. Id eſt, aliquid ex omnibus quæ immunda ſunt: videlicet hominem pollutum & impurum, aut iumentum impurum, &c.

SIVE omnis rei quæ polluere poteſt,) ſiue vllam abominationem immũdã.

INTERIBIT) excidetur.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Loquere filiis Iſrael, Adipem ouis, & bouis, & capræ 'non comedetis. Adipē cadaueris morticini, & eius animalis quod à beſtia 'captum eſt, habebitis in varios vſus. 'Siquis adipem, qui offerri debet in incenſum Domini, comederit, peribit de populo ſuo. Sanguinem quoque omnis animalis non ſumetis 'in cibo, tam de auibus, quàm de pecoribus. Omnis anima quæ ederit ſanguinem, peribit de populis ſuis.

NON comedetis.) ne comedatis.

CAPTVM) raptum. Intelligit animal raptum & occiſum.

SIQVIS adipem &c. Sanguinem) Quia omnis qui comederit adipem de animali, de quo offeret ſacrificium ignitum Domino, excidetur de populo ſuo. Sanguinem &c.

IN cibo,) Addendum ex Hebræo, In cunctis habitationibus veſtris. Id eſt, vbicunque vos habitare contigerit.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Loquere filiis Iſrael, dicens, Qui offert victimam pacificorum Domino, 'offerat ſimul & ſacrificium, id eſt libamenta eius. 'tenebit manibus adipē hoſtiæ, & pectuſculū. cúmque ambo oblata Domino conſecrauerit, tradet ſacerdoti, qui adolebit adipem ſuper altare, pectuſculum autem erit Aaron, & filiorum eius. 'armus quoque dexter de pacificorū hoſtiis cedet in primitias ſacerdotis. Qui obtulerit ſanguinem, & adipem, filiorum Aarō, ipſe habebit & armum dextrum in portione ſua. Pectuſculum enim 'eleuationis, & armum 'ſeparationis tuli à filiis Iſrael de hoſtiis eorum pacificis, & dedi Aaron ſacerdoti, & filiis eius 'lege perpetua, ab omni populo Iſrael. 'Hæc eſt vnctio Aarō & filiorum eius 'in ceremoniis Domini in die quo obtulit eos Moyſes, vt ſacerdotio fungerentur, & quæ præcepit eis dari Dominus à filiis Iſrael religione perpetua in generationibus ſuis. Iſta eſt lex holocauſti, & ſacrificii pro peccato atq; delicto, & pro cōſecratione, & pacificorū victimis: 'quā cōſtituit Dominus

Moyſi in monte Sinai quando mandauit filiis Iſrael vt offerrent oblationes ſuas 'Domino 'in deſerto Sinai.

OFFERAT ſimul & ſacrificium, id eſt, libamenta eius.) offerat oblationem ſuam Domino de ſacrificio ſuo pacifico. Id eſt, offerat oblationem ſuam ipſi Domino ex ea victima.

TENEBIT manibus,&c. Armus) Manibus ſuis offerat quod eſt incendendũ Domino: adipem cum pectuſculo offerat: vt ſcilicet pectuſculum agitatione agitetur coram Domino: ſacerdos autem adoleat adipem ſuper altare: ſitque pectuſculũ Aaronis & filiorũ eius. Armus,&c. Agitatio ea, fiebat à dextera ad ſiniſtrã.

ARMVS quoque,&c. Pectuſculum) Armum quoque dextrum date ſacerdoti eleuationem de ſacrificiis pacificis veſtris. qui ex filiis Aaron obtulerit ſanguinem & adipem, ipſe habebit armum dextrum in portione ſua. Pectuſculum, &c. Date inquit eleuationem, id eſt, ad leuãdum coram Domino ſurſum verſus. Dum agitabatur hoſtia à dextra ad ſiniſtram, dúmque illa ſurſum verſus agitabatur, ſignificabatur Deus omnium ſupernorum & infernorum, cæleſtiũ & terreſtrium Dominus.

ELEVATIONIS) agitationis. Id eſt, quod per agitationem offertur.

SEPARATIONIS) eleuationis. Id eſt, qui eleuatur dum offertur mihi.

LEGE perpetua,) ſtatuto perpetuo.

HAEC eſt vnctio) Id eſt, hæc eſt merces vnctionis Aaronis: hoc eſt, mercedis loco hoc habebit Aaron & filii eius ob vnctionem ſuam, ſiue ſacerdotium ſuum à filiis Iſrael.

IN ceremoniis Domini,&c. Iſta eſt) de his quæ incenduntur Domino à die quo accedere fecit eos vt ſibi ſacerdotio fungerentur, quæ præcepit eis dari Dominus à die quo ipſe vnxit eos, à filiis Iſrael, ſtatuto perpetuo, in generationibus ſuis. Iſta,&c. Id eſt, quibus ſeculis illi viuent.

HOLOCAVSTI & ſacrificii) holocauſti & muneris, & ſacrificii. Hic eſt recapitulatio præcedentium, vt tranſeat ad ſequentia.

QVAM) ſcilicet legem.

DOMINO) Id eſt, ſibi. Hebraiſmus, antecedens pro relatiuo.

IN deſerto Sinai.) Id eſt, in deſerto in quo eſt mons Sinai.

CAP. VIII.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen, dicẽs, Tolle Aaron cum filiis ſuis, veſtes eorũ, & vnctionis oleum, 'vitulum pro peccato, duos arietes, caniſtrũ cum azymis, & 'congregabis omnem 'cœtum Iſrael ad oſtiũ 'tabernaculi. Fecitque Moyſes vt Dominus 'imperauerat. Congregatáque omni turba ante fores tabernaculi, ait, 'Iſte eſt ſermo quem iuſſit Dominus fieri. 'Statímq; obtulit Aaron & filios eius. Cúmque lauiſſet eos, veſtiuit pontificem 'ſubucula linea, accingens eum balteo, & induens eum 'tunica hyacinthina, & déſuper humerale impoſuit, 'quod aſtringens cingulo aptauit rationali, in quo erat doctrina & veritas. Cidari quoque texit caput:

& ſuper eam, 'cõtra frontẽ, poſuit laminam aureã 'conſecratã in ſanctificatione, ſicut præceperat ei Dominus.

VITVLVM) iuuencum.
CONGREGABIS) congrega.
COETVM Iſrael) Dictionem ISRAEL, ne vetera quidem Latina exemplaria S.Germani, Dionyſii, & Victoris legunt: neque etiam Moguntinenſis editio.
TABERNACVLI) Adde ex Hebræo, conuentus: & ſtatim poſt, Ante fores tabernaculi conuentus.
IMPERAVERAT) Addendum pronomen EI.
ISTE eſt ſermo quem iuſſit) Hebraiſmus eſt, pro, Hæc eſt res quam iuſſit &c. Sermo.
STATIMQVE obtulit) Accedereque fecit ad ſe. Vel, Accerſiuit ad ſe.
SVBVCVLA linea,) tunica linea.
TVNICA hyacinthina, & deſuper humerale) pallio, & deſuper ſuperhumerale.
QVOD aſtringens cingulo aptauit rationali, in quo erat doctrina & veritas.) accinxitque eum balteo ſuperhumeralis, & ſtrinxit eum illo. Poſuit prieterea pectorale ſuper illud, in quo poſuit Vrim & Thummim. Chaldæus paraphraſtes, pro Strinxit eũ illo, vertit, Ornauit eum illo. Pectorale ſuperpoſuit ipſi ſuperhumerali. Pro balteo, verti poteſt artificium, hoc pacto, Cõiunxitque eũ in artificio ſuperhumeralis id eſt, in eo loco vbi artificium ſuperhumeralis erat.
CONTRA frontem,) e regione faciei ſuæ.
CONSECRATAM in ſanctificatione,) coronam ſanctam. Vocat ſanctam, quòd in ea ſcriptum eſſet, Sanctitas decet Dominum.

Tulit & vnctionis oleum, quo liniuit tabernaculum cum omni ſupellectili ſua. 'Cúmque ſanctificans aſperſiſſet altare ſeptem vicibus, vnxit illud, & omnia vaſa eius, labrúmque cũ baſi ſua ſãctificauit oleo. ¶Quod fundens ſuper caput Aaron, vnxit eum, & conſecrauit. Filios quoque eius 'oblatos conſecrauit, veſtiuítque tunicis lineis, & cinxit balteis, impoſuítque mitras, vt iuſſerat Dominus. Obtulit & 'vitulum pro peccato. cúmque ſuper caput eius poſuiſſet Aaron & filii eius manus ſuas, 'immolauit eum: hauriens ſanguinem, & tincto digito, 'tetigit cornua altaris per gyrũ. quo expiato & ſanctificato, fudit reliquũ ſanguinem 'ad fundamenta eius. 'Adipem verò qui erat ſuper 'vitalia, & reticulúm iecoris, 'duóſque renunculos cum aruinulis ſuis adoleuit ſuper altare: 'vitulum cum pelle, & carnibus, & fimo, cremans extra caſtra, ſicut præceperat Dominus. Eccli.45.c.

CVMQVE ſanctificans aſperſiſſet altare) , & ſanctificauit ea. Aſpergénſque altare ex eo ſeptem &c.
OBLATOS conſecrauit, veſtiuítque) Tantum legitur in vetuſtioribus Latinis codicibus S.Germani, Dionyſii, & Victoris, conſentiente Complutenſi & Baſilienſi editione, oblatos veſtiuit.

VITVLVM) iuuencum.
IMMOLAVIT eum) Adde, Moyſes.
TETIGIT cornua) poſuit ſuper cornua.
AD fundamenta eius.) ad baſim eius. Adde præterea ex Hebræo, Sāctificau't-que ipſum ad expiandū illud. Vel, in eo. Id eſt, ad expiandū in eo omnia peccata.
VITALIA) inteſtina.
DVOSQVE renunculos cum aruinulis ſuis adoleuit ſuper altare:) duóſque renes, & adipem eorum adoleuit Moyſes ſuper &c.
VITVLVM) Iuuencum.

Obtulit & arietem in holocauſtum : ſuper cuius caput cum impoſuiſſent Aarō & filii eius manus ſuas, immolauit eum, & fudit ſanguinem eius per circuitum altaris. Ipſúmque arietem in fruſta concídens, caput eius, & artus, & adipem adoleuit igni, lotis prius inteſtinis & pedibus. totúmque ſimul arietem incendit ſuper altare, eo quòd eſſet holocauſtum ſuauiſſimi odoris Domino; ſicut præceperat ei. Obtulit & arietem ſecundum, in conſecrationem ſacerdotum: poſuerúntque ſuper caput eius Aaron & filii eius manus ſuas. quem cum immolaſſet Moyſes, ſumens de ſanguine eius, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, & pollicem manus eius dextræ, ſimiliter & pedis. Obtulit & filios Aarō. cúmque de ſanguine arietis immolati tetigiſſet extremū auriculæ ſingulorum dextræ, & pollices manus ac pedis dextri, reliquum fudit ſuper altare per circuitum. adipem verò, & caudam, omnemq; pinguedinem quæ operit inteſtina, reticulúmque iecoris, & duos renes cum adipibus ſuis, & armo dextro ſeparauit. Tollens autem de caniſtro azymorum, quod erat coram Domino, panes abſque fermento, & collyridam cōſperſam oleo, laganúmque poſuit ſuper adipes, & armum dextrū, tradēs ſimul omnia Aaron & filiis eius. Qui poſtquā leuauerunt ea coram Domino, rurſum ſuſcepta de manibus eorū, adoleuit ſuper altare holocauſti, eo quòd cōſecrationis eſſet oblātio in odorē ſuauitatis ſacrificii Domini. Tulítque pectuſculū eleuans illud corā Domino, de ariete cōſecrationis in partem ſuam, ſicut præceperat ei Dominus.

'Aſſuménſque vnguentum,& ſanguinem qui erat in altari, aſperſit ſuper Aaron & veſtimenta eius,& ſuper filios illius ac veſtes eorum.

PER circuitum altaris) ſuper altare per circuitum.Verti poteſt,iuxta altare.

SVAVISSIMI odoris Domino,) in odorem quietis, & res quæ incenderetur ipſi Domino.Id eſt,eo quòd holocauſtum eſſet cuius odor erat Deo gratiſſimus: cúmque arietem incendebat in honorem Domini.

· IN conſecrationẽ ſacerdotũ:) arietem ſcilicet cõſecrationis.Id eſt, qui offerri ſolebat in conſecratione ſacerdotis.

TÉTIGIT extremum) poſuit ſuper extremum.

ET pedis.) & ſuper pollicem dextri eius pedis.

OBTVLIT) Accedere fecit ad ſe Moyſes.Vel,Acceſſiuit ad ſe.curauit ſibi admouendos.

TETIGISSET extremum) poſuiſſet ſuper extremum.

ET pollices manus) & pollicis manus.genitiuo caſu. Sic etiam legitur in oblongo codice S.Dionyſii,& tribus antiquiſſimis S.Germani. Complutenſis vero editio,exemplárque S. Victoris legunt pollicem,accuſatiuo caſu.

· SVPER altare) Vel,iuxta altare.

· SEPARAVIT.) accepit.

PANES abſque fermento,&collyridam) placentam infermentatam vnam, & placentam &c.Vetera exemplaria Latina S.Germani,Dionyſii & Victoris legunt panem,ſingulari numero. Complutenſis item editio legit, panem abſque fermento vnum,& collyridam.

LAGANVMQVE poſuit) laganúmque vnum,& poſuit.

QVI poſtquam leuauerunt ea corã Domino,rurſum ſuſcepta de manibus eorum,adoleuit) fecitque vt cum agitatione offerrẽt illa coram Domino in oblationem.Quæ cum Moyſes accepiſſet de manibus eorum,adoleuit &c.

HOLOCAVSTI,) in holocauſtum.Vel,poſt holocauſtum.

SACRIFICII Domini.) ſacrificiúmque ignium Domino.Id eſt,ſacrificium quod abſumeretur igni in honorem Domini.Vetus exemplar Latinũ S. Victoris,editio item Baſilienſis & Complutenſis legunt Domino.datiuo caſu.

TVLITQVE pectuſculum eleuans illud) Tulítque Moyſes pectuſculum agitans agitatione illud.

ASSVMENSQVE vnguentum, & ſanguinem) Aſſuménſque de oleo vnctionis & de ſanguine.

Cúmque ſanctificaſſet eos in veſtitu ſuo,præcepit eis, dicens,Coquite 'carnes ante fores 'tabernaculi,& ibi cõedite eas. panes quoque conſecrationis edite, qui poſiti ſunt in caniſtro, 'ſicut præcepit mihi Dominus, dicens, Aaron & filii eius comedent eos. quicquid autem reliquũ fuerit de carne & panibus, ignis abſumet. De oſtio quoque 'tabernaculi non exibitis ſeptem diebus, vſque ad diem quo cõplebitur tempus conſecrationis veſtræ. ſeptem enim diebus 'finitur cõſecratio:'ſicut impræſentiarum factum eſt, vt ritus ſacrificii compleretur. Die

Exod.29.f.

ac nocte manebitis 'in tabernaculo obſeruantes cuſtodias Domini, ne moriamini: ſic enim mihi præceptum eſt. Fecerúntque Aaron & filii eius cuncta quæ 'locutus eſt Dominus per manum Moyſi.

CARNES) Subaudi, arietis immolati pro conſecratione ſacerdotis.

TABERNACVLI,) Adde ex Hebræo, conuentus.

SICVT præcepit mihi Dominus,) ſicut præcepi. Id eſt, De⁹ præcepit per me.

TABERNACVLI non exibitis) tabernaculi conuentus ne exeatis.

FINITVR conſecratio:) manus veſtras conſecrabit. Sub Dominus. Quidā dicunt tertiam perſonam poni pro prima, conſecrabo manus veſtras iuſſu Dei.

SICVT impræſentiarum factum eſt, vt ritus ſacrificii compleretur.) Quēadmodum fecit Moyſes hodie, præcepit Dominus facere ad expiandum illos. Id eſt, Quemadmodum ego Moyſes feci, ſic præceperat Dominus vt facerē, vt emūdarem vos à peccatis veſtris per ſeptem dies. Oblongum & paruum exemplar S. Germani, & latum S. Dionyſii legunt Compleatur.

Cuſtodire cuſtodias Domini.

IN tabernaculo obſeruantes cuſtodias Domini,) ad fores tabernaculi conuētus ſeptē diebus, obſeruantes cuſtodias Domini. Id eſt, cuſtodientes ea quæ iuſſit Dominus cuſtodiri, id eſt ceremonias & præcepta eius.

LOCVTVS eſt) præcepit. Vel, præceperat.

CAP. IX.

FACTO autem 'octauo die, vocauit Moyſes Aaron & filios eius, ac maiores natu Iſrael, dixítque ad Aaron, Tolle de armento vitulum pro peccato, & arietem in holocauſtum, vtrunque immaculatum, & offer illos coram Domino. Et ad filios Iſrael 'loquêris, Tollite hircum pro peccato, & vitulum atque agnum 'anniculum, & ſine macula in holocauſtum, bouem & arietem 'pro pacificis: & immolate eos coram Domino, 'in ſacrificio ſingulorum ſimilam conſperſam oleo offerentes. hodie enim Dominus apparebit vobis. Tulerunt ergo cuncta quæ iuſſerat Moyſes ad oſtium 'tabernaculi: vbi cū omnis multitudo 'aſtaret, ait Moyſes, 'Iſte eſt ſermo quē præcepit Dominus: facite, & 'apparebit vobis gloria eius. Et dixit ad Aaron, Accede ad altare, & immola pro peccato tuo. offer holocauſtum, '& deprecare pro te & pro populo. 'cúmq; mactaueris hoſtiam populi, ora pro eis, ſicut præcepit Dominus. Statímque Aaron accedens ad altare, immolauit vitulū pro peccato ſuo: cuius ſanguinem obtulerunt ei filii ſui. in quo tingens digitum,

Exod 29.2.

tetigit cornua altaris, & fudit reſiduum ad baſim eius. Adipémque, & renunculos, ac reticulum iecoris, quæ ſunt pro peccato, adoleuit ſuper altare, ſicut præceperat Dominus Moyſi: carnes verò & pellem eius, extra caſtra combuſſit igni.

OCTAVO die,) Subaudi, Martii. Hæc enim geſta ſunt altero anno egreſſiōis ex AEgypto, octauo Martii: non vt Rabini volunt, primo.

LOQVERIS) loquere.

ANNICVLVM.) anniculos. plurali numero. Sic etiam legunt vetera exemplaria S. Dionyſii, Germani & Victoris.

PRO pacificis:) Id eſt, pro ſacrificio pacifico.

IN ſacrificio ſingulorum ſimilam conſperſam oleo offerentes.) & munus quod dicitur minha, conſperſum oleo.

TABERNACVLI) Adde, conuentus.

ASTARET) Addendum, coram Domino.

ISTE eſt ſermo) Id eſt, hæc eſt res quam præcepit &c. sermo pro re

APPAREBIT vobis gloria eius.) Id eſt, Dominus oſtendet præſentiam ſuā vobis magno miraculo. Gloria Dei.

ET deprecare pro te) Vel, & expiationem fac pro te. Aut, placa tibi Deum, propitium tibi redde & fauentem tibi & populo per ſacrificium. Expiationem facere.

CVMQVE mactaueris hoſtiam populi, ora) fac etiam oblationem populi, & ora pro eis.

TETIGIT cornua) poſuit ſuper cornua.

ET renunculos) & renes.

QVAE ſunt pro peccato,) de illa hoſtia quæ pro peccato immolabatur.

ADOLEVIT ſuper altare,) Id eſt, adolendum poſuit ſuper altare. nam igni de cælo abſumptū eſt holocauſtū. Vbique in hoc capite ſic debet exponi adoleuit.

Immolauit & holocauſti victimam: obtulerúntque ei filii ſui ſanguinem eius, quem fudit per altaris circuitum. ipſam etiam hoſtiam in fruſta conciſam, cum capite & membris ſingulis obtulerunt: quæ omnia ſuper altare cremauit igni, lotis aqua prius inteſtinis & pedibus. Et pro peccato populi offerens, mactauit hircum: expiatóque altari, fecit holocauſtum, addens in ſacrificio libamenta, quæ pariter offeruntur, & adolens ea ſuper altare, abſque ceremoniis holocauſti matutini.

IPSAM etiam hoſtiam in fruſta conciſam,) ipſum etiam holocauſtū in fruſta conciſum.

CREMAVIT) Id eſt, cremandum poſuit.

LOTIS aqua prius inteſtinis & pedibus.) Lauit quoque inteſtina & crura, & adoleuit cum holocauſto in altari.

ET pro peccato populi offerens, mactauit hircum:) Deinde obtulit ſacrificium populi, accepto capro quem tradiderat populus pro hoſtia peccati: & mactato eo, obtulit ipſum pro peccato, quemadmodum primum obtulerat. Id eſt, quemadmodum primam obtulerat oblationem.

EXPIATOQVE altari &c. Immolauit) Obtulit quoque holocauſtũ, & apparauit illud more ſolito. Obtulit & munus, implens ex eo manũ ſuam, & incẽdit ſuper altare, præter holocauſtum matutinum. Immolauit &c. Id eſt, ex eo munere cepit quantum pugillo capi poteſt, & cremandũ poſuit ſuper altare, vt quãdo deſcenderet ignis, cõbureret omnia. Præter autẽ holocauſtũ matutinum, inquit. nam ante omnia ſacrificia matutino tempore offerebatur holocauſtum, & rurſus veſperi vltimum ſacrificium erat holocauſtum.

Immolauit & bouem atque arietem hoſtias pacificas populi. obtulerúntque ei filii ſui ſanguinem, quem fudit ſuper altare in circuitum. Adipem autem bouis, & caudam arietis, renunculóſque cum adipibus ſuis, & reticulum iecoris poſuerunt ſuper pectora. cúmque cremati eſſent adipes ſuper altare, pectora eorum, & armos dextros ſeparauit Aaron, eleuans coram Domino, ſicut præceperat Moyſes. Et extendens manum ad populum, benedixit ei. Sícque completis hoſtiis pro peccato, & holocauſtis, & pacificis, deſcendit. Ingreſſi autẽ Moyſes & Aaron in tabernaculum teſtimonii, & deinceps e-
4.Mach.2.c greſſi benedixerũt populo. Apparuítque gloria Domini omni multitudini: & ecce egreſſus ignis à Domino, deuorauit holocauſtum, & adipes qui erant ſuper altare. Quod cum vidiſſent turbæ, laudauerunt Dominũ, ruentes in facies ſuas.

HOSTIAS pacificas) Id eſt, pro ſacrificio pacifico.

SVPER altare) Vel, iuxta altare.

RENVNCVLOS cum adipibus ſuis,) & adipem tegentem exta, & renes.

CVMQVE cremati eſſent) cúmque adoleuiſſet. Id eſt, adolendos poſuiſſet.

SEPARAVIT Aaron, eleuans coram Domino,) more ſolito agitando obtulit Aaron coram Domino.

EXTENDENS manum) extendens Aaron manum.

BENEDIXIT ei.) Id eſt, omnia læta & fœlicia illis precatus eſt.

COMPLETIS) apparatis.

HOLOCAVSTIS,) holocauſto.

DESCENDIT.) Quia altare in loco editiore erat, idcirco dicit deſcendit.

INGRESSI autem Moyſes & Aaron in tabernaculũ teſtimonii, & deinceps egreſſi benedixerunt &c.) Iam verò ingreſſi fuerant Moyſes & Aaron tabernaculum fœderis, & benedixerunt &.

ET ecce egreſſus) Et egreſſus. His verbis declarat quid ſignificarent verba illa, Apparuítque gloria Domini, nempe, deſcendit ignis de cælo &c.

QVOD cum &c.) Quod quum videret totus populus, exclamauit, & cóncidit in faciem ſuã. Honoris ſcilicet cauſa: aut præ metu. quaſi dicat, attoniti fuerũt viſo miraculo. Pro Exclamauit, Chaldæus paraphraſtes vertit, prorupit in laudem Domini.

CAP. X.

ARreptíſque Nadab, & Abiu filii Aaron thuribulis, ||impoſuerunt ignem, & incenſum déſuper, offerẽtes coram Domino ignem 'alienum, 'quod eis præceptum non erat. Egreſſúſque ignis à Domino, 'deuorauit eos, & mortui ſunt 'coram Domino. Dixítque Moyſes ad Aaron, 'Hoc eſt quod locutus eſt Dominus, 'Sanctificabor' in iis qui appropinquant mihi, & in conſpectu omnis populi 'glorificabor. Quod audiẽs, tacuit Aaron. Vocatis autem Moyſes Miſaele, & Eliſaphan filiis Oziel, patrui Aaron, ait ad eos, 'Ite, & tollite 'fratres veſtros de cõſpectu 'ſanctuarii, & aſportate extra caſtra. Confeſtímque pergentes, tulerunt eos ſicut iacebant, veſtitos lineis tunicis, '& eiecerunt foras, vt ſibi fuerat imperatum.

Num.3.a 26.g 1.par.24.a.

ALIENVM,) externum. Id eſt, qui non erat è cælo miſſus, & ſumptus ex altari. Durauit autem ignis iſte è cælo demiſſus, ſuper altare, vſque ad illud tempus quo captiui Iſraelitæ in Babylonem abducti ſunt.

QVOD eis præceptum non erat.) quod non præceperat illis. Subaudi, Moyſes. Quaſi dicat, ipſi non admoniti à Moyſe acceperunt ignem.

DEVORAVIT eos,) Id eſt, exanimauit. neque enim in fauillam redacti ſunt, vt ex ſequentibus intelligere licet.

CORAM Domino.) in eodem ſcilicet loco: id eſt, ad altare holocauſti in atrio.

HOC eſt quod locutus eſt Dominus,) Id eſt, Nunc verbum Dei impletũ eſt.

SANCTIFICABOR) Id eſt, ſanctum me oſtẽdam, & ſanctitatis amatorem, qui ſanctè velim coli, & leges meas nolim pollui.

Sanctificari quomodo dicatur Deus.

IN iis qui appropinquant mihi,) Id eſt, in ſacerdotibus qui propinquiores ſunt mihi. Quaſi dicat, eos qui mihi propinquiores fuerint puniam, ſi aberrauerint.

GLORIFICABOR.) Id eſt, apparebo glorioſus, ſiue apparebit gloria mea.

ITE,) Accedite propius.

FRATRES) Id eſt, cognatos.

SANCTVARII,) ſanctitatis. Id eſt, loci ſancti.

ET eiecerunt foras,) extra caſtra.

'Locutúſque eſt Moyſes ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar filios eius, Capita veſtra 'nolite nudare, & veſtimenta nolite ſcindere, ne forte moriamini, & ſuper omnem cœtum 'oriatur indignatio. Fratres veſtri, '& omnis domus Iſrael plangant incendium quod Dominus 'ſuſcitauit: vos autem 'nõ egrediemini fores 'tabernaculi, 'alioquin peribitis. 'oleum quippe ſanctæ vnctionis eſt ſuper

vos. Qui fecerunt omnia iuxta præceptum Moyſi.

LOCVTVSQVE eſt) Tum dixit.

NOLITE nudare &c.) more ſcilicet lugentium. Dominus non vult eos eſſe triſtes propter mortem impiorum: neque vult vt contra præceptum eius quicquam faciant.

ORIATVR indignatio.) Id eſt, ne iraſcatur Dominus aduerſus cōgregationē.

FRATRES veſtri.) Fratres quoque veſtri. Ita etiam legit paruum exemplar S. Germani.

ET omnis domus.) Hoc loco non legitur coniunctio ET. per appoſitionem enim ponuntur hæc verba Omnis domus. quaſi dicat, fratres veſtri, omnis ſcilicet domus Iſrael.

SVSCITAVIT:) incendit, Id eſt, mortem filiorum Aaron qui igni à Deo immiſſo perierunt.

NON egrediemini.) ne egrediamini. Sic etiā legitur in oblongo codice Latino S. Dionyſii, & vtroque S. Germani, & Victorino.

TABERNACVLI,) Addendum, conuentus.

ALIOQVIN peribitis.) ne moriamini. Quaſi dicat, non ceſſabitis ab officio veſtro, manebitis domi in loco ſancto, vacabitis orationi & ſacrificiis, & iis quæ ſunt muneris veſtri.

OLEVM quippe &c.) Id eſt, quia vncti eſtis oleo ſancto.

Dixítque Dominus ad Aaron, Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in tabernaculū teſtimonii, ne moriamini: quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras. Et vt habeatis ſcientiam diſcernēdi inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mundum: doceatíſq; filios Iſrael omnia legitima mea quæ locutus eſt Dominus ad eos per manum Moyſi.

NON bibetis) ne bibas. Non ſemper abſtinebāt à vino ſacerdotes, ſed quādo ingeſſuri erant tabernaculum fœderis, ſacrorum cauſa.

QVANDO intrabitis in tabernaculum teſtimonii.) quando intraturi eſtis in tabernaculum conuentus. Id eſt, quando debebitis officio veſtro fungi.

In generationes veſtras.

QVIA præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras.) ſtatutum perpetuum hoc erit per generationes veſtras. Id eſt, volo hoc ſtatutum perpetuo à vobis obſeruari.

ET vt habeatis ſcientiam diſcernendi.) tum vt diſcernatis. Subaudi, ex præcedentibus vinum ne bibatis, tum vt habeatis &c.

DOCEATISQVE) tum vt doceatis.

LEGITIMA) ſtatuta.

QVAE locutus eſt Dominus) Hebraiſmus eſt. pro, Quæ locutus ſum ego.

PER manum Moyſi.) Id eſt per Moyſen, vel Opera Moyſi.

Locutúſque eſt Moyſes ad Aarō, & ad Eleazar & Ithamar filios eius, qui erant reſidui, Tollite ſacrificiū quod remanſit de oblatione Domini, & comedite illud abſq; fermento iuxta altare, quia ſanctum ſanctorū eſt. Comedetis autem in loco ſancto: quòd datum eſt tibi & fi-

liis tuis de oblationibus Domini, ſicut præceptum eſt mihi. 'Pectuſculum quoque quod oblatum eſt,& armũ qui ſeparatus eſt,edetis in loco mũdiſſimo tu & filii tui, & filiæ tuæ tecum. tibi enim ac liberis tuis 'repoſita ſunt de hoſtiis 'ſalutaribus filiorum Iſrael: 'eo quòd armum & pectus,& adipes qui cremantur in altari, eleuauerunt coram Domino,& pertineant ad te,& ad filios tuos lege perpetua,ſicut præcepit Dominus.

TOLLITE ſacrificium quod remanſit de oblatione Domini.) Tollite reliquum muneris ex his quæ incenſa ſunt Domino. Quaſi dicat, Quum aliqua Domino offerentur, pars incendetur Domino, reliquum vero accipietis in vſum veſtrum.

ABSQVE fermento) in infermentatis. Id eſt, ex eo munere facietis panes infermentatos,quos comedetis.

SANCTVM ſanctorum eſt.) ſanctitas ſanctitatum eſt. Id eſt, res eſt ſacroſancta.

COMEDETIS autem &c. Pectuſculum.) Comedite itaque illud in loco ſancto: quia hoc eſt ius tuum, & ius filiorum tuorum de incenſis Domini. ſic enim præceptũ eſt mihi. Id eſt, quia ex iure ſacerdotali ad te pertinet ex his quæ incenduntur in honorẽ Domini. Gallice, Cela t'eſt baille pour ton droict. Locũ ſanctum vocat atrium tabernaculi fœderis. Locus ſanct⁹.

PECTVSCVLVM quoque quod oblatum eſt,& armum qui ſeparatus eſt,edetis in loco mundiſſimo.) Pectus quoque agitationis,& armum oblationis edetis in loco mundo. Pectus agitationis vocat quod cum quadã agitatione offerebatur. Armum item eleuationis, qui cum quadam eleuatione offerebatur. Chaldæus paraphraſtes vertit, armum ſeparationis. Id eſt, qui ſeparatur ab hoſtia & victima. Pectus agitationis. Armus eleuationis.

REPOSITA ſunt) ſtatuta ſunt. Id eſt, tibi iure ſacerdotii debentur. Vetus exemplar Latinum paruum S. Germani, itémque oblongum, legunt ſepoſita.

SALVTARIBVS) pacificis.

EO quòd armum,& pectus &c. Inter hæc.) Armum eleuationis, & pectus agitationis, cum incenſis adipibus, offerent tibi, vt ea agites coram Domino: eritque tuum & filiorum tuorum tecum in ius æternum, quemadmodum præcepit Dominus. Inter hæc &c. In ius perpetuum, inquit, Id eſt, cedet tibi & filiis tuis iure perpetuo.

‖Inter hæc hircum qui oblatus fuerat pro peccato cũ quæreret Moyſes, exuſtum reperit: iratúſque contra Eleazar & Ithamar filios Aaron qui 'remanſerant, ait, Cur nõ comediſtis hoſtiam pro peccato in loco ſancto, 'quæ ſancta ſanctorum eſt, '& data vobis vt portetis iniquitatem multitudinis, '& rogetis pro ea in conſpectu Domini, 'præſertim cum de ſanguine illius non ſit illatum intra ſancta, & comedere debueratis eam in ſanctuario, ſicut præceptum eſt mihi? Reſpondit Aaron, 'Oblata eſt 2. Mach. 2. c.

hodie victima pro peccato, & holocauſtum coram Domino: 'mihi autem accidit quod vides. quomodo potui comedere eã, aut placere Domino in ceremoniis mente lugubri? Quod cum audiſſet Moyſes, 'recepit ſatiſfactionem.

REMANSERANT.) ſuperſtites fuerant.

QVAE ſancta ſanctorum eſt,) ſacroſancta enim eſt.

ET data vobis, vt portetis iniquitatem) cum illam dederit vobis (ſub. Dominus) vt portetis iniquitatem. Vel, vt remittatis iniquitatem. Id eſt, remiſſam declaretis.

ET rogetis pro ea) & expietis eam. Id eſt, ad placandum Deum pro ea.

PRAESERTIM cum &c. Reſpondit) Sane non illatus eſt ſanguis eius in ſanctitatem introrſum: proinde comedere debebatis illã in ſanctuario, ſicut præceperam. Iſtud præceperat capite ſexto huius libri. Sanctitatem vocat tabernaculum conuentus.

Sanctitas.

OBLATA eſt hodie victima.) Sane obtulerunt hodie victimam. Subaudi, filii mei.

MIHI autem accidit &c. Quod cum) mihi autem acciderunt huiuſmodi. Si igitur comediſſem oblationem illam pro peccato, an placuiſſet Deo? Id eſt, Mihi tamen mortui ſunt filii mei: quod certe argumento eſt illorum ſacrificium Deo non placuiſſe. (ignorabat enim Aaron cauſam mortis filiorum) Si igitur comediſſem quod mihi debebatur ex ea oblatione, quomodo placuiſſem Deo, quum oblatio ipſa non placuerit? Quaſi dicat, non putaui fore Deo gratum, quum ea victima non fuerit placatus.

RECEPIT ſatiſfactionem.) placuit oculis eius. Hebraiſmus eſt, pro, hæc reſponſio placuit ei.

CAP. XI.

LOcutúſque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron, dicens, Dicite filiis Iſrael, 'Cuſtodite omnia quæ ſcripſi vobis, vt ſim Deus veſter. ‖Hæc ſunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ, Omne quod 'habet diuiſam vngulã, & ruminat in pecoribus, 'comedetis. 'Quicquid autẽ ruminat, & habet vngulã, ſed non diuidit eã, ſicut camelus & cætera, nõ comedetis illud, & inter immunda reputabitis. 'Chœrogryllus qui ruminat, vngulámque non diuidit, immundus eſt. Lepus quoque: nam & ipſe ruminat, ſed vngulam nõ diuidit. Et ‖ſus: qui cum vngulã diuidat, non ruminat. horum carnibus non veſcemini, nec cadauera cõtingetis, quia immunda ſunt vobis.

Deut. 14. a.

1. Mac. 6. d.

CVSTODITE omnia quæ ſcripſi vobis, vt ſim Deus veſter.) Hæc nec in vetuſtioribus quidem Latinis codicibus, S. Dionyſii oblongo, Germani paruo, & S. Victoris: neque etiam in editione Complutenſi leguntur.

HABET diuiſam vngulam,) Ex Hebræo addendum, Et findens fiſſuram vngularum. Id eſt, habens vngulam omnino fiſſam. hoc ponitur ad maiorem declarationem.

COMEDETIS.) Id eſt, comedere poteritis.

QVICQVID autem ruminat &c. Chœrogryllus) Veruntamen hoc non cōedetis, ex ruminantibus, aut ex diuidentibus vngulam: vt eſt camelus, quia ruminat quidem, ſed vngulam non diuidit: ideo immundus eſt vobis. Cum, Ex ruminantibus dicit, & ex diuidentibus vngulam, ſubaudi aduerbium TANTVM vel SOLVM. quaſi dicat, ex animalibus quæ tantū ruminant, aut diuidunt vngulā tātū. Quatuor enim genera animalium hic ſunt attendenda: nam alia ruminant tantum, alia diuidūt vngulam tantum, alia neque ruminant, neque vngulam biſulcam habent: alia & ruminant, & vngulam biſulcam habent. alia poſtremi huius generis munda ſunt, reliqua impura.

CHOEROGRYLLVS) cuniculus.

Hæc 'etiam ſunt quæ gignuntur in aquis, & veſci 'licitum eſt. Omne quod habet pinnulas & ſquamas, tam in mari quàm in fluminibus & ſtagnis, comedetis. Quicquid autem pinnulas & ſquamas nō habet 'eorum quæ in aquis mouentur & viuunt, abominabile vobis execrādúmque erit. carnes eorum non comedetis, & morticina 'vitabitis. Cuncta quæ non habent pinnulas & ſquamas in aquis, polluta erunt.

ETIAM) Hæc coniunctio non legitur nec in Latino exemplari S. Germani lato, nec in vtroque S. Dionyſii.

LICITVM eſt) Adde, vobis.

EORVM quæ in aquis mouentur & viuunt,) tam ex omnibus reptantibus in aquis, quàm ex omnibus animalibus viuentibus in ipſis aquis. Per reptilia, intelligit minores piſces qui naſcuntur ex cœno: per animalia viuentia, intelligit maiores qui naſcuntur ex coitu maris & fœminæ.

VITABITIS.) abominabimini.

Hæc ſunt quæ de auibus comedere non debetis, '& vitāda ſunt vobis, Aquilam, & 'gryphem, & 'haliæetum, &'miluum ac vulturem iuxta genus ſuum, & omne coruini generis 'in ſimilitudinem ſuam, ſtruthionem, & noctuam, & larum, & accipitrem iuxta genus ſuum: 'bubonem, & mergulum, & ibin, & 'cygnum, & 'onocrotalum, & 'porphyrionem, 'herodionem & 'charadrion iuxta genus ſuum, 'vpupam quoque & veſpertilionem. Omne de volucribus quod graditur ſuper quatuor pedes, abominabile erit vobis. Quicquid autem ambulat quidē ſuper quatuor pedes, ſed habet longiora retro crura, per quæ ſalit ſuper terram, 'comedere debetis, vt eſt 'brucus

in genere ſuo,& 'attacus atque 'ophiomachus,ac 'locuſta,ſingula iuxta genus ſuũ. Quicquid autem ex volucribus quatuor tantum habet pedes, execrabile erit vobis: & quicunque morticina eorũ tetigerit,polluetur, & erit immundus vſque ad veſperum: & 'ſi neceſſe fuerit vt portet quippiam horum mortuum,'lauabit veſtimenta ſua,& immundus erit vſque ad occaſum ſolis.

ET vitanda ſunt vobis,) & abominatio ſunt vobis.

GRYPHEM,) oſſifragam.

HALIAEETVM,) Haliæetus,aquila eſt marina,à mari & piſcationibus ſic appellata. ἁλιεύω enim eſt piſcor:& ἀετὸς aquila.

MILVVM, ac vulturem) vulturem & picam.Hebræi dicunt vocem Hebræã,

אַיָּה ATA, pro qua picam vertimus, ſignificare genus picæ quod Galli Agaſſe vocãt.

IN ſimilitudinem ſuam) iuxta genus ſuum.

BVBONEM,) Verti poteſt nycticoracem.

CYGNVM,) Verti poteſt, porphyrionem. Alii vertunt, noctuam, Gallice ciuettè.

ONOCROTALVM,) Verti poteſt pelicanum.

PORPHYRIONEM) cygnum.

HERODIONEM) ciconiam.

CHARADRION.) nonnulli vertunt picam,alii miluum. L X X,charadrion. Eſt autem charadrios Græca vox,pro qua Theodorus Gaza li. 8 de hiſtoria animalium,vertit rupex auis.Quidam ex Hebræis exiſtimant eam ſignificare auẽ quam Hairon dicimus.

VPVPAM) Vel, gallum ſylueſtrem.aut gallinam ſylueſtrem.

COMEDERE debetis,) comedere poteſtis.

BRVCVS) locuſta.

ATTACVS) Attacum dicunt genus eſſe volucris ſuper quatuor pedes ambulantis,longioráque retro crura habentis.Hebræi genus eſſe locuſtæ dicũt, altum & ſine cauda,cuius caput eſt oblongum.

OPHIOMACHVS,) Ophiomachus genus volucris aut lacertæ pugnantis cũ ſerpente,ex re nomen habens. Vox tamen Hebræa HARGOL magis ſignificat genus locuſtarum. הַרְגֹּל

LOCVSTA,) brucus.

SI neceſſe fuerit vt portet) quicunque portauerit quidpiam &c.

LAVABIT) lauet In imperatiuo. ſic in ſequentibus.

Omne animal quod'habet quidem vngulam,ſed non diuidit eam,nec ruminat,immundum erit: & quicquid tetigerit illud, contaminabitur. Quod ambulat 'ſuper manus ex cunctis animantibus,quæ incedunt quadrupedia,immundum erit:qui tetigerit morticina eorum,polluetur vſque ad veſperum. Et qui portauerit huiuſcemodi cadauera, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit vſque ad veſperum,quia omnia hæc immunda ſunt vobis. Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his

quæ 'mouentur in terra, muſtela & mus & 'crocodilus, ſingula iuxta genus ſuũ, mygale, & chamæleon, & 'ſtellio, & lacerta, & talpa: omnia hæc immunda ſunt. Qui tetigerit morticina eorum, 'immũdus erit vſque ad veſperum: & ſuper quod ceciderit quicquam de morticinis eorum, polluetur tam vas lineum & veſtimentum, quàm pelles '& cilicia: & in quocunque fit opus, tingẽtur aqua, & polluta erunt vſque ad veſperum, '& ſic poſtea mundabuntur. 'Vas autẽ fictile in quod horũ quicquã intrò ceciderit, polluetur, & idcirco frangendũ eſt.

HABET quidem vngulam, ſed non diuidit eam,) diuidit vngulam, & fiſſurã non findit. Id eſt, omnes beſtiæ quæ vngulam diuidunt, ſed non omnino.

SVPER manus) ſuper volas. Vt faciunt ſimiæ.

MOVENTVR) repunt.

CROCODILVS,) Verti poteſt bufo. Quidam vertũt hericium. Alii dicunt vocem Hebræam ſignificare ranam campeſtrem.

STELLIO, & lacerta,) lacerta & limax.

IMMVNDVS erit) Id eſt, non poterit verſari cum aliis, nec ingredi atrium, nec veſci oblatis: poſt veſperam autem poterat verſari.

'ET cilicia: & in quocunque fit opus,) & ſacci: & omne inſtrumentum quo aliquod fit opus, tingentur &c.

ET ſic poſtea mundabuntur.) & tunc reddentur pura. Facta ſcilicet veſpera.

VAS autẽ fictile &c. Omnis) Quodcunque vas fictile ſuper quod aliquid horum ceciderit, polluetur, ipſũmque vas conſtringetur.

Omnis cibus quem comedetis, ſi fuſa fuerit ſuper eũ 'aqua, immundus erit· & 'omne liquens quod bibitur de vniuerſo vaſe, immũdum erit. Et quicquid de morticinis huiuſcemodi ceciderit ſuper illud, immundum erit: ſiue clibani, ſiue chytropodes, deſtruentur, & immundi 'erunt. Fontes verò, '& ciſternæ, & omnis aquarum congregatio munda erit: 'qui morticinum eorum tetigerit, polluetur. Si ceciderit ſuper ſementem, non polluet eam. Si autem quiſpiam aqua 'ſementem perfuderit, & poſtea morticinis tacta fuerit, ilico polluetur. Si mortuum fuerit animal quod licet vobis comedere, qui cadauer eius tetigerit, immundus erit vſque ad veſperum. & qui comederit ex eo quippiam, ſiue portauerit: lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit vſque ad veſperum.

AQVA,) Id eſt, omnis cibus qui aqua lotus fuerit, polluetur, ſi ponatur in vaſe impuro hoc eſt, ita demum cibus ille impurus erit, ſi prius aqua lotus fuerit. Alioqui ſi aqua lotus non ſit, & in vas impurum poſitù fuerit, non cõtrahit impuritatem: quia aqua lauari poteſt. Secundum alios, ſenſus hic eſt, Si aqua fuerit in aliquo vaſe, & ceciderit morticinum aliquod in vas illud, aqua ipſa cum vaſe polluitur: & quicquid aqua illa tetigerit, immundum erit.

OMNE liquens quod &c. ſiue clibani) omnis potus qui bibitur, in quocunque vaſe (ſubaudi, impuro) fuerit, immundus erit. Et omne ſuper quod deciderit quicquam de cadaueribus eorũ, immundum erit. ſiue clibani &c.

ERVNT) Adde, vobis.

ET ciſternæ, & omnis aquarũ congregatio) & ciſterna congregationis aquarum. Id eſt, in qua eſt magna vis & copia aquarum.

QVI morticinum eorum tetigerit, polluetur.) at tangens morticinum eorũ, polluetur. Subaudienda dictio AQVA, hoc modo, At aqua tangens cadauer eorũ animalium, reddetur impura. Quaſi dicat, Siquid immundum ceciderit in fontẽ aut ciſternam, fons ipſe, & ciſterna ipſa, ipſe locus aquæ non reddetur impurus, vt propterea ſit diruendus: verum ſola aqua fontis aut ciſternæ quæ tetigerit morticinum, impura reddetur, ſoláque euacuanda erit.

SEMENTEM perfuderit.) hoc dicit, quòd quædam ſemina aqua macerantur, prius quàm terræ mandentur: vt ſunt fabæ.

Omne quod reptat ſuper terram, abominabile erit, nec aſſumetur in cibũ. 'Quicquid ſuper pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, ſiue per humũ trahitur, non comedetis, quia abominabile eſt. Nolite contaminare animas veſtras, 'nec tangatis quicquam eorũ, ne immũdi ſitis. Ego enim ſum Dominus Deus veſter:

1.Pet.1.c. ‖'ſancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. Ne polluatis animas veſtras in omni reptili, quod 'mouetur ſuper terrã. Ego enim ſum Dominus, qui eduxi vos de Terra-AEgypti, vt eſſem vobis in Deũ. 'Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum. Iſta eſt lex animantium ac volucrum, & omnis animæ viuentis, quæ mouetur in aqua, & reptat in terra, vt differẽtias noueritis mundi & immundi, & ſciatis quid comedere & quid 'reſpuere debeatis.

QVICQVID ſuper pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, ſiue per humum trahitur,) Quicquid ambulat ſuper ventrem, & omne quod ambulat ſuper quatuor pedes, aut plures ex omni reptili. Vel, in omnibus reptantibus ſuper terram.

NEC tangatis &c. Ego) in omnibus reptilibus reptãtibus, neque reddatis vos impuros per illa, neque contrahatis impuritatem per illa. Repetitio Hebraica.

SANCTI eſtote) Hebraice legitur, Proinde ſanctificate vos, & ſancti eſtote.

MOVETVR) reptat.

SANCTI eritis,) Sancti igitur eſtote.

RESPVERE) non comedere.

CAP. XII.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Loquere filiis Iſrael, '& dices ad eos, ‖Mulier 'ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculũ, immunda erit ſeptem diebus 'iuxta dies ſeparationis menſtruæ.‖Et die octauo 'circuncidetur infantulus. ipſa verò triginta tribus diebus 'manebit in ſanguine purificationis ſuæ. 'Omne ſanctum non tanget, 'nec ingredietur in ſanctuarium donec impleãtur dies purificationis ſuæ. Sinautem fœminã pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus 'iuxta ritum fluxus menſtrui, & ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine 'purificationis ſuæ.

Luc.2.d.

Iohan.7.c.

ET dices) & dic.

SI ſuſcepto ſemine pepererit) ſi ſemẽ emiſerit, & pepererit. Id eſt, ſi emiſſo ſemine conceperit. Hic Hebræi communiter ſentiunt, mulierem filium parere quoties ipſa primum ſemen miniſtrauerit: non quòd maſculus generetur ex mulieris ſemine: ſed mulier miniſtrat matrici rubedinem quandam (tale enim eſt mulieris ſemen) quæ mox coagulatur, & à ſuperueniente virili ſemine retinetur, atque fortificatur, creſcit, & tandẽ in mẽbra cõſurgit. Ex albo virili ſemine formãtur nerui & oſſa: ex rubeo vero mulieris, producuntur caro, ſanguis, & pili.

IVXTA dies ſeparationis menſtruæ.) Id eſt, ſicut tempore quo ſecedere ſolet propter morbum ſuum, hoc eſt, menſes ſuos & fluxum ſanguinis. Vel, Tot dies reputabitur impura, quot dies à commercio hominũ ſe ſubducere ſolet propter menſtruorum fluxum. qua de re vide XXV caput huius. Hac re conſulebat lex earum ſanitati. ſeptem autem primis à partu diebus ita immunda erat, vt nemini cum ea verſari liceret, ne marito quidem: reliquis triginta tribus diebus verſari quidem, ſed non cum ea rem habere.

CIRCVNCIDETVR infantulus.) circuncidetur caro præputii eius Subaudi, infantuli.

MANEBIT) ſedebit. Id eſt, ante triginta dies mundari non poterit: hoc eſt, domi ſe continebit, tantiſper dum pura reddetur à ſanguinis fluxu quem in partu paſſa eſt.

OMNE ſanctum non tanget,) Id eſt, nullam rem ſacram tanget, vt ſunt decimæ, ſacrificia, & id genus.

NEC ingredietur in ſanctuarium) nec accedet ad ſanctuarium. Id eſt, ad locũ in quo tabernaculum & atrium, ad cuius atrii fores oblationes fiebant.

IVXTA ritum fluxus menſtrui,) Iuxta ſeparationem ſuam. Id eſt, quemadmodum impura eſt tempore quo à viro recedit dum patitur menſes. Hoc non refertur ad numerum dierum, ſed ad puritatem. ſeptẽ enim diebus quæ patiebatur menſes, immunda erat: hic autem quæ peperit fœminam, quatuordecim.

PVRIFICATIONIS ſuæ.) Id eſt, ſexaginta diebus continebit ſe domi, donec purificata fuerit à fluxu quem paſſa eſt, dum enixa eſt fœminam.

Cúmque expleti fuerint dies purificationis ſuæ, pro filio, ſiue pro filia, deferet agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ ſiue turturem pro peccato ad

oſtiũ 'tabernaculi teſtimonii,& tradet ſacerdoti qui offeret illa coram Domino, & 'orabit pro ea, & ſic 'mundabitur à profluuio ſanguinis ſui. 'iſta eſt lex parientis

Lucæ 2.d.

maſculum aut fœminam.¶ Quòd ſi non inuenerit manus eius,nec potuerit offerre agnum,ſumet duos turtures vel duos pullos columbarum, vnum in holocauſtũ, & alterum pro peccato.'orabítque pro ea ſacerdos,& ſic 'mundabitur.

TABERNACVLI teſtimonii,) tabernaculi cõuentus. Hic nomine tabernaculi atrium intelligit,in cuius oſtio oblationes ſuas offerebat populus.

ORABIT pro ea,) expiabit illam.Id eſt,reddet illi Dominum propitium.

MVNDABITVR) Id eſt,munda declarabitur.Hebraiſmus.

ISTA eſt lex &c.) Hebraiſmus,pro, hoc facere tenetur mulier quæ peperit marem aut fœminam.

Si non inuenerit manus eius ſufficientiam agni.

QVÒD ſi non inuenerit manus eius,nec potuerit offerre agnũ,) Quòd ſi non inuenerit manus eius ſufficientiam agni.Hebraiſmus eſt, pro,ſi tenuiores fuerint eius fortunæ,quàm vt vel agnum offerre poſſit.

ORABITQVE pro ea) Vel, expiabítque eam.Id eſt,reddet ei Deũ propitiũ.

MVNDABITVR.) Id eſt,munda reputabitur.

CAP. XIII.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen & Aaron,dicens,Homo in cuius cute '& carne ortus fuerit 'diuerſus color ſiue puſtula,aut quaſi lucens quippiã, id eſt plaga lepræ,adducetur ad Aaron ſacerdotem, vel ad vnum quemlibet 'filiorum eius.Qui cum viderit 'lepram in cute,& pilos in album mutatos colorẽ, 'ipſámque ſpeciem lepræ humiliorẽ cute & carne reliqua,plaga lepræ eſt,& ad arbitrium eius ſeparabitur.

ET carne) Hoc non legitur hebraice.

DIVERSVS color ſiue puſtula,aut quaſi lucens quippiam,id eſt plaga lepræ,) tumor,aut ſcabies, aut macula alba,& id fuerit in cute carnis eius in plagã lepræ. Id eſt,videatur id eſſe lepræ ſimile. Vel,ſuſpicionem ingerat lepræ.

FILIORVM eius.) Addendum, ſacerdotum.

LEPRAM) plagam.Id eſt, locum affectum.

IPSAMQVE ſpeciem lepræ humiliorem cute) ipſúmque aſpectum plagæ profundiorem cute.Id eſt,ipſam ſuperficiem loci affecti profundiorem &c.

Cõtaminare leproſum.

ET ad arbitrium eius ſeparabitur.) conſyderabit itaque ipſum, & ita cõtaminabit eum.Id eſt,pronuntiabit illum immundum.

'Si autem lucens candor fuerit in cute,nec humilior carne reliqua,& pili coloris priſtini,recludet eum ſacerdos ſeptẽ diebus,& conſyderabit die ſeptimo. '& ſi qui-

dem lepra vltra non creuerit, nec tranſierit in cute priores terminos, rurſum recludet eum ſeptē diebus aliis Et die ſeptimo 'contemplabitur: 'ſi obſcurior fuerit lepra, & non creuerit in cute, 'mundabit eum, quia ſcabies eſt: lauabítque homo veſtimenta ſua, & mundus erit. 'Quòd ſi poſtquam à ſacerdote viſus eſt, & redditus mũditiæ, iterum lepra creuerit: adducetur ad eum, & immunditiæ condemnabitur.

SI NAVTEM lucens &c. Recludet) Sinautem macula candida fuerit in cute carnis eius, & aſpectus eius non fuerit profundior ipſa cute, nec pilus eius degenerauerit in albedinem: Recludet &c.

ET ſi quidem lepra vltra non creuerit,) & ſi quidem plaga ſteterit in colore ſuo Alii vertunt, ſteterit in oculis eius, vt ſit Hebraiſmus, pro, ſi iudicio ſuo plaga videbitur ſtetiſſe. In oculis ei᷒.

CONTEMPLABITVR) Addendum, ſecunda vice.

SI obſcurior fuerit lepra,) Verti poteſt, ſi contracta fuerit plaga.

MVNDABIT eum:) Id eſt, iudicabit eum eſſe mundum. Hebraiſmus. Mundare leproſum.

QVOD ſi poſtquam &c. Plaga) Quòd ſi ſcabies illa creuerit in cute, poſteaquam viſus fuerit ſacerdoti, & mũdus pronuntiatus: altera vice videbitur à ſacerdote. Si viderit ſacerdos creuiſſe ſcabioſam plagam in cute, contaminabit illum ſacerdos, quia lepra eſt Plaga &c.

'Plaga lepræ ſi fuerit in homine, adducetur ad ſacerdotem, & videbit eum. Cúmque 'color albus in cute fuerit, '& capillorum mutauerit aſpectum, ipſa quoque caro viua apparuerit: lepra vetuſtiſſima iudicabitur atque inolita cuti. 'Contaminabit itaque eum ſacerdos, & non recludet, quia perſpicuæ immunditiæ eſt. Sinautē effloruerit diſcurrens 'lepra in cute, & operuerit omnē 'carnem à capite vſque ad pedes, quicquid ſub aſpectum 'oculorum cadit, conſyderabit eum ſacerdos, '& teneri lepra mundiſſima iudicabit: eo quòd omnis in candorem verſa ſit, & idcirco homo mundus erit. Quãdo verò caro viuens in eo apparuerit, tunc ſacerdotis iudicio polluetur, & inter immundos reputabitur. caro enim viua ſi lepra aſpergitur, immunda eſt. Quòd ſi rurſum 'verſa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit, conſyderabit eum ſacerdos, & mundum eſſe decernet.

PLAGA lepræ) Plaga lepræ ſimilis Sub nomine Hebræorum ARAATH, pro quo vertimus leprã: multi morbi cõprehẽduntur: hic pro lepra apparẽte ſumitur. צָרַעַת

COLOR) tumor.

ET capillorum mutauerit aſpectum,) & pilos in candorem mutauerit.

CONTAMINABIT) Id eſt, cum contaminatum iudicabit.

LEPRA) Id eſt, aliquid lepræ ſimile.

CARNEM) cutem plagæ. Id eſt, omnem locum affectum.

OCVLORVM) Adde, ſacerdotis. Id eſt, in omni eo quod uideri poteſt à ſacerdote.

ET teneri lepra mundiſſima iudicabit:) & ſi texerit lepra totam carnem eius, tunc declarabit plagam eſſe mundam.

VERSA fuerit in alborem, & totum hominẽ operuerit,) verſa fuerit in alborem caro viua, veniet ad ſacerdotem, & conſyderabit &c.

'Caro autem & cutis in qua hulcus natum eſt, & ſanatũ, & in loco hulceris 'cicatrix alba apparuerit ſiue ſubrufa, adducetur homo ad ſacerdotem: qui cum viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, & pilos verſos in candorem, 'contaminabit eum: plaga enim lepræ orta eſt in hulcere. 'Quòd ſi pilus, coloris eſt priſtini, & cicatrix ſubobſcura, & vicina carne non eſt humilior, 'recludet eum ſeptem diebus. & ſi quidem creuerit, 'adiudicabit eũ lepræ: ſin autem ſteterit in loco ſuo, 'hulceris eſt cicatrix, & homo mundus erit.

CARO autem & cutis &c.) Hebraiſmus eſt, pro, Cum autem in hominis cute enatum fuerit hulcus, &c.

CICATRIX alba apparuerit, ſiue ſubrufa, adducetur homo ad ſacerdotem:) tumor albus, aut macula candens, & ſubrufa, videbitur à ſacerdote.

CONTAMINABIT) Id eſt, immundum iudicabit.

QVÒD ſi pilus coloris eſt priſtini, & cicatrix ſubobſcura,) Quòd ſi pilus nõ fuerit albus, & ea (ſub. pars affecta lepra) fuerit ſubobſcura. Vel, ſeſe cõtraxerit.

RECLVDET eum) Adde, ſacerdos.

ADIVDICABIT eum lepræ,) pollutũ eum ſacerdos declarabit: quia plaga eſt. Subaudi, lepræ.

HVLCERIS eſt cicatrix, & homo mũdus erit.) neque creuerit, aduſtio hulceris eſt: itaque ſacerdos mundum eum iudicabit. Eum, ſubaudi, locũ. Id eſt, non eſſe lepra affectum iudicabit.

'Caro autem & cutis quam ignis exuſſerit, & ſanata albam ſiue rufam habuerit cicatricem, conſyderabit eã ſacerdos, '& ecce verſa eſt in alborẽ, & locus eius reliqua cute eſt humilior: 'contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta eſt. Quòd ſi pilorũ color nõ fuerit immutatus, nec humilior plaga carne reliqua, '& ipſa lepræ ſpecies fuerit ſubobſcura, recludet eum ſeptem diebus, & die ſeptimo contemplabitur. ſi creuerit in cute lepra,

'contaminabit eum.ſinautem in loco ſuo candor ſteterit 'non ſatis clarus, plaga combuſtionis eſt, & idcirco mundabitur,quia cicatrix eſt combuſturæ.

CARO autem & cutis &c.Conſyderabit) Cum autem in cute hominis fuerit cõbuſtio ignis,& in ſanitate aduſtionis enata fuerit macula alba,ſubrufa,aut alba tantũ:Tunc conſyderabit &c Id eſt,Cũ ignis cutẽ exuſſerit, & in parte aduſta quæ poſtea fuit ſanata,enata fuerit macula partim alba,partim ſubrufa,aut alba tãtũ.

ET ecce verſa eſt in alborem,) & ſi quidem verſus fuerit pilus in candorem in macula illa alba.Id eſt, in parte illa affecta. Editio Complutenſis legit, Et ecce, ſi verſa eſt &c.

CONTAMINABIT eum quia plaga lepræ in cicatrice orta eſt.) lepra eſt quæ in parte ambuſta enata eſt: idcirco immundam eam iudicabit ſacerdos : nam lepræ plaga eſt.

ET ipſa lepræ ſpecies fuerit ſubobſcura,) ſed ſeſe contraxerit. Vel,ſubobſcura fuerit.

CONTAMINABIT eum.) Id eſt,immundum iudicabit eum.Addendum ex Hebræo,Quia plaga lepræ eſt.

NON ſatis clarus,&c.Vir) & non creuerit in cute,ſed ſeſe contraxerit:tumor combuſtionis eſt: & idcirco mundum iudicabit eum ſacerdos : eſt enim combuſtio aduſtionis. Vir &c.Id eſt,plaga nata ex ambuſtione. Hoc eſt,humores ambuſti produxerunt talem humorem.Hebraiſmus. Cicatrix com buſturæ.

Vir ſiue mulier in cuius capite vel barba germinauerit 'lepra,videbit eos ſacerdos.& ſi quidem humilior fuerit locus carne reliqua,& capillus flauus ſolitóque ſubtilior:'cõtaminabit eos,quia lepra capitis ac barbæ eſt.Sin autem viderit locum 'maculæ æqualem vicinæ carni,'& capillum nigrum:'recludet eos ſeptem diebus,& die ſeptimo intuebitur.Si non creuerit 'macula,&'capillus ſui coloris eſt,& locus plagæ carni reliquæ æqualis:radetur homo abſq; loco maculæ , & includetur ſeptem diebus aliis.Si die ſeptimo viſa fuerit ſtetiſſe plaga in loco ſuo, nec humilior carne reliqua, 'mundabit eum,lotíſque veſtibus ſuis mundus erit . Sinautem poſt emundationem rurſus creuerit macula in cute,non quæret amplius vtrũ capillus in flauum colorem ſit commutatus, quia apertè immundus eſt.Porrò 'ſi ſteterit macula, & capilli nigri fuerint, nouerit hominem ſanatũ eſſe, & confidẽter eum pronuntiet mundum.

LEPRA, videbit eos ſacerdos.) plaga:conſyderabit ſacerdos plagam.

CONTAMINABIT eos,quia lepra capitis ac barbæ eſt.) impuram pronuntiabit eam ſacerdos:eſt enim macula nigra:lepra capitis aut barbæ eſt.

MACVLAE) Adde,nigræ.

ET capillum nigrum:) Legendum,& capillum non eſſe nigrum.

RECLVDET eos) recludet eum.Ita etiam legit editio Complutenſis:& oblongum exemplar S.Dionyſii.

MACVLA) Adde,illa nigra.

CAPILLVS ſui coloris eſt,) capillus flauus non fuerit in ea.

MVNDABIT eum,) mundam iudicabit eam.Subaudi,plagam.

SI ſteterit macula &c.Vir) ſi ſteterit macula in colore ſuo,& pilus niger germinauerit in ea,ſanata eſt macula illa nigra:eſt enim pura,ideo iudicabit eã mundam ſacerdos.Vir &c.

'Vir ſiue mulier 'in cuius cute candor apparuerit, intuebitur eos ſacerdos.'ſi deprehenderit ſubobſcurum alborem lucere in cute, ſciat non eſſe lepram,ſed maculã coloris candidi,& hominem mundum. Vir de cuius capite capilli fluunt,'caluus & mundus eſt:& ſi à fronte ceciderint pili,'recaluaſter & mũdus eſt.Sinautẽ in caluitio ſiue in recaluatiõe'albus vel rufus color fuerit exortus,& hoc ſacerdos viderit, cõdẽnabit eũ haud dubiẽ lepræ,quæ orta eſt in caluitio. Quicunq; ergo maculatus fuerit lepra,'& ſeparatus eſt ad arbitriũ ſacerdotis, habebit veſtimenta diſſuta, caput nudũ,'os veſte contectum,'contaminatum ac ſordidum ſe clamabit. Omni tempore quo leproſus eſt, & immundus, ſolus habitabit extra caſtra.

VIR ſiue mulier) Vir autem,ſiue mulier.

IN cuius cute candor apparuerit,) in cuius cute enatæ fuerint maculæ albæ, maculæ inquam albæ Vel ſic,enatæ fuerint vitiligines,id eſt maculæ albæ.

SI deprehenderit &c.Vir) & ſi quidem fuerint in cute carnis eorum maculæ albæ ſubobſcuræ,vitiligo eſt quæ effloruit in cute:ideo mundus eſt.(Vel, munda eſt plaga.) Vir &c. Pro,ſubobſcuræ:vertere potes,non ſerpentes,ſed contractæ.

CALVVS & mundus eſt:) vnde caluus efficitur,mundus eſt.

RECALVASTER & mundus eſt.) vnde recaluaſter fiat,mundus eſt.

ALBVS vel rufus color &c.Quicunque) plaga illa ſubrufa exorta fuerit,lepra germinans eſt:videbit itaque eum ſacerdos,& virum leproſum,& immundũ eum pronuntiabit. Quicunque &c. Subrufam plagam vocat partim albam, partim rufam.

ET ſeparatus eſt ad arbitrium ſacerdotis,) Hæc non leguntur Hebraicé.

OS veſte contectum,) & barbam ſuperioris labri teget.Reiecta ſcilicet in humerum veſte.Sciſſæ vel diſruptæ veſtes,& nudum caput, erant ſigna lugentium inter Iudæos.His autem ſignis docebantur leproſi vt reliquam vitã in luctu trãſigerent.

CONTAMINATVM ac ſordidum ſe clamabit.) & clara voce dicet, Impurus ſum,impurus ſum.Quaſi dicat,Cauete vobis à me impuro.

Veſtis lanea ſiue linea,'quæ lepram habuerit in ſtamine atque ſubtegmine, aut certe pellis, vel quicquid ex

pelle confectum eſt,'ſi alba vel rufa macula fuerit,'infecta lepra reputabitur, oſtendetúrque ſacerdoti.qui conſyderatam recludet ſeptem diebus:& die ſeptimo rurſus aſpiciens ſi deprehēderit creuiſſe,' lepra perſeuerans eſt, pollutum iudicabit veſtimentum, '& omne in quo fuerit inuenta,& idcirco comburetur flammis. Quòd ſi eā viderit nō creuiſſe,'præcipiet, & lauabūt id in quo lepra eſt, recludétque illud ſeptē diebus aliis. 'Et cum viderit faciem quidem priſtinam non reuerſam,nec tamen creuiſſe lepram, immundum iudicabit, & igne comburet, 'eo quòd infuſa ſit in ſuperficie veſtimēti vel per totum, lepra.'Sinautem obſcurior fuerit locus lepræ poſtquam veſtis eſt lota,abrumpet eum,& à ſolido diuidet.Quòd ſi vltrà apparuerit in his locis, quæ prius immaculata erant,lepra volatilis & vaga:debet igne comburi.ſi ceſſauerit,lauabit aqua ea quæ pura ſunt,ſecundò,& munda erunt.'Iſta eſt lex lepræ,veſtimēti lanei & linei,ſtaminis atque ſubtegminis,omníſque ſupellectilis pelliceæ,'quo modo mundari debeat vel contaminari.

QVAE lepram habuerit) Id eſt,quæ aſperſa fuerit labe & macula quæ eſt in panno id,quod in corpore lepra.

SI alba) ſi viridis.

INFECTA lepra reputabitur,) plaga lepræ eſt.Id eſt,labes & macula quæ ſimilis eſt lepræ in corpore hominis. nam quemadmodum lepra afficitur corpus hominis,ita & labe veſtimentum.

LEPRA perſeuerans eſt,) lepra corrodens eſt.Id eſt, labes & macula corrodens eſt.

ET omne in quo fuerit inuenta,& idcirco comburetur flammis.) Comburet itaque veſtimentum,vel ſtamen,vel ſubtegmen,ſiue laneum fuerit,ſiue lineū, quicquid ex pellibus confectum in quo erit plaga: quia lepra corrodens eſt, igne comburetur.

PRAECIPIET, & lauabunt) præcipiet ſacerdos vt lauent.

ET cum viderit faciem &c.Sinautem) Poſtquam lota fuerit plaga, videbit ſacerdos:& ſi non mutauerit faciem ſuam(id eſt, colorem ſuum)quanuis illa macula nō creuerit,tamen impura eſt,eóque igni combures eam. eſt enim corroſio in caluitio aut in recaluatione eius.Sinautem &c.Vox Hebraica PEHETHETH, פְּחֶתֶת ſignificat corroſionē & labem quæ introrſum radices agit,quæ graſſatur in imū, & agit intra id cui inſederit.

SINAVTEM obſcurior &c.Iſta eſt lex) Sinautē ſacerdos viderit plagam obſcuriorem (vel,contractiorem) factam poſtquam lota fuerit:abſcindet eam à veſte,vel pelle,vel ſtamine, vel ſubtegmine. Quòd ſi vltra apparuerit in prædictis: creſcens eſt(ſub.plaga) ideo exures eam in qua plaga fuerit.Si vero plaga receſſe-

rit ab eis poſtquam ea laueris,lauabuntur ſecundò, & tunc munda erunt. Iſta eſt lex &c.

ISTA eſt lex lepræ) Verti poteſt,Iſte eſt ritus plagæ lepræ.

QVOMODO mundari debeat,vel contaminari.) Id eſt,quando declarari debeat purum vel impurum.quaſi dicat, hoc modo poterit cognoſcere veſtimentum purum ſit,an impurum.

CAP. XIIII.

Matth.8.a. marc.1.d. luc.5.c.

LOcutúſque eſt Dominus ad Moyſen,dicens,Hic eſt ritus leproſi 'quando mundandus eſt: ‖Adducetur ad ſacerdotem:qui egreſſus de caſtris 'cum inuenerit lepram eſſe mundatam,præcipiet 'ei qui purificatur vt offerat duos paſſeres viuos pro ſe, quos veſci licitum eſt, & lignum cedrinum,vermiculúmque & hyſſõpũ.'&vnũ ex paſſeribus immolari iubebit in vaſe fictili ſuper aquas viuentes:'alium autem viuum cum ligno cedrino,&cocco & hyſſõpo tinget in ſanguine 'paſſeris immolati,quo aſperget illum qui mundandus eſt,ſepties, 'vt iure purgetur,'& dimittet paſſerem viuum, vt in agrum auolet. Cúmque lauerit homo veſtimenta ſua,radet omnes pilos corporis,& lauabitur aqua: purificatúſque ingredietur caſtra, ita dúntaxat vt maneat extra tabernaculum ſuum ſeptem diebus,& die ſeptimo radat capillos capitis,barbámque & ſupercilia,ac totius corporis 'pilos. Et lotis rurſum veſtibus & corpore, die octauo aſſumet duos agnos immaculatos,& ouẽ anniculam abſque macula,& tres decimas ſimilæ 'in ſacrificium quæ conſperſa ſit oleo,& ſeorſum 'olei ſextarium.

QVANDO mundandus eſt:) in die emundationis ſuæ. Hebraiſmus eſt, pro, Hic eſt ritus qui ſeruari debet in die quo is qui lepræ damnatus fuerat,ſiue leproſus declaratus,iudicabitur alienus à lepra ab amicis & propinquis.

CVM inuenerit lepram eſſe mundatam,) contemplabitur ſi curata ſit plaga lepræ à leproſo: tunc præcipiet &c. Id eſt,diligenter conſyderabit ſi leproſus curatus ſit à plaga lepræ. Tunc præcipiet &c.

EI qui purificatur vt offerat duos paſſeres viuos pro ſe,quos veſci licitum eſt,) vt tollat aliquis pro eo qui mundandus eſt,duas aues viuas,mundas. Id eſt,vt tollat aliquis in gratiam eius qui mundandus eſt, duas aues ex iis quibus veſci licitum eſt.

ET vnum ex paſſeribus,) & vnam ex auiculis.

ALIVM autem viuum) alteram autem auem viuam.

PASSERIS immolati) auis immolatæ ſuper aquas viuas. Id eſt, cuius ſanguis defluxit in aquas viuentes:hoc eſt fontanas vel fluuiales.

VT iure purgetur.) & mundabit eum. Id eſt, purum iudicabit eum.

ET dimittet paſſerem viuum, vt in agrum auolet.) & dimittet auem viuam ſuper faciem agri. Hebraiſmus eſt, pro, liberã eam abire ſinet, & volare quò volet. Super faciem agri.

PILOS. Et lotis rurſum veſtibus & corpore, die octauo) pilos, lauabítque veſtimenta ſua: poſteaquam lauerit corpus ſuum aqua, purificabitur. Die autẽ octauo &c. Quòd ait, purificabitur, idem ſignificat quod pro mundo habebitur.

IN ſacrificium) pro munere quod dicitur minha.

OLEI) oleum ex oliuis expreſſum intelligit.

Cúmque ſacerdos 'purificans hominem, ſtatuerit eũ, & hæc omnia coram Domino in oſtio tabernaculi 'teſtimonii, tollet agnum, & offeret eum pro delicto, oleíque ſextarium. Et 'oblatis ante Dominũ omnibus, immolabit agnum vbi ſolet immolari hoſtia pro peccato & holocauſtũ, id eſt in loco ſancto. Sicut enim pro peccato, ita & pro delicto ad ſacerdotem pertinet hoſtia: 'ſancta ſanctorum eſt. Aſſuménſque ſacerdos de ſanguine hoſtiæ quæ immolata eſt pro delicto, ponet ſuper extremũ auriculæ dextræ eius qui mundatur, & ſuper pollices manus dextræ &'pedis: & de olei ſextario mittet in manum ſuam ſiniſtram, tingétque 'digitum dextrum in eo, & aſperget coram Domino ſepties. quod autem reliquum eſt olei in læua manu, fundet ſuper extremum auriculæ dextræ eius qui mũdatur, & ſuper pollices manus ac pedis dextri, '& ſuper ſanguinẽ qui effuſus eſt pro delicto, & ſuper caput eius. 'Rogabítque pro eo coram Domino, & faciet ſacrificium 'pro peccato, 'tũc immolabit holocauſtum, & ponet illud in altari cum libamẽtis ſuis, & homo ritè mundabitur.

PVRIFICANS hominem,) Id eſt, qui purum iudicat virum illum qui prius iudicatus fuerat leproſus, & poſtea iudicatus eſt mundus.

TESTIMONII) conuentus.

OBLATIS) agitatis. Id eſt, ea agitando & motitando corã Domino oblatis.

SANCTA ſanctorum eſt.) ſanctitas ſanctitatis eſt. Id eſt, eſt enim res ſancta. Hebraiſmus. Sãcta ſanctorum eſt.

PEDIS) Adde, dextri.

DIGITVM dextrum) digitum ſuum dextrum.

ET ſuper ſanguinem) vltra ſanguinem. Aut præter ſanguinẽ hoſtiæ quæ mactata fuerat pro peccato: quo quidem ſanguine iam aſperſerat extremum auriculæ, & pollices manus & pedis dextri. Quaſi dicat, partes illæ non ſolum ſanguine, ſed etiam oleo tingentur. Verti poteſt, Vnà cum ſanguine: in eodem ſenſu.

ROGABÍTQVE pro eo) Vel, Expiabítque eum.

PRO peccato.) Addendum ex Hebræo, Et expiabit eum qui emundandus eſt,

CAPVT purificati, vt placet pro eo Dominum:) caput eius qui mundatur, ad emundandum illum coram Domino.

OFFERET, vnum &c.) ſacrificabit de eo quod aſſequetur manus ipſius: de eo inquam quod comparare ſibi poterit, ſacrificabit vnum &c. Id eſt, Turturem ſacrificabit, aut pullũ columbæ, aut aliud genus auium, quod habere poterit, eam ſpeciem quam ſibi comparare poterit, ſacrificabit. Repetitio Hebræis frequens.

CVM libamentis ſuis.) Vltra munus: (vel, cum munere) atque ita emundabit eum qui emundatur, coram Domino.

HOC eſt ſacrificium &c Locutus) Hæc eſt lex eius in quo eſt plaga lepræ, cuius manus non poterit aſſequi ſupradicta in purificatione ſui. Id eſt, hæ ſunt ceremoniæ obſeruandæ in purificatione eius qui à lepra mũdus eſſe declaratur: & qui pauperior erit quàm vt ſupradicta ſibi comparare poſſit. Lex lepræ.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron, dicẽs, 'Cúmque ingreſſi fueritis Terram-Chanáan, quam ego 'dabo vobis in poſſeſſionem, 'ſi fuerit plaga lepræ in ædibus, ibit cuius eſt domus, nuntians ſacerdoti, & dicet, Quaſi plaga lepræ videtur mihi eſſe in domo mea. At ille præcipiet 'vt efferantur vniuerſa de domo priuſquã ingrediatur eam, '& videat vtrum leproſa ſit, ne immũda fiant omnia quæ in domo ſunt. Intrabítque poſtea vt 'conſyderet lepram domus: '& cum viderit in parietibus illius quaſi valliculas pallore ſiue rubore deformes, humiliores ſuperficie reliqua, 'egredietur oſtiũ domus, & 'ſtatim claudet illam ſeptem diebus. Reuerſúſque die ſeptimo, cõſyderabit eam. ſi inuenerit creuiſſe 'leprã, iubebit erui lapides in quibus lepra eſt, & proiici eos extra ciuitatem in locum immundum: domum autem ipſam radi intrinſecus per circuitum, & ſpargi 'puluerem raſuræ extra vrbem in locum immundum, lapidéſque alios reponi pro his qui ablati fuerint, & 'luto alio liniri domum. Sinautem poſtquam eruti ſunt lapides, '& puluis elatus, & alia terra lita, ingreſſus ſacerdos viderit 'reuerſam lepram, & parietes reſperſos maculis, lepra eſt perſeuerans, & immunda domus: quam ſtatim deſtruent, & lapides eius ac ligna, atque vniuerſum puluerem proiicient extra oppidum in locum immundũ. Qui intrauerit domum 'quando clauſa eſt, immundus erit vſque ad veſperum: '& qui dormierit in ea, & comederit quip-

piam, lauabit veſtimenta ſua.

CVMQVE ingreſſi) Cum ingreſſi. Sic in vetuſtioribus Latinis codicibus S. Germani, Dionyſii & Victoris.

DABO) Do. præſens pro futuro. quod recte vertit interpres.

SI fuerit plaga lepræ in ædibus,) ſi poſuero plagam lepræ in domo poſſeſſionis veſtræ. Id eſt, in domibus quas ædificabitis in Terra ſancta quã poſſeſſuri eſtis. Plagã lepræ vocat maculam ac labẽ parieti hærentem, quæ lepræ ſpeciem referat.

Plaga lepræ in domibus.

VT efferantur) & efferent. Eſt Hebraiſmus, præcipiet & efferent, pro, præcipiet vt efferant. atque hoc pacto legitur in vetuſtioribus codicibus S. Victoris, Dionyſii oblongo & Germani oblongo & paruo.

ET videat vtrum leproſa ſit, ne immunda fiant omnia quæ &c.) vt conſyderet plagam illam, & nihil polluatur eorum quæ &c.

CONSYDERET lepram domus:) conſyderet domum.

ET cũ viderit in parietibus &c. Egredietur) & ſanè ſi plaga illa ſit in parietib⁹ domus atris & ſubuiribus, aut ſubrubris, & ſuperficies loci affecti ſit demiſſior reliqua ſuperficie: tunc egredietur &c. Alii vertunt vt noſter interpres, pro atris, ſcribentes valliculas ſiue foſſas: vt SEKAAARVROTH, ſit ſubſtantiuum: ſitque ſenſus, Si plaga fuerit in parietibus, apparuerintque valliculæ ſubuirides aut ſubrubræ. Id eſt, ſi labes illa videatur intrò refugere, & ſpeciẽ foſſæ habeat quæ ſit ſubuiridis. Declarat cum dicit, Et aſpectus, ſiue ſuperficies foſſarũ ſit demiſſior pariete reliquo. Verior eſt prima expoſitio: vt ſit SEKAAARVROTH adiectiuum.

שְׁקַעֲרוּרוֹת

EGREDIETVR) Adde, ſacerdos.

STATIM claudet) curabit claudendam.

LEPRAM,) plagam. Siue labem.

PVLVEREM raſuræ) intritum quod abraſerint.

LVTO) intrito.

ET puluis elatus, & alia terra lita,) & intritum abraſum, & alio intrito oblita.

REVERSAM lepram, &c. Qui) reuerſam plagã germinaſſe & creuiſſe, lepra corrodens eſt in domo illa: ideo immunda eſt: quam deſtruet (ſubaudi, ſacerdos. id eſt, iuſſu ſacerdotis deſtruent) & lapides eius ac ligna, atque vniuerſum intritum proiicient extra oppidum in locum immundum. Qui &c.

QVANDO clauſa eſt) quandiu clauſa eſt. Id eſt, qui imprudens domum illam ingreſſus fuerit omnibus diebus quibus ſacerdos iuſſerit illam claudi.

ET qui dormierit in ea, & comederit) & qui dormierit in ea, lauabit veſtimẽta ſua: ſimiliter qui comederit in ea.

Quòd ſi introiens ſacerdos viderit ˈlepram non creuiſſe in domo, poſtquã denuo lita fuerit, ˈpurificabit eã reddita ſanitate. ˈEt in purificatione eius ſumet duos paſſeres, lignúmque cedrinum, & vermiculũ atque hyſſôpum: ˈ& immolato vno paſſere in vaſe fictili ſuper aquas viuas, tollet lignum cedrinum, & hyſſôpum & coccum ˈ& paſſerem viuũ, & tinget omnia in ſanguine paſſeris immolati, atque in aquis viuẽtibus: & ˈaſperget domum ſepties, purificabítque eam tam in ſanguine ˈpaſſeris, quàm in aquis viuentibus, & ˈin paſſere viuo, lignóq; cedrino & hyſſôpo atque vermiculo. ˈCúmque dimiſerit paſſerem auolare in agrum liberè, orabit pro domo,

& iure mundabitur. Iſta eſt lex omnis 'lepræ & percuſſuræ, lepræ veſtium & domorum, 'cicatricis & erumpentium papularum, lucentis maculæ & in varias ſpecies coloribus immutatis, vt poſſit ſciri quo tẽpore mũdum quid, vel immundum ſit.

LEPRAM) plagam.

PVRIFICABIT eam reddita ſanitate.) puram eſſe declarabit, quòd ſanata ſit plaga illa.

ET in purificatione eius ſumet duos paſſeres,) Et in purificationẽ eius ſumet duas aues. Vetera Latina exemplaria S Germani latum & paruum, & Dionyſii latum, legunt, in purificationem.

ET immolato vno paſſere) & immolata vna aue.

ET paſſerem viuum,) & auem viuam.

PASSERIS immolati) auis immolatæ.

ASPERGET domum) Subaudi, aqua illa permiſta ſanguine.

IN ſanguine paſſeris,) in ſanguine auis.

IN paſſere viuo,) in aue viua.

CVMQVE dimiſerit &c. Iſta) Cúmque dimiſerit auem viuam extra vrbem in agrum, expiabit domum illam, & tum munda erit. Iſta &c.

LEPRAE, & percuſſuræ,) plagæ lepræ, & maculæ nigræ.

CICATRICIS & erumpentium &c.) tumoris & ſcabiei, & maculæ albæ: ad docendũ in die puri, aut in die impuri. hæc inquã eſt lex lepræ. Id eſt, ad docendũ ſacerdotẽ de agendis, quo die declarãdus ſit homo impurus, & quo die purus. Vel vt alii volunt, die quo declarãdum eſt ſitne impurum aliquid, aut impurum. Hæ inquam ſunt leges quæ declarant ritum obſeruandum in curatione lepræ.

CAP. XV.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen & Aaron, dicens, Loquimini filiis Iſrael, & dicite eis, 'Vir qui patitur fluxum ſeminis, immundus erit. 'Et tunc iudicabitur huic vitio ſubiacere, cum per ſingula momenta adhæſerit carni eius, atque concreuerit fœdus humor. Omne ſtratum in quo dormierit, immũdum erit, & vbicunque ſederit. 'Si quis hominum tetigerit lectũ eius, lauabit veſtimenta ſua, & ipſe lotus aqua, immũdus erit vſque ad veſperum. Si ſederit vbi ille ſederat, & ipſe lauabit veſtimenta ſua, & lotus aqua, immundus erit vſque ad veſperum. Qui tetigerit carnem eius, lauabit veſtimenta ſua: & ipſe lotus aqua, immundus erit vſque ad veſperum. Si ſaliuã huiuſcemodi homo iecerit ſuper eũ qui mundus eſt, lauabit veſtimenta ſua, & lotus aqua, immundus erit vſque ad veſperum. 'Sagma ſuper quod

ſederit, immundum erit: & 'quicquid ſub eo fuerit, qui fluxum ſeminis patitur, pollutum erit vſque ad veſperum. Qui portauerit horum aliquid, lauabit veſtimenta ſua: & ipſe lotus aqua, immundus erit vſque ad veſperum. Omnis quem tetigerit qui talis eſt, non lotis antè manibus, lauabit veſtimenta ſua: & lotus aqua, immundus erit vſque ad veſperum. Vas fictile quod tetigerit, confringetur: vas autem ligneum lauabitur aqua.

VIR qui) Hebraiſmus eſt, pro, quicunque.

ET tunc iudicabitur &c. Omne) Et hæc erit impuritas eius in ſemine ipſius, ſi veluti ſaliuā emiſerit caro eius fluxū ſuū, aut ſi obthurauerit carnē ſuā ſemine ſuo, impuritas eius eſt. Quaſi dicat, Ratione ſeminis homo dicetur hoc modo impurus: ſi penis eius deſpuat ſemen ſimile ſaliuæ, hoc eſt, ſi deſpuat ſemen aqueū: aut ſi obthuret meatus ſuos ſeminarios ſemine ipſo (propterea quòd ſemen craſſius ſit quàm vt exire poſſit per meatus illos) ſi illud ſemen nō profluat, ſed remaneat in vaſis ſeminariis: tunc dicetur eſſe impurus, & habebitur pro impuro. Nomine carnis, pudēda hic ſignificat Moyſes. Quoties homo ſentit motus carnis, impurus eſt, etiā ſi ſemē nō defluat illi. Vt profluuium ſeminis externū immūdū eſt, & cōſpurcat: ita eſt fluxus internus, qui fit cū ſemen è vaſis ſeminariis exit quidem, ſed foras non erumpit. Hæc impuritas quæ contrahitur ſeminis profluuio, oſtendit multos eſſe apud Deum impuros, qui apud homines videntur puri.

Caro pro pudendis.

SIQVIS hominum) Et ſiquis hominum. Ita legunt vetera Latina exemplaria, paruum & oblongum S. Germani, & Dionyſii latum.

SAGMA ſuper quod ſederit,) Omne iumentum quo vectus fuerit. Quidā vertunt, Omne ephippium: ſed non vſqueadeo rectè.

QVICQVID ſub eo fuerit qui fluxū ſeminis patitur, pollutum erit) quicunque aliquid tetigerit quod ſub ipſo fuerit, polluetur.

'Si ſanatus fuerit qui huiuſcemodi ſuſtinet paſſionem, numerabit ſeptem dies poſt emundationem ſui, & lotis veſtibus & toto corpore in aquis viuentibus, erit mundus. Die autem octauo ſumet duos turtures, aut duos pullos columbæ, & veniet in conſpectum Domini ad oſtium tabernaculi 'teſtimonii, dabítque eos ſacerdoti. 'qui faciet vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum, 'rogabítque pro eo coram Domino, vt emundetur à fluxu ſeminis ſui. Vir de quo egreditur 'ſemen coitus, lauabit aqua omne corpus ſuum: & immundus erit vſque ad veſperum. 'Veſtem & pellem quam habuerit, lauabit aqua, & immunda erit vſque ad veſperum. Mulier 'cum qua coierit, lauabitur aqua, & immunda erit vſque ad veſperum.

SI ſanatus fuerit qui huiuſcemodi ſuſtinet paſſionem,) Cum autem is qui patiebatur fluxum ſeminis, ſanatus fuerit à fluxu ſuo.

TESTIMONII,) conuentus.

QVI faciet) qui ſacrificabit.

ROGABÍTQVE &c.Vir) mundabítque illum qui patiebatur fluxum ſanguinis, à fluxu ſuo. Vir &c. Id eſt, mundum eſſe declarabit.

SEMEN coitus,) effuſio ſeminis. Hic loquitur de eo qui non patitur fluxum frequentem ſeminis, ſed cui id accidit aliquando.

VESTEM & pellem quam habuerit,) Et omne veſtimentum, & omnem pellem ſuper quæ ceciderit aliquid ſeminis effuſi.

CVM qua coierit, lauabitur aqua, & immunda erit) cum qua coierit maritus effuſione ſeminis, lauabunt ſe aquis, & immundi erunt. Id eſt, ſi vir imprudens, veluti noctu dormiens, paſſus eſt fluxum ſeminis, ſub auroram, eius rei non recordatus, congrediatur cum vxore ſua, tunc per imprudentiam polluitur vnà cum vxore.

'Mulier quæ redeunte menſe patitur fluxum ſanguinis, ſeptem diebus ſeparabitur. Omnis qui tetigerit eã, immundus erit vſque ad veſperum: & 'locus in quo dormierit vel ſederit diebus ſeparatiõis ſuæ, polluetur. Qui tetigerit 'lectum ſuum, lauabit veſtimenta ſua, & ipſe lotus aqua, immũdus erit vſque ad veſperum. 'Omne vas ſuper quod illa ſederit, quiſquis attigerit, lauabit veſtimẽta ſua: & ipſe lotus aqua, 'pollutus erit vſque ad veſperum. Si coierit cum ea vir tempore ſanguinis menſtrualis, immundus erit ſeptem diebus: & omne ſtratum in quo dormierit, polluetur. Mulier quæ patitur multis diebus fluxum ſanguinis non in tempore mẽſtruali, vel quæ poſt menſtruũ ſanguinem fluere non ceſſat, quandiu ſubiacet huic paſſioni, immunda erit quaſi ſit in tẽpore menſtruo. omne ſtratum in quo dormierit, '& vas in quo ſederit, 'pollutum erit. quicunque 'tetigerit eam, lauabit veſtimenta ſua: & ipſe lotus aqua, immũdus erit vſque ad veſperum.

MVLIER quæ redeunte menſe patitur fluxum ſanguinis,) Mulier quum erit fluens ſanguine, eritque fluxus eius per carnem eius. Id eſt, cum mulier patietur fluxum ſanguinis per pudenda ſua.

LOCVS) Hæc dictio ne in Latinis quidẽ codicibus antiquis S. Germani, Dionyſii & Victoris legitur.

LECTVM ſuum,) lectum eius. Sic etiã legitur in vetuſtioribus Latinis codicibus S. Dionyſii & Germani.

OMNE vas) Hebraiſmus eſt, pro, Omne ſuper quod &c. Vas.

POLLVTVS erit vſque ad veſperum.) Addenda ſunt ſequentia, ex Hebræo, Quòd ſi ſuper lectũ fuerit, aut ſi ſuper ſedem ſuper quam ipſa ſederit: in tangen-

do illud, polluetur vſque ad veſperã. Hoc eſt, Si ſtragulũ fuerit ſuper lectum, aut ſuper ſedem ſuper quam illa ſederit, & quiſpiam illud tetigerit, impurus &c.

Vas. ET vas) Hebraiſmus eſt, pro, quicquid illud ſit ſuper quod ipſa ſederit.

POLLVTVM erit) Addendum, Non ſecus quàm ſtratum in quo iacebat dũ menſes pateretur.

TETIGERIT eam,) tetigerit ea, neutro genere. Sic legitur in paruo veteri codice Latino S. Germani, & in editione Complutenſi.

Si ſteterit ſanguis, & fluere ceſſauerit, numerabit ſeptẽ dies °purificationis ſuæ, & die octauo offeret pro ſe ſacerdoti duos turtures, aut duos pullos columbarum ad oſtium °tabernaculi teſtimonii: qui vnum faciet pro peccato, & alterum in holocauſtum, °rogabítque pro ea coram Domino, & pro fluxu immunditiæ eius. °Docebitis ergo filios Iſrael vt caueant immunditias, & non moriantur °in ſordibus ſuis, cum polluerint tabernaculum meum quod eſt inter eos. Iſta eſt lex eius qui patitur fluxum ſeminis, °& qui polluitur coitu, & quæ menſtruis tẽporibus ſeparatur, vel quæ iugi fluit ſanguine, & hominis qui dormierit cum ea.

PVRIFICATIONIS ſuæ) quibus exactis munda erit.

TABERNACVLI teſtimonii:) tabernaculi cõuentus. Tabernaculũ pro atrio accipit: à parte totum.

ROGABÍTQVE pro ea coram Domino, & pro fluxu) emundabítque eam coram Domino à fluxu &c. Id eſt declarabit eam eſſe mundam à fluxu ſuo beneficio Dei.

DOCEBITIS ergo filios Iſrael &c. Cum polluerint) Separabitis itaque filios Iſrael ab impuritatibus ſuis, vt non moriantur. Hoc eſt, hac ratione facietis, vt caueant filii Iſrael ab impuritate.

IN ſordibus ſuis,) Id eſt, propter impuritatem ſuam.

ET qui polluitur &c.) & eius ex quo egreditur effuſio ſeminis, per quã redditur impurus: itémque eius quæ ob menſtrua ſeparatur: aut qui fluxum patitur, ſiue mas ſiue fœmina fuerit, & viri qui rem habuerit cum immunda.

CAP. XVI.

5.10 2. LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen poſt mortem duorum filiorum Aaron, °quando offerentes ignem alienum interfecti ſunt: & præcepit ei, dicens, Lo-

Exod. 30. b. heb. 9. b. quere ad Aaron fratrem tuum ne omni tempore ingrediatur °Sanctuarium, quod eſt intra velum °coram propitiatorio quo tegitur arca, vt non moriatur (quia in nube apparebo °ſuper oraculum) ° niſi hæc antè fecerit, °Vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocauſtũ.

'Tunica linea veſtietur, feminalibus lineis verenda celabit: accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti: hæc enim veſtimenta ſunt ſancta: quibus cunctis, cũ lotus fuerit, induetur.

QVANDO offerentes ignem alienum interfecti ſunt:) qui quum veniſſent in conſpectum Domini, mortui fuerant. Vel, qui quòd veniſſent &c. Legitur hæc hiſtoria cap. x. huius libri.

SANCTVARIVM,) ſanctitatem. Id eſt, Sanctum ſanctorum.

CORAM propitiatorio,) coram tectorio. Siue cælo, ſubaudi arcæ.

SVPER oraculum) ſuper tectorium (ſiue cælum) illud.

NISI hæc antè fecerit,) Tum hoc ritu ingredietur ipſe Aaron ad Sanctuarium. Id eſt, in Sanctum ſanctorum.

VITVLVM) iuuencum. Sic vertendum in ſequentibus.

TVNICA linea) Adde, ſancta.

Suſcipiétque ab vniuerſa multitudine filiorum Iſrael duos 'hircos pro peccato, & vnum arietem in holocauſtum. Cúmque obtulerit 'vitulum, & orauerit pro ſe & pro domo ſua, duos hircos ſtare faciet coram Domino in oſtio tabernaculi teſtimonii: mitténſque ſuper vtrunque ſortem, vnam Domino, & alteram 'capro emiſſario: cuius exierit ſors Domino, offeret illum pro peccato: 'cuius autem in caprum emiſſarium, ſtatuet eum viuũ coram Domino, 'vt fundat preces ſuper eum, & emittat eum in ſolitudinem. His ritè celebratis, offeret 'vitulum, & rogãs pro ſe & pro domo ſua, immolabit eum. aſſumptóque thuribulo quod de prunis altaris impleuerit, '& hauriẽs manu compoſitum thymiama in incenſum, vltra velum intrabit in Sancta: vt poſitis ſuper ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat 'oraculũ quod eſt 'ſupra teſtimonium, '& non moriatur.

HIRCOS pro peccato) hircos caprarum pro peccato. Hircos caprarum vocat hircos è grege, adhuc tenellos, & lactentes. Hirci caprarũ

OBTVLERIT vitulum) Ex Hebræo legendum, obtulerit vitulum quem pro peccato offert.

CAPRO emiſſario:) ipſi Azazel. Id eſt, pro capro qui abducendus erat in mõtem Azazel, qui mons erat ſitus in deſerto prope montem Sinai. Azazel.

CVIVS autem in caprum emiſſarium,) Ille autem ſuper quem ceciderit ſors pro Azazel. Id eſt, pro capro qui abducendus erit in montem Azazel. Sunt qui ſic vertant, Is ſuper quem ceciderit ſors vt ſit caper emiſſarius. Prior opinio verior.

VT fundat preces ſuper eum, & emittat eum in ſolitudinem.) ad emundandum per illum, vt poſtea emittatur in montem Azazel, in deſertum.

VITVLVM) vitulum ſuum pro peccato. Vitulum ſuum vocat, è grege ſuo ſumptum.

ET hauriens manu compoſitum thymiama in incenſum, vltra velum intrabit) hauriénſque plenitudinem volarum ſuarum ex incenſo aromatico contuſo, inferet illud intra velum. Plenitudinem volarum dicit, quantum vtraque manus capere poterat de ſuffitu. *Plenitudo volarum.*

ORACVLVM) tectorium. Siue cælum.

SVPRA teſtimonium,) Oratio eſt conciſa: pro, ſupra arcam teſtimonii. *Teſtimoniū.*

ET non moriatur.) vt non moriatur. Subaudi: ſicut mortui ſunt filii eius Nadab & Abiu.

Hebr. 9. d. & 10. a.

‖Tollet quoque de ſanguine vituli, & aſperget digito ſepties ʼcontra propitiatorium ad Orientē. Cúmque mactauerit hircum ʼpro peccato populi, inferet ſanguinem eius ʼintra velum, ʼſicut præceptum eſt de ſanguine vituli, vt aſpergat ʼeregione Oraculi, & expiet Sanctuariū ab immunditiis filiorum Iſrael, & à præuaricationibus eorum, cunctíſque peccatis. Iuxta hūc ritū faciet tabernaculo ʼteſtimonii, quod fixū eſt inter eos ʼin medio ſordium habitationis eorum. ‖Nullus hominum ſit ʼin tabernaculo quando pontifex Sanctuarium ʼingreditur, ʼvt roget pro ſe & pro domo ſua, & pro vniuerſo cœtu Iſrael, donec egrediatur ʼtabernaculum. Cum autem exierit ad ʼaltare quod coram Domino eſt, ʼoret pro ſe, & ſumptum ſanguinē vituli atque hirci fundat ſuper cornua eius per gyrum: aſpergénſque digito ſepties, expietʼ & ſanctificet illud ab immunditiis filiorum Iſrael.

Luc. 1. a.

CONTRA propitiatorium ad Orientem.) ſupra tectorium ad Oriētē, & ante. Id eſt, aſperget partem ſuperiorem tectorii, & anteriorem quæ ſpectat Orientē.

PRO peccato populi,) pro peccato, qui eſt populi. Id eſt, quem populus tradiderit pro ſe mactandum.

INTRA velum,) Id eſt in Sancta ſanctorum.

SICVT præceptū eſt de ſanguine vituli,) & faciet de ſanguine eius quemadmodum fecit de ſanguine vituli.

EREGIONE Oraculi, & expiet Sanctuarium) ſuperiorem & anteriorem partem tectorii, & expiet Sanctumſanctorum. Id eſt, ſanctiſſimam templi partem.

TESTIMONII,) conuentionis. Aut, conuentus. Vel, vt aliis placet, fœderis.

IN medio ſordium habitationis eorum.) in medio impuritatum corū. Id eſt, inter illos impuros & contaminatos.

IN tabernaculo) Adde, fœderis.

INGREDITVR) ingredietur. Futuri temporis.

VT roget pro ſe & pro domo ſua, & pro vniuerſo cœtu Iſrael,) Verti poteſt, Vt expiet ſe & domum ſuam, & vniuerſum cœtum Iſrael.

TABERNACVLVM.) Hæc dictio hoc loco nō legitur ne in vetuſtioribus quidem Latinis codicibus S. Dionyſii, & Germani.

ALTARE) De altari thymiamatis intelligit.

ORET pro ſe,) expiet illud. Subaudi, altare thymiamatis.

Poſtquam emundauerit ſanctuarium & 'tabernaculũ & altare, tunc offerat hircum viuentẽ: & poſita vtraque manu ſuper caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſrael, '& vniuerſa delicta atque peccata eorũ: quæ 'imprecans capiti eius, emittet illum per hominem paratũ, in deſertum. Cúmque portauerit hircus omnes iniquitates eorum in terram ſolitariam, & dimiſſus fuerit 'in deſerto, 'reuertetur in tabernaculum teſtimonii: & depoſitis veſtibus quibus prius indutus erat cũ intraret Sanctuarium, relictíſque ibi, lauabit carnem ſuam 'in loco ſancto, induetúrque veſtibus ſuis. Et poſtquam egreſſus obtulerit holocauſtũ ſuum ac plebis, 'rogabit tã pro ſe quàm pro populo: & 'adipem qui oblatus eſt pro peccatis, adolebit ſuper altare. Ille vero 'qui dimiſerit caprum emiſſarium, lauabit veſtimẽta ſua & corpus aqua, & ſic ingredietur in caſtra. Vitulum autem & hircũ qui pro peccato fuerant immolati, & quorum ſanguis illatus eſt in Sanctuariũ 'vt expiatio cõpleretur, ‖aſportabũt Heb.13.b. foras caſtra, & comburent igni tam pelles quàm carnes eorum ac fimum: & quicunque cõbuſſerit ea, lauabit veſtimenta ſua & carnem aqua, & ſic ingredietur caſtra.

TABERNACVLVM) Adde, conuentionis. Vel fœderis.
ET vniuerſa delicta) & vniuerſas rebelliones.
IMPRECANS) imponens.
IN deſerto,) Vel, per deſertum. vt ſcilicet liberè abeat quò velit.
REVERTETVR in tabernaculum teſtimonii) reuertetur Aaron in tabernaculum conuentionis. Sic etiam legunt vetera exemplaria S. Dionyſii, & Germani, Baſilienſíſque editio. Locus ſanctus.
IN loco ſancto) Id eſt, in atrio.
ROGABIT tam pro ſe quàm pro populo:) Vel, expiabit & ſe & populum.
ADIPEM qui oblatus eſt pro peccatis,) adipem peccati. Id eſt, iuuenci & hirci qui pro peccato oblati ſunt.
QVI dimiſerit caprum emiſſarium,) qui abduxerit (Vel, deduxerit) caprum in Azazel.
VT expiatio compleretur,) ad emundandum. Subaudi, peccata populi.

'Erítque vobis hoc legitimum ſempiternum: menſe autem ſeptimo, decima die menſis 'affligetis animas veſtras, nullúmque opus facietis, ſiue indigena, ſiue aduena qui peregrinatur inter vos. ‖'In hac die 'expiatio erit ve- 5.23.c.

ſtri atque mūdatio ab omnibus peccatis veſtris: cor am Domino mundabimini. 'Sabbathum enim requietionis eſt,& affligetis animas veſtras 'religione perpetua. Expiabit autē ſacerdos qui vnctus fuerit,& cuius manus 'initiatæ ſunt vt ſacerdotio fungatur pro patre ſuo: induetúrque 'ſtola linea & veſtibus ſanctis,&'expiabit 'ſanctuarium & tabernaculum'teſtimonii atque altare,'ſacerdotes quoque & vniuerſum 'populum. Erítque vobis hoc 'legitimum ſempiternū,'vt oretis pro filiis Iſrael, & pro cunctis peccatis eorum ſemel in anno.'Fecit igitur ſicut præceperat Dominus Moyſi.

ERITQVE vobis hoc legitimum ſempiternum: menſe autem ſeptimo,) Hoc erit vobis in ſtatutum perpetuum: Menſe ſeptimo. Id eſt, hoc perpetuo obſeruabitis,nempe,Menſe Septembri affligetis &c. Latina vetera exemplaria S.Dionyſii, Victoris, & Germani latum, non legunt AVTEM. Hunc diem adhuc hoc tempore vocant Iudæi diem expiationum.

Affligere animas. AFFLIGETIS animas) Hebraiſmus,pro ieiunabitis.

IN hac die) Præcedit Quia,apud Hebræos: vt legatur,Quia in hac die. Vel,In hac enim die.

EXPIATIO &c.Sabbathum) expiabit vos(ſubaudi,ſummus ſacerdos)ad purificandū vos,& ab omnibus peccatis veſtris mūdabimini coram Domino.Id eſt, ſummus ſacerdos declarabit vos omnium ſcelerum puros eſſe.

Sabbathum requietionis. SABBATHVM enim requietionis eſt,) Quies enim quietis eſt. Id eſt, ſumma quies eſt: Hoc eſt, animo & corpore vobis quieſcendum eſt.Hebraiſmus.

Religio. RELIGIONE perpetua.) ſtatuto perpetuo.Id eſt,ſemper obſeruando.

INITIATAE ſunt) initiata eſt. Singulari numero. Sic legunt vetera Latina exemplaria S.Dionyſii & Victoris.Hebraicè legitur,Et cuius manum conſecrauerit.Id eſt,cuius manum Deus præceperit conſecrari.

STOLA linea) veſtibus lineis.

EXPIABIT) mundabit.

SANCTVARIVM) Adde,ſanctitatis.Id eſt ſanctiſſimum.

TESTIMONII) conuentionis.Vel,fœderis.

SACERDOTES quoque) ſubaudi,minores.

POPVLVM.) Addendum,congregationis.

Legitimum. LEGITIMVM) ſtatutum.Id eſt ritu perpetuo obſeruabitis hoc.

VT oretis pro filiis Iſrael,) Verti poteſt, Vt expietis filios Iſrael ab omnibus peccatis eorum.

FECIT) Subaudi,Moyſes vel Aaron.

CAP. XVII.

ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens,Loquere Aaron & filiis eius & cunctis filiis Iſrael, dicēs ad eos,'Iſte eſt ſermo quem mandauit Dominus, dicens,' 'Homo quilibet de domo Iſrael,ſi occiderit bouem aut ouem,ſiue capram in caſtris vel extra caſtra,& non ob-

tulerit ad oſtium 'tabernaculi oblationem Domino, ſanguinis reus erit: quaſi ſi ſanguinem fuderit, ſic peribit de medio populi ſui. 'Ideo ſacerdoti offerre debẽt filii Iſrael hoſtias ſuas quas occidunt in agro, vt ſanctificentur Domino ante oſtium tabernaculi teſtimonii, & immolent eas hoſtias pacificas Domino. Fundétque ſacerdos ſanguinem ſuper altare Domini ad oſtium tabernaculi 'teſtimonii, & adolebit adipem in odorem 'ſuauitatis Domino, & nequaquam vltrà immolabunt hoſtias ſuas 'dæmonibus, 'cum quibus fornicati ſunt. 'Legitimum ſempiternum erit illis & poſteris eorum.

ISTE eſt ſermo quẽ mandauit) Hebraiſmus eſt, pro, Hoc eſt quod mandauit.

HOMO quilibet de domo Iſrael ſi occiderit) Vir vir de domo Iſrael, ſi occiderit. Modus dicendi Hebraicus, qui ſic Latine reddi debet, Quicunque is fuerit qui occiderit. Vir vir.

TABERNACVLI oblationem Domino, ſanguinis reus erit: quaſi ſi ſanguinem fuderit, ſic peribit) tabernaculi cõuentus oblationem Domino, corã tabernaculo Domini: ſanguis reputabitur viro illi: ſanguinẽ enim fudit, itaque exſcindetur &c. Sanguinem pro cæde accipit: quaſi dicat, Perinde mihi diſplicebit acſi hominem occidiſſet: ideóque pro ethnico & incircunciſo habebitur. Sanguis.

IDEO ſacerdoti &c. Fundétque) Vt afferant filii Iſrael hoſtias ſuas quas ſunt mactaturi in ſuperficie agri: vt afferant inquã ad fores tabernaculi conuentionis ad ſacerdotem, & mactent illas in hoſtias pacificorum Domino. Fundétque &c. Cum ait, In ſuperficie agri: ſignificat Vbiuis locorum. In ſuperficie agri.

TESTIMONII,) conuentionis.

SVAVITATIS) quietis. שְׂעִירִם

DAEMONIBVS,) Dictio Hebraica SEIIRIM ſignificat dæmones, ſed eos proprie qui hirſuti & villoſi inſtar hircorum, ſui cultoribus apparere ſolebant. Et veriſimile eſt intelligi de ſatyris. Dæmones.

CVM quibus fornicati ſunt.) Id eſt, quorum cultui addicti ſunt: ſiue quos colere ſoliti ſunt. Fornicari.

LEGITIMVM) Statutum.

Et ad ipſos dices, 'Homo 'de filiis Iſrael & de aduenis qui peregrinantur apud vos qui obtulerit holocauſtum ſiue victimam, & ad oſtium tabernaculi teſtimonii non adduxerit eam, 'vt offeratur Domino, 'interibit de populo ſuo. 'Homo quilibet de domo Iſrael, & de aduenis qui peregrinantur 'inter vos, 'ſi comederit ſanguinẽ, 'obfirmabo faciem meam contra animam illius, & diſperdam eam de populo ſuo, 'quia anima carnis in ſanguine eſt: '& ego dedi illum vobis, vt ſuper altare in eo expie-

tis pro animabus veſtris, & ſanguis pro animæ piaculo ſit. Idcirco dixi filiis Iſrael, 'Omnis anima ex vobis non comedet ſanguinem, nec ex aduenis qui peregrinantur 'apud vos.

HOMO) Vir vir. Id eſt, quicunque is fuerit de &c. Hebraiſmus.

DE filiis Iſrael) de domo Iſrael. Sic etiam legitur in codicibus Latinis vetuſtioribus S. Dionyſii, Germani, & Victoris.

VT offeratur) vt offerat. Actiuum. Sic legitur in vetuſtiori Latino codice S. Victoris, & in editionibus Complutenſi & Baſilienſi.

Interire de populo ſuo. INTERIBIT de populo ſuo.) excidetur ille de populo ſuo. Id eſt, non cenſebitur circunciſus, non numerabitur inter ſuos populares.

HOMO quilibet) Vir vir. Id eſt, quicunque. Hebraiſmus.

INTER vos) inter eos. Sic legunt vetera Latina exemplaria S. Dionyſii, Germani, & Victoris.

Obfirmare faciē ſuā contra aliquem. SI comederit ſanguinem) ſi comederit vllum ſanguinem.

OBFIRMABO faciem meam contra animā illius,) Hebraiſmus eſt, pro Iraſcar illi vehementer.

QVIA anima carnis in ſanguine eſt.) Quia anima omnis carnis eſt ſanguis eius. Id eſt, quia anima omnis animalis habet ſedem in ſanguine. Anima enim, ſiue ſpiritus ipſi, puriore ſanguinis parte in vapores calore natiuo reſoluti nutriũtur: vnde ſpiritus ipſi ſiue anima, dicuntur habere ſedem in ſanguine. nam ſine ſanguine anima conſiſtere non magis poteſt, quàm ignis ellychnii ſine oleo. De animalibus irrationalibus loquitur.

ET ego dedi &c. Idcirco) & ego poſui vobis illum ſuper altare, ad expiandũ animas veſtras: quia ſanguis ipſe animam expiabit. Idcirco &c. Id eſt, præcepi vt effunderetis ſanguinē illũ ad baſim altaris, ad expiãdas animas veſtras: quia ſangui-
Heb. 9. f. ne expiãtur animæ. Vnde Paulus dicebat, Et ſine ſanguinis effuſiōe nō fit remiſſio.

OMNIS anima ex vobis non comedet ſanguinem,) Id eſt, nullus veſtrũ cōedat ſanguinem. Hebraiſmus.

APVD vos.) inter vos. Sic etiam legitur in vetuſtioribus Latinis codicibus S. Germani, & Dionyſii.

Homo quicũque de filiis Iſrael & de aduenis qui peregrinantur apud vos, ſi venatione atque aucupio ceperit feram vel auem, quibus veſci licitum eſt, fundat ſangui-
Gene. 9. b. nem eius, '& operiat illũ terra. ‖'anima enim omnis carnis in ſanguine eſt. Vnde dixi filiis Iſrael, Sanguinē 'vniuerſæ carnis 'nō comedetis, quia anima carnis in ſanguine eſt: & quicunque comederit illum, 'interibit. Anima quæ comederit morticinum, vel 'captum à beſtia, tã de indigenis quàm de aduenis, lauabit veſtimenta ſua & ſemetipſum aqua, & contaminatus erit vſque ad veſperum: '& hoc ordine mundus fiet. Quòd ſi non lauerit veſtimenta ſua 'vel corpus, 'portabit iniquitatē ſuam.

ET operiat i.um terra.) Ideo præcepit tegi ſanguinem animalis effuſum, ne

videretur ſanguis humanus: & illo viſo aſſueſcerent homines fundere ſanguinem humanum.

ANIMA enim omnis carnis in ſanguine eſt.) anima enim omnis carnis, ſanguis eius in anima eius eſt. Id eſt, quia cuiuſcunque animantis ſanguis cum anima coniunctus eſt. Carnem hoc loco pro animali irrationali accipit. Hebraiſmus. Caro pro animante.

VNIVERSAE carnis) Id eſt, vllius animantis. Hebraiſmus.

NON comedetis, quia anima carnis in ſanguine eſt.) ne comedatis: quia anima omnis carnis ſanguis eius eſt. De anima omnis animalis irrationalis loquitur.

INTERIBIT. Anima quæ &c.) excidetur. Omnis anima quæ comederit &c. Id eſt, quicunque comederit. Excidi, ſiue perire, eſt non connumerari inter eos qui ſalutem conſequenter. Excidi ſiue perire.

CAPTVM) raptum.

ET hoc ordine mundus fiet.) & mundus erit. Id eſt, tunc cum veſpera aduenerit, mundus erit.

VEL corpus,) & corpus.

PORTABIT iniquitatem ſuam.) Id eſt, punietur. Hebraiſmus. Portare iniquitatē ſuā.

CAP. XVIII.

LOCVTVS eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Loquere filiis Iſrael, &'dices ad eos, Ego ſum Dominus Deus veſter: iuxta conſuetudinem Terræ-AEgypti in qua habitaſtis, 'non facietis: & iuxta morem Regionis-Chanáan ad quam ego introducturus ſum vos, non agetis, 'nec in legitimis eorum ambulabitis. Facietis iudicia mea, '& præcepta mea ſeruabitis, & ambulabitis in eis. ego Dominus Deus veſter. ‖ Cuſtodite 'leges meas atque iudicia, 'quæ faciens homo, viuet in eis. ego Dominus. Rom.10.a. ezech.20.b. galat.3.b.

DICES) dic. Imperatiuo modo.

NON facietis:) ne faciatis. ſic vertendum eſt toto capite per imperatiuum.

NEC in legitimis eorum ambulabitis.) nec in legitimis eorum ambuletis. Id eſt, ne viuatis iuxta eorum ſtatuta. Legitima.

ET præcepta) & ſtatuta.

LEGES meas) ſtatuta mea.

QVAE faciens homo, viuet) quæ ſi fecerit homo, viuet per illa. Vita ſcilicet tēporali. Chaldæus paraphraſtes vertit, Quæ faciens homo, viuet in eis vita ſempiterna. Hebraiſmus.

'Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedet, vt reuelet turpitudinem eius. ego Dominus 'Deus veſter. 'Turpitudinē patris tui & turpitudinem matris tuæ non diſcooperies. mater tua eſt, 'non reuelabis turpitudinem eius. Turpitudinem 'vxoris patris tui 'non diſcooperies. 'turpitudo enim patris tui eſt. Turpitudinē ſororis tuæ ex patre ſiue ex matre 'quæ domi vel fo-

ris genita eſt,non reuelabis.

Reuelare nuditatẽ mulieris. Nuditas, ſiue turpitudo.

OMNIS homo &c.Ego) Vir vir ad cognationem carnis ſuæ ne accedatis ad reuelandam nuditatem eius.Hebraiſmus eſt,pro,Nemo rem habeat cum conſanguinea ſua,etiam data fide matrimonii. Nuditatem autem vocat partes pudendas,per antiphraſim,quòd nunquam nudæ eſſe debeant.ſic in ſequentibus vertẽdum,vbi TVRPITVDO toties repetitur.

DEVS veſter) Hæc duo vocabula nõ leguntur Hebraicè, neque etiã in vetuſtioribus Latinis codicibus S.Germani & Dionyſii,neque in Complutẽſi editiõe.

TVRPITVDINEM patris tui) Nuditatem patris tui.Actiuè hîc ſumitur,id eſt,quam pater tuus nudauerit.quod exponẽs ſubiungit,Et nuditatem matris tuæ ne reueles.Hic enim ET,expoſitiuè accipitur,pro,Id eſt.

NON reuelabis turpitudinem eius.) Id eſt,ne matrimonium cõtrahas cum ea etiam patre mortuo.

VXORIS patris) Id eſt,nouercæ tuæ.

Diſcooperire nuditatẽ mulieris.

NON diſcooperies &c.) Id eſt,ne ducas vxorem nouercã tuã patre mortuo.

TVRPITVDO enim patris tui eſt.) nuditas enim patris tui eſt.Id eſt,rem habuit pater tuus cum ea.

Turpitudo patris,vel nuditas.

QVAE domi vel foris genita eſt,) Id eſt, quæ ex legitimo matrimonio nata ſit,vel extra matrimonium. Chaldæus paraphraſtes vertit,Quæ genita eſt à patre tuo ex altera vxore,aut à matre tua ex viro altero.

Turpitudinem filiæ filii tui 'vel neptis ex filia non reuelabis: quia 'turpitudo tua eſt. Turpitudinem filiæ vxoris patris tui,quam peperit patri tuo, & eſt ſoror tua, non reuelabis. Turpitudinem ſororis patris tui non diſcooperies:quia 'caro eſt patris tui. Turpitudinem ſororis matris tuæ nõ reuelabis:eo quòd caro ſit matris 'tuæ. 'Turpitudinem patrui tui non reuelabis,'nec accedes ad vxorem eius quæ tibi affinitate coniungitur.Turpitudinem nurus tuæ non reuelabis,quia vxor filii tui eſt:'nec diſcooperies ignominiam eius. Et vxorẽ fratris ſui nullus accipiat.'Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis:quia turpitudo fratris tui eſt.'Turpitudinem vxoris tuæ & filiæ eius non reuelabis.Filiam filii eius,& filiam filiæ illius non ſumes,'vt reueles ignominiam eius: quia 'caro illius ſunt, & talis coitus inceſtus eſt. 'Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius adhuc illa viuẽte.'Ad mulierem quæ patitur menſtrua non accedes,'nec reuelabis fœditatem eius.

Turpitudo tua.

VEL neptis ex filia) Vel,filiæ filiæ tuæ.Id eſt,neptis tuæ.

TVRPITVDO tua eſt.) Id eſt,illæ ſunt conſanguineæ tuæ.

Caro pro cognatione.

CARO eſt patris tui.) Id eſt,cognatio eſt patris tui,

TVRPITVDINEM patrui tui &c.) Id eſt, vxori patrui tui ne iungaris matrimonio. Turpitudo pro vxore.

NEC accedes ad vxorem eius quæ tibi affinitate coniungitur.) ad vxorem eius ne accedas: patrui tui vxor eſt.

NEC diſcooperies ignominiam eius. Et vxorem fratris ſui nullus accipiat.) ne ergo diſcooperias ignominiam eius. Quæ ſequuntur, ne in veteribus quidem codicibus Latinis S. Dionyſii, Germani, & Victoris leguntur, neque in Complutenſi editione.

TVRPITVDINEM vxoris fratris tui non reuelabis:) Id eſt, non contrahes matrimoniũ cum vxore fratris tui, eo mortuo, niſi deceſſerit ſine liberis: quia vxor fratris tui eſt.

TVRPITVDINEM vxoris tuæ & filiæ eius non reuelabis.) Id eſt, non contrahes matrimonium cum matre & filia.

VT reueles ignominiam eius:) Id eſt, vt contrahas cum ea matrimonium.

CARO illius ſunt, & talis coitus inceſtus eſt.) conſanguinitas ſunt: ſcelus eſt. Subaudi, ſi contrahas cum eis matrimonium.

SORORES vxoris &c. Ad mulierem) Vxorem cum ſorore eius ne accipias: ad affligendũ, ad reuelandum nuditatẽ eius ſuper ea in vita eius. Ad mulierẽ, &c. Id eſt, ne accipias mulierẽ aliquã pro vxore, cũ ſorore eius, vt affligas eam cõcũbendo cũ ſorore eius, præſente ſiue viuente ea vxoris ſorore. nã vxoris demortuæ ſororem ducere licebat. Quaſi dicat, duas ſorores ſimul non duces in vxores: vxore tamen tua mortua, ſororem eius ducere poteris.

AD mulierem) Id eſt, ad vxorem tuam.

NEC reuelabis fœditatem eius.) vt reueles fœditatem eius. Vel, Reuelãdo fœditatem eius. Id eſt, coeundo cum ea. quaſi dicat, Ne rem habeas cum vxore tua eo tempore quo ſegregatur & ſecedit propter fluxum menſtruorũ. Hebraicè enim legitur, In ſegregatione pollutionis ſuæ: Pro quo interpres vertit, Quæ patitur menſes.

'Cum vxore proximi tui non coibis, nec ſeminis commiſtione maculaberis. De ſemine tuo non dabis 'vt conſecretur ‖ idólo Moloch, nec pollues nomen Dei tui. ego Dominus. 4.Reg.23.c. Cum maſculo non commiſcearis coitu fœmineo, quia abominatio eſt. Cum omni pecore nõ coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non ſuccumbet iumento, nec miſcebitur ei: quia ſcelus eſt. 'Nec polluamini in omnibus his quibus contaminatæ ſunt vniuerſæ gentes, quas ego eiiciam 'ante conſpectum veſtrum, '& quibus polluta eſt Terra: cuius ego ſcelera viſitabo, vt euomat habitatores ſuos.

CVM vxore proximi tui non coibis, nec ſeminis commiſtione maculaberis.) Et vxori proximi tui ne des concubitum tuum in ſemine, vt impurus fias per illũ. Id eſt, ne rem habeas cum proximi tui vxore, ne impurus fias.

VT conſecretur idolo Moloch, nec pollues &c.) ad trãſire faciendũ ad ipſum Moloch: ne polluas &c. Id eſt, ne vllum è filiis tuis immoles deo Moloch. Hoc enim eſſet mihi dedecori, ſi coleres idola eo ritu, aut alio. Solebant autem luſtrare filios ſuos idólo Moloch, & comburere in honorem eius. Idolum Moloch nonnulli putant fuiſſe Saturnum. Facere trãſire filium alicui idolo.

NEC polluamini in omnibus his quibus contaminatæ ſunt vniuerſæ gentes.) Ne polluatis vos per omnia hæc: quia per omnia hæc pollutæ ſũt gẽtes quas &c.

ANTE conſpectum veſtrum,) Id eſt, ad aduentum veſtrum.

ET quibus polluta eſt Terra: cuius ego ſcelera viſitabo. vt euomat habitatores ſuos.) Vnde contaminata eſt terra, & ego viſitaui iniquitatem eius ſuper eã: ſed & terra ipſa euomuit habitatores ſuos. Alii vertunt per futurum, hoc pacto, Et polluetur terra, & viſitabo iniquitatem eius ſuper eam: & euomet terra habitatores ſuos. Id eſt, Si homines polluerint ſeſe his ſceleribus, puniam eos, & terra euomet vos qui tunc incoletis eam. Metaphora à ventriculo valente, non ferente cibos corruptos, ſed euomente eos.

Euomet eos terra.

'Cuſtodite legitima mea atque iudicia, 'vt non faciatis ex omnibus abominationibus iſtis, tã indigena, quàm colonus qui peregrinatur apud vos. Omnes enim execrationes iſtas fecerunt accolæ Terræ, qui fuerunt ante vos, '& polluerunt eam. 'Cauete ergo ne & vos ſimiliter euomat, cum paria feceritis, ſicut euomuit gentem quæ fuit ante vos. 'Omnis anima quæ fecerit de abominationibus his quippiã, 'peribit de medio populi ſui. 'Cuſtodite mandata mea: nolite facere quæ fecerunt hi qui fuerunt ante vos, & ne polluamini 'in eis. 'ego Dominus Deus veſter.

CVSTODITE legitima) Cuſtodite igitur ſtatuta.

VT non faciatis ex omnibus abominationibus) & nullam faciatis ex omnibus abominationibus. Vetera Latina exemplaria S. Dionyſii & Germani legunt, & non faciatis &c.

ET polluerunt eam.) atque ita polluta fuit terra.

CAVETE ergo ne & vos ſimiliter euomat, cum paria feceritis,) Et non euomet terra vos quòd eam polluatis.

OMNIS anima quæ fecerit &c.) Hebraiſmus, pro, Nã quicunque fecerit &c.

Perire de populo ſuo.

PERIBIT de medio populi ſui.) Id eſt, Deus non agnoſcet illum tanquã Iſraelitam, & circunciſum.

CVSTODITE mandata mea: nolite facere quæ fecerunt &c.) Cuſtodite igitur cuſtodiam meam: vt non faciatis vel vnũ ex ſtatutis illis abominabilibus quæ fecerunt hi qui &c. Cuſtodiam ſuam, vocat mandata ſua.

Cuſtodia Dei.

IN eis.) per ea.

Ego Domin⁹

EGO Dominus Deus veſter) Subaudi, ero, ſi hæc obſeruaueritis. Vel, Ego qui ſum Dominus Deus veſter, & liberator, hæc præcipio vobis.

CAP. XIX.

LOCVTVS eſt Dominus ad Moyſen, dicẽs, Loquere ad omnem cœtum filiorũ Iſrael, & 'dices ad eos, ‖'Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum 'Dominus Deus veſter. Vnuſquiſque 'patrem ſuum & matrẽ ſuam timeat. Sabbatha mea cuſtodite: 'ego Dominus Deus veſter. Nolite conuerti 'ad idóla, nec deos conflatiles fa-

1. Pet. 1. c.

ciatis vobis.' ego Dominus Deus veſter. Si immolaueritis hoſtiam 'pacificorum Domino 'vt ſit placabilis: eo die quo fuerit immolata, comedetis eam, & die altero: quicquid autem reſiduum fuerit in diem tertium, igne cōburetis.ſiquis 'poſt biduum comederit ex ea,'prophanus erit & impietatis reus: 'portabítque iniquitatē ſuā, quia 'ſanctum Domini polluit, '& peribit 'anima illius, de populo ſuo.

DICES) dic.

SANCTI eſtote) Id eſt,ſegregate vos ab immūditiis & abominationibus prædictis.date operam ſanctitati. Sancti eſtote.

PATREM ſuum & matrem ſuam) Hebraice legitur,matrem ſuam & patrem ſuum.ita etiam legitur in vetuſtioribus Latinis codicibus S.Dionyſii & Germani.

EGO Dominus.) Videtur ſubaudiendū Quia: Vel,Si ita feceritis,ero ego &c.

AD idóla,) Vox Hebræa ſignificat idóla quæ non ſunt dii : vel rem vanam & quæ nihil prodeſt.

PACIFICORVM) pacium.Id eſt,pacificam.

VT ſit placabilis:) ſecundum voluntatem veſtrā immoletis illam.Hebraiſmus eſt, pro,voluntarie & ſponte immolate.Alii vertunt, Pro veſtri acceptatione offerte ipſam.Chaldæus paraphraſtes,Voluntarie immolabitis eam. Secūdū volūtatē ſuam aliquid facere.

POST biduum) die tertio.

PROPHANVS erit,& impietatis reus:) abominatio eſt,neque erit grata.Subaudi,hoſtia.

PORTABITQVE iniquitatem ſuam,) Hebraiſmus eſt,pro,dabit pœnas iniquitatis ſuæ. Portare iniquitatē ſuam.

SANCTVM Domini) Id eſt,rem Deo conſecratam.

ET peribit) ideo excidetur.Vel,exterminabitur.

ANIMA illius) anima illa. Sic etiam legunt Latina vetera exemplaria S.Dionyſii & Germani.

‖Cúmque meſſueris ſegetes terræ tuæ, 'non tondebis vſque ad ſolum ſuperficiem terræ : nec remanentes ſpicas colliges. 'Neque in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis, ſed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes. ego Dominus Deus 'veſter. Non facietis furtū. 'Non mentiemini,nec decipiet vnuſquiſque proximum ſuum. ‖Nō periurabis in nomine meo, 'nec pollues nomen Dei tui.'ego Dominus. ‖'Non facies calumniā proximo tuo,'nec vi opprimes eum.‖'Nō morabitur opus mercenarii tui apud te vſque mane. Non maledices ſurdo, nec coram cæco pones offendiculum: ſed 'timebis Dominum Deum tuum, quia ego

ī.23.d. Exod.20.b. deut.5.b. Eccli 10.a. Deut.24.c. tob.4.c.

ſum Dominus.

NON tondebis vſque ad ſolum ſuperficiem terræ:) non finies angulũ terræ tuæ ad metendum. Id eſt, non metes angulos terræ tuæ, ſed in ipſis relinques aliquot ſpicas pauperibus.

NEQVE in vinea tua racemos & grana) Neque racemos remanẽtes poſt vindemiam factam colliges· neque vuarum grana decidentia &c.

VESTER.) Subaudi, qui hæc præcipio.

NON mentiemini: nec decipiet vnuſquiſque proximum ſuum.) Ne negetis, nec mentiamini vnuſquiſque proximo ſuo. De non negãdo depoſito loquitur.

Nomen Dei polluere.

NEC pollues) Hoc loco declarat Dominus quid ſit polluere nomen ſuũ, nẽpe falsò iurare per nomen eius.

EGO Dominus.) Id eſt, quum ego ſim Dominus, quem nihil latet.

NON facies calumniam proximo tuo,) Vel, Ne ſpolies proximum tuum per fraudem.

NEC vi opprimes eum.) nec diripias eum. Vel, ſpolies.

NON morabitur opus) Ne remaneat merces.

TIMEBIS Dominum Deum tuum,) timebis tibi à Deo tuo. Vetus exemplar latum & paruum S.Germani, vtraque item S.Dionyſii non legunt Dominum.

EGO ſum Dominus.) Subaudi, qui audio & video: etiam ſi ille ſurdus cui maledicis, non audiat, nec cæcus videat.

Deut.1.c.16.d. iac.2.a prou. 24.c.

1.Ioh.2.b.3.c. eccli.19.b.

Matth.18.b. luc.17.a. Matth.5.g.22. d.rom.13.c.gala.5.c, iac.2 b.

'Non facies quod iniquum eſt, nec iniuſtè iudicabis.
‖'Non cõſyderes perſonam pauperis, nec honores vul-
tum potentis. Iuſtè iudica proximo tuo. 'Non eris cri-
minator, nec ſuſurro in populo. 'Non ſtabis contra
ſanguinẽ proximi tui.'ego Dominus. ‖Non oderis fra-
trem tuum in corde tuo, ſed 'publicè argue eum,'ne ha-
beas ſuper illo peccatum. ‖Non quæras vltionem, nec
memor eris 'iniuriæ ciuium tuorum. ‖Diliges amicum
tuum ſicut teipſum .'ego Dominus.

NON facies quod iniquum eſt, nec iniuſte iudicabis.) Ne feceris quod iniquũ eſt in iudicando.

Suſcipere faciẽ pauperis.

NON conſyderes perſonam pauperis, nec honores vultum potentis.) Ne ſuſceperis faciem pauperis, néve honores faciem præpotentis. Hoc eſt, ne habueris rationem pauperis vel diuitis quando iudicabis. Hebraiſmus.

NON eris criminator, nec ſuſurro in populo.) Ne ſis criminator (vel, obtrectator) inter tuos conciues. Vel, populares.

Stare contra ſanguinẽ alicuius.

NON ſtabis contra ſanguinem proximi tui.) Id eſt, non eris in cauſa quòd occidatur proximus tuus. Hebraiſmus. Quaſi dicat, Non ſolum non occides proximum tuum, ſed etiam cædis illius cauſa non eris.

EGO Dominus.) quaſi dicat, ego ſum Dominus qui præcipio. Vel, quãuis hoc lateat homines, tamen me non latet.

PVBLICE) Hoc aduerbium non legitur Hebraice.

NE habeas ſuper illo peccatum.) neque impinguas illi crimen. Vel, Neque illi falſum crimen adſcripſeris.

INIVRIAE ciuium tuorum.) iniuriæ acceptæ à popularibus tuis.

DILIGES amicum) Sed diliges proximum.

EGO Dominus.) Subaudi, qui id præcipio.

'Leges meas cuſtodite. Iumentum tuum nõ facies coire cum alterius generis animantibus. Agrum tuũ non ſeres diuerſo ſemine. Veſte quæ 'ex duobus texta eſt, non induêris. Homo 'ſi dormierit cum muliere coitu ſeminis, quæ ſit ancilla 'etiam nobilis, & tamen pretio non redempta, nec libertate donata: 'vapulabunt ambo, & non morientur, quia non fuit 'libera. pro delicto autem ſuo offeret Domino 'ad oſtium tabernaculi teſtimonii arietem: orabítque pro eo ſacerdos, & pro peccato eius coram Domino, & repropitiabitur ei, dimittetúrque peccatum.

LEGES meas) Conſtitutiones meas. Vel, Statuta mea.

EX duobus texta) Id eſt, quæ ſit texta ex lana & lino, vel canabe.

SI dormierit cum muliere coitu ſeminis,) Id eſt, ſi coierit cum muliere. Hebraiſmus eſt.

ETIAM nobilis,) ſuſpectæ pudicitiæ. Vel, quæ ſit deſponſata viro. Aut, quæ ſit in poteſtate alicuius cum iactura famæ.

VAPVLABVNT ambo,) vapulabunt ambo loris bubulis. Hoc enim ſignificat vox Hebraica BIKORETH. בִּקֹּרֶת

LIBERA.) Vel, data libertate. ſi enim eſſet libera, ſecundum legem deberet lapidari.

AD oſtium tabernaculi &c. Quando) ad oſtium tentorii fœderis arietem immolandum pro expiatione delicti. Et mundabit illum ſacerdos ariete qui eſt pro delicto, coram Domino, propter peccatum quod peccauit: & propitius erit illi ab eo peccato quod peccauit. Quando &c. Vel, condonabit illi Dominus peccatum quod admiſit.

Quando ingreſſi fueritis Terram, & plantaueritis in ea 'ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma quæ germinant immũda erunt vobis, nec edetis ex eis. Quarto autem anno omnis fructus eorum 'ſanctificabitur laudabilis Domino. Quinto autem anno comedetis fructus, 'congregantes poma quæ proferunt. ego Dominus deus veſter. 'Non comedetis carnem cum ſanguine.

Non augurabimini, 'nec obſeruabitis ſomnia. Neque in rotundum attondebitis 'comam: 'nec radetis barbam. Et 'ſuper mortuo non incidetis carnes veſtras, 'neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis. ego Dominus.

LIGNA pomifera &c. Quarto) omnis generis arbores fructiferas excidetis, præputia earum fructum earum: tribus annis erit vobis incircunciſus, ne come-

aa.iiii.

Præputia fru ctuum. datis. Per præputia intellige primos fructus trium primorum annorum qui ex arboribus decerpti, abiiciendi erãt velut hominis præputium exciſum. Propterea ait Moyſes, præputia earum, qui ſunt fructus earũ. Fructũ incircunciſum vocat immundum, vt qui habent præputia immundi ſunt. Immundus præterea vocatur fructus quo veſci licitum non erat.

Fructus incircunciſus.

SANCTIFICABITVR laudabilis Domino.) ſanctitas laudum erit Domino. Id eſt, conſecrabitur Domino in laudem eius. Hebraiſmus.

CONGREGANTES poma quæ proferunt,) vt multiplicet fructum earum. Id eſt, vt deus multiplicet vobis fructum vel prouentum earum.

NON comedetis carnem cum ſanguine.) Apud Hebræos non legitur carnẽ: nec in oblongo S. Dionyſii, paruo S. Germani, neque in editione Complutenſi: ſubintelligitur tamen. prohibet enim eis carnibus veſci quarũ ſanguis non fuerit effuſus. Voluit à ſuffocatis deus Iudæos abſtinere.

NEC obſeruabitis ſomnia.) neque prædicetis futura. Id eſt, non agetis augures, neque more aſtrologorum prædicetis futura ex aſpectu nubium vel aliarum rerum. futura enim ſunt in manu Domini.

COMAM:) comam veſtram. Id eſt, angulum & finem capitis veſtri, more AEgyptiorum ſacerdotum.

NEC radetis barbam.) nec corrumpes angulum barbæ tuæ. Id eſt, extremam barbam tuam.

Mortui. SVPER mortuo) Vel, propter mortuum. Iſtud faciebant AEgyptii idololatræ quum mortem amicorum lugebant.

NEQVE figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis.) neque ſcripturam ſtigmatis faciatis vobis. Id eſt, ne lõga flagellatione vibicibus corpora veſtra necetis propter mortuos.

'Ne proſtituas filiam tuam, ne contaminetur Terra, & impleatur piaculo. Sabbatha mea cuſtodite, & 'ſanctuarium meum metuite. ego Dominus. 'Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos. ego Dominus Deus veſter. Corã cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis: '& time Dominum Deum tuũ. ego ſum Dominus. 'Si habitauerit aduena in terra veſtra, '& moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei: ſed ſit inter vos quaſi indigena: & diligetis eum quaſi voſmetipſos. fuiſtis enim & vos aduenæ in Terra AEgypti. 'ego Dominus Deus veſter. Nolite facere iniquum aliquid 'in iudicio, 'in regula, in pondere, in menſura. Statêra iuſta, & æqua ſint pondera, iuſtus modius, æquúſque ſextarius. ego Dominus Deus veſter, qui eduxi vos de Terra AEgypti. Cuſtodite omnia 'præcepta mea, & vniuerſa iudicia, & facite ea. ego Dominus.

NE proſtituas filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo.) Ne

polluas filiam tuam, eam proſtituendo: neque fornicetur Terra, neque impleatur ipſa ſcelere. De ſpirituali fornicatione loquitur, Ne facias fornicari filias tuas cũ idolis, ne doceas illas cultum idolorum: neque homines habitantes Terram-Chanáan colant idola.

SANCTVARIVM) templum. Hic nomine templi, eos intelligit qui in templo verſabantur. quaſi dicat, Vos ſacerdotes tam maiores quàm minores qui miniſtratis mihi in templo, metuite me, & ne lugeatis mortuos, & reliqua omnia ne feceritis quæ ſolent facere AEgyptii idolorum cultores. Sanctuariũ. Templum.

NON declinetis) Ne declinetis. Ita legitur in lato exemplari S. Dionyſii, & aliis S. Germani & Victoris.

ET time Dominum Deum tuum.) & time tibi à Deo tuo.

SI habitauerit) Cum autem habitauerit tecum.

ET moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei: ſed ſit inter vos quaſi indigena:) ne opprimas illum. Sicut indigena ex vobis, erit vobis aduena qui habitauerit apud vos. Indigena ex vobis, id eſt qui veſtras eſt. Pro, Non exprobretis, vetera Latina ſcripta exemplaria S. Dionyſii & Germani legũt Ne exprobretis.

EGO Dominus Deus veſter.) Subaudi, ero, ſi ea feceritis.

IN iudicio,) Id eſt, quando aduena contendet de re aliqua coram vobis.

IN regula,) Vel, dimenſione. ſcilicet agrorum. Hic docet Iudæos vt nihil plus iuſtò venderent aduenis.

PRAECEPTA mea, & vniuerſa iudicia,) ſtatuta mea & leges meas.

CAP. XX.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Hæc loquêris filiis Iſrael, 'Homo de filiis Iſrael, & de aduenis qui habitant in Iſrael, 'ſiquis dederit de ſemine ſuo 'idólo Moloch, morte moriatur: populus Terræ lapidabit eũ. 'Et ego ponam faciem meam contra illum, ſuccidámque eum de medio populi ſui, eo quòd dederit de ſemine ſuo, Moloch, '& contaminauerit Sanctuarium meum, ac polluerit nomẽ ſanctum meum. 'Quòd ſi negligens populus Terræ, & quaſi paruipẽdens imperium meum, dimiſerit hominem qui dedit de ſemine ſuo, Moloch, nec voluerit eum occidere: 'ponam faciem meam ſuper hominem illum, & cognationem eius, ſuccidámque & ipſum, '& omnes qui conſenſerunt ei vt fornicaretur cum Moloch, de medio populi ſui.

HOMO) Hebraiſmus, pro Quicunque.

SIQVIS) qui. Vacat hoc loco. Satis enim eſt dicere, Quicunque de filiis Iſrael & de aduenis qui habitant in Iſrael, dederit &c.

IDOLO Moloch,) ipſi Moloch.

ET ego ponam faciem meam contra illum,) Et ego ponam faciem meã contra virũ illũ. Hebraiſmus eſt, pro Iraſcar vehemẽter in eũ. Chaldæus paraphraſtes, Ponam iram meam in virum illum. quaſi dicat, Ego iratus eum tollã de medio. Ponere faciẽ ſuam contra aliquem.

ET contaminauerit ſanctuarium meum, ac polluerit nomẽ ſanctum meum.) vt pollueret ſanctuarium meum, & contaminaret nomen meum ſanctum. Id eſt,

Cõtaminare nomen Dei.

me qui ſanctus ſum. Cõtaminare nomen Dei, eſt Deo honorẽ non præſtare qui illi debetur. ſiue alium colere Deo ſpreto. Polluere Sanctuarium Dei dicebatur qui alio in loco immolabat quàm in ipſo Sãctuario: quod faciebat qui idolo Moloch ſacrificabat.

Abſcõdendo abſcõdere oculos ab aliquo.

QVÒD ſi negligens &c. Ponam) Quòd ſi abſcondendo abſconderit populus terræ oculos ſuos à viro illo qui dederit de ſemine ſuo Moloch, vt non interficiat eum: Ponam &c. Id eſt, ſi populus terræ connixerit, & neglexerit occidere hominem illum qui &c. Hebraiſmus.

PONAM faciem) ponam ego faciem.

Fornicari.

ET omnes qui conſenſerunt ei vt fornicaretur cum Moloch,) & omnes qui fornicãtur poſt illũ vt fornicetur poſt Moloch. Hebraiſmus eſt, pro, qui fornicationem eius imitati, fornicantur poſt Moloch. hoc eſt, idololatriam eius imitati, colunt ipſum Moloch. Fornicari enim, pro idola colere, frequentiſſimum in Sacris libris.

'Anima quæ declinauerit ad magos & ariolos, '& for-
nicata fuerit cum eis, ponam faciem meam cõtra eam,
1.Pet.1.c. & interficiam illã de medio populi ſui. ‖'Sãctificamini,
& eſtote ſancti, 'quia & ego ſanctus ſum Dominus Deus
veſter: cuſtodite 'præcepta mea, & facite ea: ego Do-
Exod.21.c.pro uer.20.c.mat. minus qui ſanctifico vos. ‖'Qui maledixerit patri ſuo,
5.a.marc.7.b. 'aut matri, 'morte moriatur. 'patri matríq; qui maledixe-
Iohã.8 a.deut. 22.d. rit, 'ſanguis eius ſit ſuper eũ. ‖Si mœchatus quis fuerit
cũ vxore alterius, & adulteriũ perpetrauerit cũ coniuge
proximi ſui, morte moriantur & mœchus & adultera.

ANIMA quæ) Animam pro homine ponit.

ET fornicata fuerit cum eis,) ad fornicandum poſt illos. Id eſt, vt cõſulat illos.

SANCTIFICAMINI,) Verti poteſt, Date operam vt ſancti ſitis. Addendũ ex codice Hebræo, igitur, vel ergo, vt ſic legatur, Sanctificamini igitur.

QVIA & ego ſanctus ſum Dominus) quia ego ſum Dominus. Sic etiam legitur in Moguntinenſi exemplari, & codicibus Latinis vetuſtioribus S. Germani & Dionyſii.

PRAECEPTA) ſtatuta.

QVI maledixerit) Quia quicunque maledixerit.

AVT matri) & matri. Sic in antiquis codicibus Latinis S. Germani & Dionyſii. Recte tamen legitur AVT pro ET. copulatiua enim coniunctio pro diſiunctiua ponitur hoc loco.

Morte mori.

MORTE moriatur.) Id eſt, iudex adiudicet eum morti.

PATRI, matrique qui maledixerit,) patri ſuo & matri ſuæ maledixit.

Sanguis eius ſuper eum.

SANGVIS eius ſit ſuper eum.) Id eſt, reus eſt mortis, ſiue mori debet. ita vertit Chaldæus paraphraſtes. Hebraiſmus.

Qui dormierit cum nouerca ſua, '& reuelauerit ignominiam patris ſui, morte moriantur ambo: ſanguis eorum ſit ſuper eos. Siquis dormierit cum nuru ſua, vterque moriatur, quia 'ſcelus operati ſunt: 'ſanguis eorum ſit ſuper eos. Qui dormierit cum maſculo 'coitu fœ-

mineo,vterque operatus eſt nefas,morte moriantur: ſit ſanguis eorum ſuper eos. Qui ſupra vxorem filiam,duxerit matrem eius,ſcelus operatus eſt: 'viuus ardebit cũ eis,nec permanebit tantum nefas in medio veſtri. Qui cum iumento & pecore coierit,morte moriatur: 'pecus quoque occidite. Mulier quæ ſuccubuerit cuilibet iumento,ſimul interficietur cum eo: ſanguis eorum ſit ſuper eos. Qui acceperit ſororem ſuam filiam patris ſui, vel filiam matris ſuæ,'& viderit turpitudinem eius, illáque conſpexerit fratris ignominiam:nefariam rem operati ſunt : occidentur in conſpectu populi ſui, 'eo quòd turpitudinem ſuam mutuò reuelauerint, & portabunt iniquitatem ſuam.

ET reuelauerit ignominiam patris ſui,) turpitudinem patris ſui reuelauit. Id eſt,coiit cũ vxore patris ſui.Reuelare enim,vel diſcooperire turpitudinem mulieris,eſt cum ea coire. Reuelare turpitudinẽ mulieris.

SCELVS) Vel,rem nefariam.aut,confuſionem. quia confunduntur duo ſemina,ſemen patris & filii.

SANGVIS eorum ſit ſuper eos.) Id eſt,morte condamnentur à iudice.

COITV fœmineo,) Id eſt,quemadmodum ſolet concumbere cum muliere.

VIVVS ardebit cum eis:nec permanebit tantum nefas in medio veſtri.) igne comburent illum & illas:nec regnabit ſcelus diu in medio veſtri.Intellige,ſi conſenſerint mater & filia. Acciplendum eſt autem diſiunctiue,hanc vel illam.

PECVS) iumentum.

ET viderit turpitudinem eius,illáque conſpexerit fratris ignominiã:) Hebraiſmus eſt,pro,rem habuerit cum ea,illáque viciſſim coierit cum illo,hoc eſt,conſenſerit concubitui. Videre turpitudinẽ mulieris.

EO quòd turpitudinem ſuam mutuo reuelauerint, & portabunt iniquitatem ſuam.) eo quòd turpitudinem ſororis ſuæ reuelauit, propterea feret iniquitatẽ ſuam.Hebraiſmus eſt,Eo quòd rem habuit cum ſorore ſua,propterea pœnam debitam iniquitati ſuæ feret.

'Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo,& reuelauerit turpitudinem eius, ipſáque aperuerit fontẽ ſanguinis ſui,interficientur ambo de medio populi ſui.

Turpitudinẽ materteræ, & amitæ tuæ non diſcooperies.qui hoc fecerit,'ignominiã carnis ſuæ nudauit,portabunt ambo 'iniquitatem ſuam. Qui coierit cũ vxore patrui,'vel auunculi ſui,& reuelauerit ignominiam cognationis ſuæ,portabunt ambo peccatum ſuum:abſque liberis morientur, Qui duxerit'vxorem fratris ſui,rem

facit illicitam, turpitudinem fratris ſui reuelauit: abſque liberis erit. Cuſtodite 'leges meas, atque iudicia, & facite ea: 'ne & vos euomat terra 'quam intraturi eſtis & habitaturi. Nolite ambulare in legitimis Nationum, quas ego expulſurus ſum ante vos. Omnia enim hæc fecerũt, & abominatus ſum eas.

QVI coierit cum &c. Turpitudinem) Qui dormierit cum muliere patiente menſes, & reuelauerit turpitudinem eius, & venam eius nudauerit, & ipſa reuelauerit fontem ſanguinis ſui, interficientur ambo de medio populi ſui. Turpitudinem &c. Venam, vel fontem, vocat fluxum ſanguinis.

Vena. Fons.

IGNOMINIAM carnis ſuæ nudauit,) cognatam ſuam reuelauerit. Id eſt, rẽ habuerit cum conſanguinea.

Iniquitas pro pœna iniquitatis.

INIQVITATEM ſuam.) Id eſt, pœnas iniquitati debitas.

VEL auunculi ſui, & reuelauerit ignominiam cognationis ſuæ,) ignominiam patrui ſui reuelauerit.

VXOREM fratris) Loquitur de vxore fratris mortui ex quo ipſa ſuſceperit liberos.

ABSQVE liberis erit.) abſque liberis erunt. Plurali numero. Sic vetera Latina exemplaria S. Dionyſii oblongum, & Germani tria.

LEGES meas, atque iudicia,) omnia ſtatuta mea, & omnia mea iudicia.

QVAM intraturi eſtis & habitaturi.) in quam introducturus ſum vos, vt habitetis in ea.

Legitima gẽtium.

IN legitimis Nationum,) in ſtatutis Gentium. Id eſt, Ne vixeritis iuxta mores Gentium. Hebraiſmus.

'Vobis autem loquor, Poſſidete terram eorum, quam dabo vobis in hæreditatem, terram 'fluentem lacte & melle. ego Dominus Deus veſter, qui ſeparaui vos 'à cæteris populis. 'Separate ergo & vos iumentum mũdum ab immundo, & auem mundam ab immunda: 'ne polluatis animas veſtras in pecore & auibus, & cunctis 'quæ mouentur in terra, & quæ vobis oſtendi eſſe polluta. 'Eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus, & ſeparaui vos à cæteris populis, vt eſſetis mei. ‖Vir ſiue mulier, in quibus pythonicus, vel diuinationis fuerit ſpiritus, morte moriantur, lapidibus obruẽt eos: 'ſanguis eorum ſit ſuper illos.

Deut. 18. b.
1. reg. 28. b

VOBIS autem loquor, Poſſidete terram eorum quam dabo &c.) Vobis autem dixi, Vos poſſidebitis terram eorum, & ego eam dabo &c. Verti poteſt, Vos in hæreditatem accipietis terram &c.

FLVENTEM lacte & melle.) Hebraiſmus, pro optimam.

A cæteris populis.) à populis. Subaudi pollutis: vt erant AEgyptii.

SEPARATE &c.) Verti poteſt, Ponite ergo differentiam inter animal purum & impurum. Id eſt, abſtinete ab immundis.

Ponere differẽtiam inter animal purũ & impurum.

NE polluatis animas veſtras in pecore &c.) Hebraiſmus eſt, pro, Ne polluatis vos, comedendo pecora & aues impuras. Polluere ſe in pecore.

QVAE mouentur in terra, & quæ vobis oſtendi eſſe polluta.) quæ reptant ſuper terram, quæ ſeparaui vobis ad reddenda illa impura. Id eſt, quæ ego ſeparaui vobis iudicando illa eſſe impura. Siue, vt iudicetis illa eſſe impura.

ERITIS mihi) Eritis itaque mihi. Vetus exemplar oblongum S. Germani & paruum, legunt, Et eritis mihi.

SANGVIS eorum ſit ſuper eos.) Id eſt, erunt rei mortis: debent interfici.

CAP. XXI.

DIXIT quoque Dominus ad Moyſen, Loquere ad ſacerdotes filios Aaron, '& dices ad eos, 'Ne contaminetur ſacerdos in mortibus ciuium ſuorũ, niſi tantum 'in conſanguineis, ac propinquis, id eſt ſuper patrẽ & matrem & filium & filiam, fratrem quoque, & ſororẽ 'virginem quæ nõ eſt nupta viro: ſed nec in principe populi ſui contaminabitur. ¶'Nec radent caput, nec barbam, neque in carnibus ſuis facient inciſuras. 'Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomẽ eius: incenſũ enim Domini, & 'panes Dei ſui offerunt, & ideo ſancti erunt. 5.19.f.

ET dices) & dic. Id eſt, Alloquêris ſacerdotes filios Aaronis, his verbis.

NE contaminetur ſacerdos in mortibus ciuium ſuorum,) Super anima nullus veſtrum cõtaminet ſeſe in populo ſuo. Hic anima pro mortuo ponitur, quaſi dicat, nullus ex vobis ratione mortui alicuius in populo ſuo reddat ſe impurum, tangendo ſcilicet cadauer Iſraelitæ, aut curando funus eius: multo minus curando funus extranei. Anima pro cadauere.

IN conſanguineis, ac propinquis,) ob conſanguineum propinquum ſibi.

VIRGINEM quæ non eſt nupta viro: ſed nec in principe populi ſui contaminabitur.) virginem propinquam ſibi, quæ non eſt nupta viro: ſuper ea inquam polluet ſeſe. Sed nec polluet ſeſe in principe populi ſui vt impurus reddatur. Id eſt, ne funeri quidem principis interſit. Alii vertunt, Sed nec polluet ſeſe princeps in populo ſuo, vt polluatur. Id eſt, nullius funeri de populo ſuo interſit princeps, ſiue princeps ſit, ſiue monarcha: ne polluatur. Hæc ſententia quæ eſt Chaldæi paraphraſtæ eſt melior. Cum ait, Super ea polluet ſeſe. idem eſt ac ſi diceret, Poterit intereſſe eius funeri & lamentationi publicæ.

NEC radent caput, nec barbam,) Nec inducẽt caluitium in caput ſuum, nec finem barbæ ſuæ radent.

SANCTI erunt Deo ſuo,) Id eſt, cum ſumma ſanctitate ſeruient Deo ſuo.

PANES Dei ſui) Id eſt, panes propoſitionis. Alii vertunt, Quoniã ignita Domini ſacrificia, quæ veluti panes Dei ſunt, ipſi offerunt.

'Scortum, & vile proſtibulum non ducet vxorem, nec eã quæ repudiata eſt à marito: 'quia conſecratus eſt Deo ſuo, & panes propoſitionis offert. Sit ergo ſanctus, quia & ego ſanctus ſum Dominus, qui ſanctifico vos. Sacerdotis filia 'ſi deprehenſa fuerit in ſtupro, & violauerit

nomen patris ſui, flammis exuretur. 'Pontifex, id eſt ſacerdos maximus inter fratres ſuos, ſuper cuius caput fuſum eſt vnctionis oleum, '& cuius manus in ſacerdotio conſecratæ ſunt, veſtitúſque eſt ſanctis veſtibus, 'caput ſuum non diſcooperiet, 'veſtimenta non ſcindet, '& ad omnem mortuum non ingredietur omnino. ſuper patre quoque ſuo, & matre 'non contaminabitur. 'Nec egredietur de ſanctis, 'ne polluat ſanctuarium Domini, quia 'oleum ſanctæ vnctionis Dei ſui ſuper eum eſt. ego Dominus. Virginem ducet vxorem: viduam autem & repudiatam, '& ſordidam, atque meretricem non accipiet, ſed 'puellam de populo ſuo: 'ne commiſceat ſtirpem generis ſui vulgo gentis ſuæ: quia ego Dominus qui ſanctifico eum.

SCORTVM & vile proſtibulum) Meretricem publicam, aut ſcortum priuatum. Pro meretrice publica, verti poteſt, Malæ famæ mulierem.

QVIA conſecratus eſt Deo ſuo, & panes propoſitionis offert. Sit ergo ſanctus) quia ſanctus eſt vnuſquiſque eorum Deo ſuo. Sanctificabis itaque illum, quia panem Dei tui offert: ſanctus erit tibi, quia & ego &c. Sanctificare ſacerdotē, Id eſt, habere illum in honore. Panē Dei vocat panes propoſitionis, quos minores ſacerdotes per ſingula ſabbatha offerebant. Sanctus erit tibi, id eſt, honore illũ proſequêris.

Sanctificare aliquem.

SI deprehenſa fuerit in ſtupro, & violauerit nomen patris ſui,) ſi polluta fuerit mœchando, patrem ſuum polluit: propterea flammis, &c. Vel, quum contaminauerit ſeſe adulterio. ſiue, vt alii vertunt, quum cœperit mœchari.

PONTIFEX, id eſt ſacerdos) Sacerdos vero.

ET cuius manus in ſacerdotio conſecratæ ſunt, veſtitúſque eſt ſanctis veſtibus,) & conſecrauerit manum ſuam, vt indueretur ſanctis veſtibus. Conſecrauerit, inquit, manum ſuam. 'ſubaudi, oblationibus. Id eſt, obtulerit oblationes quas ſummi ſacerdotes offerre tenentur.

Caput diſcooperire.

CAPVT ſuum nõ diſcooperiet,) Id eſt, abſtinebit à ceremoniis lugentiũ, qui apertione capitis & veſtimentorum diſciſſione teſtabantur luctum ſuum.

VESTIMENTA non ſcindet,) veſtimenta ſua non ſcindet. ſic etiam legitur in oblongo & paruo codice S. Germani.

ET ad omnē mortuũ &c.) Id eſt, nullam domũ in qua ſit cadauer, ingredietur.

NON contaminabitur.) non polluet ſeſe. Id eſt, ne patris quidem, aut matris cauſa polluet ſe, ſi alter eorum fuerit mortuus. Qui ingrediebatur domum mortui, polluebatur.

NEC egredietur de ſanctis,) Non egredietur è templo. Quaſi dicat, Domum patris demortui non ingredietur, ſanctuario relicto.

NE polluat ſanctuarium Domini,) neque polluet ſanctuariũ Dei ſui. Ita legit Complutenſis & Baſilienſis editio, & S. Germani paruum vetus exemplar. Pollutum fuiſſet ſanctuarium Dei à ſacerdote, ſi ingreſſus fuiſſet illud poſtquã ingreſſus fuerat domum patris mortui, vel matris mortuæ.

OLEVM ſanctæ vnctionis) corona olei. Vel, vnguenti, ſiue vnctionis. Id eſt, quia ille vnctus eſt oleo vnctionis Dei ſui, quo Deus inſtituit.

ET ſordidam atque meretricem) & ſcortum ſecretum aut publicum.

PVELLAM) virginem.

NE commiſceat ſtirpem generis ſui vulgo gentis ſuæ:) Neque contaminabit prolem ſuam in populo ſuo. Ducendo ſcilicet ſcortum, aut captiuam, aut aliam.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Loquere ad Aaron, Homo de ſemine tuo 'per familias qui habuerit 'maculam, 'non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius: ſi cæcus fuerit, ſi claudus, 'ſi vel paruo vel grandi vel torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugẽ ſcabiem, ſi impetiginẽ in corpore, 'vel hernioſus. Omnis qui habuerit maculã de ſemine Aarõ ſacerdotis, nõ accedet offerre hoſtias Domino, nec panes Deo ſuo: 'veſcetur tamẽ panibus qui offerũtur in ſanctuario, ita dúntaxat vt intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, 'qui maculam habet, '& cõtaminare non debet ſanctuarium meum. Ego Dominus qui ſanctifico eos. 'Locutus eſt ergo Moyſes ad Aaron, & ad filios eius, & ad omnem Iſrael 'cuncta quæ fuerant ſibi imperata.

PER familias) in generationibus ſuis. Id eſt, quibuſcunque ſeculis, ſiue quacũque ætate vixerint. Vetus exemplar oblongum S. Germani, & paruũ, legunt pronomen SVAS, hoc modo, Per familias ſuas.

MACVLAM,) Id eſt, imperfectionem aliquam naturalem, vitiũ aliquod corporale extra apparens. illud enim impedit ſacerdotem à miniſterio.

NON offeret panes) non accedat vt offerat panem. Id eſt oblationem. quaſi dicat, arceatur à munere ſacerdotali.

SI vel paruo, vel grãdi, vel torto naſo,) aut diminutus, aut ſuperfluus. Vt qui quatuor digitos habet, aut ſex.

VEL hernioſus) aut habuerit teſticulum compreſſum.

VESCETVR tamen panibus qui offeruntur in ſanctuario, ita duntaxat vt intra velum non ingrediatur, nec accedat &c.) panẽ Dei ſui de ſanctitatibus ſanctitatum, & de ſanctificationibus comedet. Veruntamen non ingredietur in velum, nec accedet ad altare &c. Sanctitates ſanctitatum vocat res ſacroſanctas. intelligit autem ea quæ offerebantur pro peccato & pro delicto. Sicut per ſanctificationes, ſiue res ſanctas, intelligit decimas. Præterea, nõ ingredi in velum, id eſt in Sancta ſanctorum: ſignificat non poſſe creari ſummum ſacerdotem.

Sanctitas ſanctitatum. Sanctificationes, ſiue ſacta. Non ingredi in velum.

QVI maculam habet) Legendum eſt quia: vt & in vetuſtioribus Latinis codicibus S. Germani, Dionyſii, & Victoris.

ET contaminare non debet ſanctuarium meum. ego Dominus) & non polluet ſanctuaria mea, quia ego Dominus. Pluraliter dixit ſanctuaria, quòd in ſanctuario multa eſſent loca.

Sanctuaria.

LOCVTVS eſt ergo Moyſes ad Aaron,) Id eſt, hæc expoſuit Moyſes ipſi Aaron &c.

CVNCTA quæ fuerunt ſibi imperata.) Hæc non leguntur Hebraice.

CAP. XXII.

LOCVTVS quoque eſt Dominus ad Moyſen, dicẽs, Loquere ad Aaron & ad filios eius 'vt caueant ab his quæ conſecrata ſunt filiorum Iſrael,& non contaminẽt 'nomen ſanctificatorum mihi,quæ ipſi offerunt.ego Dominus.Dic ad eos,'& ad poſteros eorum, Omnis homo 'qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt filii Iſrael Domino,in quo eſt immũditia,'peribit coram Domino.'ego ſum Dominus.

Sanctitates. VT caueant ab his quæ conſecrata ſunt filiorũ Iſrael,) vt ſeparent ſe ab his,à ſanctitatibus filiorum Iſrael. Id eſt, abſtineant ab his quæ Deo oblata ſunt à filiis Iſrael. Iſtud intelligitur pro tẽpore quo ipſi ſacerdotes erant impuri: quo tempore non licebat illis veſci rebus huiuſmodi.

Nomen ſanctitatis. NOMEN ſanctificatorũ mihi,quæ ipſi offerunt.) nomẽ ſanctitatis meæ,& id quod conſecrant mihi. Vel,in eo quod conſecrant mihi. Nomen ſanctitatis vocat,nomen ſanctum.

In generationibus veſtris. ET ad poſteros eorum,) in generationibus veſtris.Id eſt, quocunque tempore contigerit vos viuere Hebraiſmus.

Sanctificata. QVI acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata ſunt &c.) Id eſt, quicunque ſacerdos comederit de ſanctificatis &iis quæ filii Iſrael ſanctificauerint ſiue cõſecrauerint Domino,& fuerit impurus,tũc peribit &c. Per ſanctificata intelligit decimas & pacificas hoſtias.Hoc totũ intelligitur de ſacerdotibus, quos vult eſſe ſanctiſſimos,ne ſint offendiculo plebi.

PERIBIT coram Domino.) excidetur à conſpectu meo. Id eſt, tolletur de medio.

EGO ſum Dominus.) Subaudi,qui id prædico, qui poſſum id facere,qui ſum verax in ſermonibus meis.

'Homo de ſemine Aaron qui fuerit leproſus, aut patiens fluxum ſeminis, nõ veſcetur de his quæ ſanctificata ſunt mihi,donec ſanetur. 'Qui tetigerit immundum ſuper mortuo, & ex quo egreditur 'ſemen quaſi coitus, '& qui tangit reptile,& quodlibet immundum,cuius tactus eſt ſordidus, immundus erit vſque ad veſperum, & non veſcetur his quæ ſanctificata ſunt: 'ſed cum lauerit carnem ſuam aqua, & occubuerit ſol, tunc mundatus veſcetur de ſanctificatis, quia cibus illius eſt. ‖'Morticinum & captum à beſtia non comedent,nec polluentur in eis.ego ſum Dominus.Cuſtodiãt 'præcepta mea, vt non ſubiaceant peccato, '& moriantur in ſanctuario, cum polluerint illud.ego Dominus 'qui ſanctifico eos.

Exod.22.d. ezech.44.g.

Vir vir. HOMO) Vir vir.Id eſt,quicunque.

QVI tetigerit immundum ſuper mortuo,) Id eſt, qui interfuerit exequiis mortui,aut curauerit funus,aut tetigerit cadauer.
SEMEN quaſi coitus,) effluxio ſeminis.
ET qui tangit reptile,& quodlibet immundum,cuius tactus eſt ſordidus,) & qui tetigerit quodcunque reptile propter quod polluatur,aut hominem propter quem contaminetur,quacunque impuritate ſit impurus:immundus &c.
SED cum lauerit carnem ſuam aqua, & occubuerit ſol,) quin prius lauerit carnem ſuam aqua.Et quum occubuerit ſol,tunc &c.
MORTICINVM & captum à beſtia non comedent,nec polluentur in eis.) Cadauer & dilaniatum à fera non comedet,vt polluat ſeſe.Id eſt, vnde polluі poteſt.ſiue,quibus non poteſt veſci quin polluatur.
PRAECEPTA mea,) cuſtodiam meam. Id eſt, has leges meas quas nunc do. Hebraiſmus. Cuſtodia Dei.
ET moriantur in ſanctuario,quũ polluerint illud.) & moriantur ob idipſum quòd polluerint.Vel,ſi polluerint.Subaudi,leges meas, & immundi comederint ſanctificata.
QVI ſanctifico eos.) Id eſt,eos eſſe ſanctos volo.

Omnis 'alienigena non comedet de ſanctificatis,'inquilinus ſacerdotis, & 'mercenarius non veſcentur ex eis.Quem autem ſacerdos'emerit,& qui vernaculus domus eius fuerit,hi comedẽt ex eis.Si filia ſacerdotis 'cuilibet ex populo nupta fuerit,de his quæ ſanctificata ſunt & de primitiis non veſcetur. ſinautem vidua, vel repudiata, & abſque liberis reuerſa fuerit ad domum patris ſui: ſicut puella conſueuerat, aletur cibis patris ſui. Omnis alienigena comedendi ex eis non habet poteſtatem. Qui comederit de ſanctificatis,'per ignorantiam, addet quintam partem cum eo quod comedit, & dabit ſacerdoti 'in Sanctuarium. Nec cõtaminabunt ſanctificata filiorum Iſrael,'quæ offeruntur Domino: 'ne forte ſuſtineant iniquitatẽ delicti ſui, cum ſanctificata comederint.ego Dominus qui ſanctifico eos.

ALIENIGENA) Id eſt,qui non fuerit de genere ſacerdotali. Alienigena.
INQVILINVS ſacerdotis,) Id eſt,ſeruus,cuius auricula fuerit perforata tẽpore libertatis quo noluerit abire:qui tempore iubilei donabatur libertate. Inquilinus ſacerdotis.
MERCENARIVS) Hic mercenarius, ſexennio exacto donabatur libertate, qui emptus fuerat incircumciſus.
EMERIT,) emerit pecunia ſua.
CVILIBET ex populo &c. ſinautem) fuerit viro externo,ipſa de oblatione ſanctificatorum non veſcetur. ſinautem &c.Id eſt, ſi nupſerit viro qui non fuerit de genere ſacerdotali,non comedet de iis quæ ſunt Deo conſecrata.
PER ignorantiam,) Vel,imprudens.
IN ſanctuarium.) cum ſanctificato.Quod ſcilicet ederit.
QVAE offeruntur) & id quod obtulerint.Subaudi,eleuando. Vetera exẽpla-

ria Latina S.Dionyſii, & Germani latum,& Victoris legunt,offerunt,actiua voce.

Facere portare iniquitatẽ delicti.

NE forte ſuſtineant iniquitatem delicti ſui, cum ſanctificata comederint. ego &c.) ne faciant eos portare iniquitatem delicti,comedendo ſanctificata eorum. quia ego &c Id eſt,ne ſint in cauſa vt plebs peccet comedendo,quæ ipſa Deo conſecrauerit.Hebraiſmus.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen,dicens,Loquere ad Aaron ,& filios eius, & ad omnes filios Iſrael, dicéſque ad eos,Homo de domo Iſrael,& de aduenis qui habitant apud vos,qui obtulerit oblationem ſuam 'vel vota ſoluens,vel ſponte offerens, 'quicquid illud obtulerit in holocauſtum Domini vt offeratur per vos, maſculus immaculatus erit ex bobus,&ouibus,& ex capris:'ſi maculam habuerit,non offeretis, neque erit acceptabile.

Deut.15 d. eccli.35.b.

‖Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, 'vel vota ſoluens,vel ſponte offerens, tã de bobus quàm de ouibus,'immaculatum offeret,vt acceptabile ſit:omnis macula non erit in eo.Si cæcum fuerit,ſi fractum,'ſi cicatricem habens,ſi papulas,aut ſcabiem, aut impetiginem:non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis ſuper altare Domini.'Bouem & ouem aure & cauda amputatis,voluntariè offerre potes,votum autem ex iis ſolui non poteſt.Omne animal quod vel contritis,vel tunſis, vel 'ſectis ablatíſque teſticulis eſt, non offeretis Domino,& in terra veſtra 'hoc omnino ne faciatis. De manu alienigenæ non offeretis 'panes Deo veſtro,'& quicquid aliud dare voluerit:quia corrupta,'& maculata ſũt omnia:non ſuſcipietis ea.

VEL vota ſoluens,vel ſponte offerens,) in omnibus ſuis votis,& omnibus vltroneis oblationibus.Hebraiſmus eſt,quem interpres reddidit.

QVICQVID illud obtulerit in holocauſtum Domini vt offeratur per vos,maſculus immaculatus erit) qui obtulerit (ſiue, offerre voluerit) aliquid in holocauſtum Domino in placationem pro vobis,maſculum integrum (ſubaudi, offeretis) ex bobus &c.Quòd ait,In placationem pro vobis: perinde eſt ac ſi dicat,ſiquis aliquid voluerit offerre in holocauſtum Domino, quod ipſi velit eſſe acceptum & gratum (vel,vt placetur vobis Deus) offerat maſculum integrum,& ſine vitio,&c.alioqui non erit gratum Deo holocauſtum.

SI maculam habuerit,non offeretis,neque erit acceptabile.) nihil offeretis in quo ſit vitium:alioqui non erit vobis gratum.Hoc loco vacat pronomen VOBIS: rectéque illud omiſit interpres.Verti poſſet, Alioqui non erit in placationẽ vobis.Chaldæus paraphraſtes vertit,Non erit pro vobis placabile.quaſi dicat,

Deus non placabitur vobis ſi hoſtiam obtuleritis in qua ſit aliquod vitium.

VEL vota ſoluens, vel ſponte offerens,) ad ſoluendum votum, aut in oblationem ſpontaneam.

IMMACVLATVM offeret, vt acceptabile ſit: omnis macula non erit in eo.) Vel, integrum erit, vt ſit gratum: nulla macula ſit in eo.

SI cicatricem habens, ſi papulas, aut ſcabiem, aut impetiginem:) ſi conciſum, aut verrucis conſpurcatum, aut ſcabioſum, aut vitiliginoſum.

BOVEM & ouem &c. Omne animal) Bouem & ouem ſuperfluā & diminutam pro voluntaria oblatione facias: at pro voto non erit gratum.

SECTIS) ruptis.

HOC omnino ne faciatis.) non facietis. Id eſt, talia non offeretis.

PANES) eſcam. Vocat Scriptura plerunque ſacrificia panē & cibum Dei, præſertim ea quæ ignis abſumebat. Panis pro ſacrificio.

ET quicquid aliud dare voluerit:) ex omnibus iſtis.

ET maculata ſunt omnia. non ſuſcipietis ea.) vitioſa ſunt: non erunt accepta pro vobis. Id eſt, in gratiam veſtri. quaſi dicat, Non placabitur vobis Deus immolatione vitioſorum animalium.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Bos, ouis, & capra cum genita fuerint, ſeptem diebus erūt ſub hubere matris ſuæ: die autem octauo, & deinceps offerri poterunt Domino. Siue illa bos, ſiue ouis, non immolabuntur vna die cum fœtibus ſuis. 'Si immolaueritis hoſtiam pro gratiarum actione Domino: vt poſſit eſſe placabilis, eodem die comedetis eam, non remanebit quicquam in mane alterius diei. ego Dominus. Cuſtodite mādata mea, & facite ea: ego Dominus. 'Ne polluatis nomen meum ſanctum, 'vt ſanctificer in medio filiorum Iſrael. Ego Dominus qui ſanctifico vos, & eduxi de Terra-AEgypti, vt eſſem vobis in Deum. ego Dominus.

SI immolaueritis hoſtiam pro gratiarum actione Domino: vt poſſit eſſe placabilis,) Et cum ſacrificabitis ſacrificiū laudis Domino, ſacrificabitis ſpōte veſtra.

NE polluatis &c.) Id eſt, Videte ne nomen meum male audiat propter vos in plebe. Polluere nomen Dei.

VT ſanctificer) & ſanctificabor.

CAP. XXIII.

LOCVTVS QVE eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos, 'Hæ ſunt feriæ Domini, quas vocabitis ſanctas. Sex dieb' 'facietis opus: 'dies ſeptimus, quia ſabbathi requies eſt, vocabitur ſanctus. omne opus non facietis in eo. ſabbathum Domini eſt in cunctis habitationibus veſtris. Hæ ſunt ergo 'fe

riæ Domini ſanctæ, quas celebrare debetis temporibus

Exod.12.a. num.28.c. ſuis. ‖Menſe primo,quartadecima die menſis 'ad veſperum,'Phaſe Domini eſt:& quintadecima die menſis huius, ſolennitas azymorum Domini eſt. Septem diebus azyma comedetis. dies primus erit vobis celeberrimus, ſanctúſque:omne opus ſeruile non facietis in eo:ſed offeretis ſacrificium 'in igne Domino ſeptem diebus.dies autem ſeptimus erit celebrior & ſanctior : 'nullúmque ſeruile opus facietis in eo.

HAE ſunt feriæ Domini,quas vocabitis ſanctas.) Solennitates Domini, quas celebrabitis,celebritates ſanctæ,iſtæ nimirum ſunt feſtiuitates meæ. Quaſi dicat, Hæ ſunt feriæ quas celebrabitis in honorem meum.

FACIETIS) fiet.

Ceſſatio quieta. DIES ſeptimus &c. Hæ ſunt.) at die ſeptimo erit ceſſatio quieta,(.i.ceſſabitis prorſus) celebritas ſancta. nullum opus facietis: ſabbathum Domino in omnibus habitationibus veſtris. Id eſt,abſtinebitis ab operibus in honorẽ Domini vbicũque habitaueritis ſiue in Terra ſancta,ſiue in alienigena. Per appoſitionem,ceſſationem quietam,vocat celebritatem ſanctam.

Celebritas ſancta. FERIAE Domini ſanctæ,) feriæ Domini,celebritates ſanctæ.

AD veſperum,) inter duas veſperas. quaſi dicat, Inclinata iam die & appetẽte nocte: Poſt occaſum Solis,ſed adhuc aliquantulum illuceſcente die,in crepuſculo veſpertino.Gallicè,Entre ſoleil couché & la nuict.

PHASE Domini eſt:) paſcha Domini erit. In quo ſcilicet immolabitis agnũ paſchalem.

IN igne) ignitum. Vel,vſtulatum.

NVLLVMQVE ſeruile opus facietis in eo.) nullũ opus ſeruile facietis.Id eſt, nulla negotia domeſtica quæ non referuntur ad Deum,facietis.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen,dicens,Loquere filiis Iſrael,& dices ad eos,Cum ingreſſi fueritis Terram quam ego dabo vobis,'& meſſueritis ſegetem,feretis manipulos ſpicarum primitias meſſis veſtræ ad ſacerdotem.qui eleuabit faſciculum coram Domino,'vt acceptabile ſit pro vobis: 'altero die Sabbathi & ſanctificabit illum.Atque in eodem 'die quo manipulus conſecratur,cædetur agnus immaculatus anniculus in holocauſtum Domini.'Et libamenta offerentur cum eo,duæ decimæ ſimilæ conſperſæ oleo in incenſum 'Domini,odorémque ſuauiſſimũ:'liba quoque vini,quarta pars hin. Panem, '& polentam, & pultes non comedetis ex ſegete, 'vſque ad diem qua offeratis ex ea Deo veſtro.'Præ-

ceptum eſt ſempiternum in generationibus, cunctíſque habitaculis veſtris.

ET meſſueritis ſegetem, feretis manipulos) & meſſueritis meſſem, tunc afferetis manipulum. Vel, & metere cœperitis meſſem, tunc &c.

VT acceptabile ſit pro vobis:) vt gratus ſit pro vobis. Sub. Deo. Vel, vt placetur vobis Deus. In vetuſtioribus Latinis codicibus S. Dionyſii, Germani, & Victoris legitur, acceptabilis, maſculino genere: vt referatur ad manipulum.

ALTERO die ſabbathi, & ſanctificabit illum.) in craſtino ſabbathi offeret illum ſacerdos. Id eſt, poſtera die ſabbathi.

DIE quo manipulus conſecratur, cædetur agnus immaculatus anniculus) die quo manipulum offeretis, mactabitis agnũ perfectũ anniculũ. Id eſt, die quo ſacerdotis miniſterio manipulũ offeretis, mactabitis agnum integrum, ſiue abſolutũ, nulla ſui parte vitiatum. Agnus perfectus.

ET libamenta offerentur cum eo) Munus autem eius, erunt duæ &c. Id eſt, id quod offeretur cum ipſo holocauſto.

DOMINI) Domino. datiuus.

LIBA quoque vini quarta) libamẽ quoque eius erit ex vino, nẽpe quarta &c.

ET polentam, & pultes non comedetis ex ſegete) & polentam, & ſpicam plenam & recentem non comedetis. Quidam vocem Hebræam KALI, pro qua polentam verſum eſt, interpretantur toſtum, ſiue aſſum, exuſtum ſiue vſtulatum, aut frixum. De toſtis aut coctis granis ſpicarum intelligit. Alii farinam factam è ſpicis plenis aut teneris virentibus, quã ſiccabant in furno. Nihil omnino ex primis fructibus comedi debuit, donec primitiæ Deo offerrentur ex illis. קָלִי

VSQVE ad diem qua offeratis ex ea Deo veſtro.) vſque ad diem illam ipſam qua offeratis oblationem Deo veſtro.

PRAECEPTVM eſt &c. Numerabitis) Statutum ſempiternum erit vobis in generationibus veſtris, vbicunque ſedes habueritis. Numerabitis &c. Id eſt, Ritus iſte erit vobis perpetuo obſeruandus quocunque tempore vixeritis, & vbicunque habitaueritis. Statutũ perpetuũ in generationibus veſtris.

'Numerabitis ergo ab altero die Sabbathi in quo obtuliſtis 'manipulum primitiarum ſeptem hebdomadas plenas, vſque 'ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt quinquaginta dies: '& ſic offeretis ſacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis veſtris, 'panes primitiarum 'duos de duabus decimis ſimilæ fermẽtatæ, quos coquetis in primitias Domini. Offeretíſq; cum panibus ſeptem agnos immaculatos anniculos, '& vitulum de armento vnum, & arietes duos, & erunt 'in holocauſtum 'cum libamentis ſuis, in odorem ſuauiſſimum Domino. Facietis & 'hircum pro peccato, duóſq; agnos anniculos hoſtias pacificorum. 'Cúmque eleuauerit eos ſacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in vſum eius. Et vocabitis hunc diem celeberrimum, atque ſanctiſſimum: omne opus ſeruile nõ

facietis in eo.'Legitimum ſempiternũ erit in cunctis habitaculis,& generationibus veſtris.

NVMERABITIS ergo ab altero die) Numerabitis autẽ à poſtera die &c.

MANIPVLVM primitiarum) manipulum eleuationis. Id eſt, ſpicarum nouarum oblatarum Domino.

AD alteram) ad poſteram.

ET ſic offeretis ſacrificiũ nouũ) & offeretis munus.Hebraice legitur minha.

PANES primitiarum) panes oblationis.Vel,eleuationis.Id eſt,qui offerũtur Domino Deo.

DVOS) Chaldæus paraphraſtes vertit DVAS,fœminino genere: & ſubaudit, placentas.Panem,inquit,duas ſcilicet placentas.

ET vitulum de armento vnum,) iuuencũ filiũ bouis. Vel,iuuencũ ex bobus.

IN holocauſtum) Ex Hebræo addendum,Domino.

CVM libamentis ſuis in odorem) & munus eorum,& libamen eorum erit in odorem &c.

HIRCVM) Addendum ex Hebræo,ex capris vnum.

CVMQVE eleuauerit &c Omne opus) Offeret autem ea ſacerdos cum panibus primitiarum,oblationem coram Domino,cum duobus agnis: ſanctitas erunt Domino,cedentque ſacerdoti.Et celebrabitis hoc ipſo die celebritatem ſanctam: omne opus &c.Hoc eſt,eo ipſo die erit vobis celebritas ſancta.Vel, ſancte eã ipſam diem celebrabitis. Cum ait,Sanctitas erunt Domino: ſignificat,Omnia iſta conſecrabuntur Domino.

Sanctitas erũt Domino.

LEGITIMVM ſempiternum) Statutum vobis ſempiternum.

ſ.19.b. ‖Poſtquam autem meſſueritis ſegetem terræ veſtræ,

Deut.24.b. 'non ſecabitis eam vſque ad ſolum: ‖nec remanẽtes ſpicas colligetis,ſed pauperibus & peregrinis dimittetis eas.ego ſum Dominus Deus veſter. Locutúſq; eſt Do-

Num.29.a. minus ad Moyſen, dicens, Loquere filiis Iſrael, ‖Menſe ſeptimo, prima die mẽſis erit vobis ſabbathum,'memoriale,clangentibus tubis,& vocabitur ſanctum: omne opus ſeruile non facietis in eo, & offeretis 'holocauſtum Domino.

NON ſecabitis eam vſque ad ſolum:) non finietis angulum agri veſtri dũ vos metetis.Id eſt,non omnino demetetis agrum veſtrum, ſed relinquetis meſſem in fine & angulis agrorum.

MEMORIALE,clangentibus tubis,& vocabitur ſanctum:) memoriale clãgoris tubarum,celebritas ſancta. Hæc poſtrema verba per appoſitionẽ dicta ſunt. Feſtum iſtud dicitur Nume.29,Dies clangoris & tubæ.Quidam dicunt feſtum iſtud celebratum fuiſſe à Iudæis in memoriam liberationis Iſaac ab immolatione.Alii dicunt fuiſſe paraſceuen ſcenopegiæ.

HOLOCAVSTVM) incenſum.

ſ.16.g.num.19.b. Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen,dicens, ‖Decimo die menſis huius ſeptimi,dies expiationum erit 'celeberrimus,& vocabitur ſanctus: 'affligetíſq; animas veſtras in eo,& offeretis'holocauſtum Domino.Omne o-

pus ſeruile non facietis in tempore diei huius:quia 'dies propitiationis eſt, vt propitietur vobis Dominus Deus veſter.Omnis anima quæ afflicta nō fuerit die hac, 'peribit de populis ſuis : & quæ operis quippiam fecerit, 'delebo eam de populo ſuo.Nihil ergo operis facietis in eo: 'legitimum ſempiternum erit vobis in cunctis generationibus & habitationibus veſtris. 'ſabbathū requietionis eſt, & affligetis animas veſtras die nono 'menſis ſeptimi. A veſpera vſque ad veſperam 'celebrabitis ſabbatha veſtra.

CELEBERRIMVS, & vocabitur ſanctus.) celebritas ſanctitatis erit vobis.Id eſt, ille dies erit vobis celeberrimus.

AFFLIGETISQVE animas) Hic affligere animas pro ieiunare poſitū eſt. Affligere animas.

HOLOCAVSTVM) vſtulatum ſacrificium.Ita vocabatur quicquid vrebatur in honorem Dei.

DIES propitiationis eſt,vt propitietur vobis Dominus Deus veſter.) dies expiationum eſt ad expiandos vos coram Domino Deo veſtro. Hic dies expiationū erat velut vmbra diei qua CHRISTVS paſſus eſt pro nobis, vt expiaret nos ab omnibus peccatis. Dies expiationis.

PERIBIT de populis ſuis.) Id eſt,delebitur de catalogo populi ſui.

DELEBO) perdam.

LEGITIMVM) Statutum.

SABBATHVM requietionis eſt) Vel,ceſſatio quieta eſt.

MENSIS ſeptimi) Dictio SEPTIMI,non legitur hoc loco Hebraice,neque in Latinis vetuſtioribus codicibus S.Dionyſii,Germani & Victoris.

CELEBRABITIS ſabbatha veſtra.) celebrabitis ſabbathum veſtrum. Id eſt, ceſſabitis ab omni opere à veſpera ſequente nonam diem,vſque ad veſperam aliā quæ erit initium vndecimæ.

Et locutus eſt Dominus ad Moyſen,dicens,Loquere filiis Iſrael, A quintodecimo die mēſis huius ſeptimi,erunt feriæ tabernaculorū ſeptem diebus 'Domino.'Dies primus vocabitur celeberrimus atque ſanctiſſimus:omne opus ſeruile non facietis in eo. 'Et ſeptem diebus offeretis holocauſta Domino. dies quoque octauus erit celeberrimus atque ſanctiſſimus, & offeretis holocauſtū Domino : eſt enim cœtus atque collectæ : omne opus ſeruile non facietis in eo. Hæ ſunt feriæ Domini, 'quas vocabitis celeberrimas atque ſanctiſſimas, offeretiſque in eis oblationes Domino, holocauſta & libamenta iuxta ritum vniuſcuiuſque diei:exceptis ſabbathis Domi- Iohan.7.f.

ni,doníſque veſtris, & 'quæ offertis ex voto,vel quæ ſpõte 'tribuetis Domino.

DOMINO.) Id eſt,in honorem Domini qui eduxit filios Iſrael de AEgypto.

DIES primus vocabitur celeberrimus atque ſanctiſſimus:) Die primo erit celebritas ſancta.Id eſt,dies primus erit celeberrimus. Vel, diem primum ſanctè celebrabitis.

ET ſeptem diebus &c. Omne opus) Et ſeptem diebus offeretis incenſum Domino.Die quoque octauo erit celebritas ſancta:offeretíſque incenſum Domi-
Cœtus, vel ſolennitas eſt. no,cœtus eſt.(vel ſolennitas) omne opus &c.Id eſt,collecti eritis ad celebrandã ſolennitatem.ita vertit Chaldæus paraphraſtes.

QVAS vocabitis &c Exceptis) celebritates ſanctæ quas celebraturi eſtis:vt offeratis in eis incenſum Domino,holocauſtum, munus, ſacrificium & libamina,
Rem diei in die ſuo. rem diei in die ſuo.Exceptis &c.Id eſt,Vnumquodque ſacrificium offeretis in die ſuo:& ſi die illo non obtuleritis, gratum non erit.Sacrificium vocat pacificorum ſacrificium.

QVAE offertis) quæ offeretis.Futuro tempore.Sic legitur in vetuſtioribus Latinis codicibus S.Germani, Dionyſii & Victoris,in Complutenſi præterea editiõe.

TRIBVETIS) tribuitis.Præſenti tempore. ſic in Moguntinenſi & Baſilienſi editione legitur.

A quintodecimo ergo die menſis ſeptimi,quando cõgregaueritis 'omnes fructus terræ veſtræ,celebrabitis ferias Domini ſeptẽ diebus. die primo & die octauo erit 'ſabbathum,id eſt requies. Sumetíſque vobis die primo fructus arboris 'pulcherrimæ,'ſpatuláſque palmarum,& ramos 'ligni denſarum frondium,& ſalices de torrente, & lætabimini coram Domino 'Deo veſtro. Celebrabitíſque 'ſolennitatem eius ſeptem diebus per annum.'legitimum ſempiternum erit in generationibus veſtris: menſe ſeptimo feſta celebrabitis.Et habitabitis in vmbraculis ſeptem diebus: omnis qui de genere eſt Iſrael, manebit in tabernaculis:'Vt diſcant poſteri veſtri quòd in tabernaculis habitare fecerim filios Iſrael,cum educerem eos de Terra-AEgypti. ego Dominus Deus veſter.'Locutúſque eſt Moyſes ſuper ſolennitatibus Domini ad filios Iſrael.

OMNES fructus terræ veſtræ,) Vel,prouentum regionis.

SABBATHVM, id eſt requies.) · ceſſatio.Ab omni ſcilicet opere.

הדר PVLCHERRIMAE,) Hebraice eſt HADAR, quod Hebræi citrum arborem ſignificare dicunt,quæ ex Maſſilia Prouinciæ defertur.

כפת SPATVLASQVE palmarum,) Hebraice legitur CAPPOTH TEMARIM,
תמרים Hebræi autem dicunt eſſe frondes palmarum, quando folia adhuc in ſurculo deliteſcunt,& ſurculus ipſe,ſceptri præ ſe fert formam.

LIGNI) arboris. Quidam dicunt eſſe myrtum,quæ ramos habet denſos.

DEO veſtro) Adde ex Hebræo, ſeptem diebus.

SOLENNITATEM eius) ſolennitatem hanc Domino.

LEGITIMVM ſempiternum &c. Omnis) ritu ſempiterno in generationibus veſtris: menſe ſeptimo celebrabitis illam feſtiuitatem. Habitabitis in tabernaculis ſeptem diebus: omnis &c. In generationibus veſtris, id eſt, temporibus veſtris, vel per ſecula veſtra.

VT diſcant poſteri veſtri) Vt ſciant ſecula veſtra, Id eſt, homines ſeculi veſtri.

LOCVTVSQVE eſt Moyſes) Locutus eſt igitur Moyſes. Vel, Habuit ſermonem Moyſes.

CAP. XXIIII.

ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Præcipe filiis Iſrael vt afferant tibi oleum de oliuis puriſſimũ ᵃac lucidum, ad concinnandas lucernas iugiter, ᵇextra velũ teſtimonii in tabernaculo fœderis. ponétque eas Aaron à veſpere vſque in mane coram Domino, cultu ritúque perpetuo in generationibus veſtris. ᶜSuper candelabrum mundiſſimum ponentur ſemper in conſpectu Domini. Accipies quoque ſimilam, & coques ex ea ᵈduodecim panes, qui ſinguli habebunt duas decimas: quorum ſenos altrinſecus ſuper mēſam puriſſimam coram Domino ſtatues, & pones ſuper eos thus lucidiſſimum, vt ſit panis in monimentum oblationis Domini. Per ſingula ſabbatha ᵉmutabuntur coram Domino ſuſcepti à filiis Iſrael fœdere ſempiterno: ‖eruntque Aaron & filiorum eius, ᶠvt comedant eos in loco Sancto: ᵍquia ſanctũ ſanctorum eſt de ſacrificiis Domini iure perpetuo. Matth. 12 a.

AC lucidum, ad concinnandas lucernas iugiter.) contuſum in luminare. Vel expreſſum in luminare.

EXTRA velum teſtimonii, &c. Super) Citra velũ teſtimonii, in tabernaculo conuentionis diſponet illum (ſubaudi, lucernarum ordinem) à veſpera vſque ad mane coram Domino iugiter, cultu perpetuo per ætates veſtras. Quod ait, A veſpera vſque ad mane: ſignificat totam noctem. A veſpera vſque ad mane.

SVPER candelabrum mundiſſimum ponentur ſemper) Super candelabrũ purum diſponet lucernas ipſas. Purum vocat, ex auro puro factum.

DVODECIM panes &c. Per ſingula) placentas, quæ ſingulæ habebunt duas decimas, quas diſpones in duos ordines, ſex erunt in vnoquoque ordine, ſuper menſam puram coram Domino. Pones autem ſuper ſingulos ordines thus puriſſimum in panem & incenſum Domino. Id eſt, qui vice panis adolebitur coram Domino. Panis enim cremari non poterat. Moguntinenſis editio legit, oblationis Domino, datiuo caſu.

MVTABVNTVR) diſponet illas iugiter. Placentas ſcilicet, ſiue illos panes.

VT comedant) & comedent.

Sanctum ſanctorũ eſt illi de incẽſis Domini.

QVIA ſanctũ ſanctorũ eſt de ſacrificiis Domini) quia ſanctitas ſanctitatũ eſt illi de incẽſis Domini.Id eſt,res ſacroſancta eſt de his quæ incenduntur Domino: ideóque eius eſus ipſi Aaroni ſoli & filiis eius permittitur.

Ecce autem egreſſus filius mulieris Iſraelitidis, quem pepererat de viro AEgyptio inter filios Iſrael, iurgatus eſt in caſtris cum viro Iſraelite.Cúmque 'blaſphemaſſet nomen Domini,& maledixiſſet ei,adductus eſt ad Moyſen. (Vocabatur autem mater eius Salumith filia Dabri, de tribu Dan.) Miſerúntque eum in carcerem, 'donec noſſent quid iuberet Dominus. Qui locutus eſt ad Moyſen, dicens, Educ blaſphêmum extra caſtra,& ponant omnes qui audierũt,manus ſuas ſuper caput eius, & lapidet eum 'populus vniuerſus.Et ad filios Iſrael 'loquêris,'Homo qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum:& 'qui blaſphemauerit nomen Domini,morte moriatur:'lapidibus opprimet eum omnis multitudo 'populi,ſiue ille ciuis,ſiue peregrinus fuerit.Qui blaſphemauerit nomen Domini,morte moriatur.

Nomen Dei tetragrammaton.

BLASPHEMASSET nomen Domini,& maledixiſſet ei) filius mulieris Iſraelitidis expreſſiſſet ſuis literis nomen,& blaſphemaſſet.Id eſt, quum expreſſo ſuis literis nomine Dei tetragrãmato blaſphemaſſet.Non licebat Iudæis exprimere literis nomen Dei tetragrâmaton blaſphemando:alioqui licebat.Non eſt nefas nomen proprium Dei IEHOVA ſuis literis exprimere,ſed nefas eſt Dei maieſtatẽ verbis minuere,Deo detrahere,Deum verbis contemnere,per contumeliam & cõtemptum nominare.

DONEC noſſent quid iuberet Dominus.) vt declararet illis iuxta verbũ Domini. Id eſt,vt Moyſes declararet quidnam de eo faciendum eſſet iuxta ſententiã Domini,hoc eſt,reuelante Domino.

Manus ſuper caput.

MANVS ſuas ſuper caput eius,) Id eſt,poſitis manibus ſuper caput eius,teſtẽtur eum audiſſe blaſphemantem.

POPVLVS) cœtus. Vel,çongregatio.

LOQVERIS,) lóquere,dicendo.

HOMO qui maledixerit Deo ſuo,portabit) Quiſquis blaſphemauerit Deum ſuum,ferat &c.

QVI blaſphemauerit nomen Domini) Qui ſuis literis exprimendo nomen Domini,blaſphemauerit illud.Sic paulo poſt vertendum eſt.

LAPIDIBVS opprimet) lapidando lapidet.Aut,lapidibus opprimat.

POPVLI) Non legitur hoc loco hæc vox neque in paruo exemplari S.Germani,neque in Victorino.

Exod.21.b.

‖'Qui percuſſerit, & occiderit hominẽ, morte moriatur.Qui percuſſerit animal,'reddet vicarium,id eſt animam pro anima.'Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium ſuorum: ‖ſicut fecit,ſic fiet ei, fracturã pro fractu-

Mat 5 f.exod. 21.c.deut.19.d

ra,oculum pro oculo,dentem pro dente 'reſtituet. qualem inflixerit maculam, 'talem ſuſtinere cogetur. Qui percuſſerit iumentum,'reddet aliud: qui percuſſerit hominem,'punietur.'AEquum iudicium ſit inter vos, ſiue peregrinus,ſiue ciuis peccauerit:quia ego ſum Dominus Deus veſter. Locutúſque eſt Moyſes ad filios Iſrael,& eduxerunt eum qui blaſphemauerat,extra caſtra, ac lapidibus oppreſſerunt: fecerúntque filii Iſrael ſicut præceperat Dominus Moyſi.

QVI percuſſerit,& occiderit hominẽ,morte moriatur.) Quicunque percuſſerit quencunque hominem, moriatur. Id eſt,interficiatur. Percutere pro interficere poſuit. Percutere.

REDDET vicarium,id eſt animam pro anima.) reſtituat ipſum,animam pro anima.Id eſt,iumentum eiuſdem pretii reſtituat. Vetera exẽplaria Latina S.Germani,Dionyſii,& Victoris,editio itẽ Mogũtinenſis legunt reddat,in imperatiuo. Animam pro anima.

QVI irrogauerit maculam cuilibet ciuium ſuorũ,) Quicunque poſuerit maculam proximo ſuo.Quid per maculam intelligat,poſtea declarat quum ait, fracturam pro fractura.Id eſt,quicunque vulnus inflixerit proximo,qui læſerit proximum,ſiue quencunque. Ponere maculam alicui.

RESTITVET.) Verbum iſtud non legitur Hebraice,ſubauditur tamen, aut ſimile.Sequentia verba declarant quid iſta velint,fracturam pro fractura: quum ait, Qualem inflixerit maculam,talem ſuſtinere cogetur.

TALEM ſuſtinere cogetur.) talis infligatur ei.

REDDET aliud:) Legi poteſt,reddat.atque ita legitur in Moguntinenſi editione,& Baſilienſi,præterea in oblongo codice S.Dionyſii,& Victorino.

PVNIETVR.) interficiatur.

AEQVVM iudicium ſit inter vos,ſiue peregrinus,ſiue ciuis peccauerit:) Vnicum iudicium erit vobis,ſicut peregrinus,ſicut indigena.Id eſt, Idẽ ius erit vobis, ſiue fuerit peregrinus,ſiue indigena. Peregrinus erit ſicut indigena, & indigena ſicut peregrinus: id eſt,idem ius reddetis peregrino atque indigenæ.

CAP. XXV.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen in mõte Sinai,dicens,Loquere filiis Iſrael, '& dices ad eos, Quãdo ingreſſi fueritis Terrã quã ego dabo vobis,‖'ſabbathizetis ſabbathum Domino. Sex annis ſeres agrum tuum,& ſex annis putabis vineam tuã, colligéſque fructus eius.ſeptimo autem anno'ſabbathum erit terræ,requietionis Domini: agrum non ſeres,& vineam nõ putabis.‖'Quæ ſponte gignet humus, non metes: & vuas 'primitiarum tuarum non colliges, quaſi vindemiam. 'Annus enim requietionis terræ eſt: ſed erũt vobis in cibum,tibi & ſeruo tuo,'ancillæ & mercenario tuo,& ad- Exod.23.b.

uenæ qui 'peregrinatur apud te: Iumentis tuis '& pecoribus omnia quæ naſcuntur, præbebunt cibum.

ET dices ad eos,) & die ad eos.

SABBATHIZET IS ſabbathum Domino.) tunc ſabbathizet terra ſabbathũ Domino. Vel, tũc quieſcet terra quiete, ſiue ceſſatione Domini. Id eſt, terra erit in otio, nõ arabitur, neque ſeminabitur in honorem Domini. Oblongum exemplar S. Dionyſii, & paruum S. Germani, S. item Victoris, & Moguntineſis editio legũt ſabbathizet. vt referatur ad terram.

SABBATHVM erit terræ, requietionis Domini.) ceſſatio quieta erit terræ, ſabbathum Domino. Appoſitiue dictum: quaſi dicat, ſabbathum illud, ſiue ceſſatio illa quieta & altum otium, quæ celebrabitur in honorem Domini, nõ autem in honorem idolorum.

QVAE ſponte gignet humus,) Quod ſponte naſcitur in meſſe tua. Id eſt, quæ ſponte naſcuntur ex granis meſſis anni præcedentis. Vetera Latina exemplaria S. Germani, Victoris, & Dionyſii latum legunt gignit, præſenti tempore. Vox Hebræ SAPIAH, ſignificat id quod ſponte naſcitur ex granis quæ deciderunt inter metendum. ספיח

PRIMITIARVM tuarum non colliges quaſi vindemiam:) derelictionũ tuarum non vindemiabis. Id eſt, vineas à te derelictas, non cultas, non putatas.

ANNVS enim requietionis terræ eſt, ſed erunt vobis in cibum.) Et erit requies terræ vobis in cibum. Id eſt, Quæ ſua ſponte naſcentur eo anno quo terra ſabbathum ſuum aget, ea tantum erunt vobis in cibum.

ANCILLAE) Adde, tuæ: ex oblongo & paruo codice veteri S. Germani.

PEREGRINATVR) habitant. Plurali numero. Ita etiam legitur in editione Complutenſi, & in paruo ſcripto exemplari S. Germani.

ET pecoribus omnia quæ naſcuntur præbebunt cibum.) & feris quæ in terra tua ſunt, erit cunctus prouentus eius in cibum.

'Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum, id eſt ſepties ſeptem, quæ ſimul 'faciunt quadraginta nouem: & clanges 'buccina menſe ſeptimo, decima die menſis, 'propitiationis tempore in vniuerſa terra veſtra. 'Sanctificabiſque annũ quinquageſimum, '& vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ, 'ipſe eſt enim iubileus: reuertetur 'homo ad poſſeſſionem ſuam, & vnuſquiſque rediet 'ad familiam priſtinam. 'Quia iubileus eſt & quinquageſimus annus, non ſeretis atq; metetis ſponte in agro naſcentia, & 'primitias vindemiæ nõ colligetis: 'ob ſanctificationem iubilei, ſed ſtatim ablata comedetis.

NVMERABIS quoque tibi ſeptem hebdomadas annorũ, id eſt ſepties ſeptem) Numerabis quoque apud te ſeptem ſabbatha annorum, ſeptem ſcilicet annos ſeptem vicibus. Hic vides, ſabbathum pro hebdomade accipi.

Sabbathum pro hebdomade.

FACIVNT) Adde, annos. Sic etiam legitur in Victorino peruetuſto codice & aliis S. Dionyſii & Germani.

BVCCINA) cornu arietino.

PROPITIATIONIS tempore) die expiationũ. Controuerſia eſt inter Hebræos de principio anni. Alii dicunt menſem Martium eſſe principium anni, reſpicientes exitum filiorum Iſrael. Alii, menſem Septembrem, ſpectantes creationẽ mundi. Aut igitur à mundo condito numerant Hebræi, aut ab exitu filiorum Iſrael. Certiſſimum autem eſt, quando Moyſes de anno Iubileo loquitur, intelligere principium anni eſſe Septembrem. Quo menſe annum incipiant Hebræi.

SANCTIFICABISQVE annum &c.) Id eſt, pronuntiabitis annum quinquageſimum eſſe ſacratum Deo. Sanctificare annum.

ET vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ,) & proclamabitis libertatẽ in terra omnibus habitatoribus eius. Id eſt, proclamabitis, omnes habitatores regionis veſtræ eſſe liberos, qui prius erant ſerui. tunc enim fiebant domini poſſeſſionum ſuarum quas vendiderant. Hoc declaratur verbis ſequentibus

IPSE eſt enim iubileus:) Id eſt, habebitis eũ pro iubileo. Vox Hebræa IOBEL, in hoc capite vſurpatur pro anno quinquageſimo, & buccina vel cornu quo annus quinquageſimus annuntiabatur. Iobel, arietem & cornu arietinũ ſignificat. יוּבַל

HOMO) quiſque.

AD familiam priſtinam.) Hoc dicit propterea quòd qui in ſeruos venditi fuerant ante annum iubileum, eo anno donabantur libertate.

QVIA iubileus eſt & quinquageſimus annus,) iubileus eſt vobis quinquageſimus ille annus.

PRIMITIAS vindemiæ) derelictiones vindemiæ. Id eſt, vineas incultas, quæ eo anno cultæ non fuerint, vel non putatæ.

OB ſanctificationem iubilei, ſed ſtatim ablata comedetis.) nam iubileus iſte ſanctus erit vobis: de agro comedetis prouentum eius. Id eſt, annus iſte erit Deo conſecratus: comedetis quod ager eo anno ſua ſponte produxerit. Vetera Latina exemplaria S. Germani & Dionyſii legunt, ſtatim oblata, ab Offero offers.

ᵃAnno iubilei redient omnes ad poſſeſſiones ſuas. Quãdo vendes quippiam ᵇciui tuo, vel emes ab eo, ᶜne cõtriſtes fratrem tuum, ſed iuxta numerum annorum ᵈiubilei emes ab eo, & iuxta ſupputationem frugum vendet tibi. Quanto ᵉplus anni remanſerint poſt iubileum, tanto creſcet & pretium: ᶠquanto minus temporis numeraueris, tanto minoris & emptio conſtabit. ᵍtempus enim frugum vendet tibi. ʰNolite affligere cõtribules veſtros, ſed timeat vnuſquiſque Deum ſuum, quia ego Dominus Deus veſter.

ANNO iubilei &c.) Repetitio eſt ſuperioris.

CIVI) proximo.

NE contriſtes fratrem tuum,) ne decipiatis ſinguli fratrem veſtrum.

IVBILEI emes ab eo, & iuxta ſupputationẽ frugũ vendet tibi.) poſt iubileũ, emes à proximo tuo, & iuxta annorũ numerũ prouẽtuúmq; vẽdet tibi &c. Quaſi dicat, habenda ratio annorũ elapſorũ à iubileo. ſi enim viceſimo anno à iubileo emes, non tanti emes quanti emere deberes, ſi decem tantũ anni diſtarent. ſi enim viginti tantũ diſtaret anni, triginta ſolũ ſupereſſent: ſi decẽ, quadraginta. Iuxta igitur numerum prouentuũ, id eſt, quibus capies fructum rei venditæ, vendet tibi.

PLVS anni) In veteri ſcripto exemplari S. Victoris legitur plures. atque ita legendum eſt.

QVANTO) Præponenda eſt coniunctio ET, hoc modo, Et quanto. ſic etiam

legitur in vetuſtioribus Latinis codicibus S.Germani, Victoris, & Dionyſii.

TEMPVS enim frugum vendet tibi.) numerum enim fructuum ipſe vendit tibi. Quaſi dicat. Non fundum, ſed tantum prouentum vendit tibi.

NOLITE affligere contribules veſtros,) Ne opprimat quiſquam veſtrũ proximum ſuum.

'Facite præcepta mea, & iudicia cuſtodite, & implete ea, 'vt habitare poſſitis in Terra abſque vllo pauore, '& gignat vobis humus fructus ſuos, quibus veſcamini vſque ad ſaturitatem, 'nullius impetum formidantes. Quòd ſi dixeritis, Quid comedemus anno ſeptimo, 'ſi non ſeuerimus, neque collegerimus fruges noſtras? 'Dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus 'trium annorum: feretíſque anno octauo, & comedetis veteres fruges vſque ad nonum annum: 'donec noua naſcantur, edetis vetera.

FACITE præcepta mea,) Facite itaque ſtatuta mea.

VT habitare poſſitis) & habitabitis.

ET gignat) dabítque.

NVLLIVS impetum formidantes.) habitantes confidenter in ea.

SI non ſeuerimus, neque collegerimus fruges noſtras?) nõ enim ſeremus, neque congregabimus fructum terræ noſtræ.

Mandare benedictionem. DABO benedictionem) tunc mandabo benedictionem &c. Id eſt, benedicam vobis.

TRIVM annorum:) pro tribus annis.

DONEC noua naſcantur, edetis vetera.) donec venerit fructus eius, comedetis fruges antiquas. Id eſt, donec venerit fructus anni octaui.

'Terra quoque non vendetur in perpetuum: quia mea eſt, & 'vos aduenæ & coloni mei eſtis. 'vnde cuncta regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptionis conditione vẽdetur. Si attenuatus 'frater tuus vendiderit poſſeſſiunculam ſuam, '& voluerit propinquus eius, poteſt redimere quod ille vendiderat. Sinautem nõ habuerit 'proximũ, & ipſe pretium ad redimendum potuerit inuenire: 'computabuntur fructus ex eo tempore quo vẽdidit: & quod reliquum eſt, reddet emptori, ſicque recipiet poſſeſſionem ſuam. Quòd ſi non inuenerit manus eius 'vt reddat pretium, habebit emptor quod emerat, vſque ad annum iubileum. 'in ipſo enim omnis venditio redibit ad dominum, & ad poſſeſſorem priſtinum.

TERRA quoque non vendetur in perpetuum:) Terra autem non vendetur

omnino. Vel, abſolute. Quidam vertunt, in exterminationem: eodem ſenſu. Exterminari autem hic dicitur ager, quando penitus à poſſeſſore abdicatur: id quod apud Hebræos fieri non potuit, ſed prædia vendebantur vſque ad annum iubilei, ſiue is prope, ſiue longe abeſſet. Exterminare agrum.

VOS aduenæ &c.) quaſi dicat, terra non eſt veſtra, ſed mea: capietis fructum ex ea, ſed fundus meus eſt. nam peregrini & coloni mei eſtis.

VNDE cuncta regio poſſeſſionis veſtræ ſub redemptionis conditione vẽdetur.) Et in omni Terra quam poſſidebitis, redemptionem dabitis terræ. Id eſt, venditori permittetis ius redimendi agros venditos ab eo. Hoc autem de agris ſolum intelligitur, non autem de domibus.

FRATER tuus) Id eſt, Iſraelita.

ET voluerit propinquus eius, poteſt redimere quod ille vendiderat.) tunc accedet redemptor eius, qui propinquus eius eſt, & redimet vẽditionem fratris ſui. Redemptorem vocat propinquum qui ius habet redimendi id quod frater eius neceſſitate compulſus vendiderat. Redemptor.

PROXIMVM,) redemptorem. Id eſt fratrem cui ius ſit redimendi quæ frater vendiderit.

COMPVTABVNTVR fructus ex eo tempore quo vendidit:) tunc numerabit annos venditionis ſuæ. Id eſt, à quo tempore vendidit agellum.

VT reddat pretium,) ſufficientiam reddendi illi. Id eſt, pecuniam ſufficientẽ qua ſatiſfacere poſſit emptori.

IN ipſo enim omnis venditio redibit ad dominum, & ad poſſeſſorem priſtinum.) & in iubileo egredietur, reuertetúrque ad poſſeſſionẽ ſuam. Id eſt, In anno iubilei agellus venditus egredietur de poſſeſſione eius qui emit, & reuertetur venditor ad eum agellum quem prius poſſidebat.

Qui vendiderit 'domum intra vrbis muros, habebit licentiam redimẽdi, 'donec vnus impleatur annus. ſi nõ redemerit, & anni circulus fuerit 'euolutus, emptor poſſidebit eam, & poſteri eius in perpetuum, & redimi non poterit, etiam in iubileo. 'Sin autẽ in villa fuerit domus, quæ muros non habet, agrorũ iure vendetur. ſi antè redempta non fuerit, in iubileo reuertetur ad dominum. 'AEdes Leuitarum quæ in vrbibus ſunt, ſemper poſſũt redimi: ſi redemptæ non fuerint, in iubileo reuertentur ad dominos, quia domus vrbium Leuitarum 'pro poſſeſſionibus ſunt inter filios Iſrael. 'Suburbana autẽ corũ non veneant, quia poſſeſſio ſempiterna eſt.

DOMVM intra vrbis muros,) domum habitationis in vrbe murata. ſiue, domum in qua habitat in vrbe cincta mœnibus.

DONEC vnus impleatur annus.) donec impleatur annus venditiõis eius: anno vno erit redemptio eius. Id eſt, ſpatio vnius anni redimi poterit.

EVOLVTVS,) Additur in Hebraico codice, Et fuerit domus illa in vrbe murata.

SIN AVTEM in villa &c. AEdes) Domus autẽ villarum quibus non eſt murus in circuitu, cum agello reputabuntur, redemptio erit eis, & in iubileo egredientur. AEdes &c. Id eſt, domus quæ fuerint in villis non cinctis muris, agrorum iure vendetur, redimique poterũt vt agri: & in iubileo egredientur de poſſeſſione

emptoris,reuertenturque ad venditorem.

AEDES Leuitarum &c. Quia domus) Et vrbium Leuitarum & domorum vrbium poſſeſſionis eorum æterna redemptio erit eis: & qui emerit à Leuitis, egredietur hæc venditio domus & vrbis poſſeſſionis eorũ in iubileo: quia domus &c.Id eſt,Leuitæ perpetuo redimere poterunt vrbes & domos à ſe venditas: & in anno iubileo emptio egredietur de manu emptoris.

PRO poſſeſſionibus) Deeſt pronomen EIS, datiuo caſu. Pro poſſeſſionibus eis ſunt inter filios Iſrael.

SVBVRBANA autem eorũ non veneant : quia poſſeſſio ſempiterna eſt.) Ager autem ſuburbii vrbium eorum non vendetur : quia poſſeſſio æterna eſt illis. Id eſt, Ager ille ſuburbii, non poterit vendi etiam à Leuitis: quia poſſeſſuri ſunt ſuburbana perpetuo. Agrũ ſuburbii vocat locum ſpatioſum extra vrbes, in quo Leuitæ pecora ſua conſeruabant. Chaldæus paraphraſtes vertit agrum ſpatioſum.

Si attenuatus fuerit frater tuus '& infirmus manu, & ſuſceperis eum quaſi aduenam & peregrinum,& vixerit tecum,ne accipias vſuras ab eo,nec amplius quàm dediſti.time Deum tuũ, vt viuere poſſit frater tuus apud te. 'Pecuniam tuam non dabis ei ad vſuram,& frugum ſuperabundantiam nõ exiges.'Ego Dominus Deus veſter, qui eduxi vos de Terra-AEgypti,vt darem vobis Terram-Chanáan,'& eſſem veſter Deus.

ET infirmus manu &c.Pecuniam) & nutauerit(vel,declinauerit) manus eius apud te, tunc apprehendes illum vt peregrinum & aduenam : viuétque apud te. Nec accipias ab eo vſuram & fœnus:ſed timebis Deum tuum,& viuet frater tuus apud te.Pecuniã &c. Quod ait,Si nutauerit ſiue declinauerit manus eius apud te vel tecum:ſignificat,ſi paupertate coactus fuerit petere opem à te. Alii interpretantur, ſi opes eius fuerint infirmæ. Apprehendere fratrem,pro iuuare facultatibus poſuit.Quidam pro eo quod vertimus,Vt peregrinum & aduenam: vertunt, tam peregrinum quàm aduenam. quaſi dicat, non ſolum fratrem tuum Iſraelitam pauperem iuuabis, ſed etiam peregrinum & aduenam qui ad paupertatem deuenerit.

Nutat manus eius apud te.

Apprehendere pauperem.

PECVNIAM tuam &c.Ego) Neque pecuniam tuam dabis illi ad vſuram,nec ad fœnus eſcam tuam.Ego &c.Eſt repetitio.

EGO Dominus) Qui ſcilicet hæc præcipio.

ET eſſem veſter Deus.) vt eſſem vobis in Deum.Id eſt,vt coleretis me.

'Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes ſeruitute famulorum : ſed quaſi mercenarius & colonus erit, vſque ad annum iubileum operabitur apud te.'Et poſtea egredietur cũ liberis ſuis, & reuertetur ad cognationem & ad poſſeſſionẽ patrum ſuorũ. Mei enim ſerui ſunt,'& ego eduxi eos de Terra-AEgypti.'non veneant conditione ſeruorum : 'ne affligas eum per potentiam,ſed metuito Deum tuum. 'Seruus & ancilla ſint vobis de nationibus quæ in circuitu

veſtro ſunt.'Et de aduenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra veſtra, hos habebitis famulos.'Et hæreditario iure tranſmittetis ad poſteros, ac poſſidebitis in æternum:'fratres autem veſtros filios Iſrael ne opprimatis per potentiam.

SI paupertate &c.Et poſtea) Cum in paupertatē inciderit frater tuus apud te,& vendiderit ſe tibi,non facies eum famulari famulatu ſeruili.Sed ſicut mercenarius & ſicut colonus erit apud te: vſque ad iubileũ ſeruiet apud te. Et poſtea &c.Id eſt,non abutêris eo tanquam ſeruo, non habebis illum pro ſeruo: verum tractabis illum tanquam mercenarium & colonum: vtêris eo tanquam mercenario & colono.

ET poſtea egredietur cum liberis ſuis,) Et egredietur à te Ipſe & filii eius cum eo. Donatus ſcilicet libertate à te,& ſui iuris.

ET ego eduxi) qui eduxi.

NON veneant conditione ſeruorum:) non vendentur venditione ſeruili. Id eſt,Propterea non poterunt vendi In ſeruos perpetuos.

NE affligas eum per potentiam,ſed metuito Deum tuum.) Non dominaberis ei duriter:ſed timebis tibi à Deo tuo.

SERVVS & ancilla ſint vobis de nationibus quæ in circuitu veſtro ſunt.) Seruus tuus & ancilla tua quos habebis,erunt de gentibus quæ in circuitu tuo ſunt: ex eis emeris ſeruos & ancillas. Id eſt,de gentibus tibi vicinis comparabis tibi ſeruos & ancillas,non autem de fratribus tuis Iſraelitis.

ET de aduenis &c.Et hæreditario) Et etiam de filiis aduenarum qui peregrinantur apud vos comparabitis vobis,(ſubaudi ſeruos & ancillas) & de familia eorum qui verſantur apud vos,quos progenerauerunt:eruntque vobis in poſſeſſionem.Et hæreditario &c.

ET hæreditario iure tranſmittetis ad poſteros, ac poſſidebitis in æternum:) Et dimittetis eos in poſſeſſionem filiis veſtris poſt vos,vt eos poſſideant:in æternũ ſeruire eos ſibi facient.Vel,vtentur eis ſeruis in æternum.

FRATRES autem veſtros filios Iſrael ne opprimatis per potentiam.) Nequis autem veſtrum dominetur regide(vel,duriter)fratribus ſuis filiis Iſrael.Id eſt Ne ſitis duri & acerbi erga fratres veſtros Iſraelitas.

'Si inualuerit apud vos manus aduenæ atque peregrini,'& attenuatus frater tuus 'vendiderit ſe ei,aut cuiquã de ſtirpe eius:poſt venditionem poteſt redimi:'qui voluerit ex fratribus ſuis,redimet eum,& patruus,& patruelis, & cõſanguineus,& affinis.Sinautem & ipſe potuerit, redimet ſe,ſupputatis dúntaxat annis à tempore venditionis ſuæ vſque in annum iubileũ: '& pecunia qua venditus fuerat,iuxta annorum numerum & rationem mercenarii ſupputata. Si plures fuerint anni qui remanent vſque ad iubileum, ſecundum hos reddet & 'pretium. 'Si pauci,ponet rationem cum eo iuxta annorum numerum, & reddet emptori quod reliquum eſt annorum,

quibus antè ſeruiuit mercedibus imputatis: non affliget eum violenter in conſpectu tuo. Quòd ſi 'per hæc redimi non potuerit, anno iubileo egredietur cum liberis ſuis. Mei enim ſunt ſerui, 'filii Iſrael, quos eduxi de Terra AEgypti. 'ego Dominus Deus veſter.

Aſſequitur eius manus.

SI inualuerit apud vos manus aduenæ atque peregrini,) Quòd ſi aſſequatur manus peregrini & aduenæ qui verſatur apud te. Id eſt, Si ad opes peruenerit, & diues effectus fuerit peregrinus qui in vrbe tua moratur.

ET attenuatus frater tuus) Hebraice additur, Qui apud illum manet.

VENDIDERIT ſe ei aut cuiquam de ſtirpe eius:) vendiderit ſe ei peregrino aut aduenæ qui apud te habitat, aut radici. Id eſt, viro primario familiæ aduenæ. Alii vertunt, Aut aduenæ conuerſo ad Iudaiſmum, cuius radix erat ex familia aduenæ, aut homini cuius maiores erant aduenæ.

QVI voluerit ex &c. Vſque in annum) aliquis de fratribus eius redimere poterit ipſum, aut patruus eius, aut filius patrui eius (vel, patruelis eius) aut aliquis de cognatione carnis eius, aut familia eius: aut aſſequetur manus eius (ſubaudi opes, id eſt, rurſum diteſcet) & redimet ſe. Supputabítque cum emptore ſuo ab anno quo ſe vendidit illi vſque in annum &c.

ET pecunia &c. Si plures) erítque pecunia venditionis eius ſecundum numerum annorum: iuxta dies mercenarii erit cum eo. Si plures &c. Id eſt, Comparabitur annis pecunia: & ſeruiet ei ea lege qua ſeruire ſolent mercenarii.

REDDET & pretium.) dabit pro redemptione ſua de pecunia venditionis ſuæ. In redemptione Iſraelitarum qui ſe alienigenis vendiderant, habebatur ratio operæ, quæ in ipſa redemptione æſtimabatur quanti æſtimari ex æquo & bono debebat. Pretium autem & merces operarum deducebatur de pretio redemptionis: & quod æſtimata opera emptitii Iſraelitæ reliquum erat, perſoluebatur ab eo emptori.

SI pauci &c. Quòd ſi) Quòd ſi parum reſtet ex annis vſque ad annū iubileū: tunc ponet rationem cum eo, & iuxta annorum numerum reddet pro redemptione ſua. Sicut mercenarius anni in annum erit cum eo: non dominabitur illi duriter. Quòd ſi &c. Iuxta annorum numerum, inquit: quibus ſcilicet eſt ſeruiturus. Mercenarium anni in annum, vocat mercenarium annuum.

PER hæc) Subaudi, quæ dicta ſunt. Vel, in illis annis.

FILII Iſrael) In codice Hebraico repetuntur hæc verba, Serui mei.

EGO Dominus &c.) qui ſcilicet hæc iubeo.

CAP. XXVI.

Exo.10.a. deu. 5.a. pſal.95.b.

NON facietis vobis 'idôlum & ſculptile, 'nec titulos erigetis, nec 'inſignem lapidem ponetis in Terra veſtra, 'vt adoretis eum. ego enim ſum Dominus Deus veſter. Cuſtodite ſabbatha mea, &'pauete ad ſāctuariū meum. ego Dominus. ‖Si in 'præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus ſuis, & terra gignet germen ſuum, '& pomis arbores replebuntur.

Deut.28.a.

NON facietis) Ne faciatis.

IDOLVM) idola.Pluraliter.

NEC titulos erigetis,) nec ſt tuam erigatis vobis.Vel,columnam, ſuper quã collocetur ſculptile.Aut lapidem ſuper quo fiant ſacrificia: vt in Deuteronomio capite XIIII habetur.

INSIGNEM lapidem) lapidem imaginis.Id eſt, imaginem lapideam. Vel,Lapidem picturæ,id eſt,pictum.Chaldæus paraphraſtes vertit, Lapidem adorationis. Id eſt,ſuper quo adoretis.

VT adoretis eum.) Vel,vt incuruetis vos ante illum.

PAVETE ad ſanctuarium meũ.) Præpoſitio AD,non legitur in antiquis codicibus S.Dionyſii,& lato S. Germani. Hebraice legitur,Timete ſanctuariũ meũ. Id eſt,cũ ſumma reuerentia verſemini in ſanctuario meo.ſumma reuerentia perſequimini locum illum in quo habito,non templum idolorum.Refertur ad ſacerdotes:aut ſanctuarium pro atrio ponitur.

PRAECEPTIS) ſtatutis.Vel,legibus.Id eſt,ſi leges meas obſeruaueritis.

ET pomis arbores replebuntur.) & arbores quæ in agro ſunt, dabunt fructum ſuum.

'Apprehendet meſſium tritura vindemiam,& vindemia occupabit ſementem:& comedetis panem veſtrum in ſaturitate, & ‖abſque pauore habitabitis in terra veſtra.Dabo pacem in finibus veſtris: dormietis,& non erit qui exterreat.Auferam malas 'beſtias: & gladius non tranſibit 'terminos veſtros. Perſequemini inimicos veſtros,& corruent coram vobis.perſequentur quinque de veſtris centum alienos, & centum de vobis decem millia:'cadent inimici veſtri gladio in cõſpectu veſtro.Reſpiciam vos,& creſcere faciam: 'multiplicabimini,& firmabo pactum meum vobiſcum. Comedetis 'vetuſtiſſima veterum,& vetera nouis ſuperuenientibus 'proiicietis.'Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & 'nõ abiiciet vos anima mea. ‖'Ambulabo inter vos, & 'ero Deus veſter, vóſque eritis populus meus.Ego Dominus Deus veſter,qui eduxi vos de Terra-AEgyptiorum, ne ſeruiretis eis,& qui cõfregi 'catenas ceruicũ veſtrarũ,'vt incederetis erecti.

Iob.11.d

2.Corint.6.d.

APPREHENDET meſſium tritura vindemiã,) Occupabit vobis tritura vindemiam.Vel,apud vos.Id eſt trituræ tempus durabit vſque ad tempus vindemiæ: & vindemiæ tempus durabit vſque ad tempus trituræ. Hoc eſt,maximam ubertatem agrorum & vitium conſequemini:& hoc in gratiam veſtri.

BESTIAS) Adde ex Hebræo, De regione veſtra.

TERMINOS veſtros.) per regionem veſtrã.Id eſt,nullo bello opprimemini.

CADENT) & cadent.

MVLTIPLICABIMINI, & firmabo &c.) multiplicabo vos,& ratum faciã pactum quod pepigi vobiſcum.Id eſt,Multiplicabo vos ſicut ſtellas cæli, ſecundũ quod pollicitus ſum.

cc.ii.

VETVSTISSIMA veterum,) vetus inueteratum. Intelligitur de fructibus, qui in longum tempus conſeruantur,& adhuc bonum habent ſaporem.

PROIICIETIS.) educetis.Id eſt,educetis vetera ex horreis,vt inducatur noua in ea.

Ponere tabernaculum. PONAM tabernaculum &c.) Id eſt,Semper fauebo vobis, ſemper adero vobis,ſemper ero vobis præſens.

NON abiiciet) non abominabitur.Vel,execrabitur.Id eſt, non erit mihi moleſtum habitare apud vos.

AMBVLABO inter vos,) quaſi dicat,Si vertatis ſolum,ego quoque vertam.

ERO Deus veſter,) Quaſi dicat,à me omnia bona expectate.

Catenas ceruicũ confringere. CATENAS ceruicum veſtrarum,) lora iugi veſtri.Id eſt,aſſerui vos ex ſeruitute in libertatem. Metaphora à iumentis ferentibus iuga.

VT incederetis erecti) & feci vos incedere erecta fronte. Id eſt,feci vt ambularetis erecti.Qui triſtes ſunt,vultum demittunt: contrà hilares caput attollunt.

Deut.28 b. thren.2.f. malach.2.a. ‖Quòd ſi non audieritis me,nec feceritis omnia mandata mea,'ſed ſpreueritis leges meas,& iudicia mea contempſeritis vt non faciatis 'ea quæ à me cõſtituta ſunt, & ad irritum perducatis pactũ meum, ego quoque hæc faciam vobis,'Viſitabo vos velociter in egeſtate & ardore,qui conficiat oculos veſtros,& conſumat animas veſtras. Fruſtra ſeretis ſementem, quæ ab hoſtibus deuorabitur. 'Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hoſtibus veſtris, & ſubiiciemini his qui oderunt vos: fugietis nemine perſequente. Sinautem 'nec ſic obedieritis mihi,addam correptiones veſtras 'ſeptuplum propter peccata veſtra, & conteram ſuperbiam 'duritiæ veſtræ. Dabóque vobis 'cælum déſuper ſicut ferrum, & terram æneam.Conſumetur incaſſum labor veſter,non proferet 'terra germen,'nec arbores poma præbebunt.

SED ſpreueritis) & ſi abominabimini. Antiquiores Latini codices S.Dionyſii & Germani, legunt SI. Vetus exemplar S.Victoris legit, præpoſita coniunctione, ET SI.

EA quæ à me conſtituta ſunt,) omnia præcepta mea.

VISITABO vos &c. Fruſtra) Indueam ſuper vos turbationem cum tabe & febri ardente,conſumentibus oculos & torquentibus animam veſtrā:Fruſtra &c. Id eſt,reddam vos obnoxios perturbationi & tabi,ſeu phthiſi.

PONAM faciem meam contra vos,) Vel,ponam iram meā in vos.Id eſt, grauiſſime iraſcar in vos.Ira maxime indicatur vultu: vnde vultum pro ira vſurpant Hebræi.

NEC ſic) nec vſque ad hæc.Vel, per hæc.

Septuplum. SEPTVPLVM) Hebraiſmus eſt,Septuplum,ſeptem vicibus,id eſt,grauiſſimis pœnis afficiam vos.

DVRITIAE veſtræ.) Fortitudinis veſtræ.Vel,roboris veſtri.Id eſt,vires veſtras quibus gloriamini.

CAELVM déſuper ſicut ferrum,& terram æneã.) Id eſt, aer ipſe non vertetur poſthac in pluuiam: & terra veſtra non dabit fructum ſolitum. Cælum ferreum.

TERRA germen,) terra veſtra germen. Terra ænea.

NEC arbores poma præbebunt.) nec arbores regionis veſtræ proferent fructum ſuum.

'Si ambulaueritis ex aduerſo mihi,nec volueritis audire me,'addam plagas veſtras vſque in ſeptuplum propter peccata veſtra: emittámq; in vos 'beſtias agri, 'quæ conſumant vos,& pecora veſtra,& ad paucitatẽ cuncta redigant,deſertæque fiant viæ veſtræ. Quòd ſi 'nec ſic volueritis recipere diſciplinã, ſed ambulaueritis 'ex aduerſo mihi: ego quoque 'contra vos aduerſus incedam, & 'percutiam vos ſepties propter peccata veſtra, inducámque ſuper vos'gladium vltorem fœderis mei.Cúmque confugeritis in 'vrbes, mittam peſtilentiam in medio veſtri,& trademini in manibus hoſtium: poſtquam confregero 'baculum panis veſtri, ita vt decem mulieres 'in vno clibano coquant panes,& reddant eos ad põdus,& comedetis,& non ſaturabimini.

SI ambulaueritis ex aduerſo mihi,) Quòd ſi ambulaueritis mecum cũ caſu. Hebraiſmus eſt,pro,Si dixeritis,quæ à me vobis dantur,caſu ſiue fortuna accidere,non à me,Si caſui attribueritis quæ mihi attribuenda ſunt. Ambulare cũ Deo cũ caſu. Caſus.

ADDAM plagas veſtras vſque in ſeptuplum propter peccata veſtra:) addam ſuper vos plagam vſque ad ſeptuplum (vel, ſeptem vicibus) iuxta peccata veſtra. Id eſt, multiplicabo plagas veſtras,ſeptuplóque grauiores pœnas immittã in vos. Septuplum

BESTIAS agri,) Id eſt,feras truculentas.

QVAE conſumant vos,&c. Quòd ſi) quæ orbabunt vos,& tollent de medio iumenta veſtra,& pauciores reddent vos: deſolabũtúrque viæ veſtræ.Quòd ſi &c. Id eſt,deuorabunt filios veſtros, & iumenta veſtra, plurimóſque veſtrum deuorabunt,& vias publicas metu ferarum inſiſtere & terere non audebitis.

NEC ſic volueritis recipere diſciplinam,) Vel, nec ſic reſipueritis.

EX aduerſo mihi:) mecum in caſu. Id eſt, Si attribueritis caſui ſiue Fortunæ quod mihi tribuendum eſt.

CONTRA vos aduerſus Incedam,) ambulabo vobiſcum in caſu. Id eſt,Non curabo vos vltra: Ita vobiſcum agam,vt videantur omnes res veſtræ caſu accidere.Si ſentiatis me mortalia non curare,ego profecto res veſtras non curabo.

PERCVTIAM vos ſepties) Id eſt,ſeptuplo grauius puniam vos.

GLADIVM vltorem fœderis mei.) Id eſt,hoſtes qui vlciſcentur fœdus meum quod fregeritis.

VRBES,) vrbes veſtras.

BACVLVM panis) Id eſt,Cum laborabitis extrema penuria annonæ,Vbi panis auxilio vos defraudauero,quo tanquam ſcipione innitimini. Baculus panis

IN vno clibano) Id eſt,tanta erit penuria vt decem familiis ſufficiat clibanus vnus,idémque exiguus. Clibanus.

Sinautem nec per hæc audieritis me,'ſed ambulaue-

ritis contra me: & ego incedam aduerſus vos in furore contrario, & corripiam vos 'ſeptem plagis propter peccata veſtra: ita vt comedatis carnes filiorum veſtrorum & filiarum veſtrarum. Deſtruam excelſa veſtra, & 'ſimulachra confringam. 'Cadetis inter ruinas idolorum veſtrorum, & abominabitur vos anima mea, intantum vt vrbes veſtras redigam in ſolitudinem, & deſerta faciā 'ſanctuaria veſtra, 'nec recipiam vltrà odorem ſuauiſſimum. Diſperdámque terram veſtram, & ſtupebūt ſuper ea inimici veſtri, cum habitatores illius fuerint. Vos autem diſpergam in Gentes, & euaginabo poſt vos gladium, erítque terra veſtra deſerta, & ciuitates veſtræ dirutæ. Tunc 'placebunt Terræ ſabbatha ſua cunctis diebus ſolitudinis ſuæ: quando fueritis in terra hoſtili, ſabbathizabit, & 'requieſcet in ſabbathis ſolitudinis ſuæ, eo quòd non requieuerit in ſabbathis veſtris quando habitabatis in ea. Et qui de vobis remanſerint, dabo 'pauorē in cordibus eorum in regionibus hoſtium, 'terrebit eos ſonitus folii volantis, & ita fugient quaſi gladiū: cadēt nullo perſequente, & corruent ſinguli ſuper fratres ſuos 'quaſi bella fugientes, nemo veſtrū inimicis audebit reſiſtere. Peribitis inter Gentes, & hoſtilis vos terra conſumet.

SED ambulaueritis contra me: & ego incedam aduerſus vos in furore contrario,) ſed ambulaueritis mecum in caſu, tunc ambulabo vobiſcum in ira caſus. Hoc eſt, Si tribueritis adhuc Fortunæ quod mihi erat tribuendum: puniam ego vos ira grauiſſima, quæ non videbitur proficiſci à me, ſed à caſu quem colitis.

Ira caſus ſeu fortunæ.

SEPTEM plagis) Vel, ſeptem modis. Id eſt, multis modis.

Septem plagis.

SIMVLACHRA) Addendum pronomen VESTRA. ita legitur in paruo exemplari S. Germani.

CADETIS inter ruinas idolorum veſtrorum,) Ponam cadauera veſtra ſuper cadauera idolorum veſtrorum.

SANCTVARIA) templa.

NEC recipiam vltra odorem ſuauiſſimum.) nec olfaciam odorem quietis veſtræ. Id eſt, Non olfaciam odorem illum fragrantiſſimum qui eſt ex ſacrificiis veſtris: non placabor odoribus incenſis à vobis.

PLACEBVNT terræ) adimplebit Terra. Hoc eſt, tunc Terra veſtra fruetur quiete ſua toto illo tempore quo erit deſolata, vobis habitantibus in terra inimicorum veſtrorum.

REQVIESCET in ſabbathis ſolitudinis ſuæ, eo quòd non quieuerit) & perficiet ſabbatha ſua. Cunctis diebus quibus deſolata fuerit, requieſcet, quæ non re-

quieuit in ſabbathis &c.

PAVOREM) teneritudinem. Vel, mollitiem in animos eorum. Id eſt, reddã eos effœminatos & molles.

TERREBIT eos ſonitus folii volantis, & ita fugient quaſi gladiũ.) perſequeturque eos ſonus folii impulſi, & fugient fugam gladii. Id eſt, ſtrepitus frodis agitatæ vento, coget eos terga dare perinde ac ſi hoſtes perſequerentur illos.

QVASI bella fugientes,) tanquam à facie gladii, nemine tamen perſequẽte.

HOSTILIS vos terra conſumet.) Id eſt, in regione inimicorum veſtrorum peribitis.

Quòd ſi & 'de iis aliqui remanſerint, tabeſcent 'in iniquitatibus ſuis, in terra inimicorum ſuorum, & propter peccata patrum ſuorum '& ſua affligentur: 'donec confiteantur iniquitates ſuas, & maiorum ſuorum 'recordentur, quibus præuaricati ſunt in me, '& ambulauerunt ex aduerſo mihi. 'Ambulabo igitur & ego cõtra eos, & inducam illos in terram hoſtilem, 'donec erubeſcat incircunciſa mens eorum: tunc orabunt pro impietatibus ſuis. Et recordabor fœderis mei quod pepigi cum Iacob, & Iſaac, & Abraham.

DE iis) de vobis.

IN iniquitatibus ſuis, in terra) propter iniquitates ſuas, in terris &c.

ET ſua affligentur:) vnà cum illis liquefient. Vel, tabeſcent.

DONEC confiteantur) Et confitebuntur.

RECORDENTVR) hæc dictio hoc loco Hebraice non legitur: neque in Cõplutenſi & Moguntinenſi editione, neque in vetuſtioribus ſcriptis exemplaribus Latinis S. Dionyſii & Germani.

ET ambulauerunt ex aduerſo mihi.) & etiam quòd ambulauerunt mecum in caſu. Id eſt, quòd tribuerunt Fortunæ ea quæ mihi tribuenda erant.

AMBVLABO igitur & ego contra eos,) Etiam quòd ego ambulauerim cum eis cum caſu. Subaudi ruſum, confitebuntur. Id eſt, confitebuntur etiam vnà cũ illis quòd ego dimiſerim illos propter peccata ſua, quum permittã ita omnia fieri vt fortuito videantur geri.

DONEC erubeſcat incircunciſa mens eorum: tunc orabunt pro impietatibus ſuis.) & vel tunc humiliabitur cor eorum incircunciſum: & tunc æquo animo ferent pœnas quas dabũt propter iniquitates ſuas. Ad verbum Hebraice legitur, Et tunc amabunt iniquitatẽ ſuã. Id eſt, nõ grauiter ferent pœna quam pro iniquitate ferent. Sunt qui pro amabũt, legãt, exoluent pœnas propter iniquitatẽ ſuã. Alii, Tunc rogabunt pro iniquitate ſua. Incircunciſum cor, pro improbo ponit. Incircunciſũ cor.

'Terræ quoque memor ero: quæ cum relicta fuerit ab eis, 'complacebit ſibi in ſabbathis ſuis, patiens ſolitudinẽ propter illos. Ipſi verò rogabunt pro peccatis ſuis, eo quòd abiecerint iudicia mea, & leges meas 'deſpexerint. 'Attamen etiam cum eſſent in terra hoſtili, 'non penitus abieci eos, neque ſic deſpexi vt conſumerentur, &

irritum facerem pactum meum cum eis: ego enim ſum Dominus Deus eorum. Et recordabor fœderis mei priſtini, quando eduxi eos de Terra-AEgypti in conſpectu Gentium, vt eſſem Deus eorum. ego Dominus Deus. Hæc ſunt iudicia atque præcepta & leges, quas dedit Dominus inter ſe & inter filios Iſrael in mõte Sinai per manum Moyſi.

TERRAE) Vel, Regionis.

COMPLACEBIT ſibi &c. eo quòd) & perficiet ſabbatha ſua cum erit deſolata propter ipſos: ipſi vero exoluent pœnas propter iniquitatem ſuam. Vel, vt paulo antè vertimus, AEquo animo ferent pœnas ſibi à Deo immiſſas. Alii vertũt vt vertit noſter interpres, Rogabunt pro peccatis ſuis.

DESPEXERINT) abominata fuerit anima eorum. Id eſt, propterea quòd animus eorum abhorruerit à legibus meis.

ATTAMEN etiam) Et etiam iſtud. Subaudi, accidit. Hoc quoque contigit.

NON penitus abieci eos &c Ego enim) non ſpreui eos, neque abominatus ſum eos vt illos conſumerem, irritum faciendo pactum meum cum eis. ego enim &c. Pro, conſumerem: verti poteſt, internecioni darem.

ET recordabor fœderis mei priſtini, quando eduxi) Ego in gratiam illorum recordabor pacti maiorum, qui eduxi &c. Id eſt, pacti quod iniui cum maioribus ipſorum.

DEVS eorum.) illis in Deum. Id eſt, vt haberent me pro Deo.

EGO Dominus Deus.) Hoc loco DEVS non legitur Hebraice, neque in Paruo exemplari ſcripto Latino S. Germani.

IVDICIA atque præcepta) decreta & iudicia.

CAP. XXVII.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen, dicẽs; Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos, Homo qui votũ fecerit, & ſpoponderit Deo animam ſuam, ſub æſtimatione dabit pretium. Si fuerit maſculus à viceſimo anno vſque ad ſexageſimum annum, dabit quinquaginta ſiclos argenti ad menſuram ſanctuarii: ſi mulier, triginta. A quinto autem anno vſque ad viceſimum, maſculus dabit viginti ſiclos: fœmina decem. Ab vno menſe vſque ad annum quintum, pro maſculo dabuntur quinque ſicli: pro fœmina tres. Sexagenarius & vltrà maſculus dabit quindecim ſiclos: fœmina decem.

HOMO qui &c. Si fuerit) Vir quum ſeparauerit votum, iuxta æſtimationem tuam, animarum Domino. Id eſt, quum quis nuncupauerit votum aliquod Deo, quum quis vouerit aliquid Deo, iuxta æſtimationem tuam ô ſacerdos (alloquitur enim ſacerdotes) æſtimabitur votum animarum quod factum eſt Domino. Votum animarum vocat, votum quo quis animam, hoc eſt, perſonam aliquam Domino vouerit.

Votum animarum.

SI fuerit maſculus) Erit autem æſtimatio tua pro maſculo &c. Vel, Si fuerit maſculus, iſtud pretium conſtitues. Id eſt, Erit autem pretium quod tu cõſtitues ô ſacerdos: conſtitues vt omnes maſculi, à viceſimo anno vſque ad ſexageſimum qui fecerint votum, dent quinquaginta &c.

AD menſuram ſanctuarii:) ad ſiclum ſanctuarii. Id eſt, ad rationem ſicli ſancti. Siclus ſanctuarii valebat viginti obolos: prophanus vero decem tantum. Siclus.

A quinto autem anno &c.) Id eſt, Si mas aſſecutus fuerit quinque annos & viginti non exceſſerit. &c.

'Si pauper fuerit, & 'æſtimationem reddere non valebit, ſtabit coram ſacerdote: & quantum ille æſtimauerit, & viderit eum poſſe reddere, tantũ dabit. 'Animal autẽ quod immolari poteſt Domino, ſiquis vouerit, ſanctum erit, & mutari nõ poterit, id eſt nec melius malo, nec peius bono. quòd ſi mutauerit: & ipſum quod mutatũ eſt, & illud pro quo mutatum eſt, conſecratum erit Domino. 'Animal immundum quod immolari Domino non poteſt, ſiquis vouerit, adducetur ante ſacerdotẽ: qui diiudicans vtrum bonum an malum ſit, ſtatuet pretium. quòd ſi dare voluerit is qui offert, addet ſuper æſtimationem quintam partem. 'Homo ſi vouerit domum ſuã, & ſanctificauerit Domino, cõſyderabit eam ſacerdos vtrũ bona an mala ſit: & iuxta pretium quod ab eo fuerit conſtitutum, venundabitur. ſin autem ille qui 'vouerat, voluerit redimere eam, 'dabit quintam partem æſtimationis ſupra, & habebit domum.

SI pauper fuerit &c. Animal) Quòd ſi egentior fuerit quàm vt æſtimationem tuã perſoluere poſſit, tunc ſtatuet eũ coram ſacerdote, & æſtimabit illũ ſacerdos: ſecundũ quod apprehendit manus vouentis, æſtimabit eũ ſacerdos. Animal &c. Perſonæ ſæpe mutantur ab Hebræis, antecedénſque pro relatiuo frequẽter ponitur, vt hic vides: ſacerdotẽ alloquitur: & ſtatim cõuertitur ad tertiam perſonam. Latinè dicendũ eſſet, Tunc ſtatues eum coram te, & æſtimabis eum pro facultatibus ipſius, ſecundum quod perſoluere poter.t. Perſonæ mutatio.

ANIMAL autem quod immolari poteſt Domino, ſiquis vouerit,) Quòd ſi animal fuerit de cuius genere ſolent ſacrificare Domino: omne quod dabit de eo Domino &c. Vetus oblongum exemplar & paruum S. Germani Latinum legit, Siquis vouerit Domino.

ANIMAL immũdum &c. Homo) Quòd ſi quamlibet beſtiam immundã vouerit de qua non ſolent offerre Domino oblationem: tunc ſtatuet beſtiam corã ſacerdote, & æſt:mabit eã ſacerdos, ſiue bona ſit, ſiue mala: (id eſt, qualis qualis ſit) ſecundum æſtimationem tuam ô ſacerdos ſic erit. (id eſt, perſoluet pretium quod conſtitueris.) Quòd ſi redimere voluerit illam: addet quintam eius partem vltra pretium quod conſtituiſti. Homo &c. Vetera Latina exemplaria S. Victoris, & Germani legunt, Animal autem immundum &c.

HOMO ſi &c.& iuxta) Vir autem quum voto dederit domum ſuam ſanctitatem Domino, æſtimabit illam ſacerdos ſiue bona ſit ſiue mala. Id eſt, Cum autē aliquis conſecrauerit domū ſuam Domino, æſtimabit &c.

VOVERAT) conſecrauerit.

DABIT quintam &c.) addet quintam partē pretii à te conſtituti vltra illud, & recipiet illam.

Quòd ſi agrum poſſeſſionis ſuæ vouerit, & conſecrauerit Domino: iuxta menſuram ſementis æſtimabitur pretium. 'ſi triginta modiis hordei ſeritur terra, quinquaginta ſiclis venundetur argenti. 'Si ſtatim ab anno incipientis iubilei vouerit agrum, quanto valere poteſt, tanto æſtimabitur. 'ſinautē poſt aliquantū temporis: 'ſupputabit ſacerdos pecuniam iuxta annorū, qui reliqui ſunt, numerum, vſque ad iubileum, & detrahetur ex pretio. Quòd ſi voluerit redimere agrum ille qui vouerat, addet quintam partem 'æſtimatæ pecuniæ, & poſſidebit eā. Sinautem noluerit redimere, ſed alteri cuilibet 'fuerit venundatus, 'vltrà eum qui vouerat redimere non poterit: 'quia cum iubilei venerit dies, ſanctificatus erit Domino, & poſſeſſio conſecrata ad ius pertinet ſacerdotū.

QVÒD ſi agrum &c. Si triginta) Quòd ſiquis de agro hæreditario aliquam partem conſecrauerit Domino: æſtimabis illum ſecundum ſementem eius. Si triginta &c. Id eſt, iuxta fertilitatem eius agri, pones pretium eius: habebis rationem & bonitatis eius & quantitatis.

SI triginta modiis hordei ſeritur terra, quinquaginta ſiclis venūdetur argenti.) ſementis cori hordei, quinquaginta ſicli argentei. Id eſt, quinquaginta ſiclis argenti æſtimabitur corus ſemētis. Hoc eſt, pro ſingulis coris dabit quinquaginta ſiclos
Corus. argenteos. Gomer, ſiue Homer, idem eſt quod corus. Habet autē corus decem menſuras ephi, quæ triginta faciunt ſata.

SI ſtatim ab anno &c.) Si ab anno iubilei conſecrauerit agrum ſuum: iuxta pretium tuum ſtabit. Id eſt, iuxta pretium à te conſtitutum, reuertetur ager ille ad eum qui conſecrauit.

SINAVTEM poſt aliquantum temporis:) Si verò poſt iubileum conſecrauerit agrum ſuum.

SVPPVTABIT) Addendum, Cum eo, hoc modo, Supputabit cum eo.

AESTIMATAE pecuniæ, & poſſidebit eam.) ſummæ à te conſtitutæ, vltra eam: & confirmabitur ei. Id eſt, recipiet agrum ſuum. Vetera exemplaria Latina S. Germani, Dionyſii & Victoris, legūt EVM maſculino genere: refert enim agrū.

FVERIT venundatus:) Subaudi, à ſacerdote.

VLTRA, eum) Scilicet agrum. Hoc loco aduerbium eſt VLTRA.

QVIA quum iubilei &c.) ſed erit ager ille quū egredietur in iubileo, ſanctus Domino, vt ager anathematis: ſacerdos eum poſſidebit. Id eſt, Cum ager ille egredietur de poſſeſſione ementis in anno iubileo, erit ſacratus Domino ſicut ager Deo deuotus ex manubiis, aut pro redimēda culpa: ſacerdos poſſidebit eū agrum iure hæreditario.

'Si ager emptus eſt,& non de poſſeſſione maiorũ,'ſanctificatus fuerit Domino:'ſupputabit ſacerdos iuxta annorum numerum vſque ad iubileum, pretium: & dabit ille qui vouerat eum, Domino. in iubileo autem reuertetur ad priorẽ dominum qui vendiderat eum,& habuerat in ſorte poſſeſſionis ſuæ. 'Omnis æſtimatio ſiclo ſanctuarii ponderabitur. ‖Siclus viginti obolos habet. Exo.30.b. nu.

'Primogenita quæ ad Deũ pertinẽt,nemo ſanctificare poterit & vouere,ſiue bos,ſiue ouis fuerit:Domini ſunt. 'Quòd ſi immũdũ eſt animal, redimet qui obtulit iuxta æſtimationẽ ſuã,&addet quintã partẽ pretii. ſi redimere noluerit,vẽdetur alteri quãtuncũq;fuerit antè æſtimatũ. mer.3.g.ezec. 45.d.

SI ager emptus eſt,& non &c.) Legendum,Si ager emptus,& non &c.Sine verbo ſubſtantiuo EST. atque ita legitur. in vetuſtioribus codicibus ſcriptis S. Dionyſii,Germani,& Victoris.

SANCTIFICATVS) Vel,conſecratus.

SVPPVTABIT &c.) ſupputabit pro illo ſacerdos ſummam pretii à te conſtituti vſque ad annũ iubileũ,& dabit æſtimationẽ tuam die illa, ſacratũ Domino. Per appoſitionẽ dictum,ſacratum Domino:pro, quod quidem pretiũ ſacrabitur Domino. Tertiã autem perſonam pro ſecunda poſuit, Tu ſacerdos ſupputabis.

OMNIS æſtimatio ſiclo ſanctuarii ponderabitur.) Omnis autẽ æſtimatio tua, (ô ſacerdos) conſtituetur ad rationem ſicli ſanctuarii.

PRIMOGENITA quæ ad Deum pertinent,) veruntamen primogenita quæ iure primogenituræ pertinent ad Dominum in genere iumentorũ. In vetuſtioribus Latinis codicibus S.Dionyſii & Germani legitur Ad Dominum.

QVÒD ſi immundum &c.Omne) Quòd ſi fuerit(ſub.votum)ex animalibus immundis, redimere poterit iuxta pretium à te conſtitutum: ſed addet quintam partem eius vltra eam.quòd ſi non redimetur,vendetur iuxta pretium à te impoſitum.In oblongo & paruo exemplari S.Germani ſcripto legitur Iuxta æſtimationem tuam.per pronomen ſecundæ perſonæ.

‖'Omne quod Domino cõſecratur,ſiue homo fuerit, ſiue animal, ſiue ager, non veniet, nec redimi poterit. 'Quicquid ſemel fuerit conſecratũ,ſanctũ ſanctorũ erit Domino.'Et omnis cõſecratio quæ offertur ab homine, nõ redimetur,ſed morte morietur. Omnes decimæ terræ,'ſiue de pomis arborũ,ſiue de frugibus,Domini ſunt, & illi ſanctificantur. Siquis autẽ voluerit redimere decimas ſuas,addet quintã partẽ 'earũ.Omniũ decimarũ bouis & ouis '& capræ, 'quæ ſub paſtoris virga tranſeunt, quicquid decimũ venerit, ſanctificabitur Domino.'Nõ eligetur nec bonum nec malum, nec altero commuta- Ioſue 6.c.d.

bitur. ſiquis mutauerit: & quod mutatum eſt, & pro quo mutatũ eſt, ſanctificabitur Domino, & non redimetur. Hæc ſunt præcepta quæ 'mandauit Dominus Moyſi 'ad filios Iſrael in monte Sinai.

Anáthema. OMNE quod Domino conſecratur,) Verũ omne anáthema quod cõſecrabit
חֵרֶם quis Domino ex omnibus quæ habet. Vox Hebræa HEREM, pro qua anáthema tranſtulimus, locum habet quum ex pacto internecionis hoſtium, aut ex conditione euerſionis alicuius vrbis, homines, aut ſpolia deuouebantur Deo. Num. 21.
חָרַם Iudic. 11. Ioſ. 6. Deut. 12. HEREM deducitur ab HARAM, Id eſt, occidit, euertit, deſtruxit. Hoc enim votum fere concipiebatur ab Iſraelitis, ſub internecionis vel euerſionis conditione. vt, Si Ammonitas deuicero, eum qui mihi primus occurrerit, tibi offeram in holocauſtum.

QVICQVID ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino.) Nam omne anáthema eſt conſecratum Domino.

ET omnis conſecratio quæ offertur ab homine,) Omne anáthema quod conſecratum fuerit de hominum genere.

SIVE de pomis arborum, ſiue ab frugibus,) ſiue de frugibus terræ, ſiue de fructu arborum. Sic etiam legitur in vetuſtis Latinorum codicibus S. Germani, Dionyſii & Victoris.

EARVM.) ſuper eam. Vel, 'vltra pretium.

ET capræ,) In codice Hebraico nulla mentio fit caprarum, neque in editione Complutenſi.

QVAE ſub virga paſtoris tranſeunt,) quæ tranſeunt ſub virga. Subaudi, paſtoris. Id eſt, quæ reguntur & cuſtodiuntur à paſtoribus.

NON eligetur &c.) Id eſt, non fiet diſcrimen inter pingue & macilentũ: non ſeliget qui dabit decimam: ſed quod ſorte contigerit dabit.

MANDAVIT) præcepit.

AD filios Iſrael) pro filiis Iſrael. Id eſt, vt illa exponeret filiis Iſrael.

Annotationes in librũ

NVMERORVM.

NVMERI, HEBRAICE VAIEDABBER.

Quartum hunc librum Moyſi Græci inſcripſerunt Ἀριθμοὺς, Latini Numeros, quòd in ipſa libri fronte Moyſes & Aaron ineant numerum populi Iſraelitici, idque tributim. Hebræi vero, vt ſuperioribus tribus libris, ita huic quoque à prima dictione impoſuerunt nomen VAIEDABBER, id eſt, Locutus eſt autem. וַיְדַבֵּר

CAP. I.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen 'in deſerto Sinai, 'in tabernaculo fœderis, prima die 'mēſis ſecundi, anno altero egreſſionis eorum ex AEgypto, dicens, ¶Tollite 'ſummam vniuerſæ cōgregationis filiorum Iſrael per cognationes '& domos ſuas, '& nomina ſingulorũ, quicquid ſexus eſt 'maſculini à viceſimo anno & ſuprà, 'omnium virorum fortium ex Iſrael, & numerabitis eas per turmas ſuas, tu & Aaron. 'Eruntque vobiſcum principes tribuum ac domorum in cognationibus ſuis, quorum iſta ſunt nomina, 'De tribu Rubē, Eliſur filius Sedeur. de tribu Simeon, Salamiel filius Suriſaddái. de tribu Iuda, Nahaſſon filius Aminadab. de tribu Iſſachar, Nathanael filius Suar. de tribu Zabûlon, Eliab filius Helon. Filiorum autem Ioſeph, de tribu Ephráim, Eliſama filius Ammiud. de tribu Manaſſe, Gamaliel filius Phadaſſur. De tribu Ben-iamin, Abidan filius Gedeônis. de tribu Dan, Ahi-ézer filius Ammiſaddái. de tribu Aſer, Phegiel filius Ochran. de tribu Gad, Eliaſaph filius Duel. de tribu Nephthali, Ahira filius Enan. Exod. 30. b.

LOCVTVSQVE eſt Dominus) Locutus eſt Dominus. Litera Hebraica Vau, pro qua interpres vertit QVE coniunctionem: hoc loco non copulat, ſed tantum vertit futurum in præteritum.

IN deſerto Sinai,) Id eſt, in deſerto quod adiacet monti Sinai. Deſertum Sinai.

IN tabernaculo) in tentorio. Vel potius de tabernaculo.

MENSIS ſecundi,) Secundus menſis Hebræorum reſpondet noſtro Aprili: & primus, Martio. Secundus mēſis.

ראש SVMMAM) Vox Hebraica ROS, ſignificat hic ſummam, id eſt breuem multorum numerorum complexionem. Chaldæus paraphraſtes vertit numerum.

ET domos ſuas,) & domos patrum eorum. Id eſt, per familias paternas.

ET nomina ſingulorum,) iuxta numerum nominum. Chaldæus paraphraſtes addidit pronomen EORVM: Iuxta numerum nominum eorum.

MASCVLINI) Addendum ex Hebræo, per capita eorum. Id eſt, Per ſingula capita: hoc eſt viritim.

Egredi ad bellum.

OMNIVM virorum fortium ex Iſrael, & numerabitis eas) quotquot egredi poſſunt ad bellum in Iſrael, numerabitis eos &c. Id eſt, quotquot obire poſſunt militiam. In oblongo S. Dionyſii codice, & tribus S. Germani, in Victorino quoque, & Baſilienſi editione legitur, numerabitis eos, maſculino genere.

ERVNTQVE vobiſcum &c.) Eruntque vobiſcum viri de ſingulis tribubus, quorum quilibet caput ſit familiæ patrum ſuorum. Id eſt, iuxta numerum tribuum accipietis viros qui ſint primores in domo paterna.

DE tribu Ruben,) Ablatiuus TRIBV, nō legitur Hebraice, ſicut neque in antiquioribus Latinis codicibus S. Dionyſii, Victoris, & Germani, neque in editione Baſilienſi. ſubauditur tamen. quaſi dicat, De tribu Ruben, ſubaudi vobiſcum erit Eliſur: id eſt, Eliſur præerit tribui Ruben. In ſequentibus ſimiliter, ablatiuus tribu non legitur in codicibus Hebraicis, neque in Latinis vetuſtioribus. Notandū autē ex hoc loco, & aliis, Hebræos cognominis loco vti vocabulo FILIVS & patris nomine: Eliſur filius Sedeur. Vel dicendum eſt, nomen patris cum nomine FILIVS, vſurpatum, vim habere nominis patronymici. quo genere loquendi vtuntur & Vvalli inter Britannos.

Cognominis loco, dictio filius ponitur ab Hebræis.

'Hi nobiliſſimi principes multitudinis per tribus & cognationes ſuas, & capita exercitus Iſrael: 'quos tulerūt Moyſes & Aaron cum omni 'vulgi multitudine, & congregauerunt primo die menſis ſecundi, 'recenſentes eos per cognationes & domos ac familias & capita & nomina ſingulorum à viceſimo anno & ſuprá. Sicut præceperat Dominus Moyſi, 'numeratíq; ſunt in deſerto Sinai, 'De Ruben primogenito Iſraelis per generationes & familias ac 'domos ſuas, '& nomina capitū ſingulorū, omne quod ſexus eſt maſculini à viceſimo anno & ſuprà, 'procedentiū ad bellū, 'quadraginta ſex millia quingēti.

Millia Iſrael.

HI nobiliſſimi &c. Quos) Hi ſunt nobiliſſimi (vel, famoſi) totius congregationis, principes tribuum patrum ſuorū: ſummi duces (vel, primates) ſunt millium Iſrael. Quos &c. Id eſt, duces ſunt populi Iſraelitici qui conſtat multis millibus.

QVOS) Viros iſtos qui numerati ſunt per nomina ſua. Chaldæus paraphraſtes vertit, qui expreſſi ſunt nominibus ſuis. Id eſt, quorum nomina iam dicta & expreſſa ſunt.

VVLGI) congregationis.

RECENSENTES eos &c. Sicut præceperat) & natales ſuos profeſſi ſunt per cognationes ſuas, & per domos patrum ſuorū, iuxta numerum nominum ſuorū, ab eo qui natus eſſet annos viginti & ſuprà, per ſingula capita. Id eſt, quibus parētibus orti eſſent expoſuerunt: declarātes de qua familia & tribu eſſent. Illud enim Per cognationes &c. declarat quid per natales intelligeret.

NVMERATIQVE) Hic coniunctio QVE, vacat. ſic enim legendū, Sicut præ-

ceperat Dominus Moyſi numerauit eos in deſerto Sinai.

DE Ruben primogenito) Et fuerunt filii Ruben primogeniti &c. Filios vocat nepotes.

DOMOS ſuas,) Domos patrum ſuorum.

ET nomina capitum ſingulorum,) iuxta numerum nominũ per capita ſua. Id eſt, cõputando ſingula capita. Iuxta numerum nominum.

PROCEDENTIVM ad bellũ,) quotquot egredi (vel, proficiſci) poterant ad bellum. Id eſt, quotquot obire poterant militiam, & geſtare arma.

QVADRAGINTA &c.) Ante hæc verba, legitur in Hebræo, Numerati eorũ in tribu Ruben, fuerunt &c. Eſt autem Hebraiſmus, pro, qui in tribu Ruben numerati fuerunt, quadraginta &c. Sic in ſequentibus tribubus Hebraice legitur ante numerum ſingularum. Numerati eorum.

De filiis Simeon per generationes & familias ac domos cognationum ſuarum recẽſiti ſunt per nomina & capita ſingulorũ, omne quod ſexus eſt maſculini à viceſimo anno & ſuprà, procedentium ad bellum, quinquagintanouem millia trecenti. De filiis Gad per generationes & familias ac domos cognationum ſuarũ recenſiti ſunt per nomina ſingulorũ à viginti annis & ſuprà, omnes qui ad bella procederent, quadragintaquinque millia ſexcenti quinquaginta. De filiis Iuda per generationes & familias ac domos cognationum ſuarũ, per nomina ſingulorũ à viceſimo anno & ſuprà, omnes qui poterant ad bella procedere, recenſiti ſunt ſeptuagintaquatuor millia ſexcenti. De filiis Iſſachar per generationes & familias ac domos cognationum ſuarum, per nomina ſingulorũ à viceſimo anno & ſuprà, omnes qui ad bella procederent, recenſiti ſunt quinquagintaquatuor millia quadringenti. De filiis Zabûlon per generationes & familias ac domos cognationum ſuarum recenſiti ſunt per nomina ſingulorum à viceſimo anno & ſuprà, omnes qui poterant ad bella procedere, quinquagintaſeptem millia quadringenti.

PER generationes) Addendum pronomen SVAS. ſic etiam legitur in paruo veteri ſcripto exemplari S. Germani, & in Victorino.

RECENSITI ſunt per nomina & capita) iuxta numerum nominum per capita. Id eſt, quotquot fuerant nominati. Iuxta numerum nominũ

PER generationes) Addendum pronomen SVAS. Sic etiam legitur in peruetuſto exemplari paruo S. Germani.

RECENSITI ſunt per nomina ſingulorum) iuxta numerum nominum. Id eſt, quotquot erant numerati.

PER nomina ſingulorum) iuxta numerum nominum. Sic paulo poſt.
PROCEDERENT,) poterant procedere.
RECENSITI per nomina ſingulorum) iuxta numerum nominum.

De filiis Ioſeph, 'filiorum Ephráim per generationes & familias ac domos cognationum ſuarum receſiti ſunt per nomina ſingulorum à viceſimo annō & ſuprà, omnes qui poterant ad bella procedere, quadraginta millia quingenti. . 'Porrò filiorum Manaſſe per generationes & familias ac domos cognationum ſuarũ recenſiti ſunt per nomina ſingulorum à viginti annis & ſuprà, omnes qui poterant ad bella procedere, trigintaduo millia ducenti. De filiis Ben-iamin per generationes & familias ac domos cognationum ſuarum recenſiti ſunt nominibus ſingulorum à viceſimo anno & ſuprà, omnes qui poterant ad bella procedere, trigintaquinque millia quadringenti. De filiis Dan per generationes, & familias ac domos cognationum ſuarum recenſiti ſunt nominibus ſingulorum à viceſimo anno & ſuprà, omnes qui poterãt ad bella procedere, ſexagintaduo millia ſeptingẽti.

De filiis Aſer per generationes & familias ac domos cognationum ſuarum recenſiti ſunt per nomina ſingulorum à viceſimo anno & ſuprà, omnes qui poterant ad bella procedere, quadraginta millia & mille quingenti.

De filiis Nephthali per generationes & familias ac domos cognationum ſuarũ recenſiti ſunt nominibus ſingulorum à viceſimo anno & ſuprà, omnes qui poterant ad bella procedere, quinquagintatria millia quadringẽti. Hi ſunt quos numerauerunt Moyſes & Aaron, '& duodecim principes Iſrael, ſingulos per domos cognationũ ſuarũ. Fuerúntque omnis numerus filiorum Iſrael per domos & 'familias ſuas à viceſimo anno & ſuprà, qui poterãt ad bella procedere, ſexcẽta tria millia virorũ quingenti quinquaginta. Leuitæ autem 'in tribubus familiarum ſuarum non ſunt numerati cum eis.

FILIORVM Ephráim) nempe ex filiis Ephráim.
PORRO filiorum Manaſſe) Ex filiis Manaſſe.

ET duodecim principes Iſrael ſingulos per domos cognationum ſuarum.) & principes Iſrael, duodecim iuxta numerum tribuũ: viri ſinguli per familias ſuas auitas erant. Id eſt, ſinguli viri ex ſingulis tribubus delecti erant.

FAMILIAS ſuas) Adde, paternas, vel auitas.

IN tribubus familiarum ſuarum non ſunt numerati cum eis.) per tribũ maiorum ſuorum non fuerunt numerati in medio eorum. Id eſt, non comprehenduntur in numero prædicto. In oblongo codice Latino S.Dionyſii, in lato item & paruo S.Germani, & in Victorino, legitur ſingulariterr, in tribu.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, 'Tribum Leui noli numerare, neque pones ſummam eorum cum filiis Iſrael, ſed 'conſtitues eos ſuper 'tabernaculum teſtimonii & cuncta 'vaſa eius, & 'quicquid ad ceremonias pertinet. ipſi portabunt tabernaculum & omnia vtenſilia eius: & erunt in 'miniſterio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur. 'Cum proficiſcendũ fuerit, deponẽt Leuitæ tabernaculum: cũ caſtra metanda, erigent. quiſquis 'externorum acceſſerit, occidetur. Metabũtur autẽ caſtra filii Iſrael vnuſquiſque per turmas '& cuneos atq; exercitũ ſuum. Porrò Leuitæ per gyrum 'tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio ſuper 'multitudinem filiorum Iſrael, '& excubabunt in cuſtodiis tabernaculi teſtimonii. Fecerunt ergo filii Iſrael iuxta omnia quæ præceperat Dominus Moyſi.

TRIBVM Leui noli numerare,) Sane tribum Leui non numerabis. Quaſi dicat, alias tribus numerabis: non autem tribum Leui.

CONSTITVES) Legendum, conſtitue: in imperatiuo: vt in veteribus codicibus Latinis S.Dionyſii, & lato S.Germani legitur, in Moguntinẽſique editione.

TABERNACVLVM teſtimonii) Tabernaculũ teſtimonii vocat, quòd in eo erat arca in qua erãt tabulæ teſtimonii: in iis decem præcepta erãt ſcripta, quibus teſtabatur Deus ſuam voluntatem Iſraelitis, quídve eos in poſterum facere vellet. Tabernaculũ teſtimonii.

VASA) Vocat vaſa, omnem ſupellectilem.

QVICQVID ad ceremonias pertinet.) quicquid ad illud pertinet. Subaudi, tabernaculum.

MINISTERIO,) Adde pronomẽ EIVS. Id eſt, miniſtrabũt in eo tabernaculo.

CVM proficiſcendum fuerit, deponent Leuitæ tabernaculum: cum caſtra metanda, erigent.) Quum autem proficiſcetur tabernaculum, diſſoluent illud: quũ vero conſiſtet tabernaculum, conſtruẽt illud Leuitæ. Id eſt, quum tabernaculum erit aliò trãſferendum, Leuitæ reſoluent illud in partes quibus componitur: quũ autem morabitur in loco vno, iidem Leuitæ conſtruent & erigent illud.

EXTERNORVM) Externos vocat omnes qui de tribu Leui non erant. Si inquit alius quàm de tribu Leui propius acceſſerit ad diſſoluendum, aut rurſum erigendum tabernaculum, interficietur iuxta ſententiam iudicum. Externi.

ET cuneos) & iuxta vexillum ſuum.

TABERNACVLI) Adde, teſtimonii.

MVLTITVDINEM) cœtum. Vel, aliquem ex congregatione.

ET excubabunt in cuſtodiis tabernaculi teſtimonii) & cuſtodient Leuitæ cuſtodiam tabernaculi teſtimonii.Id eſt,excubias agent iuxta tabernaculum.

CAP. II.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen & Aarō dicens,Singuli 'per turmas,ſigna atque vexilla & domos cognationum ſuarum caſtrametabuntur filiorum Iſrael per gyrum tabernaculi fœderis.'Ad Orientem Iudas figet tentoria per turmas exercitus ſui:erítque princeps filiorum eius Nahaſſon filius Aminadab.'& omnis de ſtirpe eius ſumma pugnantium,ſeptuaginta quatuor millia 'ſexcētorum.Iuxta eum 'caſtrametati ſunt de tribu Iſſachar, quorū princeps fuit Nathanael filius Suar. & omnis numerus pugnatorum eius quinquagintaquatuor millia quadringenti. 'In tribu Zabûlon princeps fuit Eliab filius Helon: 'omníſque de ſtirpe eius exercitus pugnatorum,quinquagintaſeptem millia quadringēti. Vniuerſi qui in caſtris Iudæ annumerati ſunt, fuerunt centum octogintaſex millia 'quadringēti:& per turmas ſuas primi egredientur.

PER turmas &c.per gyrū) Iuxta vexillū,iuxta ſigna ſua per domos ſuas paternas caſtrametabuntur filii Iſrael procul,per gyrum &c. Id eſt, non ita prope tabernaculum.diſtabant enim abinuicem vt quidam volunt,vno miliari.In antiquiori Latino codice oblongo S.Dionyſii & Victorino,in Complutenſi item editione & Baſilienſi legitur,filii Iſrael,nominatiuo caſu:non genitiuo,filiorum.

AD Orientem Iudas figet tentoria per turmas exercitus ſui:) Qui autem caſtrametabuntur ad Orientem, ad exortum ſolis, erunt qui ſequentur vexillum Iuda per turmas ſuas.Vel,Ponent autem caſtra ad Orientem & exortum ſolis qui ſunt de vexillo caſtrorum Iuda per exercitus ſuos.

ET omnis de ſtirpe eius ſumma pugnantium,) Et exercitus eius (ſcilicet tribus Iudæ)& numerati eorum.Id eſt,& numerus exercitus eorum erat &c.

SEXCENTORVM.) ſexcenti.Sic legitur in Complutenſi editione.

CASTRAMETATI ſunt) caſtrametabuntur.

IN tribu Zabûlon princeps) Tribus Zabûlon,& princeps filiorum Zabûlon &c.Subauditur, Adiungetur tribui Iudæ tribus Iſſachar & tribus Zabûlon:princépſque filiorum Zabûlon erit &c. Quatuor vexilla ſequebantur duodecim tribus:tres tribus vnum vexillum ſequebantur.Tantum enim quatuor erant vexilla primaria:minora verò,penè innumera.

OMNISQVE de ſtirpe eius exercitus pugnatorum,) exercitúſque eius,& numerati eius erant &c.Id eſt,& exercitus qui numerati erant in ea tribu.Vel, & numerus exercitus eorum erat &c.

QVADRINGENTI: & per turmas ſuas primi egredientur.) quadringēti per turmas ſuas:& primi proficiſcentur.

'In caſtris filiorum Ruben ad Meridianam plagam erit 'princeps Eliſur filius Sedeur.& cūctus exercitus pu-

gnatorum eius qui numerati ſunt, quadragintaſex millia quingenti. Iuxta eum 'caſtrametati ſunt de tribu Simeon: quorũ princeps fuit Salamiel filius Suri-ſaddái. & cunctus exercitus pugnatorũ eius qui numerati ſunt, quinquagintanouem millia trecenti. 'In tribu Gad princeps fuit Eliaſaph filius Duel. & cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati ſunt, quadragintaquinque millia ſexcenti quinquaginta. Omnes qui recenſiti ſunt in caſtris Ruben, centum quinquaginta millia & mille quadringenti quinquaginta per turmas ſuas. in ſecundo loco proficiſcentur. 'Leuabitur autem tabernaculum teſtimonii per officia Leuitarum & turmas eorum. quomodo erigetur, ita & deponetur. Singuli per loca & ordines ſuos proficiſcentur.

IN caſtris filiorum) Vexillum filiorum &c.
PRINCEPS Eliſur) princeps autem filiorum Ruben erit Eliſur.
CASTRAMETATI ſunt de tribu Simeon) caſtrametabitur tribus Simeon.
IN tribu Gad princeps) Et tribus Gad, (ſubaudi, adiicietur tribui Ruben) princépſque filiorum Gad erit &c.
LEVABITVR autem &c.) Tabernaculũ vero fœderis (ſiue conuentus) proficiſcetur, id eſt caſtra Leuitarum, in medio caſtrorum: quemadmodum figent tẽtoria ſic proficiſcentur, ſinguli ſuo ordine ſecundũ vexilla ſua. Quaſi dicat, Mox locum mutabit tentorium fœderis, id eſt, turma deferens tabernaculum, caſtra ſcilicet Leuitarum, quæ inter quatuor vexilla filiorum Iſrael proficiſcentur.

Ad Occidentalem plagam 'erunt caſtra filiorum Ephráim, quorum princeps fuit Eliſama filius Ammiud. cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati ſunt, quadraginta millia quingenti. 'Et cum eis tribus filiorũ Manaſſe, quorum princeps fuit Gamaliel filius Phadaſſur. cunctúſque exercitus pugnatorum eius, qui numerati ſunt, trigintaduo millia ducenti. 'In tribu filiorum Ben-iamin princeps fuit Abidan filius Gedeônis. & cunctus exercitus pugnatorũ eius, qui recenſiti ſunt, trigintaquinque millia quadringenti. Omnes qui numerati ſunt in caſtris Ephráim, centum octo millia centum per turmas ſuas. tertii proficiſcentur.

ERVNT caſtra filiorũ Ephráim,) erit vexillũ filiorũ Ephráim per turmas ſuas.
ET cum eis) Et iuxta eum. Id eſt, tribui Ephráim adiungetur tribus Manaſſe.

IN tribu filiorum Ben-iamin princeps) Tribus quoque Ben-iamin: quorum princeps erit &c. Id eſt, Iuxta etiam tribũ Ephraîm caſtrametabitur Ben-iamin, annumerabitúrque ipſi Ephraîm.

Ad Aquilonis partẽ 'caſtrametati ſunt filii Dan: quorum princeps fuit Ahi-ézer filius Ammi-ſaddái. cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati ſunt, ſexagintaduo millia ſeptingenti. Iuxta eum fixere tentoria de tribu Aſer, quorum princeps fuit Phegiel filius Ochran. cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati ſunt, quadraginta millia & mille quingenti. 'De tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira filius Enan. cũctus exercitus pugnatorũ eius quinquagintatria millia quadringenti. Omnes qui numerati ſunt in caſtris Dan, fuerunt centum quinquagintaſeptem millia ſexcenti. '& nouiſſimi proficiſcentur. 'Hic numerus filiorum Iſrael, per domos cognationum ſuarum & turmas diuiſi exercitus, ſexcentatria millia quingenti quinquaginta. Leuitæ autem nõ ſunt numerati inter filios Iſrael: ſic enim præceperat Dominus Moyſi. Fecerúntque filii Iſrael iuxta omnia 'quæ mandauerat Dominus. Caſtrametati ſunt per turmas ſuas, & profecti per familias ac domos patrum ſuorum.

CASTRAMETATI ſunt filii Dan: quorum princeps fuit) vexillum caſtrorum Dan erit per turmas ſuas: quorum princeps erit &c.

DE tribu filiorum Nephthali princeps fuit) Et tribus Nephthali: princeps autem filiorum Nephthali, erit &c. Id eſt, Et tribus Nephthali figet tentoria iuxta tribum Aſer.

Vexilla quatuor.

ET nouiſſimi proficiſcentur.) hi poſtremo loco proficiſcentur per vexilla ſua. Scilicet minora, & particularia. erant enim quatuor tantum vexilla primaria: minora vero pene innumera. Ideo dicit, per vexilla ſua, ſequendo ſcilicet particularia.

HIC numerus filiorum Iſrael, per domos cognationũ ſuarum & turmas diuiſi exercitus,) Iſti ſunt numerati filiorum Iſrael per domos patrum ſuorum omnes numerati qui erant in caſtris per exercitus ſuos, erant &c. Id eſt, hi ſunt qui delecti fuerunt ad militiam per familias paternas.

QVAE mandauerat Dominus. Caſtrametati ſunt per turmas ſuas, & profecti) quæ præceperat Dominus Moyſi, ſic caſtrametati ſunt per vexilla ſua: ſic inquam profecti ſunt &c.

CAP. III.

HAE ſunt generationes Aaron & Moyſi in die qua locutus eſt Dominus ad Moyſen in monte Sinai.

Et hæc nomina filiorum Aaron, primogenitus eius Nadab, deinde Abiu & Eleazar & Ithamar. Hæc nomina filiorum Aaron ſacerdotum qui vncti ſunt, & quorum repletæ & conſecratæ manus vt ſacerdotio fungerentur. Mortui ſunt enim Nadab & Abiu cum offerrent ignẽ alienum in conſpectu Domini in deſerto Sinai, abſque liberis: functíque ſunt ſacerdotio Eleazar & Ithamar coram Aaron patre ſuo. Exod.6.d. Leuit.10.a. 1.para.24.a.

HAE ſunt generationes Aaron & Moyſi in die qua locutus) Hæc ſunt quæ acciderunt Aaroni & Moyſi ex quo locutus &c. Generatio. In die qua, pro, Ex quo tempore.

QVI vncti ſunt,) Id eſt, qui functi erant munere ſacerdotali.

ET quorum repletæ & conſecratæ manus) quorum manus cõſecrauerat. Subaudi, Aaron.

MORTVI ſunt enim) mortui ſunt autem.

ABIV) Adde, in conſpectu Domini.

IGNEM alienum) ignem peregrinum. Id eſt, qui cælitus miſſus non fuerat. Ignis alienus.

CORAM Aaron) Vel, præſente Aarone.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Applica tribum Leui, & fac ſtare in conſpectu Aaron ſacerdotis, vt miniſtrent ei, & excubent, & obſeruent quicquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo teſtimonii, & cuſtodiant vaſa tabernaculi, ſeruientes in miniſterio eius. Dabíſque dono Leuitas Aarõ & filiis eius, quibus traditi ſunt à filiis Iſrael. Aaron autem & filios eius conſtitues ſuper cultum ſacerdotii. externus qui ad miniſtrandum acceſſerit, morietur.

ET excubent, &c. Et cuſtodiant) Et cuſtodiant cuſtodiam eius, & cuſtodiã omnis congregationis coram tabernaculo cœtus (vel fœderis) vt ſeruiant ſeruitutem tabernaculi. Et cuſtodiant &c. Id eſt, Fũgantur munere ipſius Aaronis, obſeruent cultum quem ipſe obſeruare deberet: cuſtodiant item quæ cuſtodire deberent filii Iſrael coram tabernaculo fœderis, vt peragant cultum tabernaculi.

ET cuſtodiant &c. Dabíſque) Et cuſtodiant omnia vaſa tabernaculi fœderis, & cuſtodiam filiorum Iſrael, nempe vt peragant cultum tabernaculi. Dabíſque &c.) Id eſt. Cuſtodiant vaſa tabernaculi, & obſeruent ea quæ obſeruare deberent filii Iſrael, nempe loco filiorum Iſrael miniſtrent in tabernaculo.

QVIBVS traditi ſunt) dati dati. Hebraiſmus, pro, dono dati illi ſunt. Pro redemptione enim primogenitorum dati fuerant Leuitæ Aaroni qui fungitur vice Dei. Dati dati.

CONSTITVES ſuper cultum ſacerdotii.) præficies, & cuſtodient ſacerdotiũ ſuum. Id eſt, præficies Aaronem & filios eius tribui Leuitarum, cuſtodiéntque ipſi filii Aaronis dignitatem ſacerdotalem quam habent à Deo.

MORIETVR.) interficietur. Iudicum ſcilicet ſententia.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Ego tu-

li Leuitas à filiis Iſrael pro omni primogenito qui aperit vuluam in filiis Iſrael, erúntque Leuitæ mei. Meum eſt Exo.13.a.ʃ.8.c. enim omne primogenitum: ‖ex quo percuſſi primogenitos in Terra-AEgypti ſanctificaui mihi quicquid primū naſcitur in Iſrael ab homine vſque ad pecus, mei ſunt: ego Dominus. Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen in deſerto Sinai, dicens, Numera filios Leui per domos patrum ſuorum & familias, omnem maſculum ab vno Exod.6.c. menſe & ſuprá. ‖Numerauit Moyſes vt præceperat Dominus, & inuenti ſunt filii Leui per nomina ſua, Gerſon & Caath & Merari. Filii Gerſon: Lebni & Semei. Filii Caath: Amram, & Ieſaar, Hebron, & Oziel. Filii Merari: Moholi, & Muſi.

TVLI) Id eſt, ſelegi.

Aperire vuluā. QVI aperit vuluam) Hebraiſmus eſt, Aperire vuluam, pro primum naſci.

Sanctificare. SANCTIFICAVI mihi.) Id eſt, retinui mihi tanquā rem ſacrā & ſanctā.

AB homine vſque ad pecus,) quaſi dicat, ſiue nata fuerint ex homine, ſiue ex pecudibus.

NVMERA) Vel, Recenſe.

Per nomina ſua. PER nomina ſua,) Id eſt, quorum nomina ſequuntur.

FILII Gerſon:) Hæc autē ſunt nomina filiorū Gerſon per cognationes ſuas.

FILII. Caath:) Adde, per cognationes ſuas.

FILII Merari:) Et hic adde ſimiliter ex Hebræo, per cognationes ſuas.

MVSI.) Poſt hoc nomen ſequitur in Hebræo, Hæ ſunt cognationes Leuitarū per familias paternas.

De Gerſon fuere familiæ duæ, Lebnitica, & Semeitica: quarum numeratus eſt populus ſexus maſculini ab vno menſe & ſuprà, ſeptē millia quingentorum. Hi poſt tabernaculum metabuntur ad Occidentem ſub principe Heliaſaph filio Lael. Et habebunt excubias in tabernaculo fœderis, ipſum tabernaculum & operimentum eius, tentorium quod trahitur ante fores tecti fœderis, & cortinas atrii: tentorium quoque quod appenditur in introitu atrii tabernaculi, & quicquid ad ritū altaris pertinet, funes tabernaculi & omnia vtenſilia eius.

QVINGENTORVM) legendum eſt quingenti, nominatiuo caſu. & ita in Complutenſi editione legitur.

Habere excubias. HABEBVNT excubias) habebunt cuſtodias. Id eſt, munus eorum erit cuſtodire tabernaculum, &c.

TECTI fœderis,) tabernaculi fœderis.

TENTORIVM quoque quod appenditur in introitu atrii tabernaculi, & quicquid ad ritum altaris pertinet,) aulæum oſtii atrii quod eſt ad tabernaculũ & ad altare per circuitum. Iſtud intelligitur de aulæo quod cingebat tam atrium quàm altare holocauſti, quod erat extra tabernaculum.

Cognatio Caath habebit populos Amramitas & Ieſaaritas & Hebronitas & Ozielitas. Hæ ſunt familiæ Caathitarum, 'recẽſitæ per nomina ſua: omnes generis maſculini ab vno menſe & ſuprà, octo millia ſexcenti. 'habebunt excubias ſanctuarii, & caſtrametabuntur ad Meridianam plagam. Princépſque eorum erit Eliſaphan filius Oziel, & cuſtodient arcam, menſámque & candelabrum, altaria & vaſa ſanctuarii, 'in quibus miniſtratur, & velum, 'cunctámq; huiuſcemodi ſupellectilem. Princeps autem principum Leuitarum Eleazar filius Aaron ſacerdotis, 'erit ſuper excubitores cuſtodiæ ſanctuarii.

RECENSITAE per nomina ſua: omnes generis maſculini) numerando omnes mares.

HABEBVNT excubias ſanctuarii,) cuſtodientes cuſtodiam ſanctuarii. Id eſt fungentes officio in cultu ſacro tabernaculi. Cuſtodire cuſtodiam.

IN quibus miniſtratur,) quibus vtentur. Scilicet ſacerdotes in cultu diuino.

CVNCTAMQVE huiuſcemodi ſupellectilem.) & omnem cultum eius.

ERIT ſuper excubitores cuſtodiæ ſanctuarii.) præfectura cuſtodientium cuſtodiam ſanctuarii, erit illi. Id eſt, qui in cultu diuino fungetur aliquo officio, pertinebit ad illum.

At verò de Merari erunt populi Moholitæ & Muſitæ 'recenſiti per nomina ſua: omnes generis maſculini ab vno menſe & ſuprà, ſex millia ducenti. Princeps eorum Suriel filius Abihaiel: in plaga Septentrionali caſtrametabuntur. Erunt ſub cuſtodia eorum tabulæ tabernaculi & vectes, & columnæ ac baſes earum, '& omnia quæ ad cultum huiuſcemodi pertinẽt: columnæque atrii per circuitum cum baſibus ſuis, & paxilli cum funibus. Caſtrametabũtur ante tabernaculum fœderis, id eſt ad Orientalem plagam, Moyſes & Aaron cum filiis ſuis, habentes cuſtodiam ſanctuarii 'in medio filiorũ Iſrael. quiſquis alienus acceſſerit, 'morietur. Omnes Leuitæ quos numerauerunt Moyſes & Aaron iuxta præceptum Domini per familias ſuas in genere maſculino à mẽſe vno & ſuprà, fuerunt vigintiduo millia.

RECENSITI per nomina ſua: omnes generis maſculini) Et qui ex eis numerati ſunt, numerando ipſos mares, &c.

ET omnia quæ ad cultũ huiuſcemodi pertinent:) omnia vaſa eius, & omnis cultus (vel ornamentum) eius.

IN medio filiorum Iſrael.) propter cuſtodiam filiorum Iſrael. Id eſt, vice filiorum Iſrael.

MORIETVR.) interficietur.

Et ait Dominus ad Moyſen, Numera primogenitos ſexus maſculini de filiis Iſrael ab vno menſe & ſuprà, '& habebis ſummam eorum. Tolléſque Leuitas mihi pro omni primogenito filiorum Iſrael, ego ſum Dominus: & 'pecora eorum pro vniuerſis primogenitis pecorum filiorum Iſrael. 'Recenſuit Moyſes ſicut 'præceperat Dominus primogenitos filiorum Iſrael: & fuerunt maſculi 'per nomina ſua à menſe vno & ſuprà, vigintiduo millia ducenti ſeptuagintatres.

ET habebis ſummam eorum.) & cape numerum nominum eorum.

PECORA eorum) pecora Leuitarum.

RECENSVIT) Numerauit ergo. vel, Recenſuit ergo.

PRAECEPERAT Dominus primogenitos) præceperat illi Dominus omnes primogenitos, &c.

PER nomina ſua) ſecundum numerum nominum.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Tolle Leuitas pro primogenitis filiorum Iſrael, & pecora Leuitarũ pro pecoribus eorum: 'eruntque Leuitæ mei. ego ſum Dominus. 'In pretio autem ducentorũ ſeptuagintatrium qui excedunt numerum Leuitarum de primogenitis filiorum Iſrael, accipies quinque ſiclos per ſingula capita 'ad menſuram ſanctuarii. ‖Siclus habet viginti obolos. Dabíſque pecuniam Aaron & filiis eius 'pretium eorum qui ſuprà ſunt. Tulit igitur Moyſes 'pecuniã eorum qui fuerãt amplius, & quos redemerat à Leuitis 'pro primogenitis filiorum Iſrael, mille trecẽtorum ſexagintaquinque ſiclorum 'iuxta pondus ſanctuarii, & dedit eã Aaron & filiis eius iuxta verbum quod præceperat ſibi Dominus.

Exod. 30. b. leuit. 27. c. ezech. 45. d.

ERVNTQVE) ſintque.

IN pretio autem ducentorum) Et pro redemptione ducentorum, &c.

AD menſuram ſanctuarii.) ad ſiclum ſanctuarii. Vel, ad rationem ſicli ſacri.

PRETIVM eorum qui ſuprà ſunt.) redemptiones exuberãtium in illis erũt,

Id eſt, exuberantes numerum Leuitarum, conſtabunt illis ſiclis. Vel, dabis pecuniã Aaroni, quæ erit pro redemptione excedentium numerum Leuitarum.

PECVNIAM eorum qui fuerant amplius, & quos redemerat à Leuitis) pecuniam redemptionis, ab iis qui excedebant redemptos Leuitis. Id eſt, pecuniã qua primogenita redimi debebant, accepit ab iis qui excedebant eos qui redempti erant Leuitis, hoc eſt commutatione Leuitarum.

PRO primogenitis fili, orum Iſrael, mille trecẽtorum ſexagintaquinque ſiclorum,) A primogenitis filiorum Iſrael accepit pecuniam, mille trecentos ſexagintaquinque ſiclos. Primogenitos intelligit, qui redempti non fuerant.

IVXTA pondus ſanctuarii,) ad rationem ſicli ſancti.

CAP. IIII.

LOcutúſque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron, dicens, Tolle ſummam filiorum Caath 'de medio Leuitarum 'per domos & familias ſuas, à triceſimo anno & ſuprà vſque ad quinquageſimum annum, omniũ qui ingrediuntur 'vt ſtent & miniſtrent in tabernaculo fœderis. 'Hic eſt cultus filiorũ Caath, Tabernaculum fœderis & Sanctum ſanctorum ingredientur Aaron & filii eius, quando 'mouenda ſunt caſtra, & deponent 'velum quod pendet ante fores, inuoluéntque eo arcam 'teſtimonii, & operient rurſum velamine 'hyacinthinarum pellium, extendéntque déſuper 'pallium totum hyacinthinum, & inducent vectes.

DE medio Leuitarum) Id eſt, è numero Leuitarum. De medio.

PER domos & familias ſuas,) per cognationes ſuas, & domos ſuas auitas.

VT ſtent, & miniſtrent) in cõgregationem vt operẽtur &c. Id eſt, qui ingrediuntur turmam eorum qui miniſtraturi ſunt in tabernaculo &c. Vel, in cœtum eorum qui numerantur inter miniſtros tabernaculi fœderis.

HIC eſt cultus filiorum &c. Quando) Iſtud eſt officium (ſiue miniſterium) filiorum Caath in tabernaculo fœderis, nempe Sanctum ſanctorum. Et veniet Aaron & filii eius &c. Hoc eſt, quicquid eſt intra Sanctum ſanctorum erit ſub cuſtodia Caathitarum: committetur illis cura rerum ſacratiſſimarum. Cultus Leuitarum.

MOVENDA ſunt) mouenda erunt.

VELVM quod pendet ante fores,) velum opertorij. Id eſt, velum quo Sanctũ ſanctorum ſeparatur ab alijs partibus.

TESTIMONII,) fœderis.

HYACINTHINARVM pellium) taxearum pellium. Paruum & oblongum S. Germani exemplar legit ianthinarum. Sic in ſequentibus.

PALLIVM) pannum. ſic toto capite.

Menſam quoque propoſitionis inuoluent hyacinthino pallio, '& ponent cum eo thuribula '& mortariola, cyathos '& cratéras ad liba fundenda: panes ſemper in ea erũt. extendéntque déſuper pallium coccineũ, quod rurſum operient velamento hyacinthinarum pellium,

& inducent vectes. Sument & pallium hyacinthinum quo operient candelabrum cum lucernis & forcipibus ſuis & emunctoriis,& cunctis vaſis olei,quæ ad concinnandas lucernas neceſſaria ſunt.& ſuper omnia ponent operimentum hyacinthinarũ pellium, & inducent vectes. Necnon & altare aureum inuoluent hyacinthino veſtimento, & extendent déſuper operimentum hyacinthinarum pellium,inducéntque vectes. Omnia vaſa quibus miniſtratur in ſanctuario inuoluẽt hyacinthino pallio, & extendent déſuper operimentum hyacinthinarum pellium,inducéntque vectes.Sed & altare mũdabunt cinere,& inuoluent illud purpureo veſtimento, ponéntque cũ eo omnia vaſa quibus in miniſterio eius vtuntur,id eſt,ignium receptacula, fuſcinulas ac tridẽtes,vncinos & batilla, cũcta vaſa altaris,operient ſimul velamine hyacinthinarum pellium,& inducent vectes.

ET ponent cum eo thuribula,) Et ponẽt ſuper eam ſcutellas.In vetuſtioribus Latinis codicibus S. Dionyſij & Germani legitur,cũ ea,fœminino genere, vt referat menſam. De voce Hebræa KEAAROTH, pro qua ſcutellas vertimus: vide XXV caput Exodi.

ET mortariola,cyathos) & cochlearia,opercula.In cochlearibus ponebatur thus, quod tegebatur operculis. Voces Hebraicæ ſunt CAPPOTH & MENAKIOTH,de quibus vide caput XXV Exodi.

ET crateras ad liba fundenda:) & crateres protectionis.Vel,operimẽti.Id eſt, quibus panes operiebantur vt arcerentur immunditiæ. Vox Hebræa KESOTH, ſignificat crateres quibus panes tegebantur.De hac vide caput XXV Exodi.

CANDELABRVM) In Hebræo legitur,cãdelabrũ luminis,ſiue luminoſum.

ET ſuper omnia &c.Necnon) Ponent præterea tam illud quàm omnia vaſa eius in opertorio pellis taxeæ,& ponent ſuper vectes. Inſtrumẽtum erat factum ex duobus vectibus.

VECTES.) Hebraicè additur pronomen EIVS,Inducéntque vectes eius.Subaudi,in annulos.

HYACINTHINARVM pellium,) taxearum pellium.

INDVCENTQVE vectes.) ponéntque ſuper vectes.

MVNDABVNT cinere,) mundabunt à cinere.Id eſt,cinerẽ altaris auferent.

IGNIVM receptacula) Vel,thuribula.

AC tridentes,vncinos & batilla,) ac ſcopas,& vaſa libatoria.De altari holocauſti loquitur.

HYACINTHINARVM pellium, & inducent vectes.) taxearũ pellium:& inducent vectes eius.Subaudi,in annulos.

Cúmque inuoluerint Aaron & filii eius ſanctuarium & omnia vaſa eius in commotione caſtrorum,tunc intrabunt filii Caath vt portent inuoluta:& non tangent

vaſa ſanctuarii, ne moriantur.ʹIſta ſunt onera filiorum Caath in tabernaculo fœderis: ʹſuper quos erit Eleazar filius Aaron ſacerdotis, ad cuius curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas,& compoſitionis incenſum, & ſacrificium quod ſemper offertur, & oleũ vnctionis: & quicquid ad cultũ tabernaculi pertinet, omniúmque vaſorum quæ in ſanctuario ſunt. Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron, dicẽs, ʹNolite perdere populum Caath de medio Leuitarum : ſed hoc facite eis, vt viuant,& non moriantur,ʹſi tetigerint ſancta ſanctorum. Aaron & filii eius intrabunt,ʹipſíque diſponent opera ſingulorum, & diuident quid portare quis debeat. ʹAlii nulla curioſitate videãt quæ ſunt in ſanctuario priuſquam inuoluantur,alioquin morientur.

INVOLVERINT) ſingulari numero legitur Hebraice,& in Complutenſi editione.

IN commotione caſtrorum,) ſub mutationem caſtrorum.Id eſt,quando aliò proficiſcentur caſtra.

ISTA) Subaudi,quæ diximus.

SVPER quos erit &c.Locutúſq;) Præfectura autẽ Eleazari filij Aaron pontificis,erit oleum luminis,& ſuffimentum aromaticum,& oblatio iugis(ſcilicet ſacrificij) & oleum vnctionis : præfectura inquam eius erit totius tabernaculi, & omnium quæ in eo ſunt,in ſanctuario & vaſis eius.Id eſt,Eleazar præficietur oleo luminis &c.in vniuerſum,præerit toti tabernaculo,ſanctuarióque & vaſis eius.

NOLITE perdere populum Caath) Ne exterminetis tribum cognationum Caathitarum.Id eſt,Cauete ne veſtra negligentia pereant Caathitæ: occaſionẽ ne præbueritis ad interneciionem eorum:ſed Aaron & filij eius prius omnia diligẽter inuoluant:ne nuda à filijs Caath tractentur,aut videantur:& moriantur.

SI tetigerint ſancta ſanctorum.) cum acceſſerint ad ſanctum ſanctorũ.Id eſt, ad res ſacras deferendas.

IPSIQVE diſponẽt opera &c.) ipſique conſtituent eos,vnũquenque iuxta opus ſuum, & iuxta onus ſuum. Id eſt,tradent ſingulis onera ſua,& dicent illis quæ facienda erunt .Editio Complutenſis,& Baſilienſis legunt onera.

ALII nulla curioſitate &c.) Et ne ingrediãtur vt videant quãdo velabũt ſanctitatem, & moriantur.Id eſt, ne ingrediantur tabernaculum quando Aaron & filii eius velabunt res ſacras non opertas:& moriantur.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Tolle ſummam etiam filiorum Gerſon per domos ʹac familias & cognationes ſuas à triginta annis & ſuprà, vſque ad annos quinquaginta:numera omnes ʹqui ingrediuntur & miniſtrant in tabernaculo fœderis. Hoc eſt officium familiæ Gerſonitarum,vt portent cortinas taber-

naculi '& tectum fœderis operimentum aliud, & ſuper omnia velamen hyacinthinũ,tentoriúmque quod pendet in introitu tabernaculi fœderis,cortinas atrii,& 'velum in introitu quod eſt ante tabernaculũ.Omnia quæ ad altare pertinent,funiculos & vaſa miniſterii,'iubente Aaron & filiis eius,portabunt filii Gerſon: & ſcient ſinguli cui debeãt operi mancipari. 'Hic eſt cultus familiæ Gerſonitarum in tabernaculo fœderis. 'erúntque ſub manu Ithamar filii Aaron ſacerdotis.

AC familias & cognationes ſuas) Legitur tantum Hebraice, ac cognationes ſuas.

QVI ingrediuntur & miniſtrant) qui veniũt ad militandũ militiam,ad peragendum opus in &c. Alii vertunt, Qui admittuntur in conſórtium eorum qui miniſtrare poſſunt in tabernaculo fœderis Id eſt,qui deſignantur à Deo ad miniſtrandum. Hæc poſterior verſio,melior.

ET tectum fœderis operimentum aliud,& ſuper omnia velamen hyacinthinum,) & tentorium fœderis, operimentum eius,(ſcilicet tabernaculi)& operimentum pellium taxearum,quod eſt ſuper illud. Id eſt,quo illud opertorium tegebatur parte ſuperna.

VELVM in introitu quod eſt ante tabernaculum.Omnia quæ ad altare pertinent,funiculos &c.) aulæum oſtij atrij,quod (ſub.atrium) eſt iuxta tabernaculũ & iuxta altare per circuitum. Et funes & vaſa &c. De altari holocauſti intelligit.

IVBENTE Aaron &c.) & quæcunque facta ſunt pro illis:& ita miniſtrabũt. Iuxta ſentẽtiam Aaronis & filiorum eius erit vniuerſum officium filiorum Gerſonitarum ſecundum omnia onera eorum,& omnem cultũ eorum: & cõmittetis illis in cuſtodiã vniuerſa onera ipſorũ. Id eſt,quæcũque illi ferre debẽt. Quod ait, Iuxta ſententiam &c præcipit vt quæcunque facient Gerſonitæ,faciant iuxta præſcriptum Aaronis & filiorum eius. Vbi nos legimus,Cui debeant operi mancipari: Vetera Latina exemplaria S.Dionyſii,Germani,& Victoris, conſentiente Complutenſi editione,& Baſilienſi,legunt ONERI,

HIC eſt cultus) Iſtud eſt officium.

Sub manu. Per manum. ERVNTQVE ſub manu) cuſtodiáque eorum,per manũ &c. Id eſt, omnia facient mandato Ithamar &c.

Filios quoque Merari per familias & domos patrum ſuorum recẽſebis à triginta annis & ſuprà,vſque ad annos quinquaginta, 'omnes qui ingrediũtur ad officium miniſterii ſui & cultũ fœderis teſtimonii. 'Hæc ſunt onera eorũ,Portabunt tabulas tabernaculi,& vectes eius, columnas ac baſes earũ, columnas quoque atrii per circuitum cum baſibus & paxillis & funibus ſuis. 'Omnia vaſa & ſupellectilem ad numerum accipiẽt,ſicque portabunt. Hoc eſt officium familiæ Meraritarum & miniſteriũ in tabernaculo fœderis:erúntque ſub manu Itha-

mar filii Aaron ſacerdotis. Recenſuerũt igitur Moyſes & Aaron & principes 'ſynagogæ filios Caath per cognationes & domos patrum ſuorum à triginta annis & ſuprà, vſque ad annum quinquageſimum, omnes 'qui ingrediuntur ad miniſterium tabernaculi fœderis: & 'inuenti ſunt duo millia ſeptingenti quinquaginta. hic eſt numerus populi Caath 'qui intrant tabernaculum fœderis: hos numerauit Moyſes & Aaron iuxta ſermonem Domini 'per manum Moyſi.

OMNES qui ingrediuntur &c. Hæc ſunt) omnes qui veniũt (vel, admittuntur) in congregationem eorum qui miniſtrare debent in tabernaculo fœderis. Hæc ſunt &c.

HAEC ſunt onera eorũ) Hæc eſt cuſtodia oneris eorum in omni opere eorũ, in tabernaculo fœderis. Id eſt, hæc committentur illis deferenda pro cultu miniſterii eorum in tabernaculo fœderis.

OMNIA vaſa &c. Hoc eſt) iuxta omnia vaſa eorum, & omne miniſteriũ eorũ. numerabitíſque per nomina vaſa cuſtodiæ oneris eorum. Id eſt, numerabitis inſtrumenta quæ tradetis illis deferenda, per ſingula nomina.

SYNAGOGAE) congregationis.

QVI ingrediuntur ad miniſterium) qui ingrediuntur in congregationẽ, ad miniſtrandum. Hoc eſt, quotquot admittũtur in eam turmam quæ deſignata eſt ad miniſtrandum in tabernaculo fœderis.

INVENTI) numerati.

QVI intrant tabernaculum) omnes operãtes in tabernaculo. Vel, quotquot apti ſunt vt miniſtrarent in tabernaculo.

PER manum Moyſi.) Id eſt, opera Moyſi. numerãte Moyſe. Vel, de mandato Domini facto per Moyſen. Per manum Moyſi.

Numerati ſunt & filii Gerſon per cognationes, & domos patrum ſuorum à triginta annis & ſuprà, vſque ad quinquageſimum annum, omnes qui 'ingrediuntur vt miniſtrent in tabernaculo fœderis: & inuenti ſunt duo millia ſexcenti triginta. 'hic eſt populus Gerſonitarum, quos numerauerunt Moyſes & Aaron iuxta verbũ Domini. Numerati ſunt & filii Merari per cognationes & domos patrum ſuorum à triginta annis & ſuprà, vſque ad annum quinquageſimum, omnes 'qui ingrediuntur ad explendos ritus tabernaculi fœderis: & inuenti ſunt tria millia ducenti. hic eſt numerus filiorũ Merari, quos recenſuerũt Moyſes & Aaron iuxta imperium Domini per manum Moyſi. Omnes 'qui recẽſiti ſunt de Leuitis, & quos fecit ad nomen Moyſes & Aaron, & principes

Iſrael per cognationes & domos patrum ſuorum à triginta annis & ſuprà, vſque ad annum quinquageſimũ, 'ingrediẽtes ad miniſterium tabernaculi, & onera portanda, fuerunt ſimul octo millia quingenti octoginta. Iuxta verbum Domini recenſuit eos 'Moyſes, vnumquenque iuxta officium & onera ſua, 'ſicut præceperat ei Dominus.

INGREDIVNTVR) Adde, in congregationem. Id eſt, quotquot admittuntur in congregationem deſignatam miniſterio tabernaculi.

HIC eſt populus Gerſonitarũ,) Hi ſunt qui ex cognationibus Gerſonitarum numerati ſunt, quotquot apti erant vt miniſtrarent in tabernaculo fœderis.

QVI ingrediuntur ad explendos ritus tabernaculi) qui ingrediebantur in cõgregationem ad miniſtrandum in tabernaculo. Id eſt, quotquot admittuntur apti vt miniſtrent in tabernaculo.

QVI receẽſiti ſunt de Leuitis, & quos fecit ad nomẽ Moyſes) numerati de Leuitis, quos numerauit Moyſes. Editio Cõplutẽſis legit, Quos receẽſeri fecit ad nomẽ.

INGREDIENTES ad miniſterium tabernaculi, & onera portanda,) quotquot ingrediebantur ad peragendum miniſterium cultus, & ad faciendum opus oneris. Id eſt, quotquot admittebantur ad deferenda vaſa tabernaculi.

Per manum Moyſi.

MOYSES,) Addendum ex Hebræo, Per manum Moyſi. Id eſt, Moyſes numerauit eos iuxta ſermonem quem Dominus habuerat cum ipſo in monte. Hebraiſmus.

SICVT præceperat ei Dominus.) & numerati eius (id eſt, quos Moyſes numerauit) fuerunt quos præceperat Dominus Moyſi. Subaudi, numerandos.

CAP. V.

LOcutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Præcipe filiis Iſrael vt eiiciant 'de caſtris omnem leproſum, & qui ſemine fluit, pollutúſque eſt ſuper mortuo: tam maſculum quàm fœminã eiicite de caſtris, 'ne cõtaminent ea, cum habitauerint vobiſcum. Fecerúntque ita filii Iſrael, & eiecerunt eos extra caſtra, ſicut locutus erat Dominus Moyſi. Locutúſque eſt Dominus ad

Leuit. 6.2.

Moyſen, dicens, Loquere ad filios Iſrael, ‖Vir ſiue mulier cum fecerint 'ex omnibus peccatis quæ ſolent hominibus accidere, '& per negligentiã tranſgreſſi fuerint mãdatum Domini, atque deliquerint, confitebũtur peccatũ ſuum, & 'reddent ipſum caput, quintámque partem déſuper ei in quem peccauerint. 'Sinautẽ non fuerit qui recipiat, dabũt Domino, & erit ſacerdotis, excepto ariete qui offertur pro expiatione, 'vt ſit placabilis hoſtia.

DE caſtris,) extra caſtra.Id eſt,ad locum qui eſt extra caſtra.

NE contaminent ea,quum habitauerint vobiſcum.) ne contaminent caſtra eorum (ſcilicet,filiorum Iſrael) in quorum(ſub.caſtrorum)medio,habito.

EX omnibus peccatis &c.) Id eſt,quum admiſerint peccatum aliquod ex iis quæ ſolent homines admittere.

ET per negligentiam tranſgreſſi fuerint mandatum Domini,) ad præuaricandum præuaricationem in Dominum.Id eſt, præuaricando in Dominum.

Ad præuaricandum præuaricationē

REDDENT ipſum caput,) reddent delictum ſuum in ſolidū. Vel,vt Hebraice ad verbum legitur,in capite ſuo.Id eſt,totum illud ipſum: ſiue propriū ipſum damnum.Hæc eadem ſententia ſcribitur Leuit.6.a.

SIN AVTEM nō fuerit qui recipiat,dabūt Domino,& erit ſacerdotis,) Quòd ſi nō fuerit viro illi propinquus cui reddat quod deliquit in eū,dānū redditū Domino,erit ſacerdotis.Id eſt,Si ille cui intulit damnū,mortu' fuerit,nec habuerit propinquū redemptorē, cui reſtituat damnū quod intulerat mortuo: damnū illud reſtituetur Deo,& erit ſacerdotis.Chaldæus paraphraſtes vertit, Et ſi non vixerit homo ille,neque habuerit propinquū cui reddatur illud in quo peccauerunt: illud quod redditur pro peccato coram Domino,ad ſacerdotem pertinet.

VT ſit placabilis hoſtia.) quo rogabit pro illo.Subaudi,ſacerdos.

Omnes quoque 'primitiæ quas offerunt filii Iſrael,ad ſacerdotem pertinent:'& quicquid in ſanctuarium offertur à ſingulis,& traditur manibus ſacerdotis,ipſius erit.

PRIMITIAE quas offerūt filii Iſrael,ad ſacerdotē pertinent:) oblationes ſanctificationū filiorū Iſrael, quas offerūt ſacerdoti,eius erūt.Id eſt,Omnia quæ offeruntur Deo à filiis Iſrael per ſacerdotem,ipſius ſacerdotis erunt.

ET quicquid in ſanctuarium &c.) Cuiuſcunque ſanctificata,ipſius erunt:at vir qui dederit ſacerdoti, eius erit. Quaſi dicat, Licet vnicuique dare ſanctificata ſacerdoti cuicunque voluerit:at quando quis dederit illa ſacerdoti, ad eum ſacerdotem pertinebunt ſanctificata.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen,dicens,Loquere ad filios Iſrael,& dices ad eos, Vir cuius vxôr errauerit, 'maritúmque contemnens dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere nō quiuerit,ſed latet adulterium, & teſtibus argui nō poteſt,quia non eſt inuenta in ſtupro:ſi ſpiritus zelotypiæ concitauerit virum cōtra vxorem ſuam,quæ vel polluta eſt,'vel falſa ſuſpicione appetitur:adducet eam ad ſacerdotem,&offeret oblationem 'pro illa decimam partē 'ſati farinæ hordeaceæ. non fundet ſuper eam oleum, nec imponet thus : quia 'ſacrificium zelotypiæ eſt,& 'oblatio inueſtigans adulterium.Offeret igitur 'eam ſacerdos,& ſtatuet coram Domino,aſſumétque 'aquam ſanctam in vaſe fictili,'& pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittet in eam.

MARITVMQVE contemnens &c.Sed latet) præuaricatáque fuerit in eum

Zelotypiæ lex quare lata. præuaricationes,& coierit aliquis cum illa coitu ſeminis,idque inſcio marito,ſed latet &c. Lata fuit lex zelotypiæ,id eſt lex qua explorabant vxorum impudicitiam mariti zelotypi,ne ipſi ſæuirent in vxores quas haberent adulterii ſuſpectas: Præterea vt vxores continerentur in officio,& ab impudicitia coercerentur metu tam grauis pœnæ.

VEL falſa ſuſpicione appetitur,) vel non fuerit polluta. Id eſt, falſò fuerit ſuſpecta marito.

PRO illa) Vel,vnà cum ea.

SATI) ephi. Id eſt trium ſatorum.

SACRIFICIVM zelotypiæ eſt,) oblatio zelotypiæ eſt.Id eſt quam offerre ſolet is qui eſt zelotypus,ſiue is qui habet pudicitiam vxoris ſuæ ſuſpectam.

OBLATIO inueſtigans adulterium.) oblatio memoriæ reducentis in memoriam iniquitatē. Repetitio frequēs apud Hebræos,pro,Oblatio quæ reducit iniquitatem in memoriam.

EAM) oblationem.

Aqua ſancta. AQVAM ſanctam.) Id eſt, aquam ſumptam ex labro ſacro,quod erat iuxta altare holocauſti.

ET pauxillum terræ de pauimento) & de puluere qui fuerit in pauimento.

Cúmque ˈſteterit mulier in conſpectu Domini,diſcooperiet caput eius,& ponet ˈſuper manus illius ſacrificium recordationis,& oblationem zelotypiæ: ipſe autem tenebit ˈaquas amariſſimas, in quibus cum execratione maledicta congeſſit, adiurabítque eam,& dicet, Si non dormiuit vir alienus tecum, & ſi non polluta es deſerto mariti thoro, ˈnon te nocebunt aquæ iſtæ amariſſimæ, in quas maledicta congeſſi. Sinaútem declinaſti à viro tuo,atque polluta es,ˈ& cōcubuiſti cum altero viro: ˈhis maledictionibus ſubiacebis, ˈDet te Dominus in maledictionem,ˈexemplúmque cunctorum in populo ſuo.putreſcere faciat femur tuum,ˈ& tumēs vterus tuus diſrūpatur:ingrediantur aquæ maledictæ ˈin ventrem tuum, & vtero tumeſcente putreſcat femur. Et reſpondebit mulier,ˈAmen,amen.

STETERIT mulier) ſtatuerit ſacerdos mulierem.

SVPER manus illius ſacrificium recordationis,& oblationem zelotypiæ:) in manibus eius oblationem memoriæ, quæ oblatio zelotypiæ eſt. Id eſt, quæ ſolet dari à marito zelotypo.

Aquæ amaræ & maledictæ. AQVAS amariſſimas,in quibus cum execratione maledicta cōgeſſit,) aquas amaras maledictas.Id eſt, quæ ſolebant mulieres impudicas reddere infœlices, & miſeras.nam maledictio ſignificat infœlicitatem.Amaras vocat aquas quæ poſtea fiebant amaræ.

NON te nocebunt aquæ iſtæ amariſſimæ, in quas maledicta congeſſi.) munda eſto ab aquis amaris maledictis iſtis.Id eſt,immunis eſto ab infœlicitate quam ſolent afferre aquæ iſtæ amaræ.

ET concubuiſti cum altero viro:) & poſuerit aliquis in te ſemē ſuum.Id eſt,

rem habuerit aliquis tecum præter maritum tuum.

HIS maledictionibus ſubiacebis,) (Adiurabit inquam eam ſacerdos adiuratione maledictionis,& dicet,) Hæc verba,debent legi per parentheſin.

DET te Dominus in maledictionem,) Ponat te Dominus in maledictionem. Id eſt, faciat te Deus miſeram & infœlicem. Dare in maledictionem.

EXEMPLVMQVE cunctorum in populo ſuo.) execrationémque in medio populi tui.Id eſt, Sis tam miſera & infœlix vt publica & communis imprecatio ſit,Contingat tibi quod mulieri illi contigit.Exemplar vetus paruum S. Germani legit,In populo tuo,vt pronomen ſit ſecundæ perſonæ. Execrationẽ eſſe in populo

ET tumens vterus tuus diſrumpatur:) & tumere ventrem tuum.

IN ventrem tuum,) in viſcera tua.

AMEN amen.) Id eſt,ita mihi contingat.

Scribétque ſacerdos in libello iſta maledicta, '& delebit ea aquis amariſſimis,'in quas maledicta congeſſit,'& dabit ei bibere.Quas cum exhauſerit,tollet ſacerdos de manu 'eius ſacrificium zelotypiæ, & eleuabit illud corã Domino, imponétque illud ſuper altare : 'ita dúntaxat vt prius,pugillum ſacrificii tollat de eoquod offertur,& incendat ſuper altare: & ſic potum det mulieri aquas amariſſimas.Quas cum biberit,ſi polluta eſt, & contempto viro adulterii rea,'pertranſibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computreſcet femur:erítq; mulier 'in maledictionem, '& in exemplum omni populo. Quòd ſi polluta non fuerit, 'erit innoxia, & faciet liberos.Iſta eſt lex zelotypiæ:'ſi declinauerit à viro ſuo,& ſi polluta fuerit, maritúſque zelotypiæ ſpiritu concitatus adduxerit eam in conſpectu Domini, & fecerit ei ſacerdos iuxta omnia quæ ſcripta ſunt,maritus abſque culpa erit,& illa recipiet iniquitatem ſuam.

ET delebit ea aquis amariſſimis,) Vel,& ea deleta,immittet in aquas amaras.

IN quas maledicta congeſſit,) Hæc verba non leguntur Hebraice.

ET dabit ei bibere. Quas quum exhauſerit, tollet &c.) & potabit mulierem aquis amaris maledictis:quæ ingredientur in eam.Tunc accipiet ſacerdos de &c.

EIVS) mulieris.

ITA dúntaxat &c.Quas) Capiet autem ſacerdos pugillum de oblatione,ſuffitum eius:& adolebit illud ſuper altare:& poſtea potabit mulierem aquis illis. Suffitum eius vocat pugillum, ſiue portiunculam quæ de ea oblatione incendatur.

PERTRANSIBVNT eam) ingredientur in eam.

IN maledictionem.) Id eſt, dicent omnes, Contingat tibi quod mulieri illi contigit. In maledictionem eſſe.

ET in exemplum) Hæc verba hoc loco non leguntur Hebraice.

ERIT innoxia,& faciet liberos.) ſed munda,abſoluetur,& ſeminabitur ſemine.Abſoluetur,inquit,id eſt liberabitur ab omni noxa,concipiétque & pariet liberos.id enim eſt ſeminari ſemine. Seminare ſemine mulierem.

SI declinauerit,&c.) quũ errauerit mulier ſub viro ſuo,& polluta fuerit: aut certe viri (ſub. Hæc eſt lex) ſuper quẽ tranſierit ſpiritus zelotypiæ, & ſuſpectã habuerit pudicitiam vxoris ſuæ, ſtatuerítque vxorem ſuam coram Domino,& fecerit illi ſacerdos iuxta hanc legem. Immunis erit vir ille ab iniquitate: & mulier ipſa portabit pœnã iniquitatis ſuæ. Id eſt, Vir zelotypus impune illud faciet: mulier vero ſi impudica fuerit, dabit pœnas.

CAP. VI.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen, dicẽs, Loquere ad filios Iſrael,& dices ad eos, Vir ſiue mulier 'cum fecerint votum vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare: à vino,& omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt. Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione,'& quicquid de vua exprimitur, non bibẽt: vuas recentes ſiccáſque nõ comedent cũctis diebus quibus ex voto Domino conſecrantur: quicquid ex vinea eſſe poteſt, ab vua paſſa vſque ad acinũ non comedent.

Iudicum 13.a. Omni tempore 'ſeparationis ſuæ ‖'nouacula non tranſibit per caput eius 'vſque ad completum diẽ quo Domino cõſecratur. Sãctus erit, creſcente cæſarie capitis eius.

CVM fecerint votum vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare:) cũ ſeparauerint ſeſe ad vouendũ votũ nazaræi, ad ſeparandum ſeſe Domino. Id eſt, Cum vouerint ſe fore nazaræos, & cõſecraturos ſeſe cultui diuino.

Nazaræi. Nazaræi erãt qui vt liberius vacarent legi diſcendæ,& expendendæ benignitati Dei, aliorũ cõmercio ſe abdicabant ad tempus,& Domino ſe totos dedebant.

ET quicquid de vua exprimitur,) & omnem infuſionem vuarum. Quando ſcilicet vuæ preſſæ prælo, macerantur aqua: vt eſt vinum ſecundarium.

SEPARATIONIS ſuæ) vel, conſecrationis ſuæ. Id eſt, tempore quo vouit ſe futurum nazaræum.

Nouaculam tranſire ſuper caput. NOVACVLA non tranſibit per caput) nouacula non tranſibit ſuper caput eius. Ita etiam legitur in antiquioribus Latinis codicibus, oblongo S. Dionyſii,& vtroque S. Germani. Id eſt, non curabit tondendum caput ſuum.

VSQVE ad completum &c. Omni) donec impleti fuerint dies ſeparationis ſuæ, Domino ſanctus erit: ſinet creſcere crines capitis ſui intonſos.

Omni tempore conſecrationis ſuæ 'ſuper mortuum non ingredietur, nec ſuper patris quidẽ & matris & fratris ſororíſque funere contaminabitur, quia 'conſecratio Dei ſui ſuper caput eius eſt. Omnibus diebus ſeparationis ſuæ, 'ſanctus erit Domino. Si autem mortuus fuerit ſubitò quiſpiam coram eo, polluetur 'caput conſecrationis eius: quod radet 'ilico in eadem die purgationis ſuæ, & rurſum ſeptima. in octaua autem die offeret duos tur-

tures, vel duos pullos colūbæ ſacerdoti 'in introitu fœderis teſtimonii: faciétque ſacerdos vnum pro peccato, & alterum in holocauſtum,'& deprecabitur pro eo,quia peccauit ſuper mortuo: ſanctificabítque caput eius in die illo.Et conſecrabit Domino 'die ſeparationis illius, offerens agnū anniculum pro peccato:ita tamen vt 'dies priores irriti fiant, quoniā polluta eſt 'ſanctificatio eius.

SVPER mortuum) ad omnem mortuum.Id eſt, funeri non interierit. Ingredi ad mortuum.

CONSECRATIO Dei ſui ſuper caput &c.) Id eſt, quia in capite ſuo geſtat crines quos non curat radendos propter Deum ſuum.

SANCTVS erit Domino.) Id eſt,conſecrabitur Domino.

CAPVT conſecrationis eius) Vel,caput crinis eius intonſi.

ILICO in eadem die purgationis ſuæ,) die mundationis ſuæ.

IN introitu fœderis teſtimonii: faciétque) ad oſtium tabernaculi fœderis:ſacrificabítque ſacerdos, &c.

ET deprecabitur pro eo, quia peccauit ſuper mortuo:) & expiabit illū ab eo quo pollutus fuerat propter mortuum.Id eſt,ab illa impuritate quam contraxit propterea quòd fuerit in loco in quo quis ſubito concidit mortuus.

DIE ſeparationis illius) dies nazareatus ſui.Plurali numero, accuſatiuo caſu, legendum eſt DIES. ſic etiam legitur in codicibus antiquis S.Victoris, Dionyſii & Germani.Cōſecrabit,inquit, Domino dies nazareatus ſui, ſiue ſeparationis ſuæ. Id eſt,ex eo tempore incipiet rurſus numerare tempus nazareatus ſui, tēpus quo vouerat ſe fore nazaræum.

DIES priores irriti fiant,) hoc eſt,dies præcedentes pollutionem non numerabuntur:tempus anteactum quo fuerat nazaræus,reputabitur pro nihilo.

SANCTIFICATIO eius.) nazareatus eius. Id eſt, tempus quo ipſe ſeparatus eſt Deo.

Iſta eſt 'lex conſecrationis,'Cū dies quos ex voto decreuerat,complebuntur:adducet eum ad oſtium tabernaculi fœderis, 'vt offerat oblationem eius Domino, agnum anniculum 'immaculatum in holocauſtū, & ouē anniculam immaculatam pro peccato, & arietem immaculatum, 'hoſtiam pacificam,caniſtrum quoque panum azymorum qui conſperſi ſint oleo, & lagana abſq; fermento vncta oleo,ac libamina 'ſingulorum: quæ offeret ſacerdos coram Domino, & faciet tam pro peccato, quàm in holocauſtum. Arietem verò immolabit hoſtiam pacificam Domino,offerens ſimul caniſtrū azymorum,'& libamenta quæ ex more debentur.¶Tūc 'radetur nazaræus ante oſtium tabernaculi fœderis cæſarie conſecrationis ſuæ:'tollétque capillos eius, & ponet ſu-

per ignem,qui eſt ſuppoſitus ſacrificio pacificorum. 'Et armum coctũ 'arietis,tortámque abſque fermento vnã de caniſtro,&'laganum azymum vnum,& tradet in manus nazaræi, poſtquam raſum fuerit caput eius. 'Suſceptáque rurſum ab eo,eleuabit in conſpectu Domini: '& ſanctificata, ſacerdotis erunt, ſicut pectuſculum quod ſeparari iuſſum eſt,& femur. poſt hæc poteſt bibere nazaræus vinum.

LEX conſecrationis,) ritus nazaræi.Id eſt,ritus quem ſeruare ſolent nazaræi, exacto die ſeparationis.

CVM dies quos ex voto decreuerat,cõplebuntur: adducet eum) Die qua cõpleti fuerint dies ſeparationis ſuæ,conferet ſe ad oſtium &c.

VT offerat oblationem eius) & offeret oblationem ſuã. Latina ſcripta exemplaria S.Dionyſii & Germani legunt, & offeret.

Immaculatus agnus. IMMACVLATVM,) perfectum. in quo nihil reprehendi poſſit.

HOSTIAM pacificam,) in hoſtiam.

SINGVLORVM:) Id eſt,quæ his rebus ſingulis adhiberi ſolebant.

ET libamenta quæ ex more debentur.) & faciet ſacerdos oblationem eius & libamen eius.

RADETVR nazaræus ante oſtium tabernaculi fœderis cæſaric conſecrationis ſuæ,) radet nazaræus ante oſtium tabernaculi conuẽtus,caput ſeparationis ſuæ.
Nazareatus. Vel,nazareatus ſui.Id eſt,is qui ſe cõſecrauerat Deo, radet caput ſuum intõſum, ſiue comam ſuam quæ intonſa erat ratione nazareatus & ſeparationis ſuæ, radet inquam,ante oſtium &c.

TOLLETQVE capillos eius) capiétque cæſariẽ capitis nazareatus ſui.Id eſt, quæ hactenus intonſa fuerat ratione voti.

ET armum) Tollet etiam ſacerdos armum.

ARIETIS,) de quo ſcilicet fiebat ſacrificium pacificorum.

LAGANVM) Vel,cruſtulum.

SVSCEPTAQVE rurſum ab eo,eleuabit) Eleuabit autem ea ſacerdos eleuationem.Vel,Eleuando autem ea ſacerdos offeret.

Sãctitas ſacerdotis. ET ſãctificata,&c.Poſt hæc) ſanctitas eſt ſacerdotis, vltra pectus eleuationis, & vltra armum eleuationis. Quaſi dicat,ea omnia conſecrata ſunt ſacerdoti, & pertinent ad ſacerdotem.

'Iſta eſt lex nazaræi,cum vouerit oblationem ſuã Domino tempore conſecrationis ſuæ,exceptis his quæ 'inuenerit manus eius:'iuxta quod mente deuouerat,ita faciet,ad perfectionem ſanctificationis ſuæ. Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen,dicens, Loquere Aaron & fi-
Eccli.36.c. liis eius,‖Sic benedicetis filiis Iſrael,& dicetis eis,'Benedicat tibi Dominus,& cuſtodiat te. 'Oſtẽdat Dominus faciem ſuam tibi, & 'miſereatur tui. Conuertat Dominus vultum ſuum ad te,& det tibi pacem. 'Inuocabúntque nomen meũ ſuper filios Iſrael, & ego benedicã eis.

ISTA eſt lex nazaræi cum uouerit oblationem ſuam Domino tempore conſecrationis ſuæ,) Iſte eſt ritus nazaræi qui uouerit(ſub. ſe fore nazaræum) &(ſub. hæc eſt lex)oblationis eius Domino pro ſeparatione ſua. Id eſt,quam offerre debet pro ſeparatione ſua.

INVENERIT manus eius &c.) Quaſi dicat,Id faciet,niſi plura facere poterit per facultates ſuas.

IVXTA quod mente &c. Locutúſque) ſecundum votum ſuum quod vouerit,ſic faciet,ſecundum legem nazareatus ſui.Id eſt, quantum vouerit ſe facturũ, tantum præſtabit.

BENEDICAT tibi Dominus,) Id eſt,Det tibi Dominus copiam omniũ bonorum temporaliũ & ſpiritualiũ.Hoc enim ſignificat benedictio apud Hebræos. Benedicere Dei.

OSTENDAT Dominus faciem ſuam tibi,) Lucere faciat Dominus faciem ſuam ſuper te.Vel, Reſpiciat te Dominus vultu hilari. Facies dei.

MISEREATVR tui.) Vel,det tibi quod petis.

INVOCABVNTQVE) Et ponent.Hoc eſt,quum benedicent filiis Iſrael, adiungent nomen meum tetragrammaton.

CAP. VII.

FACTVM eſt autem,in die qua compleuit Moyſes tabernaculũ,& erexit illud:‖vnxítque & ſanctificauit Exod.40.b. cum omnibus vaſis ſuis,altare ſimiliter & omnia vaſa eius: Obtulerũt principes Iſrael °& capita familiarũ °quæ erant per ſingulas tribus, præfecti eorum qui numerati fuerant, °munera coram Domino ſex plauſtra tecta cũ duodecim bobus.Vnum plauſtrum obtulere duo duces, & vnum bouem ſinguli, obtulerúntque ea in conſpectu tabernaculi.

ET capita) Hoc loco ſuperflua eſt coniunctio ET.per appoſitionem enim vocat capita, ſiue primores, quos vocauerat principes. Ea non legitur in editione Complutenſi.

QVAE erant per ſingulas tribus,) qui,maſculino genere legendũ eſt:vt etiam legitur in editione Mogũtinẽſi,& in vetuſtis ſcriptis codicibus S.Germani & Dionyſii. Verte igitur,Hi autem erant principes tribuum.

MVNERA) munera ſua.

Ait autẽ Dominus ad Moyſen,°Suſcipe ab eis vt ſeruiant in miniſterio tabernaculi, & trades ea Leuitis °iuxta ordinem miniſterii ſui.Itaque cũ ſuſcepiſſet Moyſes plauſtra, & boues,tradidit °eos Leuitis. Duo plauſtra & quatuor boues dedit filiis Gerſon, °iuxta id quod habebant neceſſariũ.quatuor alia plauſtra, & octo boues dedit filiis Merari °ſecundum officia & cultum ſuum, ſub manu Ithamar filii Aaron ſacerdotis.filiis autem Caath non dedit plauſtra & boues: °quia in ſanctuario ſeruiũt, & onera propriis portant humeris.

SVSCIPE ab eis,vt ſeruiāt in miniſterio tabernaculi,) Suſcipe ab eis,eruntque in miniſterium tabernaculi fœderis.Vel,conuentus,ſiue cōgregationis.Quaſi dicat,Omnia illa quæ principes obtulerint,erunt vſui tabernaculo fœderis.Paruū exemplar ſcriptum S.Germani legit,tabernaculi teſtimonii.

IVXTA) vnicuique iuxta &c.

EOS) plurali numero,neutro genere legēdum eſt,EA. Sic etiam legit exēplar Victorinum,& Latum S.Dionyſii,conſentiente editione Complutenſi.

IVXTA id quod habebant neceſſarium.) ſecundum opus eorum.Id eſt,habita ratione eorum quæ ferre debebant.

SECVNDVM officia & cultum ſuum,) pro ratione miniſterii eorum.Id eſt, habita ratione eorum quæ ferre debebant.

QVIA in ſanctuario ſeruiūt,) quia opus ſanctitatis erat ſuper eos.Vel, Quia miniſterium ſanctuarii ad eos pertinebat.

Igitur obtulerunt duces in dedicationem altaris, die qua vnctum eſt,oblationem ſuam ante altare.Dixítque Dominus ad Moyſen, Singuli duces per ſingulos dies offerant munera in dedicationē altaris. Primo die obtulit oblationē ſuam 'Nahaſſon filius Aminadab de tribu Iuda: fuerúntq; in ea 'acetabulū argenteū pondo centū triginta ſiclorū,phiala argentea habēs ſeptuaginta ſiclos iuxta pondus ſanctuarii,vtrunque plenū ſimila conſperſa 'oleo 'in ſacrificiū: 'mortariolum ex decē ſiclis aureis plenum incenſo:'bouem de armēto,& arietem, & agnū anniculum in holocauſtum:hircúmque 'pro peccato:& in ſacrificio pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque,agnos anniculos quinque.hæc eſt oblatio Nahaſſon filii Aminadab.

Nomen patris loco cognominis. NAHASSON filius Aminadab) More Hebræo nomen patris ponitur cognominis loco.

קְעָרָה ACETABVLVM) Vox Hebræa KEAARA, ſignificat ſcutellam magnam & latam.

OLEO) ſcilicet oliuarum.

IN ſacrificium:) in oblationem.

כַּף MORTARIOLVM ex decem ſiclis aureis) Vel,Cochlear vnum aureum, decē.ſubaudi,ſiclorū.Vox Hebræa CAPH,ſignificat vas paruū & concauū in modū cochlearis formatū, in quo thus vel incenſum, aut aliud huiuſmodi ponebatur.

Bos de armento. BOVEM de armento,) iuuencum vnum filium bouis.Id eſt,vitulum.

PRO peccato:) Id eſt, ex quo debebat fieri ſacrificium in expiationē peccati.

Secundo die obtulit Nathanael filius Suar,dux de tribu Iſſachar,acetabulū argenteum appendens centū triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos,iuxta pondus ſanctuarii, vtrunque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium:mortariolum aureum ha-

bens decem ſiclos plenum incenſo:bouem de armento & arietem,& agnum anniculũ in holocauſtũ: hircúmq; pro peccato:& in ſacrificio pacificorum boues duos, arietes quinque,hircos quinque,agnos anniculos quinq;. hæc fuit oblatio Nathanael filii Suar. Tertio die princeps filiorum Zabûlon Eliab filius Helon,obtulit acetabulum argenteum appendens centũ triginta ſiclos,phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos ad pōdus ſanctuarii,vtrunque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium: mortariolum aureum appendens decẽ ſiclos plenum incenſo:bouem de armento,& arietem,& agnũ anniculum in holocauſtum:hircúmque pro peccato: & in ſacrificio pacificorũ boues duos,arietes quinque,hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc eſt oblatio Eliab filii Helon. Die quarto princeps filiorum Rubẽ, Eliſur filius Sedeur obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos,phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos ad pondus ſanctuarii, vtrunque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium : mortariolum aureum appendens decem ſiclos plenũ incenſo: bouem de armento, & arietem, & agnum anniculũ in holocauſtum:hircúmque pro peccato: & in ſacrificio pacificorum boues duos,arietes quinque,hircos quinq;, agnos anniculos quinq;. hæc fuit oblatio Eliſur filii Sedeur. Die quinto princeps filiorum Simeon Salamiel filius Suri-ſaddái,obtulit acetabulum argenteum appẽdens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habẽtem ſeptuaginta ſiclos ad pondus ſanctuarii, vtrunque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium:mortariolũ aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo: bouẽ de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum: hircúmque pro peccato:& in hoſtias pacificorum boues duos,arietes quinque,hircos quinque,agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Salamiel filii Suri-

ſaddái. Die ſexto princeps filiorum Gad Eliaſaph filius Duel, obtulit acetabulum argenteū appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos ad pōdus ſanctuarii, vtrunque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium: mortariolum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo: bouem de armento, & arietem, & agnū anniculum in holocauſtum: hircúmque pro peccato: & in hoſtias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Eliaſaph filii Duel.

Die ſeptimo princeps filiorum Ephráim Eliſama filius Ammiud, obtulit ācetabulum argenteū appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentē ſeptuaginta ſiclos ad pondus ſanctuarii, vtrunque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium: mortariolum aureū appendens decem ſiclos plenum incenſo: bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtū: hircúmque pro peccato: & in hoſtias pacificorū, boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Eliſama filii Ammiud. Die octauo princeps filiorum Manaſſe Gamaliel filius Phadaſſur, obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentē ſeptuaginta ſiclos ad pondus ſanctuarii, vtrunque plenū ſimila conſperſa oleo in ſacrificium: mortariolum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo: bouē de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtū: hircúmque pro peccato: & in hoſtias pacificorū boues duos, arietes quinq;, hircos quinque, agnos anniculos quinque. hæc fuit oblatio Gamaliel filii Phadaſſur. Die nono princeps filiorū Ben-iamin Abidan filius Gedeônis, obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos ad pondus ſanctuarii, vtrunque plenum ſimila cō-

ſperſa oleo in ſacrificium:mortariolum aureum appen-
dens decem ſiclos plenum incenſo : bouem de armēto,
& arietem, & agnum anniculum in holocauſtum: hir-
cúmque pro peccato:& in hoſtias pacificorū boues du-
os,arietes quinque,hircos quinq;,agnos anniculos quin
que. hæc fuit oblatio Abidan filii Gedeônis. Die de-
cimo princeps filiorū Dan Ahi-ézer filius Ammi-ſad-
dái obtulit acetabulum argenteum appendens centum
triginta ſiclos, phialam argenteam habentē ſeptuagin-
ta ſiclos ad pondus ſanctuarii, vtrunque plenum ſimila
conſperſa oleo in ſacrificium: mortariolum aureum ap-
pendens decem ſiclos plenum incenſo:bouem de armē-
to,& arietē,& agnum anniculum in holocauſtum: hir-
cúmq; pro peccato: & in hoſtias pacificorū boues duos,
arietes quinque,hircos quinque, agnos anniculos quin-
que.hæc fuit oblatio Ahi-ézer filii Ammi-ſaddái. Die
vndecimo princeps filiorū Aſer, Phegiel filius Ochran,
obtulit acetabulum argenteum appendens centum tri-
ginta ſiclos,phialam argenteam habentem ſeptuaginta
ſiclos ad pondus ſanctuarii,vtrunque plenum ſimila cō-
ſperſa oleo in ſacrificium : mortariolum aureum appē-
dens decem ſiclos plenum incenſo:bouem de armento,
& arietem,& agnum anniculum in holocauſtū:hircúm-
que pro peccato: & in hoſtias pacificorum boues duos,
arietes quinque,hircos quinque, agnos anniculos quin-
que. hæc fuit oblatio Phegiel filii Ochran. Die duo-
decimo princeps filiorum Nephthali Ahira filius Enan,
obtulit acetabulum argenteum appendens centum tri-
ginta ſiclos,phialam argenteam habentem ſeptuaginta
ſiclos ad pondus ſanctuarii,vtrunque plenum ſimila o-
leo conſperſa in ſacrificium:mortariolum aureū appen-
dens decem ſiclos plenum incenſo: bouem de armēto,
& arietem, & agnum anniculum in holocauſtum: hir-
cúmq; pro peccato:& in hoſtias pacificorū boues duos,

arietes quinque,hircos quinque,agnos anniculos quinque.hæc fuit oblatio Ahira filii Enan. Hæc in dedicatione altaris oblata ſunt à principibus Iſrael,in die qua cõſecratum eſt:'acetabula argentea duodecim:phialæ argẽteæ duodecim: 'mortariola aurea duodecim: ita vt centum triginta ſiclos argenti haberet vnum acetabulum, & ſeptuaginta ſiclos haberet vna phiala: 'id eſt in commune vaſorum omniũ ex argento ſicli duo millia quadringenti,pondere ſanctuarii.mortariola aurea duodecim plena incenſo,denos ſiclos appendẽtia pondere ſanctuarii:id eſt ſimul auri ſicli centũ viginti.boues de armento in holocauſtum duodecim,arietes duodecim,agni anniculi duodecim,& libamenta eorum. hirci duodecim pro peccato.in hoſtias pacificorũ, boues vigintiquatuor,arietes ſexaginta,hirci ſexaginta,agni anniculi ſexaginta.Hæc oblata ſunt in dedicatione altaris,quando vnctum eſt.

ACETABVLA argentea) ſcutellæ argenteæ.
MORTARIOLA) cochlearia.
ID eſt in cõmune vaſorum omnium ex argento) omne argentum vaſorum erat &c.

Cumque ingrederetur Moyſes tabernaculum fœderis,'vt conſuleret oraculum,audiebat 'vocem loquentis ad ſe de propitiatorio quod erat ſuper arcam teſtimonii inter duos cherûbim,vnde & loquebatur ei.

Relatiuũ pro antecedentẽ. VT conſuleret oraculum,) vt loqueretur cum eo.Scilicet Deo.Relatiuũ loco antecedentis.Id eſt,vt conſuleret Deum.
VOCEM loquentis ad ſe de propitiatorio) Id eſt, vocem reſpondentem verbis ſuis,quæ edebatur de propitiatorio.

CAP. VIII.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen,dicens, Loquere Aaron, & dices ad eum, 'Cum poſueris ſeptem lucernas, 'candelabrũ in Auſtrali parte erigatur. Hoc igitur præcipe vt lucernæ cõtra Boream eregione reſpiciant ad menſam panum propoſitionis:'cõtra eam partem quam candelabrum reſpicit,lucere debebunt. 'Fecítque Aarõ,'& impoſuit lucernas ſuper candelabrũ,

vt præceperat Dominus Moyſi.

CVM poſueris ſeptem lucernas) Quando accendes lucernas.

CANDELABRVM in Auſtrali parte erigatur. Hoc igitur præcipe vt lucernæ contra Boream e regione reſpiciant ad menſam panum propoſitionis,) Hæc verba Hebraice non leguntur, neque in Complutenſi editione, neque in latis exemplaribus ſcriptis S. Dionyſii, & Germani, & Paruo eiuſdem.

CONTRA eam partem quam candelabrum reſpicit, lucere debebunt.) contra faciem candelabri lucebũt ſeptẽ lucernæ illæ. Id eſt, verſus eam partem quæ reſpondet fronti candelabri.

FECITQVE) Et fecit ſic. accendit ſcilicet lucernas candelabri.

ET impoſuit lucernas ſuper candelabrum,) fecit vt lucernæ iacularentur lumen ſuum in partem oppoſitam fronti candelabri.

Hæc autem erat factura candelabri, Ex auro ductili, tam medius ſtipes quàm cuncta quæ ex vtroque calamorum latere naſcebantur. Iuxta exemplũ quod oſtendit Dominus Moyſi, ita operatus eſt candelabrum.

TAM medius ſtipes quàm cuncta quæ ex vtroque calamorum latere naſcebantur.) vſque ad haſtile ſuum, & vſque ad flores ſuos ductile erat. Vel, tam haſtile eius, quàm lilia, erant facta opere ductili. Vel opere integro, vt alii vertũt: hoc eſt ex vna maſſa diductum, non per fragmenta & membra compoſitum.

Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicẽs, Tolle Leuitas ex medio filiorum Iſrael, & purificabis eos iuxta hũc ritum, Aſpergantur aqua luſtrationis, & radant omnes pilos carnis ſuæ. Cúmque lauerint veſtimẽta ſua, & mũdati fuerint, tollent bouem de armentis, & libamentũ eius ſimilam oleo conſperſam, bouem autem alterum de armento tu accipies pro peccato: & applicabis Leuitas coram tabernaculo fœderis, conuocata omni multitudine filiorum Iſrael. Cúmque Leuitæ fuerint coram Domino, ponent filii Iſrael manus ſuas ſuper eos, & offeret Aaron Leuitas, munus in conſpectu Domini à filiis Iſrael, vt ſeruiant in miniſterio eius. Leuitæ quoque ponent manus ſuas ſuper capita boum, è quibus vnum facies pro peccato, & alterum in holocauſtum Domini, vt depreceris pro eis. Statuéſq; Leuitas in cõſpectu Aaron & filiorũ ius, & cõſecrabis oblatos Domino, ac ſeparabis de medio filiorum Iſrael, vt ſint mei. Et poſtea ingrediantur tabernaculum fœderis vt ſeruiant mihi: ſicque purificabis & cõſecrabis eos in oblationem Domi-

Exod.13.a.5.3.c luc.2.d.

ni: quoniam dono donati ſunt mihi à filiis Iſrael: pro primogenitis quæ aperiunt omnem vuluam in Iſrael, accepi eos. Mea ſunt enim omnia primogenita filiorum Iſrael, tam ex hominibus quàm ex iumentis, ex die quo percuſſi omne primogenitum in Terra-AEgypti, ſanctificaui eos mihi. Et tuli Leuitas pro cunctis primogenitis filiorum Iſrael: tradidíque eos dono Aaron & filiis eius de medio populi, vt ſeruiant mihi pro Iſrael in tabernaculo fœderis, & orent pro eis ne ſit in populo plaga, ſi auſi fuerint accedere ad ſanctuarium.

ET purificabis) & purifica. Vel legendum per futurum, Tolles, & purificabis.
LVSTRATIONIS,) expiationis. Vel, purificationis.
BOVEM de armentis) bouem filium bouis. Id eſt vitulum.
ET libamentum eius ſimilam) & munus eius, nempe ſimilam.
Pro peccato. PRO peccato:) Id eſt, in ſacrificium pro expiatione peccati.
APPLICABIS) offeres.
Eleuare pro offerre. OFFERET) Hebraice eſt, eleuare faciet: pro offeret.
MVNVS) eleuationem. Id eſt oblationem.
BOVM) iuuencorum.
VT depreceris pro eis.) ad luſtrandos Leuitas. Vel, expiandos.
CONSECRABIS oblatos) offeres illos oblationem.
MIHI.) in tabernaculo fœderis.
SICQVE purificabis & conſecrabis eos) purificabis ergo eos.
MEA ſunt) Vel, Mea erant.
ET tuli) Declarat quæ prius dixerat.
POPVLI,) filiorum Iſrael. Sic legitur in paruo exemplari S. Germani.
PRO Iſrael) loco filiorum Iſrael. Id eſt, vt fungantur officio ad quod tenentur filii Iſrael.
Orare pro expiare. ET orent pro eis) & vt luſtrent filios Iſrael. Vel, expiēt: aut reddant Deū propitiū filiis Iſrael. Vide annotationem de hac expiatione, cap. xv, huius libri.
AD ſanctuarium.) vt ſcilicet miniſtrent.

Fecerúntque Moyſes & Aarō & omnis multitudo filiorum Iſrael ſuper Leuitis quæ præceperat Dominus Moyſi. Purificatíque ſunt, & lauerunt veſtimenta ſua: eleuauítque eos Aaron in conſpectu Domini, & orauit pro eis, vt purificati ingrederentur ad officia ſua in tabernaculum fœderis coram Aarō & filiis eius: ſicut præceperat Dominus Moyſi de Leuitis, ita factum eſt,

PVRIFICATIQVE ſunt,) Luſtraueruntque ſeſe Leuitæ.
ELEVAVITQVE, eos Aaron) eleuauítque eos Aaron eleuationem. Id eſt, obtulítque eos Aaron in oblationem.
ET orauit pro eis, vt purificati ingrederentur ad officia ſua in tabernaculum) & luſtrauit (vel, purificauit) eos, vt mundaret eos. His factis aggreſſi ſunt Leuitæ fungi munere ſuo in tentorio &c. Quidā pro luſtrauit, vertunt Et orauit pro eis.

CORAM Aaron &c.) Id eſt, Vidente Aarone & filiis eius.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, 'Hæc eſt lex Leuitarum, A vigintiquinque annis, & ſuprà, 'ingredientur vt miniſtrent in tabernaculo fœderis. Cúmque quinquageſimum annum ætatis impleuerint, ſeruire ceſſabunt, 'erúntque miniſtri fratrum ſuorum in tabernaculo fœderis, 'vt cuſtodiant quæ ſibi fuerint commendata, opera autem ipſa non faciant. ſic diſpones Leuitis in cuſtodiis ſuis.

HAEC eſt lex Leuitarum,) Vel, hoc eſt quod ad Leuitas pertinet. Lex Leuitarũ

INGREDIENTVR vt miniſtrent in tabernaculo fœderis.) aggredientur militare militiã in miniſterio tentorii fœderis. Id eſt, incipient fungi munere ſuo in miniſterio &c. Militare militiam.

ERVNTQVE miniſtri fratrum ſuorum) ſed miniſtrabunt cum fratribus ſuis. Id eſt, iuuabunt fratres ſuos conſilio.

VT cuſtodiant &c.) vt fungantur officio ſuo: & cultum non peragent. ſic facies Leuitis in cuſtodiis ſuis. Id eſt, attamen non facient quæ facere ſolebant ante quinquageſimum annum. ſic facies Leuitis iuxta ea quæ facere ſolent.

CAP. IX.

LOCVTVS eſt Dominus ad Moyſen in deſerto Sinai anno ſecundo poſtquam egreſſi ſunt de Terra AEgypti menſe primo, dicens, 'Faciant filii Iſrael Phaſe in tempore ſuo. Quartadecima die 'menſis huius 'ad veſperam, 'iuxta omnes ceremonias & iuſtificationes eius. Præcepítque Moyſes filiis Iſrael vt facerent Phaſe. Qui fecerunt 'tempore ſuo: quartadecima die mẽſis 'ad veſperam in monte Sinai. Iuxta omnia quæ mandauerat Dominus Moyſi, fecerunt filii Iſrael.

FACIANT) facient. futuro tempore.

MENSIS huius) Id eſt, menſis primi.

AD veſperam,) inter duas veſperas facietis illud tempore ſuo. Id eſt, ſub veſperam, ad occaſum, ſub noctem, ſub initium quinti dici (quod Gallice dicimus, Entre chien & loup) immolabitis hunc agnum paſchalem tempore quo præcepi immolari. Vide annotationem de hoc in Exodo, cap. XII. Inter duas veſperas.

IVXTA omnes ceremonias & iuſtificationes eius.) Iuxta omnes ritus ſuos & omnes ceremonias ſuas celebrabitis illud. Id eſt, celebrabitis illud obſeruando ritus & ceremonias peculiares illi.

TEMPORE ſuo:) in primo. Scilicet menſe.

AD veſperam, in monte Sinai,) inter duas veſperas in deſerto Sinai.

Ecce autem quidam immundi 'ſuper anima hominis, qui nõ poterant facere Phaſe in die illo, accedentes

ad Moyſen & Aaron, dixerunt eis, Immundi ſumus 'ſuper anima hominis: 'quare fraudamur vt non valeamus oblationem offerre Domino in tempore ſuo inter filios Iſrael? Quibus reſpondit Moyſes, State vt conſulã quid præcipiat Dominus de vobis. Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Loquere filiis Iſrael, Homo qui fuerit immundus ſuper anima, 'ſiue in via procul in gente veſtra, faciat Phaſe Domino in mẽſe ſecũdo, quartadecima die mẽſis 'ad veſperã: cũ azymis '& lactucis agreſtibus comedent illud. non relinquent ex eo quippiã vſque mane,

Exod.12.g. ioh.19.f. ‖& 'os eius non confringẽt, omnẽ ritũ Phaſe obſeruabunt. Siquis autem & mundus eſt, '& in itinere non fuit, & tamen non fecit Phaſe, 'exterminabitur anima illa de populis ſuis, quia 'ſacrificiũ Domino non obtulit tẽpore ſuo: 'peccatũ ſuũ ipſe portabit. Peregrinus quoq; & aduena ſi fuerint apud vos, facient Phaſe Domino iuxta ceremonias '& iuſtificationes ſuas, 'Præceptum idem erit apud vos tam aduenæ, quàm indigenæ.

Immundus ſuper anima hominis. SVPER anima hominis:) Id eſt, ſuper cadauere hominis, ſiue Propter cadauer hominis: quòd ſcilicet hominis mortui exequiis affuiſſent.

QVARE fraudamur vt non valeamus &c.) quare arcebimur ne offeramus oblationem Domino in tempore ſuo in medio filiorum Iſrael? Id eſt, quemadmodum & alii filii Iſrael celebrant?

SIVE in via procul in gente veſtra, faciat) ſiue in via remota, ex vobis, aut ex generationibus veſtris: faciet &c. Id eſt, ſiquis ex vobis, aut ex poſteris veſtris abſens fuerit à loco in quo celebratur Paſcha à filiis Iſrael.

AD veſperam,) inter duas veſperas. Tam impuri, quàm illi qui abfuerant tempore quo celebrabatur Paſcha, poterant menſe ſequente celebrare illud.

ET lactucis agreſtibus) & herbis amaris.

OS eius) os in eo.

ET in itinere non fuit,) aut in itinere non fuerit. Id eſt, non fuerit abſens tẽpore quo celebrabatur Paſcha à filiis Iſrael.

EXTERMINABITVR anima illa de populis ſuis,) Id eſt, interficiet illũ De⁹.

SACRIFICIVM Domino) oblationem Domini.

Portare peccatum ſuum. PECCATVM ſuum ipſe portabit.) Id eſt, dabit pœnas pro peccato ſuo.

ET iuſtificationes ſuas.) & ritum ſuum. Vel, morem ſuum.

PRAECEPTVM idem) Ritus idem.

Exod.40.b. ‖Igitur die qua erectum eſt tabernaculum, 'operuit illud nubes. A veſpere autem ſuper tentorium erat quaſi ſpecies ignis vſque mane. ſic fiebat iugiter. per diẽ operiebat illud nubes, & per noctẽ quaſi ſpecies ignis. Cúm-

que ablata fuiſſet nubes'quæ tabernaculum protegebat, tunc 'proficiſcebantur filii Iſrael: & in loco vbi ſteriſſet nubes, ibi caſtrametabantur. Ad imperiũ Domini proficiſcebãtur, & ad imperiũ illius figebant tabernaculũ. ¶Cunctis diebus quibus ſtabat nubes ſuper tabernaculũ, 'manebant in eodem loco: & ſi eueniſſet vt multo tempore maneret ſuper illud, erant filii Iſrael 'in excubiis Domini, & non proficiſcebantur.'Quotquot diebus fuiſſet nubes ſuper tabernaculũ, ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium illius 'deponebant. Si fuiſſet nubes à veſpere vſque mane, & ſtatim diluculo tabernaculum reliquiſſet, proficiſcebantur: & ſi poſt diẽ & noctem receſſiſſet, 'diſſipabant tentoria. Si verò biduo, aut vno menſe, 'vel longiori tempore fuiſſet ſuper tabernaculum, manebant filii Iſrael in eodem loco, & nõ proficiſcebantur: ſtatim autem vt receſſiſſet, mouebant caſtra. 'Per verbum Domini figebant tentoria, & per verbum illius proficiſcebantur, erántque in excubiis Domini iuxta imperium eius 'per manum Moyſi. 1.Corint.10.a.

OPERVIT illud nubes.) operuit nubes tabernaculum, ſupra tentorium teſtimonii. Quaſi dicat, Nubes illa erat ſuper tabernaculum, ſed præcipue ſuper eã partem cui iuberat arca fœderis.

QVAE tabernaculum protegebat,) à tabernaculo.

PROFICISCEBANTVR) Vel, proficiſci ſolebant.

MANEBANT in eodem loco:) caſtrametabantur. Id eſt, ſubſiſtere ſolebant.

IN excubiis Domini,) Id eſt, tunc obſeruabant præcepta Domini, ritus & ceremonias quas iuſſerat Dominus obſeruari. miniſtrabant Domino vt ipſe præcegerat. Hoc ſignificat In excubiis Domini eſſe. In excubiis Domini eſſe.

QVOTQVOT diebus fuiſſet nubes ſuper tabernaculum,) Accidebat interdũ vt nubes eſſet ſuper tabernaculum diebus numeri, Id eſt paucis. Dies numeri.

DEPONEBANT.) proficiſcebantur.

DISSIPABANT tentoria) proficiſcebantur.

VEL longiori tempore) vel anno.

PER verbum Domini) Ad mandatum Domini.

PER manum Moyſi.) Id eſt quemadmodum præceperat Moyſes mandato Domini. Vel, quemadmodum præceperat Dominus per Moyſen. Per manum Moyſi.

CAP. X.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad'Moyſen, dicẽs, Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus cõuocare poſſis multitudinem quãdo mouenda ſunt caſtra.

Cúmque 'increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad oſtium tabernaculi fœderis.'Si ſemel clangueris, venient ad te principes, & capita multitudinis Iſrael. 'Si autem prolixior atque conciſus clãgor increpuerit, mouebunt caſtra primi qui ſunt ad Oriẽtalem plagam. 'in ſecundo autem ſonitu & pari vlulatu tubæ, leuabunt tentoria qui habitant ad Meridiem.'& iuxta hunc modum reliqui facient vlulantibus tubis in profectionem. Quando autem congregandus eſt populus, ſimplex tubarum clangor erit,'& non conciſe vlulabunt. Filii autem Aaron 'ſacerdotis clangent tubis:'erítque hoc legitimum ſempiternum in generationibus veſtris. Si exieritis ad bellum 'de terra veſtra, contra hoſtes qui 'dimicant aduerſum vos, clangetis 'vlulantibus tubis, & erit recordatio veſtri coram Domino Deo veſtro, vt eruamini de manibus inimicorum veſtrorum. 'Siquando habebitis epulum, & dies feſtos,'& calendas, canetis tubis ſuper holocauſtis, & pacificis victimis, 'vt ſint vobis in recordationem Dei veſtri.'ego Dominus Deus veſter.

INCREPVERIS tubis,) clangent cum illis. Id eſt, quum illis tubis dabunt ſignum.

SI ſemel clangueris, venient ad te principes & capita multitudinis Iſrael.) Quòd ſi altera tantũ clanxerint, conuenient ad te principes, capita milliũ Iſrael.

SI autem prolixior atque conciſus clangor increpuerit,) Sin clanxeritis iubilationem. Id eſt, Sin clanxeritis tubis vlulantibus vel iubilantibus, & cum iubilatione. Alii vertunt taratantara. erat quidam clangor qui nos latet.

IN ſecundo autem ſonitu & pari vlulatu tubæ, leuabunt tentoria) Cum clangetis tubis iubilationis ſecundo, proficiſcentur &c.

ET iuxta hunc modũ &c.) iubilationem clangent ſecundum profectiones ſuas. Vel, Iubilum, inquam, quendam clangore exprimẽt quoties erũt profecturi.

ET non conciſe vlulabunt.) & non iubilabitis.

SACERDOTIS) ſacerdotes. plurali numero.

ERITQVE hoc legitimum) erúntque(ſub. illæ tubæ) vobis in ſtatutum &c. Quaſi dicat, ſoli ſacerdotes clangent illis tubis, quandiu vixeritis.

DE terra) in terra.

DIMICANT aduerſum vos,) opprimunt vos. Vel, affligunt.

VLVLANTIBVS tubis) tubis illis.

SIQVANDO habebitis epulum) In die lætitiæ veſtræ. Siue, in tempore lætitiæ veſtræ, & in ſolennitatibus veſtris &c.

ET calendas,) & habebitis capita menſium veſtrorum. Id eſt, calendas, & neomenias. Id eſt, In initiis menſium veſtrorum.

VT ſint vobis in recordationem Dei veſtri.) & erunt vobis in recordationẽ coram deo veſtro. Id eſt, efficient vt Dominus recordetur veſtri.

EGO Dominus &c.) qui ſcilicet id dico vobis,& polliceor.

Anno ſecundo,menſe ſecundo, 'viceſima die menſis 'eleuata eſt nubes de tabernaculo fœderis : profectíque ſunt filii Iſrael 'per turmas ſuas de deſerto Sinai,& recubuit nubes in ſolitudine Pharan.Mouerúntq; caſtra primi 'iuxta imperium Domini 'per manum Moyſi. 'Filii 7.12.
Iuda per turmas ſuas, quorum princeps erat Nahaſſon filius Aminadab. In tribu filiorũ Iſſachar fuit princeps Nathanael filius Suar. In tribu Zabûlon erat princeps Eliab filius Helon. 'Depoſitúmque eſt tabernaculum, quod portantes 'egreſſi ſunt filii Gerſon & Merari. 'Profectíque ſunt & filii Ruben,per turmas & ordinem ſuũ, quorum princeps erat Heliſur filius Sedeur.In tribu autem filiorum Simeon,princeps fuit Salamiel filius Suriſaddái. Porrò in tribu Gad erat princeps Eliaſaph filius Duel. Profectíque ſunt & Caathitæ portantes 'ſanctuarium.'Tandiu tabernaculum portabatur,donec veniret ad erectionis locum.'Mouerunt caſtra & filii Ephráim per turmas ſuas,in quorum exercitu princeps erat Eliſama filius Ammiud. In tribu autem filiorum Manaſſe princeps fuit Gamaliel filius Phadaſſur.& in tribu Beniamin erat dux Abidan filius Gedeônis. 'Nouiſſimi caſtrorũ omnium profecti ſunt filii Dan per turmas ſuas, in quorũ exercitu princeps fuit Ahi-ézer filius Ammiſaddái.In tribu autem filiorum Aſer erat princeps Phegiel filius Ochran.Et in tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira filius Enan. 'Hæc ſunt caſtra, & profectiones filiorum Iſrael per turmas ſuas 'quando egrediebantur.

VICESIMA die menſis) More Hebraico antecedens pro relatiuo poſuit,Viceſima die eiuſdem.

ELEVATA eſt) diſceſſit.

PER turmas ſuas) per profectiones ſuas.Id eſt ſuo ordine,ſeruato ordine procedendi. Per profectiones ſuas.

IVXTA imperium Domini) Id eſt, cum clangerent tubæ. Per manum Moyſi.

PER manum Moyſi.) Id eſt,Moyſe indice,& internuntio.

FILII Iuda per turmas ſuas,) Proficiſci autem cœpit vexillum caſtrorum filiorum Iuda per turmas ſuas.

·DEPOSITVMQVE eſt tabernaculum,) Depoſitum autem fuerat tabernaculum. Vel, Iam vero depoſitum fuerat tabernaculum. Antequam ſcilicet inciperent proficiſci.

EGRESSI ſunt,) proficiſci cœperunt. Statim nempe poſt primum vexillũ.

PROFECTIQVE ſunt & filii Ruben) Proficiſci quoque cœpit vexillum caſtrorum tribus Ruben.

Sanctuarium

SANCTVARIVM.) Id eſt, res ſacratiores, vt arcam fœderis, altare aureum, & candelabrum.

TANDIV tabernaculum portabatur, donec venirent ad erectionis locum.) & illi erexerunt tabernaculum interim dum iſti venirent. Vel, Erigebant autem tabernaculum Meraritæ & Gerſonitæ qui præcedebant, in loco vbi nubes reſidebat, donec venirent filii Caath, ſiue dum adhuc in itinere eſſent filii Caath, ſancta portantes: vt ſcilicet inuenirent tabernaculum paratum.

MOVERVNT caſtra & filii Ephráim) Profectum eſt & vexillum caſtrorum filiorum Ephráim.

NOVISSIMI caſtrorum omnium profecti ſunt filii Dan) Profectum eſt etiam vexillum filiorum Dan, colligens omnia caſtra. Id eſt, nouiſſimum omniũ filiorum Iſrael, ſecum trahens reliquam partem caſtrorum. Hebraiſmus.

Colligere omnia caſtra.

Hæ profectiones.

HAEC ſunt caſtra, & profectiones) Hæ ſunt profectiones &c. Hoc eſt, hoc ordine profecti ſunt filii Iſrael.

QVANDO egrediebantur.) ac ſunt ita profecti.

Dixitque Moyſes 'Hobab filio Raguel Madianitæ 'cognato ſuo, Proficiſcimur ad locum 'quem Dominus daturus eſt nobis: veni nobiſcũ, 'vt benefaciamus tibi: quia Dominus bona promiſit Iſraeli. Cui ille reſpondit, Non vadam tecum, ſed reuertar in terram meam 'in qua natus ſum. Et ille, 'Noli, inquit, nos relinquere. 'tu enim noſti in quibus locis per deſertũ caſtra ponere debeamus, & eris ductor noſter. Cúmque nobiſcum veneris, 'quicquid optimum fuerit ex opibus quas nobis traditurus eſt Dominus, dabimus tibi.

HOBAB) Quidam dicunt hunc fuiſſe Iethro.

COGNATO) Alii vertunt, ſocero. Varia eſt de hoc homine apud Hebræos opinio.

QVEM Dominus daturus eſt nobis:) de quo dixit Dominus, Dabo eum vobis.

VT benefaciamus tibi:) & benefaciemus tibi. Id eſt, particeps eris beneficiorũ quæ accepturi ſumus à Domino.

IN qua natus ſum.) & ad natiuitatem meam pergam. Vel, ad cognationem meam.

NOLI) Noli obſecro.

TV enim noſti, &c. Cúmque) quia reuera noſti nos habere caſtra in deſerto, & eſſe poteris nobis in oculos. Cúmque &c. In oculos eſſe alicui, eſt illius ducem eſſe. Alii vertunt, Propterea quòd noſti nos morari in deſerto, debes nobis eſſe ductor.

Eſſe alicui in oculos.

QVICQVID optimum &c. Profecti) & euenerit nobis bonũ illud quod facturus eſt nobis Dominus, tum benefaciemus tibi.

Profecti ſunt ergo 'de monte Domini viam trium

dierum, arcáque fœderis Domini præcedebat eos, per
dies tres 'prouidens caſtrorum locum. Nubes quoque
Domini ſuper eos erat per diem cum incederent. Cúmque 'eleuaretur arca, dicebat Moyſes, |'Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, à facie tua. Cum autem 'deponeretur, aiebat, 'Reuertere Domine 'ad multitudinem exercitus Iſrael. Pſal.67.a.

DE monte Domini) Id eſt, Sinai.

PROVIDENS caſtrorum locum.) ad explorandam eis quietem. Id eſt, ad explorandum locum in quo quieſcerent.

CVM incederent.) dum proficiſcerentur è caſtris. Vel, dum diſcedebant à loco in quo fixerant tabernacula.

ELEVARETVR) proficiſci cœperat.

SVRGE) more ſcilicet militis, dicit Exurge Domine: vt audita tuba ad arma exurgere ſolet miles ſtrenuus & impiger. Surge Domine.

DEPONERETVR) quieſcebat. Subaudi, arca.

REVERTERE) Verti poteſt, Da requiem. vel, da ſedes quietas myriadibus milium Iſrael. Id eſt multitudini Iſrael quæ propè infinita eſt. Myriades milium.

AD multitudinem exercitus) ad myriades milium.

CAP. XI.

INTEREA ortum eſt murmur populi, quaſi dolentium pro labore, contra Dóminum. Quod cum 'audiſſet, iratus eſt: & accenſus in eos 'ignis Domini deuorauit extremam caſtrorum partem. Cúmque clamaſſet populus ad Moyſen, orauit Moyſes ad Dominũ, & 'abſorptus eſt ignis. 'Vocauítque nomen loci illius 'Incẽſio: eo quòd ſuccenſus fuiſſet contra eos ignis Domini. 'Vulgus quippe promiſcuum quod aſcenderat cum eis, flagrauit deſyderio carnium ſedens & flens, iunctis ſibi pariter filiis Iſrael, & ait, |Quis dabit nobis ad veſcendũ carnes? Recordamur piſciũ quos comedebamus in AEgypto 'gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pépones, porríque, & cepe, & allia. Anima noſtra 'arida eſt, 'nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Man. |Erat autem Man quaſi ſemen coriandri, 'coloris bdellii. 'Circuibátque populus, & colligens illud, frangebat mola, ſiue terebat in mortario, coquens in olla, & faciẽs ex eo tortulas 'ſaporis quaſi panis oleati. Cúmque deſcẽderet no 1.Corint.10.a. Exo.16.c. ſap.16.c. pſal.77.c. ioh.6.d.

ête ſuper caſtra ros,'deſcendebat pariter & Man.

Diſplicere in auribus Domini.

INTERRA ortum eſt &c.Quod) Et fuit populus ſicut iniuſte de aliquo cõquerentes: & diſplicuit in auribus Domini. Id eſt, Tũc populus ſimilis fuit iis qui iniuſte cum aliquo expoſtulant. quaſi dicat, Tunc cœpit populus iniuſte expoſtulare cum Moyſe: quod grauate Dominus audiuit: tulítque ægré.

AVDISSET) Addendum, Dominus, ex Hebræo, & paruo exemplari ſcripto S.Germani.

Ignis Domini.

IGNIS Domini) Id eſt, ignis à Deo miſſus.

ABSORPTVS) Vel, extinctus.

Vocauit.

VOCAVITQVE) Subaudi, is qui vocauit, vel qui nomen indidit, vocauit nomen &c. Latini per paſſiuum, Hebræi per actiuum hoc dicendi genus exprimũt.

INCENSIO:) Tabhera. Id eſt, incenſio Latine.

VVLGVS quippe promiſcuum &c. Quis) Vulgus autem promiſcuum quod erat in medio eius, flagrauit deſyderio, & auerſi ſunt: filii quoque Iſrael fleuerunt, dicentes, Quis &c. Hîc loquitur de externis & aduenis qui ſe adiunxerant populo Iſraelitico: qui in animo ſuo defecerant à Deo: cum quibus & filii Iſrael plorantes, dixerunt &c. Dictio CARNIVM: neq; Hebraice, neque in vetuſtioribus Latinis codicibus S.Dionyſii & Germani, neque in Baſilienſi editione legitur.

GRATIS:) quaſi dicat, vili pretio, & quaſi gratis.

ARIDA eſt,) Id eſt, nos eſurimus.

NIHIL aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Man.) non quicquã: (ſub. nobis) tantum ad Man ſunt oculi noſtri. Quaſi dicat, omnibus rebus caremus quæ dictæ ſũt, & fame perimus: tantummodo expectamus manna quod Deus detulit de cælo.

Manna.

Bdellium.

COLORIS bdellii.) Id eſt, man album erat velut bdelliũ. De hoc manna habes quoque Exod.16. niſi quòd hic additur, habens ſpeciem bdellii: quod quidam gemmam albam eſſe dicunt, alii margaritum album. Cadebat nanque manna in modum minutiſſimorum granorum alborum, quæ tam cocta, quàm incocta comedi poterant. quidam in mola terebant, alii in mortario tundebant, alii iuxta ignem in pulmentum reſoluebant.

CIRCVIBATQVE) Diffundebátque ſeſe.

SAPORIS quaſi panis oleati.) Et erat ſapor ei' ſimilis ſapori olei ſuauiſſimi.

DESCENDEBAT pariter & Man.) deſcẽdere ſolebat Man ſuper eum. Subaudi, rorem. Id eſt, ſtatim poſt illum rorem deſcendere ſolebat Man.

Audiuit ergo Moyſes flentem populum per familias, ſingulos per oſtia tentorii ſui: iratúſque eſt furor Domini valde: 'ſed & Moyſi intoleranda res viſa eſt. 'Et ait ad Dominum, Cur afflixiſti ſeruum tuum? 'quare nõ inuenio gratiam coram te? & cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi huius ſuper me? Nunquid ego cõcepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi, Porta eos in ſinu tuo ſicut portare ſolet 'nutrix infantulũ; & defer in Terram pro qua iuraſti patribus eorum? Vnde mihi carnes 'vt dem tantæ multitudini? flent contra me, dicentes, Da nobis carnes vt comedamus. Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, 'quia grauis eſt mihi, 'Sin aliter tibi videtur, obſecro vt interficias

me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis affi-ciar malis.

SED & Moyſi intoleranda res viſa eſt.) ſed & in oculis Moyſi fuit malum. Id eſt, hoc grauate vidit Moyſes, quòd populus fleret.

ET ait ad Dominum,) Et ait Moyſes ad Dominum.

QVARE non inuenio gratiã corã te? & cur impoſuiſti pondus &c.) & quare non inueni gratiam in oculis tuis vt imponeres onus &c. Id eſt, Cur non exaudiſti preces meas, cur tam infœlicem me feciſti, vt imponeres &c.

NVTRIX) pater nutritius.

VT dem tantæ multitudini? flent contra me) quas dare poſſim vniuerſo populo huic? flent enim apud me. Vel, coram me. Alii vertunt, aduerſum me.

QVIA grauis eſt mihi.) quia grauior eſt me. Id eſt, maior eſt prouincia, & grauior, quàm vt illam ſuſtinere poſſim, & illi ſatiſfacere.

SIN aliter &c. Et dixit) Quòd ſi ſic tu facis mihi, quæſo vt interficiendo interficias me, ſi inueni gratiam in oculis tuis, & non videam infœlicitatem meam. Quaſi dicat, Quòd ſi decreueris vt feram populum hunc, interfice me quæſo, ſi tibi ſum gratus: ne poſthac ſubeam hanc infœlicitatem & calamitatem regendi populum tam rebellem.

Et dixit Dominus ad Moyſen, Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti quòd ſenes populi ſint 'ac magiſtri: & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, 'faciéſque ibi ſtare tecum, vt deſcendam & loquar tibi: & auferam 'de Spiritu tuo, tradámque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus 'graueris. Populo quoque dices, Sanctificamini cras: 'comedetis carnes. 'ego enim audiui vos dicere, Quis dabit nobis eſcas carnium? 'bene nobis erat in AEgypto. 'Vt det vobis Dominus carnes, '& comedatis: nõ vno die, nec duobus, vel quinque aut decem, nec viginti quidem, ſed vſque 'ad menſem dierum, donec exeat per nares veſtras, '& vertatur in nauſeam, eo quòd 'repuleritis Dominum qui in medio veſtri eſt, & fleueritis coram eo, dicentes, Quare egreſſi ſumus ex AEgypto, 'vt periremus in ſolitudine?

AC magiſtri:) & principes eius.

FACIESQVE ibi ſtare tecum, vt deſcendam & loquar tibi:) & ſtabunt illic tecum. Et deſcendens loquar tibi.

DE ſpiritu tuo,) de ſpiritu qui eſt in te.

GRAVERIS.) portabis. Subaudi, tantum onus regendi populum tam rebellem.

SANCTIFICAMINI cras:) Id eſt, date operam vt craſtina die omnes ſitis ſancti & mundi.

COMEDETIS) In veteri Paruo exemplari S. Germani præponitur coniunctio ET, Et comedetis.

EGO enim audiui vos dicere,) fleuiſtis enim in auribus Domini,dicentes. Id eſt,fleuiſtis audiente Domino,& dixiſtis,&c.

BENE nobis erat) quia melius erat nobis &c.Id eſt,melius agebatur nobiſcum,fœliciores eramus quum adhuc eſſemus in AEgypto.

VT det) Et dabit.

ET comedatis:) Vt comedatis.

Menſis dierũ. AD menſem dierum,) Menſis dierum, pro menſe integro, more Hebraico dicitur,vt paulo poſt vertit interpres.

ET vertatur in nauſeam.) & ſit vobis in nauſeam. Vel,in rem abominabilẽ. Alii vertunt,in diſperſionem.quaſi dicat,Ex naribus ſpargetis & flabitis carnes deuoratas.Chaldæus paraphraſtes vertit,In offendiculum.

REPVLERITIS) ſpreuiſtis.

VT periremus in ſolitudine) Hæc verba non legũtur etiam in Latinis vetuſtioribus codicibus S.Germani,Dionyſii & Victoris.

Et ait Moyſes ad Dominum, Sexcenta millia peditũ huius populi ſunt:&tu dicis,Dabo eis eſum carniũ men
Ioh.6.b. ſe integro? Nunquid ouium & boum multitudo cædetur,vt poſſit ſufficere ad cibum? vel omnes piſces maris in vnum congregabuntur,vt eos ſatient? Cui reſpondit
Iſa.59.a. Dominus, Nunquid manus Domini inualida eſt? Iam nunc videbis vtrum meus ſermo opere compleatur.

AD Dominum,) Hæc verba non leguntur in Moguntinenſi editione, neque in Latinis exẽplaribus ſcriptis S.Germani & Dionyſii,tametſi ſubaudienda ſint.

NVNQVID ouium &c.Cui) Nunquid oues & boues immolabuntur eis, & ſufficient illis?an omnes piſces maris congregabuntur pro illis, & ſufficient illis? Cui &c.Id eſt,Nunquid fieri poteſt vt oues & boues mactari poſſint in tanta multitudine,vt ſufficiant tantæ multitudini? Quaſi dicat,fieri nõ poteſt.Etiam piſces maris omnes congregati in vnum,non ſufficient illis.

Manus. MANVS) Id eſt,potentia.

INVALIDA eſt?) abbreuiata eſt?Id eſt,nũquid minor eſt,quàm quũ omnia creauit ex nihilo?

IAM nunc &c.Venit) Id eſt,Nunc experieris an præſtare poſſim quæ pollicitus ſum,an non.

Venit igitur Moyſes,& narrauit populo verba Domini,congregans ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael,quos ſtare fecit circa tabernaculum.Deſcendítque Dominus per nubem, & locutus eſt ad eum, auferens de Spiritu qui erat in Moyſe,& dans ſeptuaginta viris.Cúmque requieuiſſet in eis Spiritus,prophetauerunt, nec vltrà ceſſauerunt. Remanſerant autem in caſtris duo viri,quorum vnus vocabatur Eldad,& alter Medad, ſuper quos requieuit Spiritus.(nam & ipſi deſcripti fuerant,& non exierant ad tabernaculum.) Cúmque prophetarent in

caſtris,cucurrit puer, & nuntiauit Moyſi, dicens, Eldad & Medad prophetãt in caſtris.Statim Ioſûe filius Nun, miniſter Moyſi, '& electus è pluribus, ait, Domine mi Moyſes prohibe eos. At ille,'Quid,inquit, æmularis pro me?'quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum?

VENIT igitur Moyſes,) Egreſſus eſt igitur Moyſes. Subaudi, de tabernaculo fœderis.

DE ſenibus Iſrael,) In paruo veteri ſcripto exemplari S.Germani legitur, De ſenibus populi: vt & in Hebræo.

VIRIS.) viris ſenioribus.

NEC vltra ceſſauerunt.) & non addiderunt.Id eſt, non prophetauerũt vltra.

DESCRIPTI fuerant &c.) Id eſt, deſcripti fuerant in albo ſeptuaginta ſeniorum,ſed non egreſſi fuerant de caſtris ad tabernaculum fœderis cum aliis.

ET electus è pluribus,) à pueritia ſua.Alii vertunt, De iuuenibus eius.

QVID) Nunquid.

QVIS tribuat) & quis det.Id eſt, Vtinam omnis populus prophetet. Quis tribuat.

Reuerſúſque eſt Moyſes,& maiores natu Iſrael in caſtra.‖Ventus autem egrediens à Domino,arreptas trans mare coturnices detulit, '& demiſit in caſtra itinere quantum vno die confici poteſt, ex omni parte caſtrorum per circuitum,volabántque in aere duobus cubitis altitudine ſuper terram. Surgens ergo populus toto die illo,& nocte,ac die altero,cõgregauit coturnicum multitudinem: 'qui parum, decem coros: & ſiccauerunt eas per gyrum caſtrorũ. ‖Adhuc carnes erant in dentibus eorum, 'nec defecerat huiuſcemodi cibus: & ecce furor Domini cõcitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis.'Vocatúſque eſt ille locus, Sepulchra-concupiſcentiæ:ibi enim ſepelierunt populum qui deſyderauerat 'carnes.Egreſſi autem de Sepulchris-concupiſcẽtiæ, venerunt in Haſeroth,& manſerunt ibi.

Pſal.77.c. Pſal.77.c.

ET demiſit in caſtra) & demiſit(ſub.illas)iuxta caſtra.

QVI parum,decem coros:) qui pauciores cepit,congregauit decem cumulos. Subaudi,coturnicum.

NEC defecerat huiuſcemodi cibus,) antequam confectæ eſſent dentibus.

VOCATVSQVE eſt ille locus,Sepulchra-concupiſcentiæ:) Vocauítque nomen loci illius,Ciberoth-bathaaua.Id eſt,Qui ei loco indidit nomen,vocauit, Sepulchra-concupiſcentiæ.

CARNES.) Vox iſta hoc loco Hebraice non legitur,neque in Oblongo codice S.Dionyſii,neque in Victorino.ſubauditur tamen.

CAP. XII.

LOCVTAQVE eſt Maria & Aaron contra Moyſen 'propter vxorem eius AEthiopiſſam,& dixerũt, 'Num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus? nónne & nobis ſimiliter ẻſt locutus? 'Quod cum audiſſet Dominus, iratus eſt valde. Erat enim Moyſes vir 'mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra.

PROPTER vxorem eius AEthiopiſſam,) Dicunt Hebræi hanc fuiſſe Sephoram Madianitidem,quæ AEthiopiſſa aliquãdo dicitur,quòd Madianitarũ terra vicina eſſet AEthiopiæ Orientali:aut quòd ea referret nigredine AEthiopes: A qua abſtineret Moyſes,non ſanctimoniæ cauſa,ſed quòd ea nigredine eſſet:vel(vt alii volunt) vt fidelius in domo Domini miniſtraret: ob ídque Mariam & Aaronem murmuraſſe.Alii dicunt ideo obloquutos,quòd tãtus vir alienigenam duxiſſet in vxorem: & hæc potior videtur eſſe opinio.nam in Hebræo ſequitur,quod non legitur in Latinis codicibus, Vxorem enim AEthiopiſſam acceperat.non debebat autem Moyſes ducere vxorem alienigenam,contra morem Iſraelitarum.

NVM per ſolum &c.) quaſi dicat,Nunquid ſolus Moyſes eſt propheta? nónne & nos quoque ſumus prophetæ?

QVOD quum audiſſet Dominus,iratus eſt valde.) Tantũ legitur Hebraice,Et audiuit Dominus Subaudi,oblocutionem illam.neque ea latuit Moyſen. Aduerbium VALDE,non legitur in oblongis codicibus S.Dionyſii & Germani,neque in Moguntinenſi editione.

MITISSIMVS) manſuetiſſimus.Quaſi dicat,Oblocutio Mariæ & Aaron nõ latebat Moyſen:verum ipſe tacebat,quòd eſſet vir manſuetiſſimus.

Statim locutus eſt Dominus ad eum, & ad Aaron & Mariam,Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis.Cumque fuiſſent egreſſi,deſcendit Dominus'in columna nubis, '& ſtetit in introitu tabernaculi vocans Aaron & Mariã.'Qui cũ iſſent,dixit ad eos, Audite ſermones meos,Siquis fuerit 'inter vos propheta Domini, 'in viſione apparebo ei,vel per ſomniũ loquar ad illũ.At
Heb.3.a. non talis ſeruus meus Moyſes, ‖qui in omni domo mea fideliſſimus eſt.ore enim ad os loquor ei: 'palàm,& non per ænigmata '& figuras Dominum videt. Quare ergo non timuiſtis detrahere ſeruo meo Moyſi?

IN columna nubis,) Id eſt,in nube,quæ ſpecie habebat columnæ oblongæ.

ET ſtetit) Subaudi,columna nubis.

QVI quum iſſent,) Qui quum egreſſi fuiſſent ambo.Id eſt,prodiiſſent ambo in medium,& obtuliſſent ſe Domino vocanti.

INTER vos) ex vobis.

Viſio. IN viſione) Subaudi,nocturna.Id eſt,in ecſtaſi. Dominus aliquando apparet prophetis in ecſtaſi,aliquando per ſomniũ & dormientibus,aliquando vigilanti.

PALAM,) & in viſione.Latina vetuſtiora exemplaria S.Dionyſii,Germani &

Victoris legunt, & palàm, præpoſita coniunctione.

PER ænigmata,) ænigma vocat quum vnum videtur, & aliud intelligitur. AEnigma.

ET figuras) Quaſi dicat, appareo illi vt ſum, vt apparere poſſum & ſoleo humanæ menti. Per figuras apparere.

Iratúſque contra eos, abiit: nubes quoque receſſit 'quæ erat ſuper tabernaculũ: & ecce Maria 'apparuit candẽs, leprã, quaſi nix. Cúmque reſpexiſſet eã Aaron, & vidiſſet perfuſam lepra, ait ad Moyſen, Obſecro domine mi, 'ne imponas nobis hoc peccatũ quod ſtultè cõmiſimus, 'ne fiat hæc quaſi mortua, & vt abortiuum quod proiicitur de vulua matris ſuæ: ecce iam medium carnis eius deuoratum eſt à lepra. Clamauítque Moyſes ad Dominũ, dicens, Deus obſecro ſana eam. Cui reſpõdit Dominus, Si pater eius ſpuiſſet in faciẽ illius, 'nónne debuerat ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi? Separetur ſeptem diebus extra caſtra, & poſtea reuocabitur. Excluſa eſt itaque Maria extra caſtra ſeptem diebus: & populus non eſt motus de loco illo donec reuocata eſt Maria.

QVAE erat ſuper tabernaculum:) à tabernaculo. Id eſt, ab oſtio tabernaculi: nubes enim ſemper erat ſuper tabernaculum.

APPARVIT candens, lepra, quaſi nix.) erat præ lepra vt nix. Sub. alba.

NE imponas nobis hoc peccatum quod ſtultè commiſimus,) ne ponas ſuper nos peccatum (id eſt, ne imputes nobis hoc in peccatũ) quia ſtultè egimus & peccauimus. Quaſi dicat, Fateor nos peccaſſe, quare ignoſce nobis. Ponere peccatum ſuper aliquem.

NE fiat hæc &c. Clamauítque) Ne quæſo ſit ſicut abortiuum, cuius dimidium carnis eſt putrefactum dum egreditur de vulua matris ſuæ.

NÓNNE debuerat ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi?) nónne puderet eam ſeptem diebus? Quaſi dicat, Si præ ira pater eius ſpuiſſet in faciem eius, non auderet accedere ad patrem ante ſeptem dies: quanto minus debet illa accedere ad me?

CAP. XIII.

PROFECTVSQVE eſt populus de Haſeroth, fixis tentoriis in deſerto Pharan. Ibíque loquutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Mitte viros 'qui conſyderent Terram-Chanáan, quam daturus ſum filiis Iſrael, ſingulos de ſingulis tribubus, 'ex principibus. Fecit Moyſes quod Dominus imperauerat, de deſerto Pharan mittens principes viros, quorum iſta ſunt nomina. De tribu Ruben, Sammûa filium Zechur. De tribu Symeon, Saphat filium Huri. De tribu Iuda, Caleb filium Iephone.

De tribu Iſſachar, Igal filiũ Ioſeph. De tribu Ephraim, Oſee filium Nun. De tribu Ben-iamin, Phalti filium Raphu. De tribu Zabûlon, Gediel filium Sodi. De tribu Ioſeph, ſceptri Manaſſe, Gaddi filium Suſi. De tribu Dan, Ammiel filium Gemalli. De tribu Aſer, Sthur filiũ Michael. De tribu Nephthali, Nahabi filium Vapſi. De tribu Gad, Guel filium Machi. hæc ſunt nomina virorum quos miſit Moyſes ad conſyderandam Terrã: vocauítque Oſee filium Nun, Ioſûe. Miſit ergo eos Moyſes ad conſyderandam Terrã-Chanáan, & dixit ad eos, 'Aſcendite per Meridianã plagam. Cúmque veneritis ad montes, conſyderate Terram, qualis ſit: & populum qui habitator eſt eius, vtrum fortis ſit an infirmus, pauci numero an plures: ipſa terra, bona an mala: vrbes quales, 'muratæ, an abſque muris: humus, pinguis an ſterilis, nemoroſa an abſque arboribus. 'Confortamini, & afferte nobis de fructibus Terræ. erat autem tempus 'quando iam præcoquæ vuæ veſci poſſunt.

PROFECTVSQVE eſt) Et poſtea profectus eſt. Id eſt, exactis ſeptẽ, illis diebus quibus Maria fuit recluſa.

QVI conſyderent) vt explorent.

EX principibus,) Vnunquemque principem inter eos. Id eſt, quorum quiſque principatum obtineat inter eos.

ASCENDITE per Meridianam plagam.) Aſcendite hac via ad Auſtrum. Siue ad Meridiem.

MVRATAE, an abſque muris.) Vtrũ in caſtris, an in munitionibus habitẽt.

CONFORTAMINI,) Vel, Eſtote forti animo.

Primitiæ vuæ. QVANDO iam præcoquæ vuæ veſci poſſunt.) primitiarum vuæ. Id eſt, tempus quo incipiebant matureſcere vuæ.

Cúmque aſcendiſſent, explorauerunt Terrã à deſerto Sin, vſque Rohob 'intrantibus Emath. Aſcenderúntque ad Meridiem, & venerunt in Hebron, vbi erãt Achiman & Siſai & Tholmai 'filii enac. nam Hebron ſeptem annis ante Tanim vrbem AEgypti condita eſt. ‖Pergentéſque vſque 'ad Torrentem-botri, abſciderunt 'palmitem cum vua ſua, quem portauerunt 'in vecte duo viri: de malis quoque granatis, '& de ficis loci illius tulerunt, qui appellatus eſt Nehel-eſchol, id eſt Torrens-botri, eo

Deut.1.a.

quòd botrum portaſſent inde filii Iſrael.

INTRANTIBVS Emath.) ingredie͂do Emath. Vel, proficiſce͂do ad Emath.

FILII enac.) filii gigantum. Id eſt, proceri admodum.

AD Torrentem-botri,) ad vallem Eſchol. Id eſt botri. Hoc dicitur per anticipationem: Ad vallem quæ poſtea dicta eſt Vallis botri.

PALMITEM cum vua ſua,) palmitem, & botrum vuarum vnum. Hoc loco ET pro id eſt, poſitum eſt. quaſi dicat, palmitem, id eſt botrum vuarum vnum: hoc eſt, palmitem plenum vuis. Botrus vuarum.

IN vecte) Vectem intelligit inſtrumentum factũ ex duobus vectibus, paxillis tranſuerſim impactis: cuiuſmodi eſt quod Gallicè dicimus Vne ciuiere. Vectis.

ET de ficis loci illius &c. Reuerſique) Locum illum vocauit (ſubaudi, ille qui vocauit, ſiue nomen impoſuit) Nehel-eſchol, propter botrum quem abſciderant illinc filii Iſrael. Reuerſique &c.

'Reuerſique exploratores Terræ poſt quadraginta dies, omni regione circuita, venerunt ad Moyſen & Aaron & ad omnem cœtum filiorum Iſrael in deſertum Pharan, quod eſt in 'Cades: 'locutique eis & omni multitudini oſtenderunt fructus Terræ. 'Et narrauerunt, dicentes, Venimus in Terrã ad quam 'miſiſtis nos, quæ re vera fluit lacte & melle, 'vt ex his fructibus cognoſci poteſt: ſed cultores fortiſſimos habet, & 'vrbes grandes atque muratas. 'Stirpem enac vidimus ibi, Amalec habitat in Meridie, Hethæus & Iebuſæus & Amorrhæus in montanis: Chananæus verò moratur iuxta Mare & circa 'fluenta Iordanis.

CADES) hic Cades, pro Cades-barnea poſitum eſt, Ioſue 14. Cades.

LOCVTIQVE ſunt eis) retuleríntque illis nuntium.

ET narrauerunt) Et narrauerunt ei. Scilicet Moyſi.

MISISTIS) miſiſti. Secundæ perſonæ. narrant enim Moyſi. Ita legitur etiam in vetuſtioribus Latinis codicibus S. Dionyſii oblongo, Germani tribus, & Victoris.

VT ex his fructibus cognoſci poteſt.) & iſte eſt fructus eius. Sub. regionis.

VRBES grãdes atque muratas.) vrbes munitæ ſunt & ingentes valde. In Paruo exemplari veteri S. Germani legitur, Grandes nimis.

STIRPEM enac) Adhæc liberos gigantum. Vel, gigantes.

FLVENTA) ripam.

Inter hæc Caleb 'compeſcens murmur populi qui oriebatur cõtra Moyſen, ait, Aſcendamus, & poſſideamus Terram, 'quoniam poterimus obtinere eam. Alii verò qui fuerant cum eo, dicebant, Nequaquam ad hunc populum 'valemus aſcẽdere, quia fortior nobis eſt. 'Detraxerúntq; Terræ quam inſpexerant, apud filios Iſrael,

dicentes, Terra 'quam luſtrauimus, 'deuorat habitatores ſuos. populus quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt: ibi vidimus 'monſtra quædam filiorum enac de genere giganteo, 'quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur.

COMPESCENS murmur populi qui oriebatur contra Moyſen,) tacere fecit populum ad Moyſen. Id eſt, Tentauit Caleb compeſcere populū, & reddere eū attentum, dum loqueretur Moyſes. Vel, tacere fecit populū iā obſtrepentē Moyſi.

QVONIAM poterimus obtinere illam.) nam præualendo præualebimus illi. Id eſt, facile expugnabimus illam.

VALEMVS) poterimus.

DETRAXERVNTQVE terræ quā inſpexerant,) Hebraice legitur, Et protulerunt infamiam ipſi terræ quam explorauerant. Id eſt, mentiti ſunt in terram, detraxerunt terræ.

QVAM luſtrauimus,) quam peragrauimus vt eam exploraremus.

DEVORAT) Intellige, propter inſalubritatem aeris.

MONSTRA quædam filiorum enac,) gigantes filios gigantis. Vel, gigantū.

QVIBVS comparati, quaſi locuſtæ videbamur.) Hebraice ſic legitur, Et fuimus in oculis noſtris ſicut locuſtæ, & ſic eramus in oculis eorum. Id eſt, Cum eos videbamus, præ illis videbamur nobis locuſtæ: tales etiam illis videbamur.

CAP. XIIII.

IGITVR vociferans omnis turba fleuit 'nocte illa; & murmurati ſunt contra Moyſen & Aaron cuncti filii Iſrael, dicentes, Vtinam mortui eſſemus in AEgypto, '& non in hac vaſta ſolitudine. Vtinam pereamus, '& nō inducat nos Dominus in Terram iſtam, ne cadamus gladio, & vxores ac liberi noſtri ducantur captiui. Nónne melius eſt reuerti in AEgyptum? Dixeruntque alter ad alterum, Conſtituamus nobis ducem, & reuertamur in AEgyptum.

NOCTE illa,) quæ ſcilicet inſequebatur eum diem.

ET non in hac vaſta ſolitudine. Vtinā pereamus,) aut certe in deſerto hoc: vtinam inquam mortui eſſemus.

ET non inducat nos &c. Nónne) Et vt quid Dominus nos introduxit in regionem hanc, vt caderemus gladio, & vxores noſtræ, & paruuli noſtri eſſent in prædam? Vel ſic, Cur Dominus vult nos introducere in terrā iſtam, vt cadamus gladio, & vxores noſtræ & familia noſtra veniant in manus hoſtium?

Quo audito Moyſes & Aaron ceciderūt proni in terrā corā omni multitudine filiorū Iſrael. ‖At verò Ioſue filius Nun, & Caleb filius Iephone, qui & ipſi 'luſtrauerant Terram, ſciderunt veſtimenta ſua, & ad omnē multitudinem filiorum Iſrael locuti ſunt, Terra 'quam circuiuimus, valde bona eſt. 'ſi propitius fuerit Dominus,

Eccli.46.b. 1.mach.2.f.

inducet nos in eam, & tradet humum 'lacte & melle manantem. 'Nolite rebelles eſſe contra Dominum: neque timeatis populum Terræ huius, quia ſicut panem ita eos poſſumus deuorare. 'receſſit ab eis omne præſidium, Dominus nobiſcum eſt, nolite metuere. 'Cúmque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini ſuper tectum fœderis cunctis 'videntibus filiis Iſrael.

LVSTRAVERANT) explorauerant.

QVAM circuiuimus,) per quam tranſiuimus, vt exploraremus eam.

SI propitius fuerit Dominus,) ſi cõplacitum fuerit Domino in nobis. Vel, Si fauore ſuo proſequitur nos. Si amat nos. Aut SI per QVIA vertendum, aut CERTE, hoc modo, Quia amat nos plurimum, vel Certe bonam voluntatem habet erga nos, propterea inducet &c. Si.

LACTE & melle manantem.) Id eſt, quæ abundat omnibus neceſſariis ad victum hominis. Lacte & melle manans terra.

NOLITE) Apud Hebræos præcedit dictio Veruntamẽ. Verũtamẽ nolite &c.

RECESSIT ab eis omne præſidium,) receſſit vmbra eorum. Vmbram pro præſidio accipit. Quaſi dicat, carent omni præſidio. Vmbra.

CVMQVE clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere,) Et dixerunt omnis congregatio vt lapidarent eos lapidibus. Id eſt, Tunc pronuntiauit omnis multitudo eos debere lapidari.

VIDENTIBVS) Hæc dictio non legitur Hebraice, neque in vetuſtioribus exemplaribus Latinis S. Germani Lato & Paruo, Dionyſii Lato, & Victoris.

Et dixit Dominus ad Moyſen, Vſquequo 'detrahet mihi populus iſte? Quouſque non credet mihi in omnibus ſignis quæ feci coram eis? Feriam igitur eos peſtilentia 'atque conſumam: te autem faciam principẽ ſuper gentem magnam, & fortiorem quàm hæc eſt. Et ait Moyſes ad Dominum, 'Vt audiãt AEgyptii, 'de quorum medio eduxiſti populum iſtum, '& habitatores Terræ huius 'qui audierunt quòd tu Domine in populo iſto ſis, & facie videaris ad faciem, ‖& nubes tua protegat illos, Exod.13.d. & in colũna nubis præcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem: quòd occideris tantam multitudinem quaſi vnũ hominem, & dicant, Nõ poterat introducere populum in Terram pro qua iurauerat: idcirco occîdit eos in ſolitudine. 'Magnificetur ergo fortitudo Domini ſicut iuraſti, dicens, ‖Dominus 'patiens & multæ miſericordiæ, 'auferẽs iniquitatẽ & ſcelera, 'nullúm- Pſal.101.b.

que innoxium derelinquens,'qui viſitas peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Dimitte obſecro peccatum populi tui huius 'ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ,'ſicut propitius fuiſti egredientibus de AEgypto vſque ad locum iſtum.

DETRAHET mihi) ad iracundiam prouocabit me.

Non credunt in omnibus ſignis,]

IN omnibus ſignis quæ feci coram eis?) in omnibus ſignis quæ feci in medio eius?Hebraiſmus,pro,Cum tot ſigna fecerim coram eis?

Faciam te in gentem.

ATQVE conſumam &c.Et ait) & expellam eum:& faciam te in gentem magnam,& robuſtiorem eo. Id eſt,efficiam vt ſoboles tua euadat in gentem maiorem & robuſtiorem gente Iſraelitica: vt numero & potentia vincant populum Iſraeliticum.Hebraiſmus.

VT audiant AEgyptii) Et audient AEgyptii. Quaſi dicat, Si percuſſeris Iſraelem, male audies apud AEgyptios & alienigenas. Vel,Tu percuties, vt audiant AEgyptii.

DE quorum medio eduxiſti populum iſtum,) Per parentheſin legendum(nam eduxiſti potentia tua populum iſtum de medio eius) ſcilicet AEgypti.

ET habitatores terræ huius) & dicent ſuper habitatorem terræ huius. Id eſt, ſi percuſſeris incolas terræ iſtius ſanctæ, dicent gentes alienigenæ ſiniſtra de eis, male loquentur,eos nempe propter nequitiã ſuam à te perdi & occidi,& ſimilia.

QVI audierunt &c.Non poterat) audierunt quòd tu Domine eras in medio populi iſtius,quòdque oculo ad oculum conſpiciebaris Domine:& nubes tua ſtabat ſuper eos,& in columna nubis ambulabas ante eos in die,& in columna ignis in nocte:attamen interfeceris populum iſtum tanquam virum vnum.Dicent etiam gentes quæ audierint famam tuam,Propterea quòd non poterat introducere populum &c.

Oculo ad oculum conſpici. Tanquam vir vnus interfectus populus.

Oculo ad oculum conſpici à populo ſuo dicitur Deus quando manifeſtiſſime apparet ei,& in viſione clara. Tanquam virum vnum populum interficere,eſt ad vnum interficere, ita vt ne vnus quidem remaneat.

MAGNIFICETVR ergo fortitudo Domini ſicut iuraſti,) Nunc ergo magnificetur quæſo fortitudo Domini,ſicut locutus eſt,dicẽdo.Deo loquitur in tertia perſona,more Hebraico,pro Magnificetur quæſo fortitudo tua, ſicut dixiſti, Oſtende te talem qualem te aliquando eſſe dixiſti.

Tardus ad irã.

PATIENS,) tardus ad iram.Id eſt,qui non ſtatim punit.

AVFERENS iniquitatem) condonans iniquitatem.Subaudi, reſipiſcẽtibus Vel,quum condonat iniquitatem.

Abſoluendo nõ abſoluere.

NVLLVMQVE innoxiũ derelinquens,) abſoluendóque non abſoluẽs.Subaudi,eos qui non reſipiſcunt.Id eſt,qui non ſolet abſoluere non reſipiſcentes,ſed de eis pœnas ſumit.

QVI viſitas peccata patrum in filios) qui viſitas peccata patrum in filiis.Id eſt punis filios,ſi peccata patrum imitentur.

POPVLI tui) Leuiculum eſt,TVI pronomẽ nõ legi Hebraice,neque in Cõplutenſi editione, neque in Latis exemplaribus Latinis vetuſtioribus S. Germani & Dionyſii.

SECVNDVM magnitudinem miſericordiæ tuæ,) Vel,pro tua maxima clementia.

Propitius fuiſti.

SICVT propitius fuiſti egredientibus de AEgypto,) quemadmodum peperciſti populo iſti ab AEgypto.Vel,ab egreſſu de AEgypto.

Dixítque Dominus,Dimiſi 'iuxta verbum tuum. 'Viuo ego:& implebitur gloria Domini vniuerſa terra.At-

tamen omnes homines qui viderunt 'maieſtatem meã,
& ſigna quæ feci in AEgypto & in ſolitudine,& tentaue
runt me iam per decem vices,nec obedierũt voci meæ,'
non videbunt Terram pro qua iuraui patribus eorum,'
nec quiſquam ex illis'qui detraxit mihi,intuebitur eam.
‖'Seruum meum Caleb'qui plenus alio ſpiritu ſecutus eſt Ioſue.14.b.
me,inducam in Terram hanc 'quam circuiuit,& ſemen
eius poſſidebit eam. Quoniam Amalecites & Chana-
næus 'habitant in vallibus,cras 'mouete caſtra,& reuerti
mini in ſolitudinem per viam Maris-rubri.

Id eſt,vt petis.Vel,propitius ero,ſiue condonabo Iuxta verbum tuum.
IVXTA verbum tuum.)
huic populo vt poſtulas.
gloria Domini vniuerſa terra.Attamen omnes &c.) Viuo ego.
VIVO ego:& implebitur gloria Domini vniuerſa terra,quòd omnes
Veruntamen viuo ego,& implebitur gloria Domini vniuerſa terra,quòd omnes
homines &c.Quaſi dicat,Id eueniet quod ego dico:nẽpe oẽs &c.tũc glorificabor.
MAIESTATEM meam,& ſigna) gloriam meam,& ſigna mea quæ &c.
QVI detraxit mihi,) qui prouocauit me ad iram.
SERVVM) At ſeruum &c.In exemplaribus vetuſtioribus S.Germani legitur,
Sed ſeruum &c.
QVI plenus alio ſpiritu ſequutus eſt me,inducam) propterea quòd fuit ſpiri
tus alius cum eo,& perfecit voluntatem meam ſequendo me,inducam &c.Id eſt
quoniam fuit alio animo erga me atque alii,ego inducam &c.
QVAM circuiuit,) quam explorauit.
HABITANT in vallibus,) habitant in valle. Id eſt,deliteſcunt in locis hu-
milioribus vt inſidientur vobis.
MOVETE caſtra,) conuertimini.Siue,referte pedem.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron,dicẽs,
‖'Vſquequo multitudo hæc peſſima murmurat contra Pſal.105.c.
me:querelas filiorum Iſrael audiui.Dic ergo eis,Viuo e-
go,ait Dominus:'ſicut locuti eſtis audiente me,ſic faciã
vobis.In ſolitudine hac iacebunt cadauera veſtra:‖om- Deut.1.f.
nes qui numerati eſtis à viginti annis & ſuprà,' & mur-
muraſtis contra me, 'non intrabitis terrã 'ſuper quã le-
uaui manũ meã vt habitare vos facerẽ,‖præter Caleb fi- Ioſue 3.d.
liũ Iéphone, & Ioſûe filium Nun.Paruulos autẽ veſtros
de quibus dixiſtis quòd prædæ hoſtibus forẽt, introdu-
cam:'vt videant Terram quæ vobis diſplicuit.Veſtra ca
dauera 'iacebunt in ſolitudine.Filii veſtri 'erunt vagi in
deſerto annis quadraginta,& 'portabunt fornicationem
veſtram, donec conſumantur 'cadauera patrum in de-

ſerto, iuxta numerum quadraginta dierum quibus 'cōſyderaſtis Terram: annus pro die imputabitur: ‖& quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras, '& ſcietis vltionem meam. 'Quoniam ſicut locutus ſum, ita faciam omni multitudini huic peſſimæ quæ 'cōſurrexit aduerſum me: in ſolitudine hac 'deficiet & morietur.

Pſal. 94. d.

VSQVEQVO multitudo &c.) Vſquequo (ſubaudi, propitius ero) congregationi iſti malæ, quæ murmurat aduerſum me? murmurationes filiorum Iſrael quibus expoſtulant aduerſum me, audiui. Id eſt, peruenerunt ad aures meas querelæ eorum.

SICVT locuti) niſi quemadmodum locuti &c.

ET murmuraſtis) propterea quòd murmuraſtis.

NON intrabitis) ſi vos intrabitis. Subaudiendū, Iuro ego ſi vos intrabitis &c.

SVPER quam leuaui manum meam) Id eſt, de qua leuaui manum meam in ſignum iuramenti.

VT videant Terram quæ vobis diſplicuit.) & cognoſcent terram quam vos ſpreuiſtis.

IACEBVNT in ſolitudine.) cadent in deſerto iſto.

Paſtorē eſſe. ERVNT vagi) erunt paſtores. Id eſt, more paſtorum vagabuntur.

Fornicatio. PORTABVNT fornicationem veſtram.) ferent fornicationes veſtras. Id eſt, dabunt pœnas fornicationum veſtrarum: Id eſt, infidelitatis veſtræ qua defeciſtis à fiducia in Deum.

CADAVERA patrum) cadauera veſtra.

CONSYDERASTIS) exploraſtis.

ET ſcietis vltionē meam.) & cognoſcetis mendacium meum. Vel, fruſtrationem meam. Id eſt, an ſermo meus mendax ſit: an verba mea irrita futura ſint, & fruſtra à me pronunciata, & caſſa.

QVONIAM ſicut locutus ſum, ita faciam) Ego Dominus locutus ſum, ſi nō iſtud faciam omni &c. Quaſi dicat, Ego Dominus qui omnia poſſum, dixi omnia hæc illis euentura: proculdubio ſic faciam eis vt dixi.

CONSVRREXIT) congregata eſt.

DEFICIET) abſumetur.

Igitur omnes viri quos miſerat Moyſes ad contemplandā Terrā, & qui reuerſi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes Terræ quòd eſſet mala, ‖'mortui ſunt atque percuſſi in cōſpectu Domini. Ioſûe autem filius Nun, & Caleb filius Iéphone vixerunt ex omnibus qui perrexerant 'ad conſyderandam Terrā. Locutúſque eſt Moyſes 'vniuerſa verba hæc ad omnes filios Iſrael, & luxit populus 'nimis. Et ecce 'mane primo ſurgentes, aſcenderunt verticem montis, atq; dixerunt, Parati ſumus aſcendere ad locum de quo Dominus locutus eſt: quia 'peccauimus. Quibus Moyſes, Cur, inquit, tranſgredimini verbum Domini, quod vo-

1. Corint. 10. b. heb. 3. d. iudæ 1. b.

bis non cedet in proſperum? Nolite aſcendere: nō enim eſt Dominus vobiſcum: ne corruatis coram inimicis veſtris. Amalecites & Chananæus 'ante vos ſunt, quorum gladio corruetis. 'Eo quòd nolueritis acquieſcere Domino, nec erit Dominus vobiſcum.' At illi contenebrati aſcenderunt in verticem montis: arca autem 'teſtamẽti Domini & Moyſes non receſſerunt de caſtris. Deſcẽdítque Amalecites & Chananæus qui habitabat in monte: '& percutiens eos atque concídens, perſecutus eſt eos vſque Horma.

MORTVI ſunt atque percuſſi in conſpectu Domini.) in plaga corā Domino. Subaudi, mortui ſunt. Id eſt, plaga à Deo immiſſa mortui ſunt. Hæc dicuntur per anticipationem.

AD conſyderandam Terram.) ad explorandam Terram.

VNIVERSA verba hæc) Dictio VNIVERSA, Hebraice nō legitur. VERBA autem HAEC intelligit quæ ſuprà dixerat.

NIMIS.) vehementer.

MANE primo) ſummo mane.

PECCAVIMVS.) renuendo ſcilicet aſcendere ad locum illum.

ANTE vos) Hebraice ILLIC aduerbiū in loco legitur ante hæc verba, hoc pacto, Illic āte vos. Id eſt, illic occurretis hoſtib⁹ veſtris Amalecitis & Chananæis.

EO quòd nolueritis acquieſcere Domino,) propterea quòd auerſi eſtis à ſequendo Dominum. Id eſt, ne ſequeremini Dominum. quaſi dicat, quia deſeruiſtis Dominum, ipſe deſeruit vos.

AT illi contenebrati aſcenderunt) At illi receptis animis (vel, roboratis animis) aſcenderunt. Gallice diceremus, Ilz ſ'enhardirent.

TESTAMENTI) fœderis.

ET percutiens &c.) & percuſſerunt eos, atque attriuerunt vſque Horma.

CAP. XV.

LOCVTVS eſt Dominus ad Moyſen dicens, Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos, Cum ingreſſi fuerítis Terram 'habitationis veſtræ quam ego dabo vobis, & 'feceritis oblationem Domino in holocauſtū aut victimam pacificam vota ſoluentes, vel ſponte offerentes munera, aut in ſolennitatibus veſtris 'adolentes odorem ſuauitatis Domino, de bobus ſiue de ouibus: 'offeret quicunque immolauerit victimam, ſacrificium ſimilæ decimā partem ephi conſperſam oleo, quod menſuram habebit quartam partẽ hin: & vinum ad liba fundenda eiuſdẽ menſuræ dabit in holocauſtum ſiue in victimā. Per agnos ſingulos & arietes erit ſacrificiū ſimilæ dua-

rum decimarũ quæ conſperſa ſit oleo tertiæ partis hin, & vinum ad libamentum tertiæ partis eiuſdem menſuræ offeret in odorem ſuauitatis Domino.

HABITATIONIS veſtræ,) habitationum veſtrarum. Id eſt, in qua habitaturi eſtis.

FECERITIS oblationem Domino in holocauſtum) ſacrificium Domino, holocauſtum ſcilicet &c.

ADOLENTES odorem ſuauitatis) ad excitandum odorem ſuauiſſimum. Id eſt, gratiſſimum.

OFFERET quicunque &c. Quando) tunc offeret qui offerre volet oblationẽ ſuam Domino, pro munere, (vel, in munus,) ſimilæ decimam partem miſtam in quarta parte hin olei. Et vini pro libamine quartam partem hin offeres cum holocauſto ipſo, aut cum victima pacificorum, pro agno vno. (id eſt ſi offeratur agnus.) Aut pro ariete (id eſt, ſi offeratur aries) offeres in munus, ſimilæ duas decimas, quæ conſperſa ſit tertia parte hin olei. & vini pro libamine tertiam partem hin, offeres in odorem ſuauiſſimum Domino. Quando verò &c.

Quando verò de bobus feceris holocauſtum aut hoſtiam, vt impleas votũ, vel pacificas victimas, 'dabis per ſingulos boues ſimilæ tres decimas cõſperſæ oleo, 'quod habeat medium menſuræ hin, & vinum ad liba funden da eiuſdẽ menſuræ in oblationẽ ſuauiſſimi odoris Domino. Sic facies per ſingulos boues & arietes '& agnos & hœdos. 'Tam indigenæ quàm peregrini eodẽ ritu offerent ſacrificia. 'vnum præceptum erit atque iudicium tam vobis quàm aduenis Terræ.

DABIS per ſingulos boues) offeres cum iuuenco in munus. Vel, vltra iuuencum in munus. Vel, in oblationem.

QVOD habeat medium menſuræ hin,) in media parte menſuræ quæ dicitur hin.

ET agnos & hœdos.) Poſt hæc verba in Hebraicis codicibus legitur quod ſequitur, Iuxta numerum quem ſacrificabitis, ſic facietis vni, ſecundum numerum eorum. Vel, Pro numero quem ſacrificabitis, iſta obſeruabuntur à vobis per ſingula, pro ratione eorum ex quibus fiunt munera & libamina. Id eſt, erit proportio ſacrificiorum, & munerum, & libaminum. Quidam vertunt, Qualem numerum in his feceris, talem quoque numerum facies in illis. Quaſi dicat, Tot munera, ſiue oblationes ex ſimila, tótque libamina, quæ ex vino fiebant, offeretis Domino, quot pecora ſacrificabitis: nullum ſacrificium pecorum fiet ſine munere, id eſt ſine oblatione minha, & libatione vini.

TAM indigenæ quàm peregrini eodem ritu offerent ſacrificia.) Omnis indigena faciet iſta ſic, dum offeret incenſum odoris quietis Domino. Et ſi habitauerit apud vos peregrinus, aut qui eſt nunc inter vos, per generationes veſtras, & facere volet incẽſum odoris quietis Domino, vt debueritis facere, ſic ille faciet. Incenſum odoris quietis, ſignificat incenſum gratiſſimum. Quod ait, per generationes veſtras, ſignificat, Quibuſcunque temporibus contigerit vos viuere.

Incenſum odoris quietis. Per generationes veſtras.

VNVM præceptum erit atque iudiciũ tã vobis quàm aduenis Terræ.) O cõgregatio, ritus idem erit vobis & aduenæ peregrinanti inter vos: ritus inquam ſempiternus per generationes veſtras: quales eſtis, talis erit aduena corã Domino. Ce

remoniæ eædem,& mos idẽ erit vobis & peregrino habitanti apud vos. Hæc verba,Per generationes veſtras,verti poſſunt,Vobis & nepotibus veſtris. Per generationes veſtras.

Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Loquere filiis Iſrael,& dices ad eos, Cum veneritis in Terrã 'quã dabo vobis,& comederitis de panibus regionis illius,'ſeparabitis primitias Domino.'De cibis veſtris ſicut de areis primitias ſeparabitis,ita & de pulmentis dabitis primitiua Domino.'Quòd ſi per ignorantiam præterieritis quicquam horum quæ locutus eſt Dominus ad Moyſen,& mandauit per eum ad vos, à die qua cœpit iubere & vltrà,oblitáq; fuerit facere multitudo: offeret vitulum de armento,holocauſtum in odorem ſuauiſſimum Domino, & ſacrificiũ eius ac liba vt ceremoniæ poſtulant, hircúmque pro peccato. 'Et rogabit ſacerdos pro omni multitudine filiorũ Iſrael: & dimittetur eis, quoniam non ſponte peccauerunt, 'nihilominus offerentes incenſum Domino pro ſe & pro peccato atque errore ſuo: & dimittetur vniuerſæ plebi filiorum Iſrael, & aduenis qui peregrinantur'inter eos,'quoniam culpa eſt omnis populi per ignorantiam.

QVAM dabo vobis,) ad quam introducturus ſum vos.

SEPARABITIS primitias Domino.) offeretis oblationem Domino.

DE cibis &c.) De primitiis farinæ veſtræ ſubactæ placentam offeretis in oblationem: ſicut oblationem areæ ſic offeretis eam. De primitiis inquam farinarum veſtrarum aqua ſubactarum dabitis Domino oblationẽ per generationes veſtras. Id eſt, Placentam de primitiis panum veſtrorum offeretis Domino in oblationẽ, ſicut offerre ſoletis oblationem iam collectis frugibus, & tritico iam repurgato & collecto in area.De primitiis inquam panis veſtri dabitis Domino oblationem temporibus veſtris.

QVOD ſi &c.) Cúmque errauerltis, & non feceritis omnia præcepta iſta quæ locutus eſt Dominus ad Moyſen, omnia inquam, quæ præcepit vobis Dominus per manum Moyſi (id eſt,internuntio Moyſe)à die qua præcepit vobis (ſub.illa) & vltra per generationes veſtras: Si ab oculis congregationis factum fuerit per errorem:vniuerſa multitudo faciet iuuencum de armento &c. Id eſt, ſi multitudine nõ animaduertente aliquid factum fuerlt per ignorantiam,multitudo offeret &c. Hæc omnia tractantur in principio quarti capitis Leuitici. Ab oculis congregationis factum.

ET rogabit ſacerdos pro omni &c.) Vel,Et ita explabit ſacerdos vniuerſum cœtum filiorum Iſrael.

NIHILOMINVS offerentes incenſum Domino pro ſe & pro peccato atque errore ſuo:) & ipſi adducent oblationem ſuam vnde fiat ſacrificium Domino, & oblationem pro peccato ſuo coram Domino, pro peccato quod admiſerunt per ignorantiam.

INTER eos,) Oblõga exẽplaria S.Germani,& Dionyſii,itẽ Paruũ S.Germani, & Mogũtinẽſis editio legunt Inter vos. Iſtud annotat & Correctoriũ Sorbonicũ.

QVONIAM culpa &c.) quoniam ad vniuerſum populum pertinet peccatũ admiſſum per ignorantiam.

Quòd ſi 'anima vna 'neſciens peccauerit, offeret capram anniculam pro peccato ſuo:'& deprecabitur pro ea ſacerdos,'quòd inſcia peccauerit,corã Domino: impetrabítque ei veniam,& dimittetur illi.'Tam indigenis quàm aduenis vna lex erit omniũ qui peccauerint ignorantes. Anima verò quæ 'per ſuperbiam aliquid commiſerit,ſiue ciuis ſit ille,ſiue peregrinus:'quoniã aduerſus Dominum rebellis fuit, peribit de populo ſuo. verbũ enim Domini contempſit, & præceptum illius fecit irritum: idcirco delebitur,'& portabit iniquitatẽ ſuam.

ANIMA vna) Id eſt,perſona vna.

NESCIENS) per errorem.

כפר

Expiare aliquem. Deprecari pro aliquo. Orare pro expiare.

ET deprecabitur pro ea ſacerdos,) Vox Hebræa CHIPPER, pro qua interpres vertit Deprecari & rogare: ſignificat expiare ſiue purgare, oblata Deo hoſtia, id eſt remouere iram Dei à peccatore, Deum peccatori placare, & ei veniã ab eo impetrare ſacrificiis (quæ CHRISTVM præfigurabant) ne ipſe peccatori imputet peccata. Erat autem ſacerdotis impetrare veniam populo, quòd CHRISTI typum gereret veri pacatoris.

QVOD inſcia peccauerit,) quæ per errorem peccauerit.

TAM indigenis &c. Anima) Indigenæ ex filiis Iſrael,& peregrino habitanti inter illos, ceremoniæ eædem erunt ei qui fecerit peccatum aliquod per errorẽ. Vel,per ignorantiam.

In manu excelſa.

PER ſuperbiam) Hebraice legitur, in manu excelſa. Id eſt, per ſuperbiam, arroganter,& ſuperbe.

QVONIAM aduerſus Dominum rebellis fuit,) Dominum probris affecit.

Iniquitas eius ſuper eum.

ET portabit iniquitatem ſuam.) iniquitas eius erit ſuper eã. Subaudi, animã. Id eſt, dabit pœnas pro iniquitate ſua quam admiſit.

Factum eſt autem: cum eſſent filii Iſrael in ſolitudine,'& inueniſſent hominem colligentem 'ligna in die Sabbathi, obtulerunt eum Moyſi & Aaron & vniuerſæ multitudini. Qui recluſerunt eum in carcerem,'neſciẽtes quid ſuper eo facere deberent. Dixítque Dominus ad Moyſen, Morte moriatur homo iſte, obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra. 'Cúmque eduxiſſent eum foras, obruerunt eum lapidibus, & mortuus eſt ſicut 'præceperat Dominus. Dixit quoque Dominus ad

Deut.22.b. matth.23.a.

Moyſen, Loquere filiis Iſrael,& dices ad eos ‖vt faciant ſibi fimbrias per angulos 'palliorum, ponentes in eis'vit-

tas hyacinthinas: 'quas quũ viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, 'nec ſequantur cogitationes ſuas & oculos per res varias fornicantes, ſed magis memores præceptorum Domini faciant ea, ſintque ſancti Deo ſuo. Ego Dominus Deus veſter, qui eduxi vos de Terra-AEgypti, 'vt eſſem Deus veſter.

LIGNA,) Ligna vocat fragmenta lignea, quæ colligebat vt accenderet ignẽ.

NESCIENTES quid ſuper eo facere deberent.) quia nondum decretum erat quid deberet fieri de illo. Id eſt, qua ratione interfici deberet.

CVMQVE eduxiſſent eum foras,) Cúmque eduxiſſet eum vniuerſa multitudo extra caſtra.

PRAECEPERAT Dominus.) Adde, Moyſi.

PALLIORVM,) veſtium ſuarum per generationes ſuas. Id eſt, ſuís temporibus, quandiu vixerint.

VITTAS hyacinthinas:) vittam hyacinthinam. Vel, vittam coloris cæleſtis. Cælum rubens accedit ad colorem hyacinthi. Couleur rougeâtre.

QVAS quum viderint, recordentur &c.) & erit vobis in fimbria: vt quũ videritis ea, recordemini, &c Id eſt, eam vittam, ſiue filũ retortum geſtabitis in fimbria alarum veſtimenti veſtri. Vox Hebræa PETHIL, pro qua vertimus filũ, ſiue vittam, idem ſignificat quod GVEDIL, Deut.22. erat autẽ filum intortũ dependens à fimbria alarum veſtimenti. Fimbriæ. פתיל גדיל

NEC ſequantur &c. Ego) vt faciatis illa: & non aſpicietis poſt cor veſtrum, & poſt oculos veſtros, poſt quos vos fornicamini: vt recordemini, & faciatis omnia præcepta mea, & ſitis ſancti Deo veſtro. Ego &c. Aſpicere poſt cor ſuũ, & poſt oculos ſuos, eſt ſequi cogitationes cordis ſui, & concupiſcentiã oculorũ ſuorum. Aſpicere poſt cor ſuũ & oculos ſuos.

VT eſſem Deus veſter.) vt eſſem vobis in Deum: ego inquam Dominus Deus veſter. Qui ſcilicet hæc præcipio.

CAP. XVI.

ECCE autem Core filius Iſaar, filii Caath, filii Leui, & Dathan atque Abîron filii Eliab, Hon quoque filius Pheleth de filiis Ruben, 'ſurrexerunt 'contra Moyſen, aliíque filiorum Iſrael ducenti quinquaginta 'viri próceres ſynagógæ, & qui tempore conſilii per nomina vocabantur. Cúmque 'ſtetiſſent aduerſum Moyſen & Aaron, dixerunt, 'Sufficiat vobis, quia omnis multitudo 'ſanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus: cur eleuamini ſuper 'populum Domini?

ECCE autem Core) Aſſumpſit autem Core. Subaudi, aliquot homines ſecũ, conſortes aliquot, & traxit in ſuam ſententiam: quemadmodũ facere ſolent qui volunt à principe aliquo deficere. Quidam vertunt, Et aſſumpſit ſe vt ſurgeret & diſcederet à Moyſe.

SVRREXERVNT) & ſurrexerunt. Vel, & inſurrexerunt in Moyſen.

CONTRA Moyſen,) Vel, in conſpectu Moyſi. Id eſt, præſente Moyſe declarauerunt animi ſententiam.

VIRI próceres ſynagogæ, & qui tempore conſilii per nomina vocabantur.) principes congregationis, nobiliſſimi totius multitudinis, homines nominis. Id Viri nominis.

eſt,qui vocari ſolebant ad tentorium fœderis,conſilii cauſa. Vel,homines magni nominis & clari.

STETISSENT) congregati fuiſſent.

SVFFICIAT vobis,) quaſi dicat, Satis eſſe vobis debuerat, debueratis eſſe contenti ſorte veſtra.

SANCTORVM eſt,) ſancta eſt.

POPVLVM) congregationem.

Quod cum audiſſet Moyſes,cecidit pronus in faciem: locutúſque ad Core & °ad omnem multitudinem, °Mane,inquit,notum faciet Dominus qui ad ſe pertineant, °& ſanctos applicabit ſibi:& quos elegerit,appropinquabũt ei.Hoc igitur facite, Tollat vnuſquiſque thuribula ſua,tu Core & omne concilium tuũ: & hauſto cras igne ponite déſuper thymiama coram Domino. & quemcũque elegerit, °ipſe erit ſanctus.°multum erigimini filii Leui.Dixítque rurſum ad Core,°Audite filii Leui, Num parũ vobis eſt quòd ſeparauit vos Deus Iſrael °ab omni populo,°& iunxit ſibi,°vt ſeruiretis ei in cultu tabernaculi,& ſtaretis °corã frequentia populi, °& miniſtraretis ei?°idcirco ad ſe fecit accedere te & omnes fratres tuos filios Leui,vt vobis etiam ſacerdotium vendicetis, & omnis globus tuus ſtet contra Dominum? quis eſt enim Aaron vt murmuretis contra eum?

°AD omnem multitudinem,) ad omnem congregationem eius.

MANE,) Vel,Craſtina die.Aut,Cum primum craſtinus illuxerit dies.

ET ſanctos applicabit ſibi:& quos elegerit,appropinquabũt ei.) & ſanctũ appropinquare faciet ſibi: & quẽ elegerit,appropinquare faciet ſibi. Id eſt, Craſtina die declarabit Dominus quẽ velit eſſe ſuum ſacerdotem, & ſacerdotio fungi, & accedere faciet ad ſe.

Sanctum eſſe. IPSE erit ſanctus.) Id eſt,ſacerdotio fungetur.

MVLTVM erigimini) ſufficiat vobis. Quaſi dicat,veſtra ſorte contenti eſſe debueratis.

AVDITE filii) Audite nunc (vel,quæſo) filii &c.

AB omni populo,) à congregatione Iſrael.

ET iunxit ſibi,) vt accedere faceret vos ſibi.

VT ſeruiretis ei in cultu tabernaculi,)vt miniſtraretis ei in tabernaculo fœderis

CORAM frequentia populi,) coram congregatione.

ET miniſtraretis ei?) & miniſtraretis pro ea?Subaudi, congregatione. Id eſt, vt vice multitudinis ſeruiretis in tabernaculo.

IDCIRCO ad ſe &c.Miſit) Præterea,accedere fecit te ad ſe,& omnes fratres tuos filios Leui tecum: & tamen quæritis etiam ſacerdotium. Idcirco enim tu & omnis congregatio tua eſtis qui cõiuraſtis in Dominum? Et Aaron quid eſt quòd murmurare faciatis multitudinem aduerſus eum? Verti poteſt,Quid fecit Aarõ, Sacerdotium. quid admiſit,quòd murmurare &c. Sacerdotium vocat ſummum pontificatum.

Miſit ergo Moyſes vt vocaret Dathan & Abîrō filios Eliab. Qui reſponderunt, 'Non venîmus. nunquid parū eſt tibi quòd eduxiſti nos de terra 'AEgypti quæ lacte & melle manabat, vt occideres in deſerto, 'niſi & dominatus fueris noſtri? 'Reuera induxiſti nos in terrā quæ fluit riuis lactis & mellis, '& dediſti nobis poſſeſſiones agrorū & vinearum? 'an & oculos noſtros vis eruere? non venîmus. Iratúſque Moyſes valde, ait ad Dominum, 'Ne reſpicias ſacrificia eorum: 'tu ſcis quòd nec aſellū quidem vnquā acceperim ab eis, nec afflixerim quempiā eorum.

NON venîmus.) Non aſcendemus. Subaudi, ad Moyſen in montem.

AEGYPTI) Hæc vox hoc loco non legitur Hebraice, neque in vetuſtioribus Latinis codicibus S. Germani, Dionyſii & Victoris.

NISI & dominatus fueris noſtri?) niſi etiam velles dominari nobis? Vel, niſi etiam ſatageres eſſe dominus noſter?

REVERA induxiſti &c.) Inſuper nō introduxiſti nos &c. Eo modo quo vertit interpres, ironice accipiendum eſt: propterea ad finem clauſulæ ſignauimus notam interrogationis.

ET dediſti) neque dediſti.

AN & oculos noſtros vis eruere? non venîmus.) Nunquid oculos virorū iſtorum eruere vis? non aſcendemus. Vel, Nónne oculos multitudinis præſtringere vis, & illam cæcam reddere? Quaſi dicat, Nónne exiſtimas multitudinem hanc omnino cæcam eſſe?

NE reſpicias ad ſacrificia eorum:) Ne reſpicias ad oblationem eorum. Id eſt, ne ſit tibi grata eorum oblatio. Reſpicere ad oblationē alicuius.

TV ſcis &c. Dixítque) ne aſellum quidem vnū ab eis accepi, nec afflixi quēquam ex eis.

Dixítque ad Core, Tu, & omnis congregatio tua ſtate 'ſeorſum coram Domino, & Aaron die craſtino 'ſeparatim. Tollite ſinguli thuribula veſtra, & ponite ſuper ea incenſum, offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula, 'Aaron quoque teneat thuribulum ſuum. Quod cum feciſſent, ſtantibus Moyſe & Aaron, '& coacernaſſent aduerſum eos omnem multitudinem ad oſtium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini. Locutúſque Dominus ad Moyſen & Aaron, ait, Separamini de medio congregationis huius, vt eos repente diſperdam. Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt, Fortiſſime Deus ſpirituum vniuerſæ carnis, nū vno peccante, contra omnes ira tua deſæuiet?

SEORSVM & SEPARATIM) hæc aduerbia non leguntur Hebraice.

AARON quoque teneat thuribulum ſuum.) tu & Aaron ſinguli habebitis thuribula ſua.

ET coaceruaſſent) & coaceruaſſet. Subaudi Core. Omnem multitudinem vocat omnes coniuratos ipſius Core.

Et ait Dominus ad Moyſen, Præcipe vniuerſo populo vt ſeparetur à tabernaculis Core & Dathan & Abîron. Surrexítque Moyſes, & abiit ad Dathan & Abîron: & ſequentibus eum ſenioribus Iſrael, dixit ad turbam, Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. Cúmque receſſiſſent à tentoriis eorum per circuitum, Dathan & Abîron egreſſi ſtabant in introitu papilionum ſuorum cum vxoribus & liberis, omníque frequentia. Et ait Moyſes, In hoc ſcietis quòd Dominus miſerit me vt facerem vniuerſa quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim: Si cõſueta hominũ morte interierint, & viſitauerit eos plaga qua & cæteri viſitari ſolent: non miſit me Dominus. ſin autem nouam rem fecerit Dominus, vt aperiens terra os ſuum deglutiat eos & omnia quæ ad illos pertinent, deſcenderíntque viuentes in infernum, ſcietis quòd blaſphemauerint Dominum.

PRAECIPE) Loquere.

VT ſeparetur à tabernaculis) vt recedant per gyrum à tabernaculo.

HOMINVM impiorum) hominum iſtorum improborum. Vel, impiorum. Paruum exemplar S. Germani legit iſtorum.

NE inuoluamini in peccatis eorum.) ne forte pereatis in omnibus peccatis eorum. Id eſt, ne forte pereatis vnà cum illis qui tot peccata admiſerunt.

OMNÍQVE frequentia.) paruulíſque eorum. Id eſt, cum tota familia eorum.

VNIVERSA quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim.) omnia opera hæc: nã nõ ex corde meo feci hæc. Vel vt dilucidius Chaldæus paraphraſtes, Non enim veni hæc facere ſponte mea, aut voluntate mea.

PLAGA) viſitatione.

Creare creaturam. NOVAM rem fecerit Dominus,) creaturã creauerit Dominus. Hebraiſmus quem reddidit interpres. Id eſt, ſi Deus fecerit rem hactenus non viſam.

BLASPHEMAVERINT Dominũ.) ad irã prouocauerint viri iſti Dominũ.

Pſal. 105 b. deut. 11. a. ¶Confeſtim igitur vt ceſſauit loqui, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum: & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis & vniuerſa ſubſtãtia eorum. deſcenderúntque viui in infernum operti humo, & perie-

runt de medio multitudinis. At verò omnis Iſrael qui ſtabat per gyrum, fugit à clamore pereuntium, dicens, Ne fortè & nos terra deglutiat. Sed & ignis egreſſus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros qui offerebant incenſum. Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Præcipe Eleazaro filio Aaron ſacerdoti vt tollat thuribula quæ iacent in incendio, & ignem huc illúcque diſpergat: 'quoniam ſanctificata ſunt in mortibus peccatorum: 'producátque ea in laminas, & affigat altari, eo quòd oblatum ſit in eis incenſum Domino, & ſanctificata ſint, 'vt cernant ea pro ſigno & monimento filii Iſrael. Tulit ergo Eleazar ſacerdos thuribula ænea in quibus obtulerant hi quos incendium deuorauit, '& produxit ea in laminas, affigens altari: vt haberent poſtea filii Iſrael quibus commonerentur, nequis accedat alienigena, '& qui non eſt de ſemine Aaron ad offerendũ incẽſum Domino, ne patiatur ſicut paſſus eſt Core, & omnis congregatio eius 'loquente Domino ad Moyſen.

LOQVI,) loqui omnia verba hæc.

CVM tabernaculis ſuis) Addendum ex Hebræo, Et cum omnibus hominibus qui erant cum Core.

DESCENDERVNTQVE) Adde ex Hebræo, Et quotquot pertinebant ad eos.

QVONIAM ſanctificata ſunt in mortibus peccatorum:) nam ſanctificata ſunt. Thuribula inquam peccatorum iſtorum in animas ſuas. Id eſt, qui peccauerunt in animas ſuas: hoc eſt, perierunt propter peccata ſua. Peccare in animã ſuam.

PRODVCATQVE ea in laminas, & affigat altari,) faciántque (ſub. artifices) ex eis laminas extenſas, in operimentum altaris.

VT cernant ea pro ſigno & monimento filii Iſrael.) in ſignum filiis Iſrael. Id eſt, vt quoties videbunt filii Iſrael altare opertum laminis, recordentur eorum qui contra præceptum Dei obtulerint illi incenſum.

ET produxit ea in laminas, affigens altari:) & extendit ea in laminas quibus tegeretur altare. Extendit, inquit, pro curauit extendi.

ET qui non eſt) Hoc loco ET non legitur Hebraice. ſequentibus verbis declarat quid intelligat per alienigenam ſiue alienum aut externum, nempe eum qui non ſit de ſemine Aaron. Alienigena.

LOQVENTE Domino ad Moyſen.) quemadmodum dixerat Dominus per Moyſen ipſi. Scilicet Eleazaro.

Murmurauit autem omnis multitudo filiorum Iſrael ſequenti die contra Moyſen & Aaron, dicẽs, Vos interfeciſtis populum Domini. 'Cúmque oriretur ſeditio, &

tumultus increſceret, Moyſes & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis:'quod poſtquam ingreſſi ſunt, operuit nubes,& apparuit gloria Domini. Dixítque Dominus ad Moyſen, Recedite de medio huius multitudinis, 'etiam nunc delebo eos.'Cúmque iacérent in terra, dixit Moyſes ad Aaron, Tolle thuribulum, & hauſto igne de
Sap.18.d. altari, mitte incenſum deſuper, ‖pergens cito ad populũ 'vt roges pro eis: iam enim 'egreſſa eſt ira à Domino,& plaga 'deſæuit. Quod cum feciſſet Aaron,& cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam iam vaſtabat incendium, obtulit thymiama:& ſtans inter mortuos ac viuentes, pro populo deprecatus eſt,& plaga ceſſauit. Fuerũt autem qui 'percuſſi ſunt, quatuordecim millia hominũ & ſeptingenti, abſque iis qui perierant in ſeditione Core. Reuerſúſque eſt Aaron ad Moyſen ad oſtium tabernaculi fœderis 'poſtquam quieuit interitus.

CVMQVE oriretur ſeditio,& tumultus increſceret, Moyſes & Aaron) Cum autem congregaretur multitudo contra Moyſen & Aaron.

QVOD poſtquam ingreſſi ſunt, operuit nubes,& apparuit gloria Domini. Dixítque) & ſtatim operuit illud nubes,& apparuit gloria Domini. Cum autẽ perueniſſet Moyſes atque Aaron ad tabernaculum fœderis, tunc cœpit dicere Dominus ad Moyſen &c.

ETIAM nunc delebo eos.) vt perdam eam in puncto temporis.

CVMQVE iacérent in terra, dixit) illi autem ceciderũt in faciem ſuam.& ait Moyſes &c.

VT roges pro eis:) Vel, vt expies illos. Aut, veniam illis obtineas.

EGRESSA eſt ira à Domino,) Id eſt, iratus Dominus ſæuire cœpit.

DESAEVIT.) incœpit.

PERCVSSI ſunt) perierunt plaga illa.

POSTQVAM quieuit interitus.) & ceſſauit plaga illa.

CAP. XVII.

ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Loquere ad filios Iſrael,& accipe ab eis virgas ſingulas per cognationes ſuas, à cunctis 'principibus tribuum, virgas duodecim, & vniuſcuiuſque nomen ſuperſcribes virgæ ſuæ: nomen autem Aaron 'erit in tribu Leui,'& vna virga cunctas eorum familias continebit. ponéſque eas in tabernaculo fœderis 'coram teſtimonio 'vbi loquar ad te. quẽ ex his elegero, germinabit virga eius:& cohibe-

bo à me querimonias filiorum Iſrael,quibus contra vos 'murmurant.

PRINCIPIBVS tribuum) principibus eorum, per familias auorũ ſuorum.

ERIT in tribu Leui.) ſcribes ſuper virgam Leui. Id eſt, ſuper virgam tribus Leui.

ET vna virga cunctas eorum familias continebit.) quia virga vna erit principi familiæ auitæ. Id eſt, ſinguli principes ſingulas virgas dabunt.

Teſtimoniũ pro arca fœderis.

CORAM teſtimonio,) Id eſt, ante arcam fœderis.

VBI loquar ad te.) vbi cõueniam vobiſcum. Vel, conuenire ſoleo vobiſcum: vbi ſoleo dare vobis reſponſa. Hinc tabernaculum conuentus vel conuentionis dicitur. Vide Exod.27.

Tabernaculũ conuentionis

MVRMVRANT.) Vel, conqueruntur.

Locutúſque eſt Moyſes ad filios Iſrael: & dederunt ei omnes 'principes virgas per ſingulas tribus: fuerúntque virgæ duodecim 'abſque virga Aaron. Quas cum poſuiſſet Moyſes 'coram Domino 'in tabernaculo teſtimonii, ſequenti die regreſſus inuenit germinaſſe virgã Aaron 'in domo Leui: '& turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati ſunt. Protulit ergo Moyſes omnes virgas de conſpectu Domini ad cunctos filios Iſrael: viderúntque, & receperunt ſinguli virgas ſuas. Dixítque Dominus ad Moyſen, Refer virgam Aaron 'in tabernaculum teſtimonii, ‖vt ſeruetur ibi in ſignum rebellium filiorum Iſrael, '& quieſcant querelæ eorũ à me, ne moriãtur. Fecítque Moyſes ſicut præceperat Dominus. Dixerunt autẽ filii Iſrael ad Moyſen, Ecce cõſumpti ſumus, omnes 'peribimus: quicunque accedit ad tabernaculũ Domini, 'moritur. 'num vſque ad internecionem cuncti delendi ſumus?

Heb.9.b.

PRINCIPES virgas per ſingulas tribus:) principes eorum, ſinguli principes ſingulas virgas, per familias ſuas.

ABSQVE virga Aaron.) de quarum numero erat virga Aaron. Secundum Hebræos, duodecim virgæ erant: at ſecundum Latinos erant tredecim. Quanuis Leuitæ nullam haberent hæreditatem, tamen annumerantur: ipſi enim Leuitæ capaces erant ſacerdotii. Sed quia nullam capiebant diſtributionem terræ ſanctæ, ideo tunc non annumerabantur inter duodecim tribus: verum tribus Ioſeph diuidebatur in duas.

Coram Domino.

CORAM Domino,) Id eſt, ante arcam fœderis.

IN tabernaculo teſtimonii,) Id eſt, in ſancto ſanctorum in quo erat arca conuentionis.

IN domo Leui,) virgam inquam familiæ Leui.

ET turgẽtibus gẽmis &c. Protulit.) id eſt, gẽmas truſerat & emiſerat flores, ad maturitatẽque perduxerat amygdala. Hebraice legitur, Et ablactauerat amygdala.

Ablactare fructum.

Id eſt, habebat amygdala perducta ad groſſitiem.

IN tabernaculum teſtimonii,) ante teſtimoniū. Id eſt, ante arcā teſtimonii.

ET quieſcant querelæ) & finies querelas. Vel, finem impones querelis eorum de me. Id eſt, efficies vt poſthac non conquerantur de me.

PERIBIMVS:) periuimus. Præteriti temporis. Ita legitur in Latis codicibus S. Germani & Dionyſii: item in Paruo eiuſdem S. Germani. Quaſi dicat, Actum eſt de nobis omnibus.

MORITVR.) Id eſt, mori ſolet.

NVM vſque &c.) Nunquid conſumpti ſumus moriendo? Id eſt, vtinam mortui eſſemus omnes. Verior eſt hæc interpretatio.

CAP. XVIII.

DIXITQVE Dominus ad Aaron, Tu, & filii tui, & domus patris tui tecum *portabitis iniquitatem ſanctuarii: & tu & filii tui ſimul ſuſtinebitis peccata ſacerdotii veſtri. ſed & fratres tuos de tribu Leui, *& ſceptro patris tui ſume tecum, præſtóque ſint, & miniſtrent tibi: tu autem & filii tui *miniſtrabitis in tabernaculo teſtimonii. *Excubabúntque Leuitæ ad præcepta tua, & ad cuncta opera tabernaculi: ita dúntaxat vt ad vaſa ſanctuarii & altare non accedāt, ne & illi moriantur, & vos pereatis ſimul. ſint autem tecum, *& excubent in cuſtodiis tabernaculi, & in omnibus ceremoniis eius. *Alienigena nō miſcebitur vobis. Excubate in cuſtodia ſāctuarii, & in miniſterio altaris: ne *oriatur indignatio ſuper filios Iſrael. Ego dedi vobis fratres veſtros Leuitas de medio filiorum Iſrael, *& tradidi donū Domino, vt ſeruiant in miniſteriis *tabernaculi eius. *Tu autē & filii tui cuſtodite ſacerdotium veſtrum: & omnia quæ ad cultū altaris pertinent, & intra velum ſunt, per ſacerdotes adminiſtrabuntur. ſiquis externus acceſſerit, occidetur.

Portare iniquitatem ſanctuarii.

PORTABITIS iniquitatē ſanctuarii:) Id eſt, dabitis pœnas ſiquid peccatū fuerit in ceremoniis ſanctuarii. Vel, Vos cuſtodes eritis ſanctuarii, & neminē qui non ſit de tribu veſtra, permittetis miniſtrare in ſanctuario: alioqui vos portabitis perpetratum malum. Similiter tu Aaron & filii tui, quos delegi mihi in ſacerdotes, obſeruabitis diligenter ne alii Leuitæ ſibi vſurpent officium ſacerdotale: ſed illi ſuum, & vos veſtrum exequemini: ne in peccatum corruatis, &c.

ET ſceptro) in vetuſtioribus Latinis codicibus S. Germani, Dionyſii & Victoris, præterea in editionibus Baſilienſi & Complutenſi legitur, & ſceptrum, accuſandi caſu. Vertendum erat, Cognationem.

MINISTRABITIS in tabernaculo teſtimonii.) eritis coram tabernaculo fœderis.

EXCVBABVNTQVE Leuitæ ad præcepta tua, & ad cūcta opera tabernaculi:)

Ipſi cuſtodiēt cuſtodiā tuā & cuſtodiam totius tabernaculi. Id eſt, ſeruabunt præcepta tua: vel, diligentiſſime obſeruabunt & facient quod illis præceperis: & ceremonias totius tabernaculi peragent. *Cuſtodire cuſtodiā alicui⁹.*

ET excubent in cuſtodiis tabernaculi,) & obſeruent cuſtodiam fœderis. Id eſt, obſeruent quæcunque ſunt obſeruanda in tentorio fœderis.

ALIENIGENA) Id eſt, qui non fuerit de tribu veſtra. *Alienigena.*

NE oriatur) ne oriatur poſthac.

ET tradidi donum Domino,) vobis donum, oblatos Domino. Id eſt, vt eos vobis donarem, vtpote qui iam donati ſint Domino.

TABERNACVLI eius,) tabernaculi fœderis.

TV autem &c. Siquis) Tu autem & filii tui tecum obſeruabitis ſacerdotiū veſtrum, in omni negotio altaris & intra velum. nam functionem doni poſui ſacerdotium veſtrum. ſiquis externus &c, Id eſt, Dignitatē veſtram ſacerdotalē cuſtodietis in omnibus ceremoniis tabernaculi, & partis quæ eſt vltra velum: quia dignitatem ſacerdotalem dedi vobis gratis. *Functio doni.*

Locutúſque eſt Dominus ad Aaron, Ecce dedi tibi cuſtodiam primitiarum mearum. omnia 'quæ ſanctificantur à filiis Iſrael, tradidi tibi & filiis tuis 'pro officio ſacerdotali, 'legitima ſempiterna. 'Hæc ergo accipies de his quæ ſanctificantur, & oblata ſunt Domino. 'Omnis oblatio, & ſacrificium, & quicquid pro peccato atq; delicto redditur mihi, & cedet in Sancta ſanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum. 'In ſanctuario comedes illud: mares tantum edent ex eo, 'quia conſecratum eſt tibi. 'Primitias autem quas vouerint, & obtulerint filii Iſrael, tibi dedi, & filiis tuis, ac filiabus tuis iure perpetuo. qui mundus eſt in domo tua, veſcetur eis. Omnem 'medullam olei, & vini, ac frumenti, 'quicquid offerūt primitiarum Domino, tibi dedi. 'vniuerſa frugum initia, quæ gignit humus, & Domino deportātur, cedēt in vſus tuos. qui mundus eſt in domo tua, veſcetur eis. 'Omne quod ex voto reddiderint filii Iſrael, tuum erit.

QVAE ſanctificantur) Id eſt, quæ offeruntur. *Sanctificare.*

PRO officio ſacerdotali,) propter vnctionem. Id eſt, quia tu es ſacerdos. Quaſi dicat, Quæcunque offeruntur Deo, ſacerdotum ſunt.

LEGITIMA ſempiterna.) iure ſempiterno. Vel, irreuocabili.

HAEC ergo accipies de his quæ ſanctificantur, & oblata ſunt Domino.) Iſtud autem habebis de ſanctificatione ſanctificationū de igne. Id eſt, habebis de oblatione ſacratiore quæ remāſerit ex igne, hoc eſt, quæ igne conſumpta non fuerit.

OMNIS oblatio &c. In ſanctuario) Omnis oblatio eorum ex omni munere eorum, & ex omni ſacrificio eorum pro peccato, & pro delicto, quā reddent mihi, ſanctitas ſanctitatum erit tibi & filiis tuis. Id eſt, ad te pertinebit tanquam ſanctum. Pro dictione cedet, futuri temporis: legitur in Paruo veteri exemplari S. Germani, & Victorino, cedit, præſenti tempore. *Sanctitas ſanctitatum.*

Sanctitas ſanctitatum pro tabernaculo.

IN ſanctuario) in ſanctitate ſanctitatum. Id eſt, in loco ſacro vel ſacratiore, hoc eſt in Tabernaculo. Tabernaculum vocat ſacratiorẽ locum, reſpectu atrii: quia erat locus ſacratior.

QVIA conſecratum eſt tibi.) ſanctitas erit tibi. Id eſt, ad te pertinebit hæc oblatio.

PRIMITIAS autem quas vouerint & obtulerint) Iſtud quoque tuũ erit: oblationem doni eorum, omnes oblationes quas obtulerint &c. Id eſt, Iſtud capies ex eo quod dabunt tibi dono filii Iſrael.

Adeps vini & olei.

MEDVLLAM olei & vini,) adipem olei, & omnem adipem vini. Per adipẽ intelligit quod optimum eſt.

QVICQVID offerunt primitiarum Domino,) primitias eorum quas daturi ſunt Domino. Id eſt, mihi. Per appoſitionem dictum eſt, Omnem adipem olei &c. primitias eorum &c. quaſi dicat, Omnem adipem olei &c. eorum videlicet primitias &c.

VNIVERSA frugum initia &c. Qui mundus) Primitiæ omnium eorũ quæ in terra ipſorũ creuerint, quas offerent Domino, tuæ erunt. qui mundus eſt &c.

OMNE quod ex voto reddiderint filii Iſrael, tuum erit.) Omnis conſecratio in Iſrael, tua erit. Id eſt, quicquid ex voto conſecrauerint Deo Iſraelitæ.

Quicquid primum ᵃerumpet è vulua ᵇcunctæ carnis, quam offerunt Domino, ſiue ex hominibus, ſiue de pecoribus fuerit, tui iuris erit: ᶜita dúntaxat, vt pro hominis primogenito pretiũ accipias, & omne animal quod immundum eſt redimi facias, cuius redemptio erit poſt vnum menſem, ſiclis argenti quinque, pondere ſanctua-
ſ.3.g. rii.|Siclus viginti obolos habet. primogenitum autẽ bouis & ouis & capræ non facies redimi, quia ſanctificata ſunt Domino. ſanguinem ᵈtantùm eorũ fundes ᵉſuper altare, & ᶠadipes adolebis ᵍin ſuauiſſimum odorem Domino. Carnes verò in vſum tuum cedent, ſicut ʰpectuſculum conſecratum, & armus dexter, tua erunt. ⁱOmnes primitias ſanctuarii quas offerũt filii Iſrael Domino, tibi dedi & filiis, ac filiabus tuis iure perpetuo. ᵏPactũ ſalis eſt ſempiternum coram Domino tibi ac filiis tuis.

Aperire vuluam.

ERVMPET è vulua.) erumpit è vulua. præſenti tempore. ita in oblongo S. Dionyſii codice legitur. Hebraice legitur, Quicquid aperit vuluam: Id eſt omne primogenitum.

CVNCTAE carnis,) Id eſt, in omni genere animalium.

ITA dúntaxat vt &c. Siclus) Veruntamen redimendum curabis primogenitũ hominis: ſimiliter primogenitũ animalis immundi redimere facies. Præterea redemptionem eius, (ſcilicet primogeniti) ab eo quod natũ fuerit menſem vnũ, redimi curabis, ſecundũ æſtimationẽ, pecunia quinque ſiclorũ, (vel quinque ſiclis argenti) ad rationem ſicli ſanctuarii. Siclus &c. Quod ait, iuxta æſtimationẽ: ſignificat iuxta pretiũ quod accipere à me debes. quaſi dicat, pretio tibi à me cõſtituto.

TANTVM) Non legitur hæc vox hoc loco in codice Hebraico.

SVPER altare,) Vel, ad baſim altaris.

ADIPES adolebis) adipem eorum adolebis in ſacrificium vſtulatum.

IN ſuauiſſimum odorem Domino.) Chaldæus paraphraſtes vertit, Vt oblatio ſuſcipiatur voluntarie coram Domino.

PECTVSCVLVM conſecratum,) pectus eleuationis. Id eſt, quod eleuando offertur Deo ex hoſtiis pacificis.

OMNES primitias ſanctuarii) Omnes eleuationes ſanctificationum. Id eſt, Omnes oblationes quæ mihi dantur, vel Omnes oblationes ſanctas, hoc eſt mihi conſecratas. Eleuatiões ſanctificationũ.

PACTVM ſalis eſt ſempiternum coram Domino) Pactum ſalis ſeculi erit coram Domino &c. Id eſt fœdus incorruptum & ſempiternum. Pactum ſalis ſeculi.

Dixítque Dominus ad Aaron, In terra eorum nihil 'poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: ‖ego pars & Deut.18.a.
hæreditas tua in medio filiorum Iſrael. Filiis autẽ Leui
dedi omnes decimas Iſraelis 'in poſſeſſionem 'pro miniſterio 'quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis: vt
nõ accedant vltrà filii Iſrael ad tabernaculum, 'nec cõmittant peccatum mortiferum, 'ſolis filiis Leui mihi in
tabernaculo ſeruientibus, & portantibus peccata populi. 'legitimum ſempiternũ erit in generationibus veſtris.
'Nihil aliud poſſidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in vſus eorum & neceſſaria ſeparaui.

POSSIDEBITIS, nec habebitis) Singulari numero legenda ſunt hæc verba, Poſſidebis, nec habebis. atque ita legitur in Paruo veteri exẽplari S. Germani.

IN poſſeſſionem) in hæreditatem. Vel, iure hæreditario.

PRO miniſterio) pro opere eorum. Vel, pro cultu eorum, aut mercede miniſterii eorum.

QVO ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis:) quoniam ipſi peragunt miniſterium tabernaculi fœderis.

NEC committant peccatum mortiferum,) vt ferant iniquitatem ad moriendum. Id eſt, ne peccent, & moriantur.

SOLIS filiis Leui mihi in tabernaculo ſeruientibus, & portantibus peccata populi.) Sed ipſi Leuitæ peragent opus tabernaculi fœderis: portabúntque iniquitatem ſuam. Quam ſcilicet admiſerint in miniſterio ſuo. Id eſt, punientur ſi non obſeruauerint ceremonias quæ obſeruari debent in cultu tabernaculi.

LEGITIMVM ſempiternum in generationibus veſtris.) ſtatuto perpetuo, per generationes veſtras. Id eſt, quandiu contigerit vos viuere.

NIHIL aliud poſſidebunt, decimarum &c.) Inter filios Iſrael non poſſidebunt poſſeſſionem. nam decimas filiorum Iſrael quas offerre ſolent Domino in oblationem, dedi Leuitis in hæreditatem. Idcirco dixi de eis, In medio filiorũ Iſrael non poſſidebunt hæreditatem. Subaudi, terrenam.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, 'Præcipe Leuitis, atque denuntia, Cum acceperitis à filiis Iſrael decimas quas 'dedi vobis, 'primitias earum offerte Domino, id eſt decimã partem decimæ, 'vt reputetur vo-

bis in oblationem primitiuorum tam de areis quàm de torcularibus: '& vniuerſis quorum accipitis primitias, offerte Domino,& date ea Aarō ſacerdoti.'Omnia quæ offeretis ex decimis, & in donaria Domini ſeparabitis, optima & electa erunt cūcta.Dicéſq; ad eos,Si præclara & meliora quæque obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quaſi de area & torculari dederitis primitias: & comedetis eas in omnibus locis veſtris, tam vos quàm familiæ veſtræ:quia 'pretium eſt pro miniſterio quo ſeruitis in tabernaculo teſtimonii.'Et non peccabitis ſuper hoc, egregia vobis & pinguia reſeruantes: ne polluatis oblationes filiorum Iſrael,& moriamini.

PRAECIPE Leuitis atque denuntia,) Alloquere Leuitas,& dic illis.

DEDI vobis) Addendum ex Hebræo,Pro hæreditate veſtra.

PRIMITIAS earum) oblationem ex illis.

Reputare in oblationem de area.

VT reputetur vobis in oblationem primitiuorum tam de areis, quàm de torcularibus.) Et reputabitur vobis oblatio illa veſtra tanquam frumentum de area,& tanquam muſtum de torculari. Id eſt, tam grata erit oblatio veſtra, quàm eſt grata oblatio eorum qui offerunt aliquid ex propria area, aut ex proprio torculari,ſiue ex propriis prædiis.

ET vniuerſis quorum accipitis primitias,offerte Domino,& date ea Aaron ſacerdoti.) Hoc pacto offeretis etiam vos oblationem Domini ex omnibus decimis veſtris quas acceperitis à filiis Iſrael,& dabitis ex eo oblationem Domini Aaroni ſacerdoti.

OMNIA quæ &c.Dicéſque) Ex omnibus donariis veſtris offeretis oblationē Domino,ex omni adipe eius oblationem Domino conſecratā. Id eſt, Ex omnibus donariis quæ acceperitis à filiis Iſrael,optimam quanque partem offeretis in oblationem Domino.

PRETIVM pro miniſterio) merces eſt vobis pro omni miniſterio.

ET non peccabitis ſuper hoc, egregia vobis & pinguia reſeruantes:) Et non feretis ob id peccatum,quum obtuleritis adipem earum.Subaudi,decimarum. Id eſt,ſi optimam quanque earum decimarum partem obtuleritis.

CAP. XIX.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen & Aaron,dicens,'Iſta eſt religio victimæ,quam conſtituit Dominus. Præcipe filiis Iſrael vt adducant ad te vaccā rufam 'ætatis integræ,in qua 'nulla ſit macula, nec portauerit iugum: 'tradéſque eam Eleazaro ſacerdoti. 'qui eductam extra caſtra,immolabit in conſpectu omnium:
Heb.9.b. & 'tingens digitum in ſanguine eius, aſperget 'contra fores tabernaculi ſeptē vicibus,'cōburétque eam cūctis

videntibus, tam pelle & carnibus eius, quàm ſanguine & fimo flammæ traditis. Lignum quoque cedrinum, & hyſſôpum, coccúmque bis tinctum ſacerdos mittet in flammam quæ vacam vorat. Et tunc demum lotis veſtibus,& corpore ſuo ingredietur in caſtra,commaculatúſque erit vſque ad veſperum. Sed & ille qui combuſſerit eam,lauabit veſtimenta ſua & corpus, & immundus erit vſque ad veſperum. Colliget autem vir mũdus cineres vaccæ,& effundet eos extra caſtra in loco puriſſimo, 'vt ſint multitudini filiorum Iſrael in cuſtodiam, '& in aquam aſperſionis: quia pro peccato vacca combuſta eſt. Cúmque lauerit qui vaccæ portauerat cineres veſtimenta ſua, immundus erit vſque ad veſperũ. Habebunt hoc filii Iſrael & aduenæ, qui habitãt inter eos, 'ſanctum iure perpetuo.Qui tetigerit 'cadauer hominis, & propter hoc ſeptem diebus fuerit immundus : aſpergetur ex hac aqua die tertio & ſeptimo,& ſic mundabitur. ſi die tertio 'aſperſus non fuerit, ſeptimo non poterit emundari.Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, '& aſperſus hac commiſtione nõ fuerit,polluet tabernaculum Domini, & peribit ex Iſrael : quia aqua expiationis non eſt aſperſus, immundus erit,'& manebit ſpurcitia eius ſuper eum.

ISTA eſt religio victimæ,quã conſtituit Dominus,Præcipe) Hoc eſt ſtatutũ legis, quam præcepit Dominus,dicendo, Loquere &c. Quaſi dicat, hanc legem fero de vacca rufa.

AETATIS integræ.) Vel,ætatis adultæ.

NVLLA ſit macula,) Id eſt,quæ careat omni vitio:in qua nihil culpare queas.

TRADESQVE) plurali numero legendum, tradetíſque. ita etiam legitur in oblongis exemplaribus S. Dionyſii & Germani,in Victorino præterea codice,& Paruo S. Germani.

QVI eductam extra caſtra, immolabit in conſpectu omnium:) vt edúcatur extra caſtra,& mactandam curet coram ſe.Id eſt,ipſo ſpectante.

CONTRA fores tabernaculi) eregione tabernaculi fœderis. Vel,ante faciem tabernaculi fœderis.

COMBVRETQVE eam cunctis videntibus,) comburétque eam (ſub. ſacerdos cui hoc negotium fuerit commiſſum)in conſpectu eius.Scilicet Eleazarl.

VT ſint &c.) erúntque &c.Id eſt,diligentiſſime ſeruabuntur à filiis Iſrael. Aqua aſperſionis.

ET in aquam aſperſionis: quia pro peccato vacca combuſta eſt.) in aquam expiationis: nam expiatio eſt.Id eſt,ad conficiendam aquã qua expiabuntur con-

taminati: nam ea aqua eſt expiatoria. Qui propter impuritatem ſeparabātur ab aliorum commercio,hac aqua expiabantur.

SANCTVM iure perpetuo.) in ſtatutum perpetuum.

CADAVER hominis,) cadauer omnis perſonæ hominis. Id eſt,cuiuſcunque hominis mortui,ſiue Iudæi,ſiue Gentilis.

ASPERSVS non fuerit,ſeptimo non poterit emūdari.) non purificauerit ſe,etiam die ſeptima non erit mundus. Vel,Si non incœperit purificari die tertia, etiam die ſeptima non reſtituetur priſtinæ puritati.

ET aſperſus hac cōmiſtione non fuerit,) & non fuerit purificatus.Vel,& non dederit operam vt expietur.

ET manebit ſpurcitia eius ſuper eum.) adhuc pollutio eius in ipſo.Id eſt,adhuc retinet priſtinam impuritatem.

Iſta eſt lex hominis qui moritur in tabernaculo,Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, & vniuerſa vaſa quæ ibi ſunt,polluta erunt ſeptē diebus. Vas quod non habuerit operculum,nec ligaturam déſuper, immundū erit. Siquis in agro tetigerit cadauer occiſi hominis,aut per ſe mortui, ſiue os illius,vel ſepulchrum,immundus erit ſeptem diebus. Tolléntque de cineribus cōbuſtionis atq; peccati,& mittent aquas viuas ſuper eos in vas: in quibus cū hómo mundus tinxerit hyſſópū, aſperget ex eo omne tentorium, & cunctam ſupellectilem,& homines huiuſcemodi contagione pollutos: atq; hoc modo mundus luſtrabit immundum tertio & ſeptimo die. expiatúſque die ſeptimo,lauabit & ſe & veſtimenta ſua, & immundus erit vſq; ad veſperum. Siquis hoc ritu nō fuerit expiatus, peribit anima illius de medio eccleſiæ: quia ſanctuarium Domini polluit,& nō eſt aqua luſtrationis aſperſus. Erit hoc præceptum legitimum ſempiternum.ipſe quoque qui aſpergit aquas,lauabit veſtimēta ſua: omnis qui tetigerit aquas expiationis, immūdus erit vſque ad veſperum.Quicquid tetigerit immundus, immundum faciet: & anima quæ horum quippiam tetigerit,immunda erit vſque ad veſperum.

ISTA eſt lex hominis qui moritur in tabernaculo,) Hæc eſt lex, Cum quis mortuus fuerit in tabernaculo,&c. Quaſi dicat, Hanc quoque legem fero, Cum quis &c.

VAS quod non habuerit &c.) Et omne vas apertum quod obthuratum non fuerit,immundum erit. Id eſt,ſuper cuius os fruſtū laneū non fuerit ſuperpoſitū.

SIVE os illius,) ſiue oſſa hominis.Vel,os aliquod humanum.

TOLLENTQVE de cineribus) Tolléntque pro impuro de cineribus. Id eſt,

ad expiandum contaminatum.

COMBVSTIONIS,) Id eſt, vitulæ combuſtæ.

ATQVE peccati) oblationis pro peccato.

ET cunctam ſupellectilem,&c.expiatóſque) & cuncta vaſa, & ſuper perſonas quæ in eo fuerint, hominéſque qui tetigerint oſſa, aut cadauer hominis occiſi, aut cadauer hominis per ſe mortui, vel ſepulchrum: aſpergétque vir ille mundus ſuper impurum (Subaudi, aquam illam) tertio & ſeptimo die. Expiatuſque &c.

ET immundus erit vſque ad veſperum.) & mundus erit in veſpera. Vel, recipiet puritatem ad veſperam.

SIQVIS hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio eccleſiæ:) Siquis pollutus fuerit,& non expiauerit ſe: excidetur perſona illa è medio congregationis.

ERIT hoc præceptum legitimum ſempiternum.) Erit itaque iſtud eis in ſtatutum perpetuum.Id eſt, hoc ab illis perpetuo obſeruabitur.

ASPERGIT aquas,) aſperſerit aquas ſeparationis.Vel, expiatorias.Id eſt, qui impurum aſperſerit aqua luſtratoria.

ANIMA quæ horum quidpiam tetigerit,) anima quæ tetigerit.Subaudi, quod tactum fuerit ab impuro.

CAP. XX.

VENERVNTQVE filii Iſrael,& omnis multitudo in deſertum Sin, menſe primo: & manſit populus in Cades. Mortuáque eſt ibi Maria,& ſepulta in eodē loco. Cúmque indigeret aqua populus, conuenerunt aduerſum Moyſen & Aaron,& verſi in ſeditionem, dixerunt, Vtinam periiſſemus inter fratres noſtros coram Domino. Cur eduxiſtis eccleſiam Domini in ſolitudinem, vt & nos, & noſtra iumenta moriamur? Quare nos feciſtis aſcendere de AEgypto,& adduxiſtis in locū iſtum peſſimum, qui ſeri non poteſt, qui nec ficū gignit, nec vineas, nec malogranata, inſuper & aquam non habet ad bibendum? Exo.17.b.

VENERVNTQVE) Subaudi,è deſerto Pharan.

POPVLVS,) multitudo. Vel, congregatio.

ET verſi in ſeditionem, dixerunt,) Rixatíſque populus cum Moyſe, dicendo dixerunt. Id eſt, ad hunc modum dixerunt. Dicendo dixit.

INTER fratres noſtros) quando perierunt fratres noſtri. Sub. in deſerto.

ECCLESIAM) congregationem.

IN ſolitudinem) in ſolitudinem hanc.

Ingreſſúſque Moyſes & Aaron dimiſſa multitudine in tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaueruntque ad Dominum, atque dixerunt, Domine Deus audi clamorem huius populi, & aperi eis theſaurum tuum fontem aquæ viuæ, vt ſatiati ceſſet mur-

muratio eorum. Et apparuit gloria Domini ſuper eos. Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Tolle virgam, & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit 'aquas: cúmque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo & iumenta eius.

IN tabernaculum fœderis,) ad oſtium tentorii fœderis.

CLAMAVERVNTQVE ad Dominum, &c.) Hæc verba, vſque ad Et apparuit gloria &c. non leguntur Hebraice, neque in Paruo exemplari ſcripto S. Germani, neque in editione Complutenſi.

AQVAS.) Hebraice additur pronomen SVAS, Aquas ſuas.

Sap.11.a. ‖ Tulit igitur Moyſes virgam, quæ erat in conſpectu Domini, ſicut præceperat ei. 'Congregata multitudine ante petram, dixítque eis, 'Audite rebelles '& increduli,

Pſal.77.b. 1.corint.10.a. ‖ 'Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? Cúmque eleuaſſet Moyſes manum percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt populus biberet & 'iumenta. Dixítque Dominus ad Moyſen

Deut.10.f. & Aaron, ‖ Quia non credidiſtis mihi, vt 'ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis 'hos populos in terram quā 'dabo eis. Hæc eſt aqua 'contradictionis, vbi iurgati ſunt filii Iſrael contra Dominum, & ſanctificatus eſt in eis.

CONGREGATA) Legendum, Congregatáque multitudine ante petram, dixit eis.

AVDITE rebelles) Audite obſecro ô rebelles.

ET increduli) Hebraice non leguntur hæc duo vocabula.

NVM de petra hac &c.) Hic nutat fides Moyſi. quaſi dicat, contra naturam fieret ſi ex petra iſta educeretur aqua.

IVMENTA.) Hebraice additur pronomen EIVS, Iumenta eius. atque ita in Oblongo codice S. Dionyſii legitur.

SANCTIFICARETIS) Vel, glorificaretis.

HOS populos) congregationem iſtam.

DABO) dedi.

CONTRADICTIONIS, vbi iurgati ſunt filii Iſrael contra Dominum, & ſanctificatus eſt in eis.) contentionis, pro quibus rixati ſunt filii Iſrael cōtra Dominum: & ſanctificauit ſeſe in illis. Id eſt, apparuit glorioſus filiis Iſrael & omnipotens, ſuperauit incredulitatem eorum.

Sanctificauit ſe in illis Deus.

'Miſit interea nuntios Moyſes de Cades ad regem Edom, qui dicerent, Hæc mandat frater tuus Iſrael, Noſti omnem 'laborem qui apprehēdit nos, 'quomodo de-

ſcenderint patres noſtri in AEgyptum, & habitauerimus ibi multo tempore: afflixeríntque nos AEgyptii, & patres noſtros:'Et quomodo clamauerimus ad Dominum,& exaudierit nos,miſerítque angelum qui eduxerit nos de AEgypto.'Ecce in vrbe Cades,'quæ eſt in extremis finibus tuis, poſiti, obſecramus vt nobis tranſire liceat per terram tuã. Non ibimus per agros,nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, ſed gradiemur via publica,nec ad dexteram,nec ad ſiniſtram declinantes, donec tranſeamus 'terminos tuos. Cui reſpondit 'Edom, Non tranſibis 'per me: alioquin armatus occurram tibi. Dixerúntque filii Iſrael,'Per tritam gradiemur viam: & ſi biberimus aquas tuas nos & pecora noſtra, 'dabimus quod iuſtũ eſt: nulla erit in pretio difficultas, tantũ velociter trãſeamus. At ille reſpondit, Non'tranſibitis. Statímque egreſſus eſt obuius,cum infinita multitudine,& 'manu forti,nec voluit acquieſcere deprecãti,vt concederet tranſitum per fines ſuos. quam ob rem diuertit ab eo Iſrael.

MISIT interea) Miſit autem.
LABOREM qui apprehendit nos,) Id eſt,laborẽ quem hactenus ſuſtinuimus.
QVOMODO deſcenderint) Deſcenderunt enim.
ET quomodo clamauerimus) & clamauimus. Sic ſequentia verba ſunt vertẽda, Habitauimus, Afflixerũntque, Clamauimus &c.
ECCE in vrbe) Hebraice legitur, Et ecce.atque ita legitur in Paruo exemplari S.Germani & Victorino codice.
QVAE eſt in extremis finibus tuis,) Hebraice ad verbum legitur, Vrbe extremitatis regni tui. Id eſt, in vrbe quæ non longe diſtat à regno tuo.
TERMINOS tuos.) Id eſt,regionem tuam.
EDOM) Id eſt,rex Idumææ. Edom.
PER me:) Id eſt,per patriam meam.
PER tritam gradiemur viam:) vel, Via ſtrata lapidibus, aut Via regia pergemus. Gallice, Par la chauſſee.
DABIMVS quod &c. At ille) dabo pretiũ earum: tantũ ſi nihil ſit in pedibus meis, tranſibo. Id eſt, dabo tibi iuſtum pretium: modo nihil ſit mihi impedimento, tranſibo,& non immorabor.
TRANSIBITIS) tranſibis, Singulari numero.ſic etiam legitur in Oblõgo codice S.Dionyſii,& Victorino.
MANV forti.) Id eſt,magnis copiis.

Cúmque caſtra mouiſſent de Cades, venerunt in montem Hor, qui eſt in finibus terræ Edom: vbi locutus eſt

PER exploratorum viam,) Id eſt, via qua venerant exploratores.

VICTOR exiſtens, duxit ex eo prædam.) pugnauit contra Iſraelem, abduxítque ab eo (ſubaudi Iſraele) captiuos.

HORMA, id eſt anáthema,) Hæc verba, id eſt anáthema: nõ leguntur Hebraicè. Horma autem, ſignificat euerſionem & deſtructionẽ: quòd populus fuit euerſus & deſtructus in eo loco.

Profecti ſunt autem & de monte Hor, per viam quæ
ducit ad Mare-rubrum, vt circumiret Terram-Edom.
'Et tædere cœpit populum itineris ac laboris: locutúſq;
'contra Dominum & Moyſen, ait, Cur 'eduxiſti nos de
AEgypto, vt moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non
ſunt aquæ: 'anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto le-
uiſſimo. Quamobrem miſit Dominus in populum 'igni Sap.16.a. 1.cor.10.b.
tos ſerpẽtes, 'ad quorum plagas & mortes plurimorum,
venerunt ad Moyſen, atque dixerunt, Peccauimus, quia
locuti ſumus contra Dominum & te: 'ora vt tollat à no
bis ſerpentes. Orauit Moyſes pro populo, & locutus eſt
Dominus ad eum, Fac 'ſerpentem æneum, &'pone eum
pro ſigno. qui percuſſus aſpexerit eum, 'viuet. Fecit ergo
Moyſes SERPENTEM AENEVM, & poſuit eum
pro ſigno: quem cum 'percuſſi aſpicerent, ſanabantur.

ET tædere cœpit populum itineris ac laboris.) & abbreuiatus fuit animus populi in ipſo itinere. Id eſt, populus labore itineris fatigatus cœpit deſtitui animo, vel deſpondere animum. *Abbreuiatus animus.*

CONTRA Dominum) cõtra Deum. Ita legit Complutenſis editio, Pariſiénſque exemplar S. Germani.

EDVXISTI) plurale verbum eſt apud Hebræos, Eduxiſtis.

ANIMA noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.) anima noſtra abhorret ab hac eſca leuiſſima. Leuiſſimam eſcam vocat Moyſes manna, quòd eſſet (vt Hebræi dicunt) leuiſſimæ concoctionis. *Manna leuiſſimum.*

IGNITOS ſerpẽtes,) Ab effectu vocat ignitos ſerpẽtes: quòd corũ morſus induceret calorem quendam præter naturam, ita vt percuſſi ab eis, vri viderentur. *Serpentes igniti.*

AD quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſen,) qui momorderũt populum, mortuúſque eſt populus multus ex Iſrael. Venit igitur populus ad Moyſen &c.

ORA vt tollat) ora Dominum vt tollat.

SERPENTEM æneum,) ſerpentem ignitum. Hoc eſt, qui habeat ſimilitudinem ſerpentis vrentis: qualis eſt ſerpens ex ære fabricatus. *Serpens æneus.*

PONE eum pro ſigno.) pone eum ſuper vexillum. Vel, in extremitate haſtæ vexillaris. aut In ſignum: vt ſit vice vexilli. Alii vertunt, ſuper furca. Tamen vox Hebraica NES, pro qua ſignum vertit interpres, proprie ſignificat vexillum. hic pro haſta vexillari accipitur.

VIVET.) Vel, conualeſcet. aut, curabitur.

PERCVSSI) morſi.

Profectíque filii Iſrael caſtrametati ſũt in Oboth. Vn-

de egreſſi fixere tẽtoria in Ie-abarim, 'in ſolitudine quæ reſpicit Moab contra Orientalem plagam. Et inde mouentes,venerunt ad Torrentem-Zared. Quem relinquentes caſtrametati ſunt'cõtra Arnon,quæ eſt in de
Iudi.11.c. ſerto, '& prominet in finibus Amorrhæi. Siquidem Arnon terminus eſt Moab,diuidẽs Moabitas & Amorrhæos.Vnde 'dicitur in libro 'bellorum Domini,'Sicut fecit in Mari-rubro,ſic faciet in torrentibus Arnon. 'Scopuli torrentium inclinati ſunt,vt requieſcerent in Arnon,& recumberent in finibus Moabitarũ. 'Et ex eo loco apparuit puteus,ſuper quo locutus eſt Dominus ad Moyſen,Congrega populum, & dabo ei aquam. Tunc cecinit Iſrael carmen iſtud,'Aſcendat puteus.Concinebant, Puteus quem foderunt principes, & 'parauerunt duces multitudinis 'in datore legis,& in baculis ſuis.

IN ſolitudine quæ reſpicit Moab,) Id eſt,quæ erat in conſpectu regionis Moabitidis.

AD Torrentem-Zared.) Vel,Ad Vallem-Zared.

CONTRA Arnon,) citra Arnon.

ET prominet &c.) Vel,& protenditur vſque ad fines regni Amorrhæorum.

DICITVR) Vel,ſcribitur.

BELLORVM Domini,) Hic liber Intercidit:continebat autem bella geſta à Domino.

Vaheb. SICVT fecit in Mari-rubro,ſic faciet in torrentibus Arnon.) Vrbem Vaheb (ſubaudi,deleuit,vel expugnauit Deus)in turbine, & torrentes qui adiacent Arnon.Vel, Vrbem Vaheb deleuit Deus magno cum impetu,& valles quæ adiacent ipſi Arnon.

SCOPVLI torrentiũ,&c.Et ex) Et decurſum torrentiũ qui pergunt vt quieſcãt in Ar,innititúrque termino Moab.Id eſt,Expugnauit regionẽ per quã defluunt amnes,ab Arnõ vſque ad Ar,defluúntque in regionem Moabitidem.

ET ex eo loco apparuit puteus,ſuper quo locutus eſt &c.) Et illinc(ſub.profecti ſunt)in Beer:is eſt puteus de quo dixerat Dominus &c.

ASCENDAT puteus.Concinebant,Puteus quem &c.) Aſcende putee,canite (vel,concinite)illi,Putee inquam quem foderunt&c.Principium carminis eſt Aſcende putee.quod non abſoluitur. Aſcende,inquit,id eſt exaltare.

PARAVERVNT duces) foderunt principes.

IN datore legis, & in baculis ſuis.) cum legiſlatore,baculis ſuis. Id eſt, quem puteum adhortante Moyſe, principes foderant baculis ſuis.

Profectíque ſunt de ſolitudine,Mathana: de Mathana in Nahaliel:de Nahaliel in Bamoth.'Bamoth, vallis eſt in regione Moab,'in vertice Phaſga,quod reſpicit cõtra deſertum. Miſit autem Iſrael nuntios ad Sehon re-

gem Amorrhæorum,dicens,Obſecro vt tranſire mihi liceat per terram tuam:non declinabimus in agros & vineas,non bibemus aquas ex puteis.via regia gradiemur, donec tranſeamus terminos tuos. Qui concedere noluit vt tranſiret Iſrael per fines ſuos:quin potius 'exercitu congregato,egreſſus eſt obuiam in deſertum,&venit
in Iaſa, pugnauitque contra eum. ‖'A quo percuſſus eſt Amos 2.c. pſal.134.c.
'in ore gladii, '& poſſeſſa eſt terra eius ab Arnon vſque Ieboc,'& filios Ammon:quia 'forti præſidio tenebantur termini Ammonitarum.

PROFECTIQVE ſunt) Hæc verba adiecta ſunt à neſcio quo, vt facilius intelligeretur contextus.nam tantum Hebraice legitur, De ſolitudine,Mathana.atque ita legitur in antiquioribus Latinis codicibus S.Dionyſii & Germani,conſentiente Moguntinenſi editione.Id eſt,Ab eo loco deſerti qui dicebatur Beer,profecti ſunt in locum qui dicebatur Mathana.

BAMOTH vallis eſt in regione) De Bamoth,in vallem quæ erat in regione Bamoth.
&c.Præpoſitionem DE legimus in vetuſtioribus Latinis codicibus S.Germani & Dionyſii,admonente nos de hoc Correctorio Sorbonico.

IN verticee Phaſga,quod reſpicit contra deſertum.) in vertice collis,& ex aduerſo reſpondet deſerto.Vel,aſpicit contra deſertum.

EXERCITV congregato,egreſſus) vniuerſum populum ſuum congregauit, & egreſſus eſt obuiam &c.

A quo) A quo Iſraele.

IN ore gladii) Hebraiſmus pro enſe.

ET poſſeſſa eſt terra) & poſſedit terram.Vel patriam.

ET filios Ammon:) & vſque ad filios Ammon.Vel, vſque ad regionem Ammonitarum.

FORTI præſidio tenebantur termini Ammonitarum.) Vel,bene munita erat regio Ammonitarum.

Tulit ergo Iſrael omnes ciuitates eius,& habitauit in vrbibus Amorrhæi, in Heſebon ſcilicet,'& viculis eius. 'Vrbs Heſebon fuit Sehon regis Amorrhæi,qui pugnauit contra regem Moab:& tulit omnem terram quæ ditionis illius fuerat,vſque Arnon.'Idcirco dicitur in prouerbio,'Venite in Heſebon,ædificetur, & cõſtruatur ciuitas Sehon.'Ignis egreſſus eſt de Heſebon, flamma de oppido Sehon, '& deuorauit 'Ar Moabitarum,& habita
tores excelſorum Arnon.‖Væ tibi Moab,'periſti popule Iudicum 11.c.
Chamos.'Dedit filios eius in fugam, '& filias in captiuitatem regi Amorrhæorum Sehon.'Iugum ipſorum diſ-

periit ab Heſebon vſq; Dibon, laſſi peruenerunt in Nophe, & vſque Medaba.

Filiæ pro pagis.

ET viculis eius.) & filiabus eius. Id eſt, minoribus vrbibus. Erat enim Heſebon vrbs regia. Filias etiam vocat villas & pagos.

VRBS Heſebon fuit Sehō regis Amorrhæi, qui pugnauit contra regē Moab:) Siquidem Heſebon erat vrbs Sehon regis Amorrhæorum: ipſe enim pugnauerat contra regem Moab primum. Id eſt, expugnauerat regem Moabitarum, eum qui primus rex Moabitarum fuerat. Vel, priorē: hoc eſt, qui prius regnauerat ante Balac.

Parabolātes.

IDCIRCO dicitur. in prouerbio,) Idcirco dicunt parabolantes. Id eſt, qui ænigmata vſurpare ſolent. Vel, hiſtorici ſcriptores.

VENITE) quaſi dicat, Vos viciſtis, ædificentur mœnia Sehon.

Ignis.

IGNIS) Quoniam ignis. Quidam per ignem intelligunt ſeditionē, per quam multa abſumuntur, vt per ignem. alii vero copias. Chaldæus paraphraſtes vertit, Quia ventus vrens fortis ſicut ignis, egreſſus eſt de Heſebon: & facientes prælium ſicut flamma de ciuitate Sehon.

ET deuorauit) quæ deuorauit. Chaldæus paraphraſtes, Occiderunt populum qui habitabat in Ar Moab.

AR Moabitarum,) Vel, vrbem Moab.

HABITATORES excelſorum,) Chaldæus paraphraſtes, Et ſacerdotes qui habitant in domo deorum altarium Arnon.

Populus Chamos.

PERISTI popule Chamos.) periſti ô popule qui colis Chamos. Chamos, idolum eſt Moabitarum, vt vides 3. Reg. 11. b. Declarat autem quàm inualidæ fuerint vires ipſius idoli.

DEDIT filios eius in fugam,) Dedit filios ſuos euaſores. Id eſt, Permiſit Chamos vt cultores ſui verterentur in fugam, conſulerént que ſibi fuga.

ET filias in &c.) & filias ſuas in &c. Id eſt, permiſit vt quæ adorarent eum, abducerentur in captiuitatē: dedit inquā eas regi Amorrhæorū, nempe ipſi Sehon.

IVGVM ipſorum &c.) Et nouale eorum periit ab Heſebon vſque ad Dibon: & deieuimus eos vſque ad Nophe quæ eſt vſque Medaba. Alii priorem partē hui9 verſus hoc pacto vertunt, Et iaculis confecimus eos. Id eſt, vicimus. Eſt autem initium carminis, quod ſolet ſcribi à ſcriptoribus parta victoria. Superauimus ergo eos, & periit Heſebon vſque ad Dibon, & ad nibilum redegimus omnia vſque ad Nophe quæ protenditur vſque Medaba.

Habitauit itaque Iſrael in Terra-Amorrhæi. Miſitque Moyſes qui explorarent Iazer: cuius ceperunt viculos, & poſſederunt habitatores.

Deut. 3. a. 29. b.

Verterúntque ſe, & aſcenderunt per viam Baſan, & occurrit eis Og rex Baſan cū omni populo ſuo, pugnaturus in Edrai. Dixítque Dominus ad Moyſen, Ne timeas eū, quia in manu tua tradidi illum, & omnem populum, ac terram eius: faciéſq; illi ſicut feciſti Sehon regi Amorrhæorum habitatori Heſebon. Percuſſerunt igitur & hunc cum filiis ſuis, vniuerſúmque populum eius vſque ad internecionem, & poſſederunt terram illius.

ET poſſederunt habitatores.) & expulit Amorrhæos qui habitabant illic.
TRADIDI) Vel, tradam.
VSQVE ad internecionem,) ita vt non reliquerit ei ſuperſtitem.

CAP. XXII.

PROFECTIQVE caſtrametati ſunt 'in campeſtribus Moab, 'vbi trans Iordanem Iericho ſita eſt. Videns autẽ Balac filius Sephor omnia quæ fecerat Iſrael Amorrhæo, '& quòd pertimuiſſent eum Moabitæ, & impetum eius ferre non poſſent, dixit ad maiores natu Madian, 'Ita delebit hic populus omnes qui in noſtris finibus commorantur, quomodo ſolet bos herbas vſque ad radices carpere. Ipſe autem erat eo tempore rex in Moab.‖Miſit ergo nuntios ad Balaam filium Beor 'ariolum, qui habitabat ſuper flumen terræ filiorũ Ammon, Ioſue 24.b. vt vocarent eum, & dicerent, Ecce egreſſus eſt populus ex AEgypto, qui operuit ſuperficiem terræ, 'ſedens contra me. "Veni igitur, & maledic populo huic, quia fortior me eſt: ſi quo modo poſſim percutere, & eiicere eum 'de terra mea. noui enim quòd benedictus ſit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congeſſeris.

IN campeſtribus) Chaldæus paraphraſtes vertit, in planitie.

VBI trans Iordanem Iericho ſita eſt.) citra Iordanem Iericho. Id eſt, qui labitur circa Iericho, vel non procul à Iericho fluit.

ET quòd pertimuiſſent eum Moabitæ, & impetũ eius ferre non poſſent, dixit) tunc timere cœpit valde Moab à facie populi, quia multus erat: anguſtiáque affectus Moab propter filios Iſrael, dixit &c.

ITA delebit hic &c. Ipſe) Nunc lambendo abſumet congregatio iſta vniuerſas regiones nobis finitimas, ſicut lambendo depaſci ſolet bos herbã agri virentẽ.

ARIOLVM, qui habitabat ſuper flumen terræ filiorũ Ammon,) in Pethor, Pethor. quæ ſita erat iuxta flumen terræ filiorum populi ſui. Id eſt, in vrbe quæ dicebatur Pethor, quæ ſita erat ad flumen Euphratem In patria ipſius Balaam.

SEDENS cõtra me.) & ipſe habitat e regione mei. Id eſt, imminet regno meo.

VENI igitur, & maledic populo huic,) Nunc igitur veni, & maledic populo huic mihi. Vel, Veni igitur obſecro, & in gratiam mei maledic populo iſti.

DE terra mea.) Pronomen MEA, non legitur Hebraice, neque in editione Complutenſi.

Perrexerúntque ſeniores Moab, & maiores natu Madian 'habentes diuinationis pretium in manibus. Cúmque veniſſent ad Balaam, & narraſſent ei omnia 'verba Balac, ille reſpondit, Manete hîc nocte, & reſpondebo quicquid mihi dixerit Dominus. Manentibus autẽ illis

apud Balaam, venit Deus, & ait ad eum, 'Quid ſibi volunt homines iſti apud te? Reſpõdit, Balac filius Sephor rex Moabitarum miſit ad me, dicens, Ecce populus qui egreſſus eſt de AEgypto, operuit ſuperficiem terræ: 'veni, & maledic ei, ſiquo modo poſſim pugnans 'abigere eum. Dixítque Deus ad Balaam, Noli ire cum eis, neq; maledicas populo, quia benedictus eſt. Qui mane conſurgens dixit ad principes, Ite in terram veſtram, quia 'prohibuit me Dominus venire vobiſcum.

HABENTES diuinationis pretium in manibus.) Vel, portantes ſecum mercedem quam pro diuinatione darent.

Verba Balac. VERBA Balac,) Id eſt, quæ in mandatis habebant à Balac.

QVID ſibi volunt homines iſti) Qui ſunt homines iſti.

VENI, & maledic ei,) nunc igitur veni, & maledic ei in gratiam mei.

ABIGERE) Paruum exemplar S. Germani legit abiicere.

PROHIBVIT me Dominus venire vobiſcum.) renuit Dominus concedere mihi ire vobiſcum.

Reuerſi principes dixerunt ad Balac, Noluit Balaam venire nobiſcum. Rurſum ille multò plures & nobiliores quàm antè miſerat, miſit. Qui cum veniſſent ad Balaam, dixerũt, Sic dicit Balac filius Sephor, 'Ne cũcteris venire ad me: paratus ſum honorare te, & quicquid volueris dabo tibi: veni, & maledic populo iſti. 'Reſpon-
3.24.c. dit Balaam, Si dederit mihi Balac plenam domũ ſuam argenti & auri, nõ potero 'immutare verbũ Domini Dei mei, 'vt vel plus, vel minus loquar. 'Obſecro vt hîc maneatis etiam hac nocte, '& ſcire queam quid mihi rurſũ reſpõdeat Dominus. Venit ergo Deus ad Balaã nocte, & ait ei, Si vocare te venerint homines iſti, ſurge, & vade cũ eis: ita dúntaxat, vt quod tibi præcepero, facias.

NE cunctèris venire ad me &c.) Ne quæſo prohibeas te ne venias ad me: honorãdo enim honorabo te valde, & omnia quæ dixeris mihi faciã. veni igitur, in gratiam mei maledic &c. Id eſt, Ne causeris quippiam quominus venias ad me: nã glorificabo te, hoc eſt cumulabo tę maximis muneribus, dabo tibi ampliſſimas opes. (Honorare aliquem. Glorificare.)

RESPONDIT Balaam,) Reſpondens Balaam, dixit ad ſeruos Balac.

IMMVTARE) tranſgredi. Vel, præterire.

VT vel plus, vel minus loquar.) vt faciam aliquid, ſiue paruum illud ſit, ſiue magnum.

OBSECRO) Nunc igitur quæſo. Siue obſecro.

ET ſcire queam) vt ſcire queam.

Surrexit Balaã mane, & ſtrata aſina ſua profectus eſt
'cum eis. Et iratus eſt Deus:ſtetítque angelus Domini
"in via contra Balaam, qui inſidebat aſinæ,& 'duos pue-
ros habebat ſecum. ‖Cernens aſina "angelum ſtantem 2.Pet.2.c. iudæ 1 d.
in via "euaginato gladio,auertit ſe de itinere,& "ibat per
agrũ.Quã quũ verberaret Balaam,& vellet ad ſemitam
reducere,ſtetit angelus "in anguſtiis duarum maceriarũ,
quibus vineæ cingebantur.Quem videns aſina,iunxit ſe
parieti,& attriuit 'ſedentis pedem.At ille iterum verbe-
rabat eam:"& nihilominus angelus ad locum anguſtum
tranſiens,vbi nec ad dexteram nec ad ſiniſtram poterat
deuiari, obuius ſtetit. Cúmque vidiſſet aſina ſtantẽ an-
gelum,cóncidit'ſub pedibus ſedentis."Qui iratus,vehe-
mentius cædebat fuſte latera eius. Aperuítq; Dominus
os aſinæ,& locuta eſt, Quid feci tibi? 'cur percutis me
ecce iam tertió? Reſpondit Balaam,'Quia commeruiſti
& illuſiſti mihi: vtinã haberem gladium 'vt te percute-
rem.Dixit aſina,Nónne "animal tuum ſum, cui ſemper
ſedere conſueuiſti vſque in præſentem diem? "dic quid
ſimile vnquam fecerim tibi.At ille ait,Nunquam."Pro-
tinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit angelũ
ſtantẽ in via euaginato gladio, "adorauítq; eũ pronus in
terram.Cui angelus,Cur,inquit,tertio "verberas aſinam
tuam? Ego veni vt aduerſarer tibi,'quia peruerſa eſt via
tua, mihíque contraria :"& niſi aſina declinaſſet de via,
dans locum reſiſtenti,te occidiſſem,& illa viueret."Di-
xit Balaam, Peccaui,"neſciens quòd tu ſtares "cõtra me:
"& nunc ſi diſplicet tibi vt vadam,reuertar.Ait angelus,
Vade cũ iſtis, & caue ne aliud quàm "præcepero tibi, lo-
quaris.Iuit igitur cum principibus.

CVM eis. Et iratus eſt Deus:) cum principibus Moab. Et iratus eſt furor Dei quòd abiret ipſe.

IN via contra Balaã,) in ipſa via, in aduerſariũ illi.Id eſt,vt illi aduerſaretur.

DVOS pueros) duos famulos ſuos.

ANGELVM ſtantem) angelum Domini ſtantem.Sic etiam legitur in Paruo exemplari S.Germani.

xit eum ad excelſa Baal,'& intuitus eſt extremam partem populi.

IN oppido Moabitarum, quod ſitum eſt in extremis finibus Arnon.) ad vrbē quandam Moabitarum quæ erat contermina Arnon, quæ (ſcilicet Arnon) erat in extremo termini. Id eſt, in extremis finibus regni Moabitarum.

VOCARENT) vocarem. prima perſona. Ita etiam legitur in Victorino codice, & in Paruo S. Germani.

STATIM) aduerbium iſtud non legitur Hebraice.

AN quia mercedem aduentui tuo reddere nequeo?) an vere non poſſum glorificare te? Id eſt, putáſne me non poſſe te afficere multis muneribus, vel magno honore? Glorificare aliquem.

NVNQVID loqui potero aliud, niſi quod Deus poſuerit in ore meo?) Nónne potero loqui quicquā? verbum quod Deus ponet in ore meo, illud loquar. Id eſt, num potero pro voto meo, vel à me loqui quicquā, niſi ipſe Deus voluerit? quicquid mihi ſuggeſſerit, illud loquar.

IN vrbem quæ in extremis regni eius finibus erat.) in vrbem Huſoth. Huſoth.

MVNERA.) Hæc dictio non legitur Hebraice. Miſerat autem Balac boues & oues propter Balaam & propter principes qui illum adduxerant, vt laute exciperéntur.

DVXIT eum ad excelſa Baal, & intuitus eſt extremam partem populi.) aſſumpſit Balac ipſum Balaam, & deduxit eum in Bamoth-baal, & vidit ex eo loco extremam partem populi. Scilicet Iſraelitici. Bamoth-baal.

CAP. XXIII.

DIXITQVE Balaam ad Balac, AEdifica mihi hîc ſeptem aras, & para totidem vitulos, eiuſdémque numeri arietes. Cúmque feciſſet iuxta ſermonem Balaam, 'impoſuerunt ſimul vitulum & arietem ſuper aram. Dixítque Balaam ad Balac, Sta "pauliſper iuxta holocauſtum tuum, donec vadā, ſi forte occurrat mihi Dominus: '& quodcunque imperauerit, loquar tibi. Cúmque abiiſſet velociter, occurrit illi Deus. Locutúſque ad eum Balaam, Septem, inquit, aras erexi, & impoſui vitulum & arietem "déſuper. Dominus autem "poſuit verbum in ore eius, & ait, Reuertere ad Balac, & hæc loquêris. Reuerſus inuenit ſtantem Balac iuxta holocauſtum ſuum, & omnes principes Moabitarum: "aſſumptáque parabola ſua, dixit, De Aram "adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis. Veni, inquit, & "maledic Iacob: propera & deteſtare Iſrael. "Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? "qua ratione deteſter, quem Dominus non deteſtatur? "De ſummis ſilicibus

videbo eum: & de collibus conſyderabo illum: 'populus ſolus habitabit,& 'inter Gētes nō reputabitur. 'Quis dinumerare poſſit puluerem Iacob, '& noſſe numerum ſtirpis Iſraelɂ 'Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia.

IMPOSVERVNT ſimul vitulum & arietem ſuper aram.) . impoſuerunt Balac & Balaam vitulum & arietem in altari. Id eſt, per ſingulas aras mactauerunt vnum arietem & vnum bouem.

PAVLISPER) Non legitur Hebraice aduerbium iſtud.

ET quodcunque imperauerit,loquar tibi.Cúmque abiiſſet velociter,occurrit) & quancunque rem oſtenderit mihi,renuntiabo tibi.itaque abiit ſòlus.Et occurrit &c. Pro,Abiit ſolus: verti poteſt, Seceſſit in locum ſublimiorem.quod magis probatur.

DESVPER.) in altari vno.Id eſt,per ſingulas aras.

Ponere verbū in ore. POSVIT verbum in ore eius.) Id eſt,ſuggeſſit ipſi Balaam quod reſponderet.

Parabola. ASSVMPTAQVE parabola ſua) Id eſt,exorſus propheticū ſermone.quia in prophetiis ſunt parabolæ:ideo parabola accipitur pro ſermone prophetico.

ADDVXIT) Vel,deducendum curauit.

MALEDIC Iacob:) maledic in gratiam mei ipſi Iacob.

QVOMODO maledicam) Cur maledicam.

QVA ratione) Cur.

DE ſummis ſilicibus videbo eum,) Quoniam de vertice petrarum(vel montium) vidi illum.

CONSYDERABO illum:) contemplatus ſum.Hoc dicit propter legem Iſraelitis in monte datam.

Populus ſol⁹. POPVLVS ſolus) & ecce populus ſolus.Vel, ſolitarius.Id eſt, ſeorſum ab aliis gentibus habitaturus eſt propter religionem.

INTER Gentes non reputabitur.) Id eſt, non mutabit religionem ſuam, vt miſceatur cum aliis Gentibus.

QVIS dinumerare poſſit puluerem Iacob:) Chaldæus paraphraſtes vertit, Quis numero æquaturus eſt puluerem terræ Iacobɂ

ET noſſe numerum ſtirpis Iſraelɂ) & quis numerabit numerum quartæ partis Iſraelɂ

MORIATVR anima mea &c.) Id eſt, moriar vt iſti iuſti morituri ſunt: & mihi contingat vt illis.

Dixítque Balac ad Balaam,Quid eſt hoc 'quod agisɂ vt malediceres inimicis meis,vocaui te:& tu econtrario 'benedicis eis.Cui ille reſpondit,'Num aliud poſſum loqui niſi quod iuſſerit Dominusɂ Dixit ergo Balac, 'Veni mecum in alterum locum 'vnde partem Iſrael videas, & totum videre non poſſis,inde maledicito ei.Cúmque duxiſſet eum 'in locum ſublimem,ſuper verticem montis Phaſga, ædificauit Balaam ſeptem aras, & 'impoſitis ſuprà vitulis atque arietibus,dixit ad Balac, Sta hîc iuxta holocauſtum tuum,'donec ego obuius pergam.

QVOD agis?) quod feciſti mihi?

BENEDICIS) benedixiſti.

NVM aliud poſſu loqui niſi quod iuſſerit Dominus?) Nónne quod ponet Domi nus in ore meo, id ſtudioſe conabor dicere? Quaſi dicat, id ſolũ poſſũ dicere. Seipſũ interpretatur quum dicit capite ſequẽti, Si dederit mihi Balac plenã domũ &c.

VENI mecum) Veni obſecro mecum.

VNDE partem &c. Cúmque) vnde videas illum (tantum extremitatem eius vidiſti, & totum illum non vidiſti) & maledic ei illinc in gratiam mei. Obſeruanda eſt iſta parentheſis: alioqui locus eſt obſcuriſſimus. Ante hæc verba, Inde maledicito: legitur coniunctio ET, in Lato exemplari S. Dionyſii.

IN locũ ſublimem, ſuper verticem montis Phaſga,) in Sede-ſophim, in verticem collis. Sede-ſophim, ſignificat locum ſpeculatorum. Sede-ſophim.

IMPOSITIS ſupra vitulis & arietibus) impoſito ſupra ſingulas vitulo & ariete.

DONEC ego obuius pergam.) vt ego occurram illic. Subaudi, Deo. Id eſt, vt ego conſulam Deum. Occurrere Deo.

Cui cum Dominus occurriſſet, 'poſuiſſétque verbum in ore eius, ait, Reuertere ad Balac, & hæc loquêris ei. Reuerſus inuenit eum ſtantem iuxta holocauſtum ſuũ, & principes Moabitarũ cum eo. Ad quem Balac, Quid, inquit, locutus eſt Dominus? At ille 'aſſumpta parabola ſua, ait, 'Sta Balac, & auſculta, 'audi fili Sephor, Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis 'vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus eſt, & non implebit? 'Ad benedicendum adductus ſum, benedictionem prohibere non valeo. 'Non eſt idôlum in Iacob, nec videtur ſimulachrum in Iſrael. Dominus Deus eius cum eo eſt, '& clãgor victoriæ Regis in illo. Deus eduxit illum de AEgypto, ‖cuius fortitudo ſimilis eſt 'rhinocerôtis. 'Non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſrael: 'tẽporibus ſuis dicetur Iacob & Iſraeli quid operatus ſit Deus. Ecce populus 'vt leæna conſurget, & quaſi leo erigetur: non accubabit 'donec deuoret prædã, & occiſorum ſanguinem bibat. J.24.b.

POSVISSETQVE verbum in ore eius,) Id eſt, ſuggeſſiſſet illi quod loqueretur, ſiue reſponderet. Ponere verbum in ore alicuius.

ASSVMPTA parabola ſua, ait,) Id eſt, tũc cœpit more prophetarum dicere. Vel, Tunc exorſus ſermonem propheticum dixit. Aſſumpta parabola ait.

STA) Surge.

AVDI) auribus percipe verba mea.

VT mutetur.) vt mutet ſententiam. Vel, pœniteat eum promiſſi.

AD benedicendum &c. Non eſt) Ecce, benedictionem accepi, præterea benedixit, & non reuocabo illam. Non eſt &c. Hoc eſt, mãdatum accepi à Domino, ſiue miſſus ſum à Domino vt benedicere: ipſe Dominus benedixit: neque poſſum

benedictionem illam reuocare.

Aſpicere iniquitatem in aliquo.

NON eſt idôlum &c.Dominus) Non aſpexit iniquitatem in Iacob, neque vidit calumniam in Iſrael. Dominus &c.Id eſt, Dominus peccatum Iſraeli non imputat, propter fidem. peccat quidem fidelis, ſed ſtatim condonatur ei peccatum.

Clangor victoriæ in illo.

ET clangor victoriæ regis in illo.) & iubilatio regis in illo Id eſt, ſimilis clãgori regis victoris. Quaſi dicat, vincet hic populus Iſraeliticus inimicos ſuos.

RHINOCEROTIS.) vnicornis.

Non eſt auguriũ in Iacob.

NON eſt augurium in Iacob,) Quia nõ eſt augurium in Iacob. Id eſt Iſraelitæ non ſunt dediti auguriis & diuinationibus. Vel, Non opus habent accedere ad augures.

Sicut hoc tempore.

TEMPORIBVS ſuis dicetur Iacob & Iſraeli quid operatus ſit Deus.) ſicut hoc tempore dicetur de Iacob & de Iſraele quid fecerit Dominus. Id eſt, ſimili tempore, ſiue poſthac narrabitur quanta fecerit Dominus pro Iſraele.

VT leæna) vt leo.

DONEC deuoret &c.) Id eſt, ſpoliabit omnibus bonis inimicos.

Dixítque Balac ad Balaam, "Nec maledicas ei, nec benedicas. Et ille ait, Nónne dixi tibi quòd quicquid mihi "Deus imperaret, hoc facerem? Et ait Balac ad eum, Veni, & ducam te ad alium locum: ſi fortè placeat Deo vt inde "maledicas eis. Cúmque duxiſſet eum ſuper verticẽ montis Phogor, qui reſpicit "ſolitudinem, dixit ei Balaã, AEdifica mihi hîc ſeptem aras, & para totidem vitulos, eiuſdémque numeri arietes. Fecit Balac vt Balaam dixerat: impoſuítque "vitulos & arietes per ſingulas aras.

NEC maledicas ei, nec benedicas.) Etiam maledicendo ne maledicas ei, etiam benedicendo ne benedicas ei. Id eſt, ſi nolis ei maledicere, ne igitur benedixeris ei.

DEVS imperaret,) Dominus imperaret. Ita etiam legit Complutenſis editio, & Paruum exemplar S. Germani.

MALEDICAS ei:) Ex Hebræo addendum, in gratiam mei.

SOLITVDINEM) Ieſimon. Sic quidam vertunt, vt ſit nomen deſerti.

VITVLOS & arietes) ſingulos vitulos, & ſingulos arietes.

CAP. XXIIII.

CVMQVE vidiſſet Balaam quòd placeret Domino vt benediceret Iſraeli, nequaquam abiit vt antè perrexerat, vt augurium quæreret: ſed dirigens contra deſertum vultum ſuum, & eleuans oculos, vidit Iſrael in tẽtoriis commorantem per tribus ſuas: & irruente in ſe Spiritu Dei "aſſumpta parabola ait, "Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cuius "obthuratus eſt oculus: dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem Omnipotentis intuitus eſt: "qui cadit, & ſic aperiuntur oculi eius, Quàm

'pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael! 'Vt valles nemoroſæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus, quaſi cedri prope aquas. Fluet aqua 'de ſitula eius, & ſemen illius erit 'in aquas multas. 'tolletur propter Agag, rex eius, & auferetur regnum illius. Deus eduxit illum de AEgypto, ‖cuius fortitudo ſimilis eſt 'rhinocerôtis. 'deuorabunt Gentes hoſtes illius, oſſáque eorum confringent, & perforabunt ſagittis. Accubans dormiuit vt leo, '& quaſi leæna,' quam ſuſcitare nullus audebit. qui benedixerit tibi, erit & ipſe benedictus: 'qui maledixerit, 'in maledictione reputabitur. F.13.d.

ASSVMPTA parabola ait,) leuauit parabolam ſuã, & ait. Id eſt, ſublata voce prophetauit, dicens.

DIXIT Balaam filius Beor,) Procemio vtitur more prophetarum. quaſi dicat, Prophetia Balaam filii Beor, prophetia hominis, &c. Dixit Balaã.

OBTHVRATVS eſt oculus,) aperti ſunt oculi. Scilicet mentis. Quaſi dicat, Prophetia inquam veri prophetæ. Obthuratus oculus.

QVI cadit, & ſic aperiuntur oculi eius,) qui cadit, & oculos habet apertos. Id eſt, qui dormitat. & tamen habet oculos mentis reuelatos. Cadit.

PVLCHRA tabernacula.) Vel, elegantia ſunt, ſiue futura ſunt tabernacula. quum ſcilicet aduenerit CHRISTVS.

VT valles &c. Fluet) Sicut amnes qui latè ſe diffundunt, ſicut horti ſiti iuxta fluuium (id eſt, Euphraten) vt arbores aromaticæ quas plantauit Dominus, quæ ſunt ſimiles cedris, quæ creſcunt prope aquas. Fluet &c. Id eſt, in hortis irriguis. Pro, Arbores aromaticæ quas plantauit: verti poteſt, Tentoria quæ fixit.

DE ſitula eius,) Alii vertunt, de ramis eius.

IN aquas multas.) in aquis multis. Id eſt, erit fœcundus: & ſemina eius capient magnum incremẽtum, ſicut ſolent germina in locis irriguis. Hoc eſt, omnia neceſſaria ad hanc vitam, abunde & copioſe affluent ei.

TOLLETVR propter Agag, rex eius, & auferetur regnum illius.) excellens erit magis quàm Agag rex eius: & eleuabitur regnũ eius. De Dauide intelligitur qui erat typus CHRISTI.

RHINOCERÔTIS.) vnicornis.

DEVORABVNT &c. Accubans) deuorabit Gentes (appoſitiuè) Inimicos ſuos, & oſſa eorum franget, & ſingula tela eius confodient. Subaudi, inimicos.

ET quaſi leæna, quam ſuſcitare nullus audebit.) & leo, quis ſuſcitabit eum? Id eſt, quis audebit eum excitare, pugnæ gratia? Quaſi dicat, nemo audebit eum prouocare, à nemine ſuperabitur hic populus.

QVI maledixerit,) Addendum pronomen TIBI. Sic etiam legitur in Complutenſi editione, & Paruo exemplari S. Germani.

'Iratúſque Balac contra Balaam, 'complofis manibus ait, Ad maledicendum inimicis meis vocaui te, 'quibus econtrario tertiò benedixiſti. Reuertere ad locum tuũ.

decreueram quidem ″magnificè honorare te,ſed Domi-
nus priuauit te″honore diſpoſito.Reſpondit Balaam ad
I.22.d. Balac,Nõne nuntiis tuis,quos miſiſti ad me,dixi,‖Si de-
derit mihi Balac plenam domum ſuam argenti & auri,
non potero præterire ſermonẽ Domini Dei mei, vt vel
boni quid,vel mali proferam ex corde meo : ſed quic-
quid Dominus dixerit,hoc loquar?

COMPLOSIS manibus) more ſcilicet hominum ægreferentium aliquid.
QVIBVS econtrario) & ſanc iam.Vel,& ecce iam tertio,&c.
MAGNIFICE honorare te,) Id eſt,magnis muneribus donare te.
HONORE diſpoſito.) gloria.Id eſt,muneribus quibus eram te affecturus.
SERMONEM Domini Dei mei,) Vel,mandatum Domini. Dictiones, DEI MEI, non leguntur Hebraice.

″Veruntamen pergens ad populum meum,dabo con-
ſilium quid populus tuus populo huic faciat extremo
tempore.″Sumpta igitur parabola,rurſum ait,Dixit Ba-
laam filius Beor, dixit homo cuius obthuratus eſt ocu-
lus, dixit auditor ſermonum Dei, qui nouit doctrinam
Altiſſimi, & viſiones Omnipotentis″videt, qui cadens
apertos habet oculos,″Videbo eum, ſed non modò : in-
Matth.2.a. tuebor illũ,ſed non propé. ‖ORIETVR STELLA
ex Iacob, & conſurget″virga de Iſrael: & ″percutiet du-
ces Moab, vaſtabítque omnes ″filios Seth.″Et erit Idu-
mæa poſſeſſio eius:hæreditas Seir cedet inimicis ſuis:Iſ-
rael verò″fortiter aget.De Iacob erit qui dominetur,&
perdat reliquias″ciuitatis.

VERVNTAMEN &c.Sumpta) Nunc ergo paratus ſum recedere ad populũ meum: veni (vel,age) conſulam tibi: ſiquidẽ hæc (ſub.quæ dicturus ſum) facturus eſt populus iſte populo tuo in nouiſſimis temporibus.Sumpta &c. Vel,Conſulendo prædicam tibi quid facturus ſit populus iſte populo tuo, in nouiſſimis diebus.Complutenſis editio legit,Dabo tibi conſilium quid &c.
SVMPTA parabola &c.) Eadem verba ſunt quæ in principio capitis legũtur
VIDET,) vidit.Præteriti temporis.
QVI cadens,apertos habet oculos.) Id eſt,prophetia inquam cadentis,dormitantis præ ſopore,& nihilominus oculos habentis apertos.Quaſi dicat,dormientis quidem corpore,mente tamen vigilantis.
VIDEBO eum.) Futurum pro præſenti,Video illum CHRISTVM,qui venturus eſt poſt multa ſecula.
VIRGA) ſceptrum.
PERCVTIET duces Moab) Vel,vaſtabit fines Moab.
Filii Seth. FILIOS Seth.) Id eſt,filios Adam,mundum ipſum.

ET erit Idumæa poſſeſſio eius: hæreditas Seir cedet inimicis ſuis:) Idumæa poſſidebitur, & regio quæ adiacet monti Seir, poſſidebitur, (appoſitiuè) inimici eius. Quaſi dicat, fide omnes gentes ſuperabuntur, quæ nunc ſunt inimicæ Iſraelis.

FORTITER) Vel, viriliter.

CIVITATIS) de qualibet vrbe. Sub. infideli. Id eſt, faciet CHRISTVS vt omnes infideles ſint fideles.

Cúmque vidiſſet Amalec, aſſumens parabolam, ait, Principium Gentiũ Amalec, cuius extrema perdentur. Vidit quoque Cinæum: & aſſumpta parabola, ait, Robuſtum quidem eſt habitaculum tuum: ſed ſi in petra poſueris nidum tuum, & fueris electus de ſtirpe Cin, quãdiu poteris permanere? Aſſur enim capiet te. Aſſumptáque parabola iterum locutus eſt, Heu quis victurus eſt quando iſta faciet Deus? Venient in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabúntque Hebræos, & ad extremum etiam ipſi peribunt. Surrexítque Balaam, & reuerſus eſt in locum ſuum; Balac quoque via qua venerat rediit.

VIDISSET Amalec,) ſpiritu ſcilicet prophetiæ.

PRINCIPIVM) Primitiæ. Id eſt, primi Amalecitæ inuaſerũt filios Iſrael poſtquam egreſſi ſunt ex AEgypto. Primitiæ.

CVIVS extrema perdentur.) & finis eius erit vſque ad internecionem. Id eſt, tandem perdetur prorſus, & peribit.

ASSVMPTA parabola,) Id eſt, cœpit prædicere quæ Cinæo euentura eſſent.

SED ſi in petra poſueris nidum tuum,) etiam ſi ponas in rupe nidum tuum. Id eſt, etiam ſi habites in rupe tutiſſima Subaudiendum, ſuperaberis tamen.

ET fueris electus &c. Aſſumptáque) Sed erit ad expellendũ Cinæus, vſquequo te captiuum abducat Aſſyrius. Mutatio ſecundæ perſonæ in tertiam, & rurſum tertiæ in ſecundam: antecedens item pro relatiuo, obſcurũ reddunt ſenſum. Sic clarius vertas, Certe expelleris Cinæe, abduceríſque captiuus ab Aſſyriis. Futuri temporis eſt expelleris & abduceris. Illud VSQVEQVO, perinde valet ac ſi dicas, non tantum expelleris, ſed etiam abduceris captiuus. Vel, ita expelleris, vt abducaris captiuus ab Aſſyriis.

Mutatio perſonæ, & antecedens pro relatiuo.

Vſquequo.

TRIERIBVS) nauibus.

DE Italia,) de litore Cithim. Id eſt, de litore Italico. Vel, de litore Græcorum, aut Tuſcho. Chaldæus paraphraſtes, de litore Romano.

SVPERABVNT) affligent.

AD extremum etiam ipſi peribunt,) etiam illud (ſub. imperium Romanum) erit ad internecionem. Id eſt, tandem peribit.

CAP. XXV.

MORABATVR autem eo tempore Iſrael in Setim, & fornicatus eſt populus cũ filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua: at illi comederũt, & adorauerunt deos earum. Initiatúſque eſt Iſrael Be-

Ioſue 22.d. deut.4.a. el-phegor, & iratus Dominus ait ad Moyſen, ‖ Tolle cũctos principes populi, & ſuſpende eos contra ſolẽ in patibulis: vt auertatur furor meus ab Iſrael. Dixítque Moyſes ad iudices Iſrael, Occidat vnuſquiſq; proximos ſuos, qui initiati ſunt Beel-phegor.

MORABATVR autem eo tempore) Habitauit autem Iſrael. Vel, Cum aliquantiſper manſiſſet Iſrael.

FORNICATVS eſt populus) cœpit populus fornicari.

SVA) deorum ſuorum.

Initiari Beel-phegor. INITIATVSQVE eſt Iſrael Beel-phegor,) Adiunxítque ſeſe Iſrael idolo Phegor. Id eſt, relicto cultu veri Dei, ſecuti ſunt cultum idoli quod colebatur in monte Phegor: de quo ſupra cap.23.

IRATVS Dominus) iratus furor Domini. Id eſt, vehementer iratus.

TOLLE) Vel, Conuoca.

SVSPENDE eos) Addendum Domino. Id eſt, ad placandam iram Domini.

Contra ſolẽ. CONTRA ſolem) coram ſole. Id eſt, publice. Galliee, en plein iour.

OCCIDAT vnuſquiſque proximos ſuos,) Id eſt, quiſque veſtrum decreto ſuo curet interfici proximum ſuum. hoc eſt ſubditos ſuos, aut viros ſuos.

INITIATI ſunt Beel-phegor.) Vel, adiunxerunt ſeſe idolo Phegor. Id eſt, relicto cultu veri Dei, ſecuti ſunt cultum idoli.

Et ecce vnus de filiis Iſrael intrauit coram fratribus ſuis ad ſcortum Madianitidem vidente Moyſe, & omni turba filiorum Iſrael, qui flebant ante fores tabernaculi. ‖ Quod cum vidiſſet Phinees filius Eleazari filii Aarõ ſacerdotis, ſurrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingreſſus eſt poſt virum Iſraelitem in lupanar, & perfodit ambos ſimul, virum ſcilicet & mulierem in locis genitalibus. ceſſauítque plaga à filiis Iſrael. Et occiſi ſunt vigintiquatuor millia hominum.

1.Machab.2.c. pſalm.105.c. 1.corint.10.b.

INTRAVIT coram fratribus ſuis ad ſcortum Madianitidem) venit, & adduxit fratribus ſuis in caſtra Madianitidem. Poteſt legi, tradidit fratribus, &c.

ANTE fores tabernaculi.) Addendum, fœderis. Vel conuentus.

PVGIONE) Vel, haſta in manu ſua.

IN lupanar,) in tentorium. In quod ſcilicet introduxerat Madianitidem.

IN locis genitalibus.) Vel, in ventrem eius. Subaudi, mulieris. ſiue; in pudendis eius.

ET occiſi ſunt) Addendum, in plaga illa.

Dixítque Dominus ad Moyſen, Phinees filius Eleazari filii Aaron ſacerdotis auertit irã meam à filiis Iſrael: quia zelo meo commotus eſt contra eos, vt non ipſe delerem filios Iſrael in zelo meo. Idcirco loquere ad eũ, ‖ Ecce do ei pacẽ fœderis mei. Et erit tam ipſi quàm ſe-

1.Machab.2.f. eccli.45.d.

mini eius 'pactũm ſacerdotii ſempiternum: quia zelatus eſt pro Deo ſuo, & expiauit ſcelus filiorum Iſrael. Erat autem nomen viri Iſraelitæ qui occiſus eſt cum Madianitide, Zambri filius 'Salumi, 'dux de cognatione & tribu Simeônis. Porrò mulier Madianitis, quæ pariter interfecta eſt, vocabatur Cozbi filia Sur 'principis nobiliſſimi Madianitarum.

SACERDOTIS) Vel, ſacerdos.

AVERTIT) Vel, reuocauit. Id eſt, recõciliauit me filiis Iſrael.

QVIA zelo meo &c. Idcirco) quum zelatus eſt zelum meum in medio eorum, & non conſumpſi filios Iſrael zelo meo. Id eſt; dum feruenti amore pro honore meo, non timuit occidere principem qui tam impudenter ſcortum introduxit: vnde factum eſt vt non conſumpſerim filios Iſrael. Zelare zelum Dei.

DO ei pacem fœderis mei,) daturus ſum illi pactum meũ, nempe pacis. Quaſi dicat, Dic illi, Sis ſecurus: ne timeas tibi à fratribus interfecti: faciam vt illi nõ poſſint tibi nocere.

PACTVM ſacerdotii ſempiternum:) Id eſt, Dignitatem ſacerdotalem habiturus eſt tam ipſe quàm filii eius fœdere perpetuo & irreuocabili.

SALVMI.) Salu legitur in veteribus Latinis codicibus S. Germani & Dionyſii, & in Complutenſi editione.

DVX de cognatiõe & tribu Simeônis.) princeps familiæ patris Simeonitarũ.

PRINCIPIS nobiliſſimi Madianitarum.) princeps populorum erat ipſe, & princeps familiæ patris in Madian.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens, ‖'Hoſtes 3.31.a.
vos ſentiant Madianitæ, & percutite eos: 'quia & ipſi hoſtiliter egerunt contra vos, '& decepêre inſidiis per idôlum Phogor & Cozbi filiam ducis Madian ſororem ſuã, quæ percuſſa eſt in die plagæ pro ſacrilegio Phogor.

HOSTES vos ſentiant Madianitæ, & percutite eos:) Affige Madianitas, & percute illos.

QVIA & ipſi hoſtiliter &c.) quia ipſi vos afflixerunt dolis ſuis quibus vſi ſunt aduerſum vos in negotio Phogor, & in negotio Cozbi filiæ principis Madianitarum ſororis eorum, percuſſæ tempore plagæ pro negotio Phogor. Id eſt, dolis quibus vos illiciebant ad adorandum idolum Phogor, & fornicandum cũ Cozbi quæ percuſſa eſt tempore quo miſit Dominus plagam propter cultum idoli Phogor. Negotium Phogor, vocat rem pertinentem ad idolum Phogor. Negotium Phogor.

CAP. XXVI.

POSTQVAM noxiorum ſanguis effuſus eſt, dixit Dominus ad Moyſen & Eleazarum filium Aaron ſacerdotẽ, Numerate omnem 'ſummã filiorũ Iſrael à viginti annis & ſuprà, 'per domos & cognationes ſuas, cunctos qui poſſunt ad bella procedere. Locuti ſunt itaque

Moyſes & Eleazar ſacerdos, in campeſtribus Moab ʼſuper Iordanẽ cõtra Iericho, ad eos qui erant à viginti annis & ſuprà, ſicut Dominus ʼimperauerat, quorũ iſte eſt

Gene.46.b.exod.6.1.par.5.a numerus: ‖Ruben primogenitus Iſrael. ʼhuius filius, Henoch, à quo familia Henochitarũ: & Phallu, à quo familia Phalluitarũ: & Heſron, à quo familia Heſronitarũ: & Charmi, à quo familia Charmitarũ. hæ ſunt familiæ de ſtirpe Ruben: quarũ numerus inuentus eſt quadragintatria millia & ſeptingenti triginta. ʼFilius Phallu, Eliab. huius filii Namúel & Dathan & Abîron. iſti ſunt Da-

S.16.a.g. than & Abîron ʼprincipes populi, qui ‖ʼſurrexerunt contra Moyſen & Aaron in ʼſeditione Core, quando aduerſus Dominum ʼrebellauerunt: & aperiẽs terra os ſuum, deuorauit ʼCore morientibus plurimis, quando cõbuſſit ignis ducentos quinquaginta viros. ʼEt factũ eſt grande miraculum, vt Core pereunte, filii illius non perirent.

POSTQVAM noxiorum ſanguis effuſus eſt, dixit &c.) Accidit autem, poſt plagam illam, dixit &c.

SVMMAM filiorum,) ſummam vniuerſi cœtus filiorum.

PER domos & cognationes ſuas,) per familias auorum ſuorum.

SVPER Iordanem contra Iericho) iuxta Iordanem Iericho. Id eſt, parte qua non procul abeſt à Ierichonte.

IMPERAVERAT, quorũ iſte eſt numerus.) imperauerat Moyſi & filiis Iſrael, qui egreſſi erant de Terra-AEgypti. De ſe loquitur Moyſes in tertia perſona.

HVIVS filius,) filii verò Ruben.

FILIVS Phallu, Eliab.) Vel, De filiis Phallu, fuit Eliab.

PRINCIPES populi,) nobiliſſimi cõgregationis. Vel, magnæ dignitatis homines, & conſultiſſimi: quorum conſilio vtebatur congregatio.

SVRREXERVNT) rixati ſunt. Vel, litigauerunt. Aut, litigare fecerunt populum Iſrael cum Moyſe.

SEDITIONE) Vel, congregatione.

REBELLAVERVNT:) rixati ſunt. Vel, litigauerunt.

CORE morientibus plurimis) eos (Dathan ſcilicet & Abiron) & Core, quũ mortua eſt congregatio.

ET factum eſt &c. Filii Simeon.) & fuerunt in ſignum. Porro filii Core non

In ſignũ eſſe. ſunt mortui. Fuerunt (inquit) in ſignum, id eſt exemplo aliis filiis Iſrael nõ eſſe rixandum ſiue litigandum contra Dominum.

Filii Simeon per ʼcognationes ſuas: Namúel, ab hoc familia Namuelitarum: & Iamin, ab hoc familia Iaminitarum: Iachin, ab hoc familia Iachinitarum: Zare, ab hoc familia Zareitarum: Saul, ab hoc familia Saulitarũ.

hæ ſunt familiæ de ſtirpe Simeon, quarũ omnis numerus fuit vigintiduo millia ducentorum. Filii Gad per cognationes ſuas: Sephon, ab hoc familia Sephonitarũ: Aggi, ab hoc familia Aggitarũ: Suni, ab hoc familia Sunitarum: Ozni, ab hoc familia Oznitarum: Her, ab hoc familia Heritarum: Arod, ab hoc familia Aroditarum: Ariel, ab hoc familia Arielitarũ. iſtæ ſunt familiæ Gad, quarum omnis numerus fuit quadraginta millia quingentorum. Filii Iuda, Her & Onan, qui ambo mortui Gene.38.a.b.
ſunt in Terra-Chanáan. Fuerúntq; filii Iuda per cognationes ſuas: Sela, à quo familia Selaitarũ: Phares, à quo familia Phareſitarum: Zare, à quo familia Zareitarum. Porrò filii Phares, Heſron, à quo familia Heſronitarum: & Hamul, à quo familia Hamulitarũ. iſtæ ſunt familiæ Iuda, quarum omnis numerus fuit ſeptuaginta ſex millia quingentorum. Filii Iſſachar per cognationes ſuas: Thola, à quo familia Tholaitarum: Phua, à quo familia Phuaitarum: Iaſub, à quo familia Iaſubitarum: Semran, à quo familia Semranitarum. hæ ſunt cognationes Iſſachar, quarũ numerus fuit ſexagintaquatuor millia trecentorum. Filii Zabûlon per cognationes ſuas: Sared, à quo familia Sareditarum: Elon, à quo familia Elonitarũ: Ialel, à quo familia Ialelitarum. hæ ſunt cognationes Zabûlon, quarũ numerus fuit ſexaginta millia quingentorũ. Filii Ioſeph per cognationes ſuas, Manaſſe & Ephráim. De Manaſſe ortus eſt Machir, à quo familia Machiritarũ. Machir genuit Galaad, à quo familia Galaaditarum. Galaad habuit filios: Iezer, à quo familia Iezeritarum: & Helec, à quo familia Helecitarũ, & Aſriel, à quo familia Aſrielitarum: & Sechem, à quo familia Sechemitarum: & Semîda, à quo familia Semidáitarũ: & Hepher, à quo familia Hepheritarum. Fuit autem Hepher pater Salphaad, qui filios non habebat, ſed tantũ Ia.27.a.

filias,quarũ iſta ſunt nomina, Maala,& Noã, & Hegla, & Melcha, & Therſa. hæ ſunt familiæ Manaſſe, & numerus earum, quinquaginta duo millia ſeptingentorũ.

Filii autem Ephráim per cognationes ſuas fuerunt hi: Suthala, à quo familia Suthalaitarũ: Becher, à quo familia Becheritarum: Thehen, à quo familia Thehenitarũ.Porro filius Suthala fuit Heran, à quo familia Heranitarum. hæ ſunt cognationes filiorũ Ephráim: quarum numerus fuit trigintaduo millia quingentorũ. iſti ſunt filii Ioſeph per familias ſuas. Filii Ben-iamin in cognationibus ſuis: Bela,à quo familia Belaitarũ: Aſbel, à quo familia Aſbelitarum: Achîram,à quo familia Achîramitarum:Supham,à quo familia Suphamitarum: Hupham,à quo familia Huphamitarum. Filii Bela,Hered & Noeman. De Hered, familia Hereditarũ: de Noeman,familia Noemanitarũ. hi ſunt filii Ben-iamin per cognationes ſuas,quorũ numerus fuit quadragintaquinque millia ſexcẽti. Filii Dan,per cognationes ſuas: Suham,à quo familia Suhamitarum.hæ ſunt cognationes Dan per familias ſuas.omnes fuere Suhamitæ,quorum numerus erat ſexagintaquatuor millia quadringentorũ.

Filii Aſer per cognationes ſuas: Iemna, à quo familia Iemnaitarum: Ieſſui, à quo familia Ieſſuitarum: Brie, à quo familia Brieitarum. Filii Brie: Heber,à quo familia Heberitarum: & Melchi-el, à quo familia Melchielitarum. Nomen autem filiæ Aſer, fuit Sara. hæ cognationes filiorum Aſer,& numerus eorum quinquagintatria millia quadringentorum. Filii Nephthali,per cognationes ſuas: Ieſiel,à quo familia Ieſielitarum:Guni,à quo familia Gunitarum: Ieſer,à quo familia Ieſeritarum:Sellem,à quo familia Sellemitarum.hæ ſunt cognationes filiorũ Nephthali per familias ſuas: quorum numerus quadragintaquinque millia quadringentorũ.

'Iſta eſt ſumma filiorum Iſrael qui recenſiti ſunt, ſexcenta millia, & mille ſeptingenti triginta.

COGNATIONES) Vel, familias.

DVCENTORVM.) ducenti. Sic etiam legitur in editione Complutenſi & Baſilienſi.

HER,) Heri. ita legitur in vetuſtioribus Latinis codicibus S. Dionyſii & Germani.

QVINGENTORVM.) quingenti. Hoc modo legitur in editione Complutẽſi & Baſilienſi, vt etiam in ſequentibus.

TRECENTORVM.) trecenti. Sic legitur etiam in Complutenſi editione & Baſilienſi.

ISTA eſt ſumma &c.) Bis numerati fuerunt filii Iſrael ab exitu de AEgypto. qui primo numerati ſunt, non ſunt ingreſſi terram promiſſam: quia Moyſes qui legem refert, non deducit in terram promiſſam. Qui vero ſecundo loco numerati ſunt, illam ingreſſi ſunt duce Ioſue, qui typus erat CHRISTI.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, 'dicens, Iſtis diuidetur Terra 'iuxta numerũ vocabulorũ in poſſeſſiões ſuas. 'Pluribus maiorem 'partem dabis, & paucioribus minorẽ: 'ſingulis ſicut nunc recenſiti ſunt tradetur poſſeſſio. Ita dúntaxat vt ſors Terram tribubus diuidat & familiis. 'Quicquid ſorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores.

DICENS,) Hebraiſmus eſt, pro, Locutus eſt his verbis, vel ad hunc modum.

IVXTA numerum vocabulorum in poſſeſſiones ſuas.) in poſſeſſionem, iuxta numerum nominum. Id eſt, vt poſſideatur ab illis iure hæreditario: iuxta familias & cognationes quæ nominibus diſtingui ſolent: ſiue pro numero familiarum, quæ ſolent habere diuerſa nomina.

PLVRIBVS) Numeroſiori. Subaudi, tribui.

PARTEM) hæreditatem.

SINGVLIS ſicut &c Quicquid) vnicuique pro ratione numeratorum ſuorũ dabitur illi poſſeſſio. verum ſorte diſtribuatur terra: per nomina tribuum maiorum ſuorum poſſeſſionem accipient. Quicquid &c.

QVICQVID ſorte &c.) per ſortem diuidetur poſſeſſio cuiuſque inter numeroſum & paucum. Id eſt, tam inter eos qui multi fuerint, quàm qui pauci.

'Hic quoque eſt numerus filiorũ Leui per familias ſuas: Gerſon, à quo familia Gerſonitarum: Caath, à quo familia Caathitarum: Merari, à quo familia Meraritarum. Hæ ſunt familiæ Leui: familia Lobni, familia Hébroni, familia Moholi, familia Muſi, familia Core. At vero Caath genuit Amram: qui habuit vxorem Iochabed 'filiam Leui, quæ nata eſt 'ei in AEgypto. hæc genuit Amram viro ſuo, filios, Aaron & Moyſen, & Mariam ſororem eorum. De Aaron orti ſunt Nadab & Abiu & Eleazar & Itha- Exod. 6. c.

nobis poſſeſſionem inter cognatos patris noſtri. Retulítque Moyſes cauſam earũ 'ad iudicium Domini. Qui dixit ad eum, Iuſtam rem poſtulant filiæ Salphaad: da eis'poſſeſſionem inter cognatos patris ſui,'& ei in hæreditatem ſuccedant. Ad filios autem Iſrael loquêris hæc, 'Homo quum mortuus fuerit abſque filio, ad filiam eius tranſibit hæreditas. ſi filiam non habuerit, habebit ſucceſſores fratres ſuos. quòd ſi & 'fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris eius. ſin autem néc patruos habuerit,'dabitur hæreditas his qui ei proximi ſũt. erítque hoc filiis Iſraël 'ſanctũ lege perpetua, ſicut præcepit Dominus Moyſi.

QVI fuit filius Ioſeph:) de vna ex familiis Manaſſe filii Ioſeph.

CVNCTIS principibus populi) coram principibus & vniuerſa congregatione.

IN ſeditione quæ concitata eſt contra Dominũ ſub Core,) de cõgregatione illa quæ congregata fuit aduerſus Dominum in cœtu ſeditioſo Core. Id eſt, inter eos qui ſeditioſe conuenerant in ſeditioſo cœtu quem concitauit Core.

IN peccato ſuo mortuus eſt:) Vel, ob peccatum ſuum. quum ſcilicet murmurauit cum aliis in deſerto, qui morſibus ſerpentum interierunt. In peccato ſuo mori.

CVR tollitur nomen illius de familia ſua, &c.) Cur obliterabitur nomen patris noſtri de medio cognationis ſuæ, &c.

AD iudicium Domini.) coram Domino. Vel, ad Dominum.

POSSESSIONEM inter &c.) poſſeſſionem hæreditatis inter &c. Id eſt, poſſeſſionem hæreditariam: quam iure hæreditario poſſideant.

ET ei in hæreditatem ſuccedant.) & transfer poſſeſſionem patris eorum ipſis. Id eſt, da illis quod poſſeſſurus erat pater earum, ſi mortuus non fuiſſet.

HOMO cum mortuus fuerit) Hebraiſmus, pro, Cum quis mortuus fuerit.

FRATRES non fuerint) Addendum, illi.

DABITVR hæreditas) tradetis hæreditatem eius his qui &c.

SANCTVM lege perpetua,) in ſtatutum iudicii. Id eſt, in ſtatutum ſanctum. lege & ſtatuto perpetuo. In ſtatutum iudicii.

‖Dixit quoq; Dominus ad Moyſen, Aſcende in montẽ Deut.32.g.
iſtum Abarim, & contemplare inde Terram quam' daturus ſum filiis Iſrael. cúmque videris eam, ibis & tu 'ad populum tuum, ſicut iuit frater tuus Aaron,'quia‖offen- 5.20.b.
diſtis me in deſerto Sin in contradictione multitudinis, nec ſanctificare me voluiſtis coram ea ſuper aquas. hæ ſunt aquæ'contradictionis in Cades deſerti Sin. Cui reſpondit Moyſes, 'Prouideat Dominus 'Deus ſpirituum omnis carnis, hominem qui ſit ſuper multitudinem

hanc: & poſſit 'exire & intrare ante eos, & educere eos vel introducere: ne ſit "populus Domini ſicut oues abſque paſtore.

DATVRVS ſum) dedi. Præteritũ pro futuro. Id eſt, quam pollicitus ſum me daturum.

Ire ad populũ ſuum.

AD populum tuũ, ſicut iuit frater &c.) Hebraiſmus, pro morieris, ſicut mortuus eſt Aaron.

Sanctificare Deum.

QVIA offendiſtis me &c. Hæ ſunt) quemadmodũ rebellaſtis ori meo in deſerto Sin in iurgio cõgregationis, ad ſanctificandũ me in aquis illis corã ipſis. Hæ ſunt &c. Id eſt, ita moriemini, vt rebelles fuiſtis dictis meis in deſerto Sin, cũ cõtenderẽt filii Iſrael, rebelles inquã fuiſtis dare mihi gloriã in aquis illis quas educturus eram è petra, illis præſentibus. Quaſi dicat, quemadmodũ recuſaſtis extollere me & celebrare potentiam meam quum populus tam vehementer poſtularet aquas: ita etiam non dignabor vos terra quam daturus ſum filiis Iſrael.

CONTRADICTIONIS in Cades deſerti) controuerſiæ habitæ in Cades in deſerto Sin. ſic legitur in Paruo exemplari S. Germani.

PROVIDEAT) Conſtituat.

[De]us ſpirituum.

DEVS ſpirituum omnis carnis,) Id eſt, qui nouit corda omnium hominum.

Exire & intrare ante populum.

EXIRE & intrare ante eos, & educere eos vel introducere:) Id eſt, qui præſit illis in omnibus, regat & gubernet eos in omnibus rebus agẽdis: qui deducat eos ad bellum, & reducat ad vrbem.

POPVLVS) congregatio.

Deut. 3. d.

Dixítque Dominus ad eum, ‖Tolle Ioſûe filium Nun virum in quo eſt Spiritus 'Dei, & 'pone manum tuã ſuper eum. 'Qui ſtabit coram Eleazaro ſacerdote & omni multitudine, & 'dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt 'audiat eum omnis 'ſynagôga filiorum Iſrael. 'Pro hoc ſiquid agendũ erit, Eleazar ſacerdos conſulet Dominum. Ad verbum eius 'egredietur & ingredietur ipſe, & omnes filii Iſrael cum eo, & cætera multitudo. Fecit Moyſes vt præceperat Dominus: cúmque tuliſſet Ioſûe, ſtatuit eum coram Eleazaro ſacerdote & omni frequentia populi. Et impoſitis capiti eius manibus, cuncta 'replicauit quæ mandauerat Dominus.

DEI,) Hæc vox non legitur in Lato exemplari S. Dionyſii, neque in Lato & Paruo S. Germani, neque in editione Complutenſi.

Ponere manũ ſuper aliquẽ.

PONE manum tuam ſuper eum.) vt ſcilicet ita videaris illum conſtituere principem populi Dei.

QVI ſtabit) Quem ſtatues.

Dare præcepta.

DABIS ei præcepta) Id eſt, docebis eum quid agere debeat.

AVDIAT eum) obediat ei.

SYNAGÔGA) congregatio.

PRO hoc &c. Ad verbum) Ante Eleazarum ſacerdotem ſtabit, & interrogabit eum de iudicio Vrim coram Domino. Id eſt, conſulet pontificem de rebus agẽdis, tanquam conſcium voluntatis Dei: de rebus inquam quas reuelabit ei agen-

das Dominus,propter præſentiā nominis ſui,quod ipſe ſacerdos geſtat in pectorali.Hic Vrim,pro ſummo pōtifice accipitur, vt ſit antecedēs pro relatiuo, Interrogabit eum de iudicio Vrim, id eſt pontificis,hoc eſt ſuo:interrogabit ſacerdotē de iudicio ſacerdotis:interrogabit ſacerdotē ſententiā ſuā,quid Dominus velit fieri.Quaſi dicat,Cum aliquid agere volet,interrogabit ſummū pontificē qui geſtat Vrim & Thūmim in pectorali. Vel,interrogabit eum de iudicio,id eſt,ſententia Vrim,id eſt illuminationū,hoc eſt de ſententia Dei illuſtrantis,& illuminantis & dirigentis omnia: vt Deus hic dicatur Vrim,vt Lucē mundi ſe dicit in Euangelio Iohannis. Corā Domino autē,id eſt in tabernaculo corā arca Domini, vbi ipſe dabat reſponſa. Vbicumque mentio fit Vrim pectoralis, ſemper eo iniungitur cū Thummim,vt Eſd.2, Neemiæ 7, Deut.33, Exod.28. Excipitur hic locus,& 1.Reg.28,vbi Vrim pro ſummo pontifice ponitur.

Vrim.

Coram Domino.

EGREDIETVR & ingredietur) egredientur & ingredientur. Id eſt, ſecundū quod ipſe pontifex à Deo doctus dixerit, Ioſue & filii Iſrael ſuſcipient aliquid agendum,aut deſiſtent.

Egredi & ingredi ad verbum ſacerdotis.

REPLICAVIT quæ mandauerat Dominus.) præcepit ei quēadmodum dixerat Dominus per Moyſen.Id eſt,inſtituit eum,& docuit quæ agenda illi eſſent, vt dixerat Dominus inſtituendum eſſe.

CAP. XXVIII.

DIXIT quoque Dominus ad Moyſen, Præcipe filiis Iſrael,& dices ad eos, Oblationem meā & panes, & incenſum odoris ſuauiſſimi offerte per tempora ſua. Hæc ſunt ſacrificia quæ offerre debetis, Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocauſtū ſempiternum:vnum offeretis mane,& alterum ad veſperū: decimam partem ephi ſimilæ,quæ cōſperſa ſit oleo puriſſimo,& habeat quartam partem hin. holocauſtū iuge eſt quod obtuliſtis in monte Sinai in odorem ſuauiſſimum incenſi Domini.Et libabitis vini quartam partem hin per agnos ſingulos in ſanctuario Domini. Alterūmque agnum ſimiliter offeretis ad veſperam iuxta omnē ritum ſacrificii matutini,& libamētorum eius, oblationem ſuauiſſimi odoris Domino.

DICES ad eos,) dic ad eos. Vel,præcipe filiis Iſrael in hunc modum.Inſtituerat Dominus ſacrificia, vt reuocaret ab idololatria populum ſuū,vtque eum contineret in vero cultu.Præterea vt iam tum admoneret illos ſacrificii & immolationis CHRISTI futuræ.

Sacrificia quare inſtituta.

ET panes,& incenſum odoris ſuauiſſimi offerte) eſcam meā,incenſa mea in odorem quietis meæ cuſtodite,offerendo ea mihi, &c. Quaſi dicat, Oblationem meā,ritum offerēdi à me præceptum,id eſt carnes meas & victimas meas,quæ cremantur vt incenſa mihi fiant gratiſſima, quibus excitetur mihi odor gratiſſimus, cuſtodite,offerte ea mihi vt præcepi.

HAEC ſunt ſacrificia quæ offerre debetis,) Dic inquam ad eos, Iſtud eſt ſacrificium incenſum quod offeretis Domino.Quaſi dicat, Iſte eſt ritus ſacrificii vſtulati quod ſuo tempore offeretis Domino.

IMMACVLATOS) Vel, perfectos & immunes ab omni labe, carentes omni macula.

Inter duas veſperas. AD veſperum:) inter duas veſperas. Prima veſpera eſt quum occubuit ſol: altera, quum incipit nox.

SIMILAE,) Addendum, in oblationem. Vel, in munus.

PVRISSIMO,) contuſo. Id eſt, expreſſo ex oleis contuſis.

QVOD obtuliſtis) fieri ſolitum.

INCENSI Domini.) incenſum Domino. Id eſt, in honorem Domini.

IN ſanctuario Domini.) in ſanctuario liba libamen ex vino Domino.

AD veſperam) inter duas veſperas.

OBLATIONEM) in incenſum.

Matth.12.a. ¶Die autem Sabbathi offeretis duos agnos anniculos 'immaculatos, & 'duas decimas ſimilæ oleo conſperſæ 'in ſacrificio, '& liba: 'quæ rite fundũtur per ſingula Sabbatha in holocauſtum ſempiternum.

IMMACVLATOS,) Vel, perfectos, & immunes ab omni labe, carentes omni macula, ſiue vitio.

DVAS decimas) Intellige, decimas menſuræ ephi.

OLEO conſperſæ) oleo contuſo conſperſæ.

IN ſacrificio,) pro munere. Scilicet adornando.

ET liba:) vnà cum libamine eius.

In ſabbatho eius. QVAE rite funduntur per ſingula Sabbatha in holocauſtum ſempiternum.) Iſtud eſt holocauſtum ſabbathi in ſabbatho eius, ſuper holocauſtum iuge, & oblationem eius. Id eſt, Iſta eſt ratio holocauſti quod fieri debet per ſingula ſabbatha, vltra holocauſtum ſacrificii iugis, & libamen eius.

In calendis autem, id eſt in menſium exordiis, offeretis holocauſtũ Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos ſeptẽ immaculatos: & tres decimas ſimilæ oleo conſperſæ 'in ſacrificio per ſingulos vitulos: & duas decimas 'ſimilæ oleo conſperſæ per ſingulos arietes: & 'decimam decimæ ſimilæ 'ex oleo in ſacrificio per agnos ſingulos. 'holocauſtũ ſuauiſſimi odoris atq; incenſi eſt Domino. 'Libamenta autẽ vini quæ per ſingulas fundẽda ſunt victimas, iſta erũt, Media pars hin per ſingulos vitulos, tertia per arietẽ, quarta per agnum. hoc erit holocauſtũ per omnes mẽſes, qui ſibi anno vertente ſuccedũt. Hircus quoque offeretur Domino 'pro peccatis in holocauſtũ ſempiternũ cũ libamentis ſuis.

IN ſacrificio) pro munere. Vel, vt munus ſiue ſacrificium adornetur.

SIMILAE oleo conſperſæ) ſimilæ, pro munere adornãdo, oleo conſperſæ.

Decima decima. DECIMAM decimæ) decimã decimã. Id eſt, ſingulas decimas per ſingulos dies.

EX oleo in ſacrificio) pro munere adornando, permiſtæ oleo.

HOLOCAVSTVM ſuauiſſimi odoris atque incenſi eſt Domino.) in holocauſtum odoris gratiſſimi, & in incenſum Domino.

LIBAMENTA autẽ &c.Media) Libamina autẽ eorum:(ſub.hæc ſunt.) Media &c.Quaſi dicat,Hæc autẽ ſunt libamina quæ debent adhiberi illis holocauſtis.
PRO peccatis in holocauſtum ſempiternum cum libamentis ſuis.) pro expiatione,vltra holocauſtum iuge: fiet vnà cum libamine ſuo. Vocat holocauſtum iuge ſiue ſempiternum,quod intermittere non licebat. Holocauſtum iuge.

‖Menſe autem primo,'quartadecima die menſis,'Phaſe Domini erit, & quintadecima die ſolẽnitas : ſeptem diebus veſcentur azymis. Quarum dies prima 'venerabilis & ſancta erit: omne opus ſeruile non facietis in ea. Offeretíſque 'incenſum holocauſtũ Domino vitulos de armento duos,arietem vnum, agnos anniculos immaculatos ſeptem : & 'ſacrificia ſingulorum ex ſimila quæ conſperſa ſit oleo, tres decimas per ſingulos vitulos, & duas decimas per arietem, & 'decimam decimæ per agnos ſingulos, id eſt per ſeptem agnos. Et 'hircum pro peccato vnum, vt expietur pro vobis: præter holocauſtum matutinum 'quod ſemper offeretis. Ita facietis per ſingulos dies ſeptẽ dierũ 'in fomitẽ ignis,& in odorẽ ſuauiſſimũ Domino,qui ſurget de holocauſto & de libationibus ſingulorũ. Dies quoq; ſeptimus 'celeberrimus & ſanctus erit vobis: omne opus ſeruile nõ facietis in eo.

Exod.12.c. leuit.23.a.

QVARTADECIMA die menſis,) Id eſt,exacta iã decimaquarta die,in principio decimæquintæ diei eiuſdem menſis.
PHASE Domini.) paſcha Domino. Id eſt, ritè ſacrificabitur agnus paſchalis Domino.
VENERABILIS & ſancta erit.) erit ſolennitas celeberrima. ſiue, celebritas ſancta. aut,ſolennitas proclamata & indicta. Feſte commandée.
INCENSVM holocauſtũ) Subaudiẽda cõiunctio ET,Incenſũ & holocauſtũ.
SACRIFICIA ſingulorum ex ſimila) munus eorum erit ſimila. Vel,oblatio eorum erit ſimila.
DECIMAM decimæ per agnos ſingulos,id eſt per ſeptem agnos.) ſingulas decimas præparabitis in ſingulos agnos per ſeptem agnos illos.
HIRCVM pro peccato vnum,vt expietur pro vobis:) hircum expiationis vnum, ad expiandũ vos. Expiationis hircus vocabatur vnde fiebat ſacrificium pro expiatione peccati. Hircus expiationis.
QVOD ſemper offeretis.) quod eſt in holocauſtũ ſacrificii iugis. facietis iſta. Subaudi,ſupradicta. Vetera exemplaria S.Dionyſii & Germani legunt offertis: præſenti tempore. Id eſt,quod offerre ſoletis ſingulo mane.
IN fomitem ignis,&c.Dies quoque) in incenſum odoris gratiſſimi Domino: vltra holocauſtum fiet iſtud, & libamen eius.
CELEBERRIMVS & ſanctus erit vobis:) erit ſolennitas indicta vobis. Aut, feſtiuitas celeberrima ſiue proclamata feſtiuitas.

Dies etiam 'primitiuorũ quando offeretis 'nouas fruges Domino,expletis 'hebdomadibus,'venerabilis & ſã-

ćta erit: omne opus ſeruile non facietis in ea. Offeretíſque holocauſtum in odorem ſuauiſſimum Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, 'agnos anniculos immaculatos ſeptem: atque 'in ſacrificiis eorum ſimilæ oleo conſperſæ tres decimas per ſingulos vitulos: per arietes, 'duas: 'per agnos, decimã decimæ, qui ſimul ſunt agni ſeptem. hircum quoque qui maćtatur 'pro expiatione: præter holocauſtum ſempiternũ & liba eius. 'Immaculata offeretis omnia cum libationibus ſuis.

Primitiuorũ dies.

PRIMITIVORVM) Id eſt, dies nouarum frugum: ſic dićtus, quòd eo die proponeretur panis propoſitionis confećtus ex nouis frugibus. fuerat autẽ is dies inſtitutus ad commemorationem legis datæ ſimili die.

NOVAS fruges:) munus nouum. Id eſt, panes ex nouis frugibus.

HEBDOMADIBVS,) Id eſt, ſeptem hebdomadibus quas numerare debetis.

VENERABILIS & ſanćta erit:) erit feſtum celeberrimum.

AGNOS anniculos immaculatos) In antiquioribus ſcriptis exemplaribus S. Dionyſii & Germani legitur, & agnos. In Hebræo præterea nõ legitur hoc loco adiećtiuum immaculatos.

IN ſacrificiis) muneribus.

DVAS,) Subaudi, decimas.

PER agnos decimam decimæ,) ſingulas decimas in ſingulos agnos.

HIRCVM quoque) Addendũ, vnũ. Ita legitur in Paruo exemplari S. Germani

PRO expiatione,) Addendum, veſtri.

IMMACVLATA) Vel, Inculpabilia. Id eſt, nihil erit in eis vitii quod reprehendi poſſit.

CAP. XXIX.

MENSIS etiam ſeptimi prima dies 'venerabilis & ſanćta erit vobis. omne 'opus ſeruile nõ facietis in ea, quia 'dies clangoris eſt & tubarũ. Offeretíſq; holocauſtũ in odorẽ ſuauiſſimũ Domino, vitulũ de armẽto vnũ, arietem vnũ, & agnos anniculos immaculatos ſeptẽ: & 'in ſacrificiis eorũ, ſimilæ oleo cõſperſæ tres decimas per ſingulos vitulos, duas decimas 'per arietẽ, vnam decimã per agnum, qui ſimul ſunt agni ſeptẽ: & hircũ 'pro peccato, qui offertur in expiationẽ 'populi: præter holocauſtum calendarũ 'cum ſacrificiis ſuis, & holocauſtũ ſempiternũ cũ libationibus ſolitis. eiſdem ceremoniis offeretis in odorem ſuauiſſimum incenſum Domino.

VENERABILIS & ſanćta) ſolẽnitas celeberrima. Vel, Feſtũ proclamatũ.

Opus ſeruile.

OPVS ſeruile) Id eſt, quod ad Deum non pertinet, ſed ad hominem, vt eſt vićtus & alia.

DIES clangoris eſt & tubarum.) dies clangoris tubarum eſt. Id eſt, eo die cele brabitis feſtum tubarum.

IN ſacrificiis) munus.

PER arietem,) Id eſt, per ſingulos arietes. ſic poſtea, per ſingulos agnos.

PRO peccato) Addendum, vnum.

POPVLI:) veſtri.

CVM ſacrificiis ſuis, &c. Decima) & munus eius, & holocauſtum iuge, & munus eius, ſecundum morem quo illa fieri ſolita ſunt, in odorem ſuauiſſimum & incenſum Domino.

¶Decima quoque dies menſis huius ſeptimi erit vobis 'ſancta atque venerabilis, & 'affligetis animas veſtras: omne opus ſeruile non facietis in ea. Offeretíſque holocauſtum Domino in odorem ſuauiſſimum, vitulum de armento vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos ſeptem. Et 'in ſacrificiis eorum, ſimilæ oleo conſperſæ tres decimas per ſingulos vitulos, duas decimas per arietem, 'decimam decimæ per agnos ſingulos, qui ſunt ſimul agni ſeptem: Et hircũ 'pro peccato. 'abſque his quæ offerri pro delicto ſolent in expiationem: & holocauſtũ ſempiternũ, & ſacrificio & libaminibus eorũ. Leui. 16. g. 23. c

SANCTA atque venerabilis,) ſolennitas celeberrima. Vel, Feſtum proclamatum.

AFFLIGETIS animas) Affligere animas, pro ieiunare dixit. Affligere animas.

IN ſacrificiis) munus.

DECIMAM decimæ) ſingulæ decimæ Subaudi, inſumentur.

PRO peccato.) pro expiatione peccati.

ABSQVE his &c. Quintadecima) præter ſacrificium expiatoriũ, & holocauſtum iuge, oblationémque eius, & præter libamina eorum.

Quintadecima vero die mẽſis ſeptimi, quæ vobis 'ſancta erit atque venerabilis, omne opus ſeruile non facietis in ea: ſed celebrabitis ſolennitatem Domino ſeptem diebus. Offeretíſque 'holocauſtum in odorẽ ſuauiſſimum Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: & 'in libamentis eorum ſimilæ oleo conſperſæ tres decimas per vitulos ſingulos, qui ſunt ſimul vituli tredecim: & duas decimas 'arieti vno, id eſt ſimul arietibus duobus, & decimam decimæ agnis ſingulis, qui ſunt ſimul agni quatuordecim: Et hircum 'pro peccato. abſque holocauſto ſempiterno, & 'ſacrificio, & libamine eius.

SANCTA erit atque venerabilis,) erit ſolennitas celeberrima. Vel, cõuocatio ſancta. Vocantur conuocationes ſanctæ: quòd in illis omnes maſculi tenerentur conuenire in templũ Domini. Licet & aliæ quædam ſolennitates celebres ſic vocentur, in quibus populus à labore abſtinere iubebatur, & cõuenire ad lectionem legis Diuinæ.

Conuocationes ſanctæ.

HOLOCAVSTVM in odorem) holocauſtum & incenſum in odorem.

IN libamentis eorum) In munus eorum.

ARIETI vno, id eſt ſimul arietibus duobus, & decimam decimæ) in ſingulos arietes per duos illos arietes, & ſingulas decimas agnis &c.

PRO peccato.) in ſacrificium expiatorium.

SACRIFICIO,) munere. Vel, oblatione.

In die altero offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: ſacrificiáque & libamina ſingulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis, & hircũ pro peccato. abſque holocauſto ſempiterno, ſacrificióq; & libamine eius. Die tertio offeretis vitulos vndecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: ſacrificiáque & libamina ſingulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis: & hircum pro peccato. abſque holocauſto ſempiterno, ſacrificióque & libamine eius. Die quarto offeretis vitulos decẽ, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: ſacrificiáq; & libamina ſingulorũ per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis: & hircũ pro peccato. abſq; holocauſto ſempiterno, ſacrificióq; eius & libamine. Die quinto offeretis vitulos nouẽ, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: ſacrificiáq; & libamina ſingulorũ per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis: & hircũ pro peccato. abſq; holocauſto ſempiterno, ſacrificióq; eius & libamine. Die ſexto offeretis vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: ſacrificiáq; & libamina ſingulorũ per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis: & hircum pro peccato. abſque holocauſto ſempiterno, ſacrificióque eius & libamine. Die ſeptimo offeretis vitulos ſeptem, & arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: ſacrificiáque & libamina ſingulorum per vitulos & arietes & agnos rite ce-

lebrabitis:& hircũ pro peccato.abſque holocauſto ſempiterno,ſacrificióque eius & libamine. Die octauo qui eſt celeberrimus,omne opus ſeruile non facietis,offerẽtes 'holocauſtum in odorem ſuauiſſimum Domino,vitulum vnum,arietem vnúm,agnos anniculos immaculatos ſeptem : ſacrificiáque & libamina ſingulorum per vitulos &'arietes & agnos rite celebrabitis: & hircũ pro peccato.abſque holocauſto ſempiterno,ſacrificióque eius & libamine. Hæc offeretis Domino in ſolẽnitatibus veſtris. præter vota & oblationes 'ſpontaneas 'in holocauſto,in ſacrificio,in libamine,& in hoſtiis pacificis.

SACRIFICIAQVE) munúſque. Sic in ſequentibus diebus vertendum.

RITE celebrabitis,) iuxta numerum eorum,pro more.Vel, ſecundum morem,quo illa fieri ſolita ſunt.Sic in ſequentibus vertendum.

ET hircum) Addendum,caprarum vnum.Ita in ſequentibus diebus.

PRO peccato.) in ſacrificium expiatorium. Hoc modo in ſequentibus diebus vertendum.

SACRIFICIÓQVE & libamine eius.) munere eius, & libaminibus eorum. Eodem modo in ſequentibus diebus legendum erit.

HOLOCAVSTVM in odorem) holocauſtum & incenſum in odorem.

SPONTANEAS in holocauſto,) ſpontaneas veſtras,in holocauſto &c.Vel, quas ſponte offeretis in holocauſto &c.

IN holocauſto,&c.) in holocauſtis veſtris,in muneribus veſtris,& libamentis veſtris,& ſacrificiis veſtris pacificis.Quaſi dicat,ſacrificia ordinaria non excludent extraordinaria.

CAP. XXX.

NARRAVITQVE Moÿſes filiis Iſrael omnia quæ ei Dominus imperarat,& locutus eſt ad principes tribuũ 'filiorum Iſrael, Iſte eſt ſermo quem præcepit Dominus,Siquis virorum votum Domino vouerit, aut ſe conſtrinxerit iuramento:non faciet irritum verbum ſuum,ſed omne quod promiſit implebit. "Mulier ſi quippiam vouerit,'& ſe conſtrinxerit iuramento,'quæ eſt in domo patris ſui, & in ætate adhuc puellari : ſi cognouerit pater votum quod pollicita eſt,&'iuramẽtum quo obligauit animam ſuam, &'tacuerit, "voti rea erit: quicquid pollicita eſt & iurauit,opere cõplebit.'Sinautẽ ſtatim vt audierit,cõtradixerit pater:'& vota & iuramẽta eius irrita erunt, nec obnoxia tenebitur ſponſioni,eo

quòd cõtradixerit pater. Si maritũ habuerit,& vouerit aliquid,'& ſemel de ore eius verbũ egrediens animã eius obligauerit iuramẽto:quo die audierit vir,& nõ contradixerit, 'voti rea erit, reddétque quodcunque promiſerat.ſinautem audiens ſtatim contradixerit, '& irritas fecerit pollicitationes eius, verbáque quibus obſtrinxerat animam ſuam:propitius erit ei Dominus.

FILIORVM Iſrael,) Vel,de filiis Iſrael.Id eſt,pro filiis Iſrael,hoc eſt, vt dicerent filiis Iſrael.

MVLIER ſi quippiam vouerit) Addendum,Domino.

ET ſe conſtrinxerit iuramento,) aut ſe aſtrinxerit obligatione aliqua.

QVAE eſt in domo patris ſui,) Id eſt,quum adhuc eſt ſub cura patris.

IVRAMENTVM quo &c.) oblationem qua &c.

TACVERIT,) Vel,non contradixerit ei pater eius.

VOTI rea erit:quicquid pollicita eſt & iurauit,opere cõplebit.) tunc ſtabilia erũt omnia vota eius,& oĩs obligatio qua obligauerit ſeipſã,ſtabilis erit.vel,firma.

SINAVTEM ſtatim vt audierit,&c.Si maritũ) Sinautẽ fecerit irritũ pater ei' illud qua die id reſciuit,omnia vota eius & obligatiões quibus obligauit ſeipſam, erunt irrita:& Dominus parcet ei,quia pater eius irritum fecit illud.Si maritum habuerit,&c.Hebraice legitur ad verbum,Quòd ſi viro fuerit.Id eſt,ſi nupſerit.

ET ſemel de &c.Quo die) aut prolatio labiorum eius fuerit qua obligauerit animam ſuam:quo die &c.Id eſt,aut dixerit aliquid quo obligauerit fidem ſuam.

VOTI rea erit,reddétque quodcunque promiſerat) tũc rata erunt vota eius: promiſſáque eius quibus obſtrinxerit ſeipſam,rata erunt.

ET irritas fecerit &c.Vidua) tunc reddet irritũ votũ illius quod erat ſuper eã, & prolationẽ labiorũ eius,qua obſtrinxerat animã ſuã.&Dominus propitius erit ei.Id eſt,tũc ſoluet votum quo ſe obſtrinxerat,&promiſſum quo obſtrinxerat fidẽ ſuã:parcétque illi Dominus.quaſi dicat, Non peccabit ſi non reddiderit vota illa. Parcet illi Dominus.

Vidua & repudiata quicquid vouerint,reddẽt. Vxor in domo viri cum ſe voto conſtrinxerit '& iuramento,ſi audierit vir,& tacuerit, nec contradixerit 'ſponſioni,reddet quodcunque promiſerat. ſinautem éxtemplo contradixerit,'non tenebitur promiſſionis rea:quia maritus contradixit,& Dominus ei propitius erit.Si vouerit,& iuramento ſe conſtrinxerit vt per ieiunium vel cæterarum rerum abſtinẽtiã affligat animã ſuã:'in arbitrio viri erit ſiue faciat ſiue non faciat. 'Quòd ſi audiens vir tacuerit,& in alterã diẽ diſtulerit ſentẽtiã:quicquid vouerat atque promiſerat,reddet: quia ſtatim vt audiuit,tacuit. ſinautẽ cõtradixerit poſtquã reſciuit, portabit ipſe iniquitatẽ eius. Iſtæ ſunt leges quas cõſtituit Dominus Moyſi inter virũ & vxorẽ,inter patrẽ & filiã quæ in puel

lari adhuc ætate eſt,'vel quæ manet in parentis domo.

CONSTRINXERIT, & iuramento) conſtrinxerit, & obſtrinxerit obligatione fidem ſuam,& iuramento &c.

ET iuramento,) Vel,interpoſito iuramento.

SPONSIONI,reddet quodcũque promiſerat:) voto (vel promiſſioni)tũc ſtabilia erũt vota ei⁹,& omnis obligatio qua obſtrinxerit animã ſuã(vel ſc)rata erit.

NON tenebitur promiſſionis rea:&c.Si vouerit) omnis egreſſio labiorum eius in votis eius,& in obligatione animæ eius,erunt infirma:vir eius diſſipauit illa, & condonabit illi Dominus. Si vouerit &c. Id eſt, quicquid dixerit vouendo & obligando animam ſuam,irritum erit,quia maritus contradixit:neque peccauerit in Dominum ſi non reddiderit vota illa. Egreſſio labiorum.

IN arbitrio viri erit ſiue faciat,ſiue non faciat.) Vel,poteſt illud vir eius ratum habere,vel irritum facere.

QVÒD ſi audiens vir,&c.Iſtæ ſunt) Quòd ſi tacendo tacuerit vir eius de die in diem: (id eſt,differendo in aliam diem improbationem voti) tunc ſtatuet omnia vota eius:& omnia promiſſa eius,quæ illa promiſerit,rata habebit:quia tacuit die quo reſciuit. Quòd ſi aliquot diebus poſteaquam reſciuerit,declarauerit ſe nõ habere rata,tũc pro illa dabit pœnas. Si ſcilicet fuerint irrita,nec præſtiterit ea mulier.Statuere vota,id eſt rata habere. Statuere vota

VEL quæ manet) manétque.Id eſt,quando eſt in cura paterna.

CAP. XXXI.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Vlciſcere prius filios Iſrael de Madianitis,&ſic'colligẽris ad populum tuum.' Statímque Moyſes, Armate, inquit,ex vobis viros ad pugnam, qui poſſint vltionem Domini expetere de Madianitis. mille viri de ſingulis tribubus eligantur ex Iſrael qui mittãtur ad bellũ. 'Dederúntque millenos de ſingulis tribubus, id eſt duodecim millia expeditorum ad pugnam:quos miſit Moyſes cum Phinees filio Eleazari ſacerdotis,'vaſáque ſancta,& tubas ad clangendum tradidit ei.Cúmq; pugnaſſent'cõtra Madianitas atque viciſſent,omnes mares occiderũt, &'reges eorũ Eui & Recem & Sur & Hur & Rebe,quinque'principes gentis:Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio. 'Ceperúntque mulieres eorum & paruulos,omniáque pecora & 'cunctam ſupellectilem,'quicquid habere potuerãt,depopulati ſunt.'tam vrbes quàm viculos & caſtella flamma conſumpſit.

ſ.25.d. Ioſue13.c.

COLLIGERIS ad populum.) Id eſt,morieris. Colligi ad populum.

STATIMQVE Moyſes,) Locutus eſt igitur Moyſes ad populum, dicendo, Accingimini ex vobis aliqui ad pugnam, impetúmque faciant in Madianitas, vt ſumant vltionem Domini de ipſis.

DEDERVNTQVE millenos) Dederúntque ex millibus Iſrael millenos.

VASAQVE ſancta, & tubas ad clangendum tradidit ei.) vaſáque ſancta,& tubæ clangoris erant in manu eius.Id eſt, habebat ſecũ vaſa ſãcta,id eſt tubas quibus clangere ſolebant in honorem Dei,quibus etiam ſignum dabatur in bello.

Et pro id eſt.

CONTRA Madianitas,atque viciſſent,) contra Madianitas,ſicut præceperat Dominus Moyſi,atque viciſſent.

REGES eorum Eui) reges eorum,cum occiſis eorum,Eui &c.Id eſt,vnà cum militibus eorum.Quaſi dicat,vltra milites occiſos,occiſi ſunt etiam reges.

PRINCIPES gentis:) reges Madianitarum.

CEPERVNTQVE mulieres eorum) Captiuáſque duxerunt filii Iſrael vxores Madianitarum.

CVNCTAM ſupellectilem,) Vel,cunctas opes.

QVICQVID habere potuerant,) Hæc verba non leguntur Hebraice.

TAM vrbes,&c Et) omnes vrbes eorum, quæ erant in locis habitabilibus, & omnia palatia eorum,combuſſerunt igni.

Et tulerunt prædam,& vniuerſa quæ ceperant tam ex hominibus quàm ex iumentis: & adduxerunt ad Moyſen & Eleazarum ſacerdotem,& 'ad omnem multitudinem filiorum Iſrael.'reliqua autem vtenſilia portauerũt ad caſtra in campeſtribus Moab, iuxta Iordanem 'contra Iericho.Egreſſi ſunt autem Moyſes & Eleazar ſacerdos,& omnes principes 'ſynagógæ in occurſum eorum extra caſtra.Iratúſq; Moyſes principibus exercitus, tribunis & centurionibus qui venerant de bello, ait, Cur

5.15.a. fœminas reſeruaſtis? 'Nónne iſtæ ſunt quæ ‖deceperunt filios Iſrael ad ſuggeſtionẽ Balaam, '& præuaricari vos fecerunt in Dominum ſuper peccato Phogor, vnde & percuſſus eſt populus? Ergo cũctos interficite quicquid eſt generis maſculini 'etiam in paruulis:& mulieres quæ nouerunt viros in coitu,iugulate: puellas autem & omnes fœminas virgines reſeruate vobis, & manete extra 'caſtra ſeptem diebus. Qui occiderit hominem, vel occiſum tetigerit, 'luſtrabitur die tertio & ſeptimo. 'Et de omni præda,ſiue veſtimentum fuerit,ſiue vas,& aliquid in vtenſilia præparatum,de caprarum pellibus & pilis & ligno expiabitur.Eleazar quoque ſacerdos ad viros exercitus,qui pugnauerant,ſic locutus eſt,Hoc eſt 'præce-

Leuit.6.d.11.c ptum legis quod ‖'mandauit Deus Moyſi, Aurum & argentum & æs & ferrum & plumbum & ſtannum,& omne quod 'poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur.

quicquid autem ignem non poteſt ſuſtinere, aqua expiationis ſanctificabitur: & lauabitis veſtimenta veſtra die ſeptimo, & purificati poſtea caſtra intrabitis.

AD omnem multitudinem filiorum Iſrael.) & ad cœtum filiorum Iſrael captiuitatem. Id eſt mulieres & paruulos captiuos. Captiuitas.

RELIQVA autem vtenſilia) prædam autem ipſam atque ſpolia.

CONTRA Iericho.) qua parte non procul abeſt à Iericho.

SYNAGOGAE) congregationis.

NÓNNE iſtæ ſunt quæ deceperunt filios Iſrael) Certe iſtæ fuerunt filiis Iſrael. Fuerunt illis mulieres. Id eſt, fecerunt filiis Iſrael ſui corporis poteſtatem. Similis modus loquendi legitur capite præcedenti, Si erit viro. pro quo interpres noſter tranſlulit, Si maritũ habuerit. Alii vertunt, Fuerunt filiis Iſrael ad tradendum. Id eſt, fuerunt in cauſa cur in idololatriam inciderint.

AD ſuggeſtionem Balaam,) per verbum Balaam. Id eſt conſilio Balaam.

ET præuaricari vos &c. Ergo.) vt facerent vos præuaricari in Dominum in negotio Phogor, vnde orta eſt illa plaga in congregatione Domini. Id eſt, vt præuaricaremini in Dominum adorando idôlum Phogor: propter quod vos qui eſtis congregatio Domini, afflicti fuiſtis.

ETIAM)° Coniunctio ETIAM non debet legi.

CASTRA) ſcilicet Domini.

QVI occiderit hominem, vel occiſum tetigerit, luſtrabitur die tertio & ſeptimo. Et de omni præda) Hebraice ſic legitur ad verbũ, Quiſquis interfecerit animam, quiſquis item tetigerit trucidatum, expiate vos die tertia & ſeptima, & præda veſtrà. Tranſitus eſt hic à tertia perſona in ſecundã, Quiſquis interfecerit, expiate: pro, Quiſquis interfecerit &c. expiet ſeſe. ita erat dicendũ. Præda etiã veſtra, id eſt captiui veſtri quos abduxiſtis captiuos, expient ſeſe ſimiliter.

SIVE veſtimentum &c. Eleazar) Sed & omne veſtimentum, & omnem ſu pellectilem coriaceam, & quiquid ex pilis caprarum fit, & omne vas ligneum expiabitis. Eleazar quoque &c.

PRAECEPTVM legis) ſtatutum legis. Id eſt, ſcriptum in lege.

MANDAVIT Deus) præceperat Dominus. In editione Complutenſi, & vetuſtioribus Latinis codicibus legitur Dominus.

QVOD poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur.) quod vim ignis ſuſtinere poteſt, tranſire facietis per ignem, & mundabitur: ea tamen lege, vt prius aqua luſtratoria purificetur.

Dixit quoque Dominus ad Moyſen, Tollite ſummã eorum quæ capta ſunt, ab homine vſque ad pecus, tu & Eleazar ſacerdos & omnes principes vulgi: diuidéſque ex æquo prædã inter eos qui pugnauerunt, egreſſiq; ſunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem, & ſeparabis partẽ Domino ab his qui pugnauerunt & fuerunt in bello, vnam animam de quingentis, tam ex hominibus quàm ex bobus & aſinis & ouibus, & dabis eam Eleazaro ſacerdoti, quia primitiæ Domini ſunt. Ex media quoque parte filiorum Iſrael accipies quinquageſi-

mum caput hominum & boum & aſinorum & ouium, cunctorumque animantium: & dabis ea Leuitis, qui excubant in cuſtodiis tabernaculi Domini. Feceruntque Moyſes & Eleazar, ſicut præceperat Dominus.

TOLLITE) Tolle. Vel, cape. ita legitur in Latis S. Germani & Dionyſii.

ET omnes principes) Dictio OMNES, non legitur in Moguntinenſi editione, neque in Latis, & Oblongo S. Dionyſii & Germani.

ET ſeparabis partem) tolles præterea cenſum. Aut, vectigal, quod offeres Domino.

QVIA primitiæ Domini ſunt.) oblationem Domini.

Cuſtodire cuſtodiã tabernaculi.

QVI excubant in cuſtodiis tabernaculi) qui cuſtodiunt cuſtodiã tabernaculi. Id eſt, qui magno ſtudio curant tabernaculum.

ELEAZAR, ſicut) Eleazar ſacerdos, ſicut &c.

Fuit autem præda, quam exercitus ceperat, ouiũ ſexcenta ſeptuagintaquinque millia, boum ſeptuagintaduo millia, aſinorum ſexaginta millia & mille: animæ hominum ſexus fœminei, quæ non cognouerant viros, triginta duo millia. Dataque eſt media pars his qui in prælio fuerant, ouium trecenta trigintaſeptem millia quingentæ. è quibus in parte Domini ſupputatæ ſunt oues ſexcentæ ſeptuagintaquinque. Et de bobus trigintaſex millibus, boues ſeptuaginta & duo: de aſinis triginta millibus quingentis, aſini ſexaginta vnus: de animabus hominum ſedecim millibus, ceſſerunt in parte Domini triginta duæ animæ. Tradiditque Moyſes numerum primitiarum Domini Eleazaro ſacerdoti, ſicut fuerat ei imperatum, ex media parte filiorum Iſrael, quam ſeparauerat his qui in prælio fuerant. De media verò parte quæ cõtigerat reliquæ multitudini, id eſt de ouibus trecentis trigintaſeptem millibus quingentis, & de bobus triginta ſex millib', & de aſinis triginta millibus quingentis, & de hominib' ſedecim millibus, tulit Moyſes quinquageſimum caput, & dedit Leuitis qui excubabant in tabernaculo Domini, ſicut præceperat Dominus.

FVIT autem præda,) Addendum, reſiduum prædæ. per appoſitionẽ dictum. quaſi dicat, Fuit autem præda quæ remanſit.

CEPERAT,) diripuerat.

PARTEM) cenſum. Aut, vectigal.

NVMERVM primitiarum) cenſum oblationis.Id eſt,partem Domino conſecratam ex præda. Cenſus oblationis.

IMPERATVM) Addendum,à Domino.

EX media parte filiorum Iſrael,&c.Cúmque) De media verò parte eorũ quæ acceperunt filii Iſrael,quam partiendo accepit Moyſes ab hominibus qui certauerant (fuit autem media pars quam accepit cõgregatio,de ouibus,trecenta triginta ſeptem millia quingenta, & de bobus triginta ſex millia, & de aſinis triginta millia quingenta, & de hominbus ſedecim millia) tulit inquam Moyſes de media parte filiorum Iſrael vnum de quinquaginta,ex hominibus & ex iumentis,& dedit Leuitis qui cuſtodiebant cuſtodiam tabernaculi Domini,ſicut præceperat Dominus.Cúmque &c.

Cúmque acceſſiſſent 'principes exercitus ad Moyſen, & tribuni,centurionéſque,dixerunt, Nos ſerui tui recenſuimus numerum pugnatorum,quos habuimus ſub manu noſtra: & ne vnus quidem defuit. Ob hanc cauſam offerimus 'in donariis Domini ſinguli quod in præda auri potuimus inuenire,periſcelides & armillas,annulos & dextralia ac murenulas, vt depreceris pro nobis Dominũ.Suſceperúntque Moyſes & Eleazar ſacerdos 'omne aurum in diuerſis ſpeciebus,pondo ſedecim millia ſeptingentos quinquaginta ſiclos, à tribunis & cẽturionibus. 'Vnuſquiſq; enim quod in præda rapuerat, ſuum erat. Et ſuſceptum intulerunt in tabernaculũ 'teſtimonii,in monimentum filiorum Iſrael coram Domino.

PRINCIPES exercitus ad Moyſen, & tribuni,) principes millium militiæ, ad Moyſen,tribuni,&c.Id eſt,qui præerant exercitui numeroſo filiorum Iſrael. Militia milliũ

IN donariis Domini &c.Suſceperúntque) oblationem Domino,vnuſquiſque quod inuenit, vaſa aurea, brachiola, & armillas, annulos, inaures, & ſubligacula mulierum:ad expiandas animas noſtras coram Domino.Suſceperúntque &c.

OMNE aurum in diuerſis ſpeciebus,) aurum, omne vas operis. Id eſt, omnia vaſa affabre facta. Vas operis.

VNVSQVISQVE enim quod in præda rapuerat,ſuum erat.) Milites diripuerunt quiſque ſibi.Id eſt, quod prædati ſunt, retinuerunt ſibi, neque dederunt centurionibus ſuis.

TESTIMONII,) fœderis.Vel,conuentus.

CAP. XXXII.

FILII autem Ruben & Gad habebant 'pecora multa,& erat illis in iumentis infinita ſubſtantia. Cúmque vidiſſent Iazer & Galaad aptas animalibus alendis terras,venerunt ad Moyſen & ad Eleazarum ſacerdotẽ, & principes multitudinis, atque dixerunt, Ataroth, & Dibon,& Iazer,& Nemra,Heſebon,& Elcale,& Sabam,

& Nebo,& Beon, terra quam percuſſit Dominus 'in cõ-
ſpectu filiorum Iſrael, regionis huberrimæ eſt ad paſtũ
animalium:& nos ſerui tui habemus 'iumenta plurima:
precamúrque ſi inuenimus gratiam coram te,vt des no
bis famulis tuis eam in poſſeſſionẽ,nec facias nos tranſ-
ire Iordanem. Quibus reſpondit Moyſes,Nunquid fra-
tres veſtri ibunt ad pugnam, & vos hîc ſedebitis? 'Cur
ſubuertitis mentes filiorum Iſrael, ne tranſire audeant
'in locum quem eis daturus eſt Dominus? 'nónne ita e-
gerunt patres veſtri, quãdo miſi de Cadeſ-barne ad ex-
ſ.13.c. plorandam Terram? ‖Cúmque veniſſent vſque ad Val-
lem-botri, luſtrata omni regione, 'ſubuerterunt cor
filiorum Iſrael, vt non 'intrárent fines quos eis Domi-
ſ.14.c. nus dedit. 'Qui iratus iurauit, dicens, ‖Si videbunt ho-
mines iſti qui aſcenderunt ex AEgypto à viginti annis
& ſuprà, Terram quam ſub iuramento pollicitus ſum
Abraham, Iſaac,& Iacob: '& noluerunt ſequi me,præ-
ter Caleb filium Iephône Cenezæum, & Ioſûe filium
Nun : 'iſti impleuerunt voluntatem meam. Iratúſque
Dominus aduerſum Iſrael, 'circunduxit eum per de-
ſertum quadraginta annis,donec conſumeretur vniuer-
ſa generatio quæ fecerat malum in conſpectu eius. Et
ecce, inquit, vos 'ſurrexiſtis pro patribus veſtris, 'incre-
menta, & alumni hominum peccatorum, vt augeretis
furorem Domini contra Iſrael. Quòd ſi nolueritis ſe-
qui eum,in ſolitudine 'populum derelinquet, & 'vos cau
ſa eritis necis omnium.

PECORA multa,& erat illis in iumentis infinita ſubſtantia.) pecora multa admodum. Vel,peculium admodum grande quod conſtabat pecoribus.

IN conſpectu filiorum Iſràel,) ante exercitum Iſrael.

IVMENTA) pecora.

CVR ſubuertitis mentes) Cur frangitis animum. Id eſt, Cur deterretis filios Iſrael?

IN locum quem eis daturus eſt) in regionem quam dedit eis.

NÓNNE ita egerunt) Sic fecerunt.

MISI de Cadeſ-barne) miſi eos de Cadéſ-barne.

SVBVERTERVNT cor) fregerunt cor. Vel,animos.

INTRARENT fines) Vel,auderent intrare terram quam eis &c.
QVI iratus iurauit,) Iratúſque eſt Dominus in die illo,& iurauit, dicens &c.
ET noluerunt ſequi me,) eo quòd non impleuerunt (ſub. voluntatem meã) ſequendo me.
ISTI impleuerunt voluntatem meam.) iſti enim impleuerunt (ſub.voluntatem meam) ſequendo Dominum.Id eſt,me.Hebraiſmus.
CIRCVNDVXIT eum) vagari fecit eos.
SVRREXISTIS pro patribus veſtris,) Id eſt,ſucceſſiſtis patribus veſtris. Surgere pro patribus.
INCREMENTA,& alumni hominum peccatorum,) proles hominum improborum.
POPVLVM derelinquet,) populum rurſum derelinquet.
ET vos cauſa eritis necis omnium.) & perdetis vniuerſum populum hunc.Id eſt,eritis cauſa necis totius huius populi.

At illi propè accedentes,dixerunt, Caulas ouium fabricabimus,″& ſtabula iumentorum, paruulis quoque noſtris vrbes″munitas:nos autem ipſi armati & accincti ′pergemus ad prælium ante filios Iſrael, donec introducamus eos ad loca ſua.Paruuli noſtri′& quicquid habere poſſumus,erunt in vrbibus ′muratis,propter habitatorum inſidias.Non reuertemur in domos noſtras, vſque ′dum poſſideant″filii Iſrael hæreditatem ſuam:′nec quicquam quæremus trans Iordanẽ,quia iam habemus noſtram poſſeſſionem in Orientali eius plaga.

ET ſtabula iumentorum,) pecoribus noſtris hic.
MVNITAS) Hæc dictio non legitur Hebraice.
PERGEMVS ad prælium ante &c.) feſtinabimus ante filios &c.
ET quicquid habere poſſumus,) Hæc non habentur in Hebræo.
MVRATIS,) munitis.Ita etiam legitur in Baſilienſi & Cõplutenſi editione.
FILII Iſrael hæreditatem ſuam:) filii Iſrael ſinguli hæreditatem ſuam.
NEC quicquam &c.Quibus) Non enim hæreditate quicquam poſſidebimus cum illis vltra Iordanem,eo quòd habeamus hæreditatem citra Iordanem in Orientali eius plaga.

Quibus Moyſes ait,‖Si facitis quod promittitis,′expediti pergite″corã Domino′ad pugnã:″& omnis vir bellator armatus Iordanẽ trãſeat,donec ſubuertat Dominus inimicos ſuos, & ſubiiciatur ei omnis Terra: tunc eritis inculpabiles apud Dominum & apud Iſrael, ′& obtinebitis regiones quas vultis ′corã Domino. Sinautẽ quod dicitis non feceritis, nulli dubium eſt quin peccetis ′in Deum:& ſcitote quoniam peccatum veſtrum ′apprehẽdet vos. AEdificate ergo vrbes paruulis veſtris, & caulas & ſtabula ouibus″ac iumentis:& quod polliciti eſtis Ioſue 1.a.

implete. Dixerúntque filii Gad & Ruben ad Moyſen, 'Serui tui ſumus, faciemus quod iubet dominus noſter. Paruulos noſtros & mulieres, & pecora, ac iumenta relinquemus in vrbibus Galaad: nos autem famuli tui ' omnes expediti pergemus ad bellum, ſicut tu domine lóqueris.

EXPEDITI pergite) ſi accincti prodeatis coram &c.

Coram Domino. CORAM Domino) Id eſt, ante arcam fœderis. ita in ſequentibus intelligẽdũ.

ET omnis vir &c. Tunc eritis) Tranſieritque ex vobis quilibet armatus Iordanem coram Domino, donec ille deleuerit hoſtes ſuos à cõſpectu ſuo: Subiicietur terra coram Domino, & poſtea reuertemini: eritíſque inculpabiles, &c.

ET obtinebitis regiones quas vultis) hac lege poſſidebitis terram hanc.

Coram Domino. CORAM Domino.) Id eſt, Deo aſpirante.

IN Deum:) in Dominum.

Peccatũ apprehẽdit eũ. APPREHENDET vos.) Id eſt, dabitis pœnas pro eo.

AC iumentis:) Hoc non legitur in Hebræo.

SERVI tui ſumus, faciemus) Sic legendum eſt ſine verbo SVMVS, Serui tui faciemus.

OMNES expediti pergemus ad bellum,) tranſibimus omnes accincti armis ad militiam coram Domino. Id eſt, ante arcam fœderis.

Ioſ. 4. c. ¶ Præcepit ergo Moyſes Eleazaro ſacerdoti, & Ioſûe filio Nun, & principibus familiarum 'tribus Iſrael, & dixit ad eos, Si tranſierint filii Gad, & filii Ruben vobiſcum Iordanem omnes armati ad bellum coram Domino, & vobis fuerit Terra 'ſubiecta: date eis Galaad in poſſeſſionem. Sinautem noluerint tranſire armati vobiſcum 'in Terram-Chanáan, inter vos habitandi accipiant loca. Reſponderúntque filii Gad, & filii Ruben, Sicut locutus eſt dominus ſeruis 'ſuis, ita faciemus: ipſi armati 'pergemus coram Domino in Terram-Chanáan, '& poſſeſſionem iam ſuſcepiſſe nos confitemur trans Iordanem.

PRAECEPIT ergo Moyſes) Præcepit ergo de illis Moyſes. Vel, propter illos. Id eſt, Moyſes mandatum dedit eis de filiis Gad & Ruben.

TRIBVS Iſrael,) tribuum filiorum Iſrael. Vetera exemplaria S. Germani & Dionyſii legunt, Per tribus Iſrael.

SVBIECTA:) ſubiugata.

IN Terram-Chanáan, inter vos habitandi accipiant loca.) tunc poſſeſſionẽ capient inter vos in Terra-Chanáan.

SVIS,) tuis. Pronomen ſecundæ perſonæ.

PERGEMVS) tranſibimus. Scilicet Iordanem.

ET poſſeſſionem, &c) cum iam apud nos ſit poſſeſſio hæreditatis noſtræ citra Iordanem. Vel, Quanuis hæreditatem acceperimus citra Iordanem. Alii vertunt, Vt in poteſtate noſtra maneat hæreditas quam apprehendimus citra Iordanem. Terra Galaad iis qui erant in ipſa terra Galaad, erat citra Iordanem: iis autẽ qui

in Ieruſalem,erat vltra Iordanem.

‖Dedit itaque Moyſes filiis Gad & Ruben, & dimidiæ tribui Manaſſe filii Ioſeph regnum Sehon regis Amorrhæi,& regnum Og regis Baſan,"& Terram eorum'cum vrbibus ſuis per circuitum.Igitur extruxerunt filii Gad, Dibon, & Ataroth,& Aroer,& Roth, & Sophan, & Iazer,& Iegbaa,& Beth-nemra,& Beth-aran, vrbes munitas,& caulas pecoribus ſuis.Filii verò Ruben ædificauerunt Heſebon,& Eleale,& Chariathaim,& Nabo,& Baal-meon verſis nominibus, Sabama quoque: imponentes vocabula vrbibus quas extruxerant. ‖Porrò filii Machir filii Manaſſe perrexerunt in Galaad,&"vaſtauerunt eam"interfecto Amorrhæo habitatore eius.‖Dedit ergo Moyſes Terram-Galaad Machir filio Manaſſe, qui habitauit in ea.Iair autem filius Manaſſe abiit,& 'occupauit vicos eius, quos appellauit Hauoth-Iair, "id eſt Villas-Iair.Nobe quoque perrexit, & apprehendit Canath cum viculis ſuis: vocauítque eã ex nomine ſuo Nobe.

Ioſ.13.b.11.a. deut.3.b.
Gen.50.d.
Deut.3 b.

ET Terram eorum cum vrbibus ſuis) Coniunctio ET, non legitur in Paruo veteri exemplari S.Germani. Subaudiendum eſt autem rurſum verbum præcedens,Dedit inquam terram &c.

CVM vrbibus ſuis per circuitum.) cum vrbibus ſuis ſecundũ terminos,& vrbes regionis per circuitum.Hoc eſt,Dedit eis terram eorum cum vrbibus ſuis, vt erat terminis circunſcripta: id eſt, dedit eis vrbes regionis per circuitum.

VASTAVERVNT) ceperunt.

INTERFECTO Amorrhæo habitatore eius.) Amorrhæóſque qui habitabãt in ea,expulit.Scilicet,Dominus per eos.

OCCVPAVIT vicos eius,) cepit viculos eius. Scilicet Galaad. Alii vertunt vrbes eorum,nempe Amorrhæorum.

ID eſt Villas-Iair.) Hoc non legitur in Hebræo: ſed ab interprete additum, explicare volenti quid ſignificaret Hauoth-Iair.

CAP. XXXIII.

HAE ſunt 'manſiones filiorũ Iſrael, qui egreſſi ſunt de AEgypto 'per turmas ſuas"in manu Moyſi & Aaron,"quas deſcripſit Moyſes iuxta caſtrorũ loca, quæ Domini iuſſione mutabãt. ‖Profecti igitur de Rameſſe 'menſe primo,quintadecima die menſis primi,'fecerunt altera die Phaſe,filii Iſrael"in manu excelſa,videntibus cunctis AEgyptiis ("& ſepelientibus primogenitos quos

Exod.n.f.

percuſſerat Dominus : nam & in diis eorum exercuerat vltionem) caſtrametati ſunt in Socoth.

MANSIONES) Vel, profectiones.

PER turmas ſuas.) Vel, turmatim.

In manu Aaron.

IN manu Moyſi & Aaron,) Id eſt, Duce Moyſe & Aarone. Hebraiſmus.

QVAS deſcripſit &c. Profecti) Deſcripſit autem Moyſes egreſſus eorum per profectiones ipſorum iuxta os Domini. Hæ ſunt manſiones corũ per exitus eorum. Id eſt, Deſcripſit quibus è locis egreſſi, ad quæ loca peruenerint, iuſſu Domini. Hæc ſunt inquam loca è quibus egreſſi ſunt, & ad quæ peruenerunt.

Mẽſis prim⁹.

MENSE primo,) Qui menſis primus dicitur Hebræis Niſan, nobis Martius.

FECERVNT altera die Phaſe,) Verbum FECERVNT, neque in Paruo S. Germani, neque etiam in Complutenſi & Baſilienſi editione legitur. Et Phaſe, genitiui caſus eſt : quaſi dicat, poſtera die quàm immolatus fuerat agnus paſchalis, profecti ſunt.

In manu excelſa.

IN manu excelſa,) Id eſt, diuina virtute, non humana.

ET ſepelientibus &c. Et de Socoth) interim autẽ AEgyptii ſepeliebant quos percuſſerat Dominus inter illos : percuſſerat autem omnia primogenita, & in idolis eorũ exercuerat iudicia Dominus. Profecti ſunt inquam, filii Iſrael è Rameſſe, & caſtrametati ſunt in Socoth. Et de Socoth &c.

Et de Socoth venerunt in Etham, quæ eſt in extremis finibus ſolitudinis. ‖Inde egreſſi venerũt cõtra Phi-hahiroth, quæ reſpicit Beel-ſephon, & caſtrametati ſunt ante Magdalum. ‖Profectíque de Phi-hahiroth, tranſierunt per mediũ mare in ſolitudinem: & ambulantes tribus diebus per deſertũ Etham, caſtrametati ſunt in Mara. ‖Profectiq; de Mara, venerunt in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & palmæ ſeptuaginta: ibíq; caſtrametati ſunt. Sed & inde egreſſi, fixerunt tentoria ſuper Mare-rubrum. ‖Profectíque de Mari-rubro, caſtrametati ſunt in deſerto Sinai. Vnde egreſſi, venerunt in Daphca. Profectiq; de Daphca, caſtrametati ſunt in Alus. ‖Egreſſique de Alus, Raphidim fixere tentoria, vbi populo defuit aqua ad bibendum.

Exod. 13. d. — Exod. 14. a. c. — Exod. 15. d. — Exod. 16. a. — Exod. 17. a.

Etham.

ETHAM,) Nomen vrbis vel loci, à quo denominatum eſt deſertum Etham.

INDE egreſſi venerunt contra Phi hahiroth, quæ reſpicit) Profectíque de Etham, reuerſi ſunt in Phi-hahiroth qui eſt eregione Beel-ſephon &c.

PHI-HAHIROTH,) Hebraice legitur, Pene-hahiroth, pro eodem loco.

SVPER Mare rubrum.) iuxta Mare-rubrum.

SINAI) Sin. Sic legitur in vetuſtioribus codicibus S. Dionyſii & Germani, atque in editione Baſilienſi & Complutenſi. Hebraice ſcribitur per Samec, סין

‖Profectíque de Raphidim, caſtrametati ſunt in deſerto Sinai. Sed & de ſolitudine Sinai egreſſi, venerunt ad Sepulchra-concupiſcentiæ. ‖Profectíque de Sepulchris-

Exod. 19. a. — ſ 11. a.

concupiſcentiæ, caſtrametati ſunt in Haſeroth. ‖Et de ſ̄.11.d.
Haſeroth venerunt in Rethma. Profectíque de Rethma,
caſtrametati ſunt in Remmon-phares. ‖Vnde egreſſi ve ſ̄.13.a.
nerunt in Lebna. De Lebna caſtrametati ſunt in Reſſa.
Egreſſique de Reſſa, venerunt in Ceelatha. Vnde profe-
cti, caſtrametati ſunt in monte Sepher. Egreſſi de mõte
Sepher, venerũt in Harada. Inde proficiſcẽtes caſtrame
tati ſunt in Maceloth. Profectiq; de Maceloth, venerũt
in Tháhath. De Tháhath, caſtrametati ſunt in Thare.
Vnde egreſſi, fixêre tẽtoria in Methca. Et de Methca, ca-
ſtrametati ſunt in Heſmona. ‖Profectíque de Heſmona, Deut.10.b
venerũt in Moſeroth. Et de Moſeroth caſtrametati ſũt
in Bene-iaacan. Profectíque de Bene-iaacan, venerũt in
montẽ Gadgad. Vnde profecti, caſtrametati ſunt in Ie-
tebátha. Et de Ietebátha, venerunt in Hebrona.

SINAI.) Sin. ſic legitur in vetuſtioribus codicibus S. Dionyſii & Germani, atque in editione Baſilienſi & Complutenſi. Hebraice ſcribitur per Samec, ן׳ס

Egreſſique de Hebrona, caſtrametati ſunt in Aſion-
gáber. Inde profecti, venerunt in deſertum ʻSin, hæc eſt
Cades. ‖Egreſſique de Cades, caſtrametati ſunt in mon- ſ̄.20.a
te Hor in extremis finibus Terræ-Edom. ‖Aſcendítque ſ̄.20.d.deut. 32.g.
Aaron ſacerdos in montem Hor iubente Domino: &
ibi mortuus eſt anno quadrageſimo egreſſionis filiorum
Iſrael ex AEgypto, menſe quinto, prima die menſis, cũ
eſſet annorum centum vigintitrium. ‖Audiuítque Cha- ſ̄.21.a.
nanæus rex Arad, qui habitabat ad Meridiẽ, ʻin Terrã-
Chanáanʼ veniſſe filios Iſrael. Et profecti de mõte Hor,
caſtrametati ſunt in Salmona. Vnde egreſſi, venerũt in
Phunon. ‖Profectíque de Phunon, caſtrametati ſunt in ſ̄.21.c.
Oboth. Et de Oboth, venerunt in Ie-abarim, quæ eſt in
finibus Moabitarum. Profectíque de Ie-abarim, fixêre
tentoria in Dibon-gad. Vnde egreſſi, caſtrametati ſunt
in Helmon-deblathaím. Egreſſique de Helmon-debla
tháim, venerunt ad montes Abarim contra Nabo.

SIN,) Hebraice ſcribitur per Sadi, צ

IN Terram) in paruo S. Germani ſcripto codice, & Lato S. Dionyſii legitur in ablatiuo, in terra. refertur enim ad præcedentia, Habitabat ad Meridiē in Terra-Chanáan.

VENISSE filios Iſrael.) aduentum filiorum Iſrael.

Profectíque de montibus Abarim, trāſierunt ad campeſtria Moab, ſupra Iordanem ʻcontra Iericho. Ibíque caſtrametati ſunt de Beth-ſimoth vſque ad Abel-ſatim in planioribus locis Moabitarum, vbi locutus eſt Dominus ad Moyſen, Præcipe filiis Iſrael, & dic ad eos, ʻQuādo tranſieritis Iordanem, intrantes Terram-Chanáan, ʻdiſperdite cunctos habitatores Terræ illius: ʻconfringite titulos, & ſtatuas comminuite, atq; omnia excelſa vaſtate, mundantes Terram, & habitantes in ea. ego enim dedi vobis illam in poſſeſſionem: Quā ʻdiuidetis vobis ſorte: pluribus dabitis latiorē, ʻ& paucioribus anguſtiorem. ʻſingulis vt ſors ceciderit, ita tribuetur hæreditas. ʻper tribus & familias poſſeſſio diuidetur. ʻSinautem nolueritis interficere habitatores Terræ: qui remanſerint, erunt vobis quaſi ʻclaui in oculis, & ʻlanceæ in lateribus, & ʻaduerſabuntur vobis in Terra habitationis veſtræ: & quicquid illis cogitaueram facere, vobis faciam.

CONTRA Ièricho.) Id eſt, qua parte vergit ad Ierichontem: vel, qua parte alluit Ierichontem.

QVANDO tranſieritis Iordanem, intrantes Terram-Chanáan,) Quoniam iamiam tranſituri eſtis Iordanem in Terram Chanáan. Vel, Tranſmiſſo Iordane ingreſſuri eſtis Terram-Chananæorum.

DISPERDITE) expelletis.

CONFRINGITE titulos, &c. Ego enim) Diſperdetis omnia ſigna (vel, ſimulachra, ſculpturas, picturas) eorum, & omnes imagines conflatiles comminuetis: expelletis inquam incolas eius regionis, & habitabitis in ea. ego enim &c.

DIVIDETIS vobis ſorte: pluribus dabitis latiorē,) diuidetis vobis ſorte per familias veſtras: pluribus dabitis latiorem hæreditatem. Quod ait, Per familias veſtras: verti poteſt, nomine familiarum & cognationum veſtrarum.

SINGVLIS vt ſors ceciderit, ita tribuetur hæreditas.) In loco, in quo egreſſa fuerit ſors alicuius, ei erit (ſubaudi, in eo loco) hæreditas. Id eſt, hæreditas erit ei in eo loco in quem ſors ceciderit.

PER tribus & familias poſſeſſio diuidetur.) per tribus maiorum veſtrorum capietis hæreditatem.

SINAVTEM nolueritis interficere) Sinautem non expuleritis à facie veſtra.

Claui & lanceæ ipſi ſunt vobis.

CLAVI) tribuli. Aut, vepres. Quaſi dicat, oculos vobis exculpent.

LANCEAE) ſpinæ. Quibus pungentur latera veſtra. hoc eſt, erūt vobis moleſti.

ADVERSABVNTVR vobis in Terra habitationis veſtræ:) affligent vos in Terra in qua habitaturi eſtis.

CAP. XXXIIII.

LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen, dicens, Præcipe filiis Iſrael, & 'dices ad eos, Cum ingreſſi fueritis Terram-Chanáan, & in poſſeſſionem vobis ſorte ceciderit, his finibus terminabitur. ‖Pars Meridiana incipiet à ſolitudine 'Sin, quæ eſt iuxta Edom: & habebit terminos contra Orientem mare 'ſalſiſſimum: "qui circuibunt Auſtralem plagam per Aſcenſum-ſcorpionis, ita vt tranſeant in Senna, & perueniant ad Meridiem vſque ad Cadeſ-barne, vnde egredientur confinia ad villã nomine Adar, & tendent vſque ad Aſemona. ibítq; per gyrum terminus ab Aſemona vſque ad 'torrentem AEgypti, & "magni maris litore finietur. Plaga autem Occidentalis 'à mari magno incipiet, & ipſo fine claudetur. Ioſue. 15.a.

Porrò ad Septentrionalem plagam à mari magno termini incipient, peruenientes vſque ad montem 'altiſſimum, à quo venient in Emath vſque ad terminos Sedáda, ibúntque confinia vſque ad "Ebrona, & villam Enan. hi erunt termini in parte Aquilonis. Inde metabuntur fines contra Orientalem plagã de villa Enan vſque Sepháma, & de Sepháma deſcendent termini in Reblátha "contra fontem Daphnim: inde peruenient contra Orientem ad mare 'Cénereth, & tendent vſque ad Iordanem, & ad vltimum ſalſiſſimo claudentur mari. Hanc habebitis terram per fines ſuos in circuitu.

DICES ad eos, &c. Pars) dic ad eos, Quia iam ingreſſuri eſtis terram Chananæorum (ea autem eſt regio quæ miſſis ſortibus obueniet vobis in hæreditatem, terra inquam Chanáan per fines ſuos) pars Meridiana &c.

SIN,) per Sadi ſcribitur.

SALSISSIMVM.) ſalis. Id eſt, mare mortuum. Hic terminũ generalẽ deſcribit: poſtea ſpecialem deſcripturus.

QVI circuibunt &c. Ibítque) Circuibítque vobis terminus à Meridie vſque ad Maale-hacrabim: & tranſibit ad Sin: erúntque egreſſus eius vſque ad Cadeſ-barne, & vſque ad villam Adar, & vſque ad Aſemona. ibítque &c. In editione Complutenſi legitur Aſcenſum-ſcorpionũ, plurali numero.

TORRENTEM) Sunt qui ex hoc loco fluuium Rhinocorura intelligunt. Aliis placet fluuium fuiſſe ſine nomine: propterea Moyſen non addidiſſe nomẽ.

MAGNI maris) Id eſt, maris mediterranei.

A MARI magno incipiet,& ipſo fine claudetur.) ſit vobis mare magnum: ma re inquam illud ſit terminus Occidentalis.

Hor. ALTISSIMVM,) Hor. Nomē promontorii eſt, non illius montis nomen in quo mortuus eſt Aaron.

EBRONA,) Zephrona. Sic etiam legitur in vetuſtioribus Latinis codicibus S. Germani & Dionyſii.

Ain. CONTRA fontem Daphnim:) ab Oriente loci qui dicitur Ain.

Mare Cenereth. CENERETH,) mare iſtud dicitur mare Genezareth.

Præcepítque Moyſes filiis Iſrael, dicens, Hæc erit Terra quam poſſidebitis ſorte,& quam iuſſit Dominus dari nouem tribubus, & dimidiæ tribui. Tribus enim filiorū Ruben per familias ſuas,& tribus filiorum Gad iuxta cognationum numerum, media quoque tribus Manaſſe, 'id eſt duæ ſemis tribus, acceperunt partem ſuam trans Iordanem 'contra Iericho ad Orientalem plagam. Et ait

Ioſue 14.2. Dominus ad Moyſen, ‖Hæc ſunt nomina virorum qui Terram vobis diuident, Eleazar ſacerdos,& Ioſue filius Nun,& ſinguli principes de tribubus ſingulis, quorum iſta ſūt vocabula. De tribu Iuda, Caleph filius Iephone. 'De tribu Simeō, Samuel filius Ammiud. De tribu Beniamin, Elidad filius Chaſelon. De tribu 'filiorum Dan, Bocci filius Iogli. Filiorum Ioſeph 'de tribu Manaſſe, Haniel filius Ephod.'De tribu Ephráim, Camuel filius Sephthan.'De tribu Zabulō, Eliſaphan filius Pharnach. 'De tribu Iſſachar, dux Phaltiel filius Ozan.'De tribu Aſer, Ahiud filius Salomi.'De tribu Nephthali, Phedael filius Ammiud. Hi ſunt quibus præceperat Dominus 'vt diuiderent filiis Iſrael Terram-Chanáan.

ID eſt duæ ſemis tribus,) Hæc verba non leguntur apud Hebræos.

Contra Iericho. CONTRA Iericho) Id eſt, qua parte non procul diſtat ab Iericho.

DE tribu Simeon,) De tribu filiorum Simeon.

FILIORVM Dan, Bocci) filiorum Dan, princeps Bocci.

DE tribu Manaſſe, Haniel) De tribu filiorum Manaſſe, princeps Haniel.

DE tribu Ephráim, Camuel) De tribu filiorum Ephráim, princeps Camuel.

DE tribu Zabulon, Eliſaphan) De tribu filiorum Zabulon, princeps Eliſaphā

DE tribu Iſſachar,) De tribu filiorum Iſſachar.

DE tribu Aſer, Ahiud) De tribu filiorum Aſer, princeps Ahiud.

DE tribu Nephthali, Phedael) De tribu filiorū Nephthali, princeps Phedael.

VT diuiderent filiis Iſrael Terram-Chanáan.) vt diuiderent hæreditatem filiis Iſrael in Terra-Chanáan.

CAP. XXXV.

HAEC quoque locutus eſt Dominus ad Moyſen in campeſtribus Moab ſupra Iordanem,'contra Iericho,‖Præcipe filiis Iſrael vt dent Leuitis 'de poſſeſſioni- Ioſue 21.a.
bus ſuis vrbes ad habitandum,& 'ſuburbana earum per circuitum: vt ipſi in oppidis maneant,& ſuburbana ſint pecoribus ac 'iumentis:quæ à muris ciuitatum forinſecus,per circuitum mille 'paſſuum ſpatio tendentur.contra Orientem duo millia erunt cubiti, & contra Meridiem ſimiliter erunt duo millia: ad Mare quoque quod reſpicit ad Occidentem,eadem menſura erit,& Septentrionalis plaga æquali termino finietur. erúntque vrbes
in medio, '& foris ſuburbana. ‖De ipſis autem oppidis, Ioſue 21.a. deut.4 g.
quæ Leuitis dabitis, ſex erunt in fugitiuorum auxilia ſeparata, vt fugiat ad ea qui fuderit ſanguinē: & exceptis his alia quadragintaduo 'oppida,id eſt ſimul quadragintaocto cum ſuburbanis ſuis. Ipſǽque vrbes quæ dabuntur de poſſeſſionibus filiorum Iſrael,ab his qui plus habent, plures auferentur: & qui minus,pauciores. ſinguli iuxta mēſuram hæreditatis ſuæ dabunt oppida Leuitis.

CONTRA Iericho,) Id eſt,ea parte qua non multum diſtat à Iericho.
DE poſſeſſionibus ſuis) de hæreditate quam poſſeſſuri ſunt.
SVBVRBANA earum per circuitum:) Id eſt,prædia adiacentia vrbibus.
IVMENTIS:quæ à &c.) iumentis eorum omnibus:quæ à &c.
PASSVVM) cubitorum.
ET foris ſuburbana.) Iſta menſura erit ſuburbiis ciuitatum.Quæ ſcilicet ſuburbia in circuitu vrbium aſſignabuntur Leuitis.
OPPIDA,) Addendum,dabitis.

Ait Dominus ad Moyſen, Loquere filiis Iſrael,& 'dices ad eos, ‖'Quando tranſgreſſi fueritis Iordanem in Deut.19.a. ioſue 20.a.
Terram-Chanáan,decernite quæ vrbes eſſe debeant 'in præſidia fugitiuorum,qui nolētes, ſanguinem fuderint: in quibus cum fuerit prófugus,cognatus occíſi non poterit eum occidere, 'donec ſtet in conſpectu multitudinis,& cauſa illius iudicetur.'De ipſis autem vrbibus quæ ad fugitiuorum ſubſidia ſeparantur,tres erunt trans Iordanem,& tres in Terra-Chanáan,tam filiis Iſrael,quàm

aduenis atque peregrinis, vt cõfugiat ad eas qui nolens, ſanguinem fuderit.

DICES) dic.

QVANDO tranſgreſſi fueritis Iordanem in Terram-Chanáan,) Id eſt, Quando tranſieritis Iordanem vt ingrediamini Terram-Chananæorum.

Vltor ſanguinis. IN præſidia fugitiuorum, &c. donec ſtet) in quas profugiat homicida qui quẽpiam per imprudentiam occiderit: erúntque vobis vrbes illæ in aſylum ab vltore ſanguinis: neque morietur homicida donec ſtet &c. Vltorem ſanguinis vocat cõſanguineos interfecti.

DONEC ſtet in conſpectu multitudinis, & cauſa illius iudicetur.) Id eſt, donec tota congregatio cognouerit de tota cauſa.

DE ipſis autem vrbibus) De ipſis autem ſex vrbibus &c.

'Siquis ferro percuſſerit, & mortuus fuerit qui percuſſus eſt: 'reus erit homicidii, & ipſe 'morietur. Si lapidem iecerit, & ictus occubuerit: 'ſimiliter punietur. 'Si ligno percuſſus interierit: percuſſoris ſanguine vindicabitur. "Propinquus occíſi, homicidam interficiet: 'ſtatim vt ap-

Deut. 19. c. prehenderit eum, interficietur. ‖Si per odium quis hominem 'impulerit, vel iecerit quippiam in eum 'per inſidias: aut cum eſſet inimicus, manu percuſſerit, & ille mortuus fuerit: percuſſor, homicidii 'reus erit. cognatus occíſi 'ſtatim vt inuenerit eum, iugulabit.

SIQVIS ferro) Siquis autem aliquem ferro &c.

REVS erit homicidii,) homicida eſt.

MORIETVR.) interficietur.

SIMILITER punietur.) homicida eſt, & ſimiliter interficietur.

SI ligno &c.) Aut, ſiquis inſtrumẽto ligneo quod manu geſtauerit, vnde quis occidi poteſt, percuſſerit aliquẽ, & mortu' fuerit, homicida eſt, & morte punietur.

PROPINQVVS occiſi, homicidam interficiet:) Id eſt, licebit cognato occiſi cauſa cognita homicidam interficere.

STATIM vt apprehenderit eum, interficietur.) Cum occurrerit ei, interficere illum poterit. Paruum exemplar & Latũ S. Germani, legunt interficiet, actiue.

IMPVLERIT,) Vel, è ſublimi præcipitauerit.

PER inſidias:) Vel, de induſtria.

REVS erit) Addendum, & interficietur.

STATIM vt inuenerit eum, iugulabit) interficere poterit homicidam illũ quum occurrerit illi.

Quòd ſi 'fortuitu, '& abſque odio, & inimicitiis 'quicquam horum fecerit, & hoc audiente populo fuerit cõprobatum, atque inter percuſſorem & propinquum ſanguinis quæſtio ventilata: liberabitur innocens de vltoris manu, & reducetur per ſententiam in vrbem ad quã confugerat, manebítque ibi, donec ſacerdos magnus, qui

oleo ſancto vnctus eſt, moriatur. 'Si interfector extra fines vrbium quæ exulibus deputatæ ſunt, fuerit inuentus, & percuſſus ab eo qui vltor eſt ſanguinis: abſque noxa erit qui eum occiderit. debuerat enim prófugus vſque ad mortem Pōtificis 'in vrbe reſidere. poſtquam autem ille obierit, homicîda reuertetur in terram ſuam. 'Hæc ſempiterna erunt, & legitima in cunctis habitationibus veſtris.

FORTVITV,) Vel, repente.

ET abſque odio,) Coniunctio iſta ET, non legitur in Paruo exemplari S. Germani.

QVICQVAM horum fecerit, &c. manebítque) impulerit aliquem, aut coniecerit in eum quoduis inſtrumentum per imprudentiam: aut quęcunque lapidem quo quis mori poteſt, cadere fecerit ſuper aliquem quem non videbat, vnde moriatur: ſi non proſequebatur illum odio, neque ſtudebat illum interficere: Tūc iudicabit congregatio inter percutientem & cognatum interempti ſecundum iura iſta, Liberabit congregatio homicidam è manu propinqui occiſi, reducétque eum in vrbem ad quam confugerat, manebítque ibi &c. Intelligunt hîc Hebræi per congregationem, non totam multitudinem, ſed ſenatores & ſummos in vrbe iudices. Congregatio

SI interfector &c. debuerat) Quòd ſi egreſſus fines vrbis aſyli ſui quo confugerat, inuentus fuerit à cognato interempti extra limites vrbis ipſius perfugii, interemerítque ipſe propinquus ſanguinis homicidam illum, non imputabitur ei ſanguis: debuerat enim &c. Id eſt, impune feret, non morietur ille propinquus.

IN vrbe reſidere.) in vrbe aſyli ſui reſidere &c. Id eſt, debebat habitare, & ſe continere in ea vrbe ad quam perfugerat euadendæ mortis cauſa.

HAEC ſempiterna erunt, &c. Homicida.) Hæc erunt vobis in ſtatutum iudicii per ætates veſtras in omnibus habitationibus veſtris. Id eſt, Hæc erunt vobis iura. Vel, hæ leges erunt vobis quandiu vixeritis, & vbicunque habitaueritis.

'Homicîda ſub teſtibus punietur: ad vnius teſtimoniū nullus condemnabitur. "Non accipietis pretium ab eo qui reus eſt ſanguinis, ſtatim & ipſe morietur. 'Exules & prófugi ante mortem Pontificis nullo modo in vrbes ſuas reuerti poterūt: Ne polluatis Terram habitationis veſtræ 'quæ inſontium cruore maculatur: 'nec aliter expiari poteſt, niſi per eius ſanguinem qui alterius ſanguinem fuderit. "Atque ita emundabitur veſtra poſſeſſio me commorante vobiſcū. ego enim ſum Dominus qui habito inter filios Iſrael.

HOMICÎDA ſub teſtibus punietur:) Omnis qui percuſſerit aliquem, ad verbum teſtium occidet homicidam. Hoc de iudice intelligitur. quaſi dicat, magiſtratus neminē morti adiudicabit ſolo teſte producto, ſed pluribus. Sequentibus verbis ſeipſum declarat, Ad vnius teſtimonium &c.

Anima pro vita. Impius ad moriendum.

NON accipies pretium &c.Exules) Non accipies pretium pro anima homicidæ,qui eſt impius ad moriendum:ſed interfici debet. Exules &c. Animã pro vita accipit. Præterea, impium ad moriendum vocat tropo Hebraico, impium dignum morte.

EXVLES & prôfugi &c. Ne polluatis) Neque accipietis pretium vt ſinatis fugere aliquem ad ciuitatem aſyli ſui,vt reuertatur ad habitandum in ipſa terra (ſub aſyli ſui) donec moriatur ſummus ſacerdos. Ne polluatis &c. Huius verſus interpretatio petenda eſt ex verbis paulo ſuperioribus, vbi de eo qui imprudens occidiſſet hominem,loquitur,his verbis ex Hebræo,Liberabit congregatio homicidam è manu propinqui occiſi, reducétque eum in vrbem ad quam confugerat : manebítque ibi,donec &c.

QVAE inſontium cruore maculatur :) quia homicidium iſtud polluit regionem.

NEC aliter expiari poteſt,) Addendum,ab homicidio quod cõmiſſum eſt in ea,niſi &c.

ATQVE ita emundabitur &c.) Non igitur polluetis terram in qua habitatis:quoniam ego ſum in medio eius:ego inquam Dominus habito in medio filiorum Iſrael.

CAP. XXXVI.

ACCESSERVNT autem & principes" familiarum Galaad filii Machir,filii Manaſſe de ſtirpe filiorum Ioſeph: locutíque ſunt Moyſi "coram principibus
5.27.a. Iſrael, atque dixerunt, ‖Tibi domino noſtro præcepit Dominus vt Terrã ſorte diuideres filiis Iſrael,& vt filiabus Salphaad fratris noſtri dares poſſeſſionem debitam patri:quas ſi alterius tribus homines vxores acceperint, "ſequetur poſſeſſio ſua, & tranſlata ad aliam tribum, de noſtra hæreditate minuetur:"atque ita fiet, vt quũ iubileus,id eſt quinquageſimus annus remiſſionis "aduenerit, confundatur ſortium diſtributio,& aliorum poſſeſſio ad alios tranſeat.

FAMILIARVM Galaad) maiorum è familia filiorum Galaad.

CORAM principibus Iſrael,) coram principibus,capitibus filiorum Iſrael.

SEQVETVR poſſeſſio &c. Atque ita) ſequetur poſſeſſio ſua: detrahetúrque hæreditas eorum de hæreditate patrum noſtrorum,& addetur hæreditati tribus eorum quibus nupſerint,& de poſſeſſione noſtra quæ nobis ſorte obuenerit, diminuetur.atque ita fiet &c.

ATQVE ita fiet,vt quum &c.Reſpondit) Et quum erit iubileus filiis Iſrael,addetur hæreditas earum hæreditati tribus quibus nupſerint:& de hæreditate tribus maiorum noſtrorum imminuetur hæreditas earum.

Reſpondit Moyſes filiis Iſrael,& Domino præcipiente ait,Rectè tribus filiorũ Ioſeph locuta eſt. Et hæc lex
Tobiæ 7.d. ſuper filiabus Salphaad à Domino promulgata eſt,‖Nubant quibus volunt, tantùm vt ſuæ tribus hominibus,

ne commiſceatur poſſeſſio filiorum Iſrael de tribu in tribum. Omnes enim viri ducẽt vxores de tribu & cognatione ſua: & cũctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, vt hæreditas permaneat in familiis, nec ſibi miſceantur tribus, ſed ita maneant vt à Domino ſeparatæ ſunt. Fecerúntque filiæ Salphaad vt ſibi fuerat imperatum: & nupſerũt Maala, & Therſa, & Hegla, & Melcha, & Noa filiis patrui ſui de familia Manaſſe, qui fuit filius Ioſeph: & poſſeſſio quæ illis fuerat attributa, manſit in tribu & familia patris earum. Hæc ſunt mandata atque iudicia quæ mandauit Dominus per manum Moyſi ad filios Iſrael, in campeſtribus Moab ſupra Iordanẽ contra Ierichó.

OMNES enim viri &c. Fecerúntque) nam filii Iſrael ſinguli adhærebunt tribui patrum ſuorum. Et omnis filia quæ adierit hæreditatem paternam, de tribubus filiorum Iſrael: nubet vni de cognatione tribus paternæ: vt poſſideant filii Iſrael ſinguli hæreditatem patrum ſuorum: Vt non transferatur hæreditas de vna tribu in aliam: quia tribus filiorum Iſrael poſſidere debent ſinguli hæreditatem paternam. Fecerúntque &c.

VT ſibi fuerat imperatũ:) vt præceperat Dominus Moyſi. Pronomen SIBI, non legitur in vetuſtioribus Latinis codicibus S Germani & Dionyſii.

PATRVI ſui de familia &c.) patruorum ſuorum, qui erant de familia &c.

MANDAVIT) præcepit. Sic legitur in vetuſtioribus exemplaribus S. Dionyſii, Germani & Victoris.

CONTRA Ierichó.) qua parte non procul abeſt à Ierichó.

Annotationes in Deu-
TERONOMIVM.

DEVTERONOMIVM, HEBRAICE ELLE HADDEBARIM.

Quintus liber Moyſi Græce dicitur τὸ δευτερονόμιον, à δεύτερον, id eſt ſecũdo: & νόμος, id eſt lex: quòd in eo æquiſſimus ille & abſolutiſſimus Decalogus, qui propriè nomine τοῦ νόμου id eſt legis, intelligitur, promulgetur ab integro & ſanciatur, ipſo Moyſe præcone & interprete. Hebraicè vero nomẽ habet ELLE HADDEBARIM vltimus hic Moyſi liber, à primis illius vocibus.

אֵלֶּה הַדְּבָרִים

CAP. I.

HAEC ſunt verba quæ locutus eſt Moyſes ad omnẽ Iſrael trans Iordanem 'in ſolitudine campeſtri, cõtra Mare-rubrum, inter Pharan & Thophel & Laban & Haſeroth, "vbi auri eſt plurimum. 'vndecim diebus de Horeb per viam montis Seir vſque ad Cadeſ-barne.

IN ſolitudine campeſtri,) in planitie campeſtri. Vel, in loco campeſtri.
VBI auri eſt plurimum.) & DI-zaab. Nomen loci.
VNDECIM diebus) vndecim dies ſunt. Chaldæus paraphraſtes vertit, Vndecim dierum iter eſt ab Horeb, &c. Horeb eſt Sinai, vel mons ei propinquus.

Horeb.

Quadrageſimo anno, vndecimo menſe, prima die menſis locutus eſt Moyſes ad filios Iſrael 'omnia quæ

Num 21.c.

præceperat illi Dominus vt diceret eis: ¶ 'poſtquam percuſſit Sehon regem Amorrhæorum, qui 'habitauit in Heſebon: & Og regem Baſan, qui 'mãſit in Aſtaroth, "& in Edrái: 'trans Iordanem in Terra-Moab, Cœpítque Moyſes explanare legem, & dicere, Dominus Deus noſter locutus eſt ad nos in Horeb, dicens, 'Sufficit vobis quòd in hoc monte manſiſtis: "reuertimini, & venite ad montẽ Amorrhæorũ, & 'ad cætera quæ ei proxima ſunt, campeſtria atque montana & humiliora loca contra Meridiem, & 'iuxta litus maris, Terram-Chananæorũ, & 'Libani vſque ad flumen magnum Euphraten. 'En, inquit, tradidi vobis: ingredimini & poſſidete eam, ſuper qua "iurauit Dominus patribus veſtris Abraham, Iſaac, & Iacob, 'vt daret illam eis, & ſemini eorum poſt eos.

OMNIA quæ præceperat) ſecundum omnia quæ præceperat. Id eſt, prorſus vt præceperat.

POSTQVAM percuſſit) poſteaquam percuſſerat. Vel, expugnauerat. Subaudi, Dominus.

HABITAVIT) habitabat.

MANSIT) habitabat.

ET in Edrai:) Non legitur ET apud Hebræos. Quidam referunt iſtud Edrai, ad principium verſus, Poſteaquam percuſſerat Dominus in Edrai. Num.20.

TRANS Iordanem in Terra-Moab, Cœpitque Moyſes explanare legem, &c. Hic eſt principium verſus apud Hebræos, ſicque legendum eſt, Trans Iordanem in Terra-Moab cœpit Moyſes declarare legem, &c.

SVFFICIT vobis quòd in hoc monte manſiſtis:) Vel, Sufficiat vobis hactenus habitaſſe in monte hoc.

REVERTIMINI,) Diſcedite & proficiſcimini.

IVXTA litus) ad portus. Id eſt, ad litora maioris in quibus ſunt portus.

LIBANI) ad Libanum.

EN, inquit, tradidi vobis, &c.) Videte, inquit, poſui ante vos terram. Quaſi dicat, Licet vobis eam poſſidere.

IVRAVIT Dominus) Hebraiſmus, pro, iuraui ego. Et paulò poſt, Vt daret, pro, Me daturum. Mutatio perſonæ primæ in tertiam.

¶ᶠDixíque vobis illo in tempore, Non poſſum ſolus Exod.18.c.
ſuſtinere vos: quia Dominus Deus veſter multiplicauit vos, & eſtis hodie ſicut ſtellæ cæli, plurimi. (Dominus Deus patrum veſtrorum addat ad hunc numerum multa milia, & ᶠbenedicat vobis ſicut locutus eſt.) Non valeo ſolus ᶠnegotia veſtra ſuſtinere, & pondus ac iurgia. Date ex vobis viros ſapientes & ᶠgnaros, quorũ conuerſatio ſit probata in tribubus veſtris, vt ponam eos vobis principes. Tũc reſpondiſtis mihi, Bona res eſt quam vis facere. Tuliſqueᶠ de tribubus veſtris viros ſapientes & nobiles, & conſtitui eosᶠ principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios ac decanos, ᶠqui docerent vos ſingula. ᶠPræcepíque eis, dicens, Audite illos, & ¶quod iuſtum eſt iudicate: ſiue ciuis ſit ille, ſiue peregrinus. ¶ᶠNulla erit diſtantia perſonarum, ita paruum audietis vt magnũ: ᶠnec accipietis cuiuſquam perſonam, quia Dei iudicium eſt. Quòd ſi difficile vobis viſum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam. Præcepíſque omnia quæ facere deberetis.

Ioh 7.d.
3.16.d.
leuit.19.c.
prouerb.24.c.
eccli.42.a.
iacob.2.a.

DIXÍQVE vobis illo in tempore.) Iam verò dixeram vobis in illo tempore. Vel, olim.

BENEDICAT vobis) Id eſt, faueat vobis, quemadmodum dixit. Benedicere.

NEGOTIA veſtra) moleſtias veſtras.Quibus me ſcilicet afficitis.

GNAROS,) prudentes.

QVORVM &c.) & quorum &c. Sic legitur in Oblongo S. Dionyſii,& item Paruo S.Germani.

DE tribubus veſtris viros) de tribubus veſtris principes,viros &c.

PRINCIPES, tribunos) principes ſuper vos,tribunos &c.

QVI docerent vos ſingula.) & præfectos tribuum veſtrarum.

PRAECEPIQVE eis,dicens,&c.Nulla) Præcepique iudicibus veſtris in illo tempore,dicens,Audite res controuerſas in ter fratres veſtros,& iuſte iudicate inter virum & fratrē eius,& inter peregrinum eius.Nulla &c. Id eſt,inter quoſcunque, ſiue ciues fuerint,ſiue peregrini, vel proſelyti. Docte Hebraiſmum reddidit interpres.

NVLLA erit diſtantia perſonarum,) Non agnoſcetis faciem in iudicio.Id eſt, quum erit iudicandum, non conſyderabitis perſonam quæ litigat, diues ſit, an pauper.

NEC accipictis cuiuſquam perſonam,) neque timebitis vobis à quoquam.

Profecti autem de Horeb, tranſiuimus 'per eremum terribilem & maximam "ſolitudinem'quam vidiſtis,per viā montis Amorrhæi,ſicut præceperat Dominus Deus noſter nobis. Cūmque veniſſemus in Cadeſ-barne, dixi vobis, Veniſtis ad montem Amorrhæi,quem Dominus "Deus veſter daturus eſt vobis. Vide Terrā quam Dominus Deus tuus dabit tibi:aſcende & poſſide eam, ſicut "locutus eſt Dominus 'Deus noſter patribus tuis: noli timere,nec quicquām paueas. Et acceſſiſtis ad me omnes,atque dixiſtis,"Mittamus viros qui conſyderent Terram : & 'renuntient pēr quod iter debeamus aſcendere, & ad quas pergere ciuitates.Cúmque mihi ſermo placuiſſet,miſi ex vobis duodecim viros,ſingulos de tribubus ſuis.Qui cum perrexiſſent,& aſcendiſſent in mō tana, venerunt vſque ad Vallem-botri : & conſyderata terra ſumentes de fructibus eius, 'vt oſtenderent hubertatem,attulerunt ad nos,atque dixerunt,Bona eſt Terra quam Dominus Deus noſter daturus eſt nobis.

PER eremum) per omnem illam eremum.

SOLITVDINEM) Hæc dictio non legitur in Latis codicibus & Paruo S. Germani & Dionyſii.

Quā vidiſtis. QVAM vidiſtis:) Id eſt,quæ ſatis ſupérque nota eſt vobis.

DEVS veſter daturus eſt vobis.) Deus noſter daturus eſt nobis. Pronomina primæ perſonæ.Ita in veteribus Latinis codicib⁹ S.Dionyſii & Germani legitur.

VIDE Terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi.) Vide,dedit Dominus Deus tuus ante te Terram.Quaſi dicat,Ecce, Dominus offert tibi terram quam pollicitus eſt tibi.Vetera exemplaria S.Dionyſii,& Germani legunt,dat tibi,præſenti temporē.

LOCVTVS eſt) Id eſt, promiſit.
DEVS noſter patribus tuis:) Deus patrum tuorum tibi.
MITTAMVS viros) Addendum, ante nos, Mittamus viros ante nos qui &c.
RENVNTIENT per quod, &c.) Vel, referãt nobis rem, & per quod iter &c. Id eſt, afferant nobis reſponſum.
VT oſtenderent hubertatem,) Hæc verba non leguntur apud Hebræos.

Et noluiſtis aſcendere, ſed 'increduli ad ſermonē Domini "Dei noſtri murmuraſtis in tabernaculis veſtris, atque dixiſtis, Odit nos Dominus, & idcirco eduxit nos de Terra-AEgypti, vt traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret. Quò aſcendemus? 'nuntii terruerunt cor noſtrum, dicentes, 'Maxima multitudo eſt, & nobis ſtatura procerior: vrbes magnæ, & ad cælum vſque munitæ, 'filios enacim vidimus ibi. Et dixi vobis, Nolite 'metuere, nec timeatis eos: Dominus Deus qui ductor eſt veſter, pro vobis ipſe pugnabit, ſicut fecit in AEgypto 'cunctis videntibus, '& in ſolitudine ipſi vidiſtis. Portauit te Dominus Deus tuus, vt ſolet homo geſtare paruulum filium ſuum, in omni via per quam ambulaſtis, donec veniretis ad locum iſtum. Et nec ſic quidem credidiſtis Domino Deo veſtro, qui præceſſit vos in via, '& metatus eſt locum in quo tentoria figere deberetis, ‖nocte oſtendens vobis iter per ignem, & die per 'columnam nubis. Exod.13.d.

INCREDVLI ad ſermonem) repugnantes verbo. Vel, rebelles imperio Domini.
DEI noſtri) Dei veſtri. Secunda perſona. ita legit Complutenſis editio.
NVNTII terruerunt cor noſtrum,) fratres noſtri fregerunt nobis animos.
MAXIMA multitudo eſt, &c.) Maior eſt populus. Id eſt, numeroſior. Quaſi dicat, Vincit nos populus ille & numero & viribus.
FILIOS enacim) filios gigantum. Id eſt, gigantes vidimus illic.
METVERE) expaueſcere.
CVNCTIS videntibus,) vobis videntibus.
ET in ſolitudine ipſi vidiſtis Portauit te Dominus) Et quẽadmodum in ipſo deſerto, (ſub. fecit) vbi vidiſti quòd portauerit te Dominus &c.
ET metatus eſt locum) vt exploraret vobis locum &c.
PER columnam nubis.) per nubem.

‖Cúmque audiſſet Dominus vocem ſermonum veſtrorum, iratus iurauit & ait, Non videbit quiſpiam de hominibus generationis huius peſſimæ Terram bonam, Num.14.d.

quam ſub iuramēto pollicitus ſum patribus veſtris:præter Caleb filiū Iephone.ipſe enim videbit eā,& ipſi dabo Terram quam calcauit,& filiis eius, quia ʻſecutus eſt Dominum.ʻNec miranda indignatio in populum,cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit,‖Nec tu ingrediêris illuc: ſed Ioſûe filius Nun ʻminiſter tuus, ipſe intrabit ʻpro te.hūc exhortare & robora,& ipſe forte Terram diuidet Iſraeli. Paruuli veſtri,de quibus dixiſtis quòd ʻcaptiui ducerentur, & filii qui hodie boni ac mali ignorant diſtantiam,ipſi ingredientur:& ipſis dabo Terram,& poſſidebunt eam. Vos autem reuertimini,& abite in ſolitudinem per viam ʻMaris-rubri.

Num.20.b.

Sequi Deum. SECVTVS eſt Dominum.) perfecit vt iret poſt Dominum.Hebraiſmus, pro,perfecit mandata mea,ſequendo me.

NEC miranda &c.Nec tu). Mihi quoque iratus eſt Dominus propter vos, dicens,Nec tu &c.

Stare coram aliquo. MINISTER tuus,) Hebraice legitur, qui ſtat coram te: Id eſt, qui miniſtrat tibi.

Corroborare aliquem. PRO te.&c. Paruuli) in eam:hunc corrobora:is enim ſorte Terram diuidet Iſraeli.Paruuli &c.Corroborare aliquem,eſt iubere eum bono eſſe animo.

CAPTIVI ducerentur,) in direptionem futuri eſſent.

MARIS-rubri.) Vel,qua itur ad Mare-Suph,ſiue rubrum.

Num.14.f.

‖Et reſpondiſtis mihi,Peccauimus Domino:aſcendemus & pugnabimus,ʻſicut præcepit Dominus Deus noſter.ʻCúmque inſtructi armis pergeretis in montem,ait mihi Dominus,Dic ad eos,Nolite aſcendere,neque pugnetis:non enim ſum vobiſcum:ʻne cadatis coram inimicis veſtris. ʻLocutus ſum,& non audiſtis, ſed ʻaduerſantes imperio Domini, & tumentes ſuperbia aſcendiſtis in montem.Itaque egreſſus Amorrhæus, qui habitabat ʻin mōtibus, & obuiam veniens perſecutus eſt vos, ʻſicut ſolent apes perſequi:& ʻcecîdit de Seir vſque Horma.Cúmque reuerſi ploraretis coram Domino,non audiuit vos,nec voci veſtræ voluit acquieſcere.ʻSediſtis ergo in Cadeſ-barne multo tempore.

SICVT præcepit) prorſus vt nobis præcepit &c.

CVMQVE inſtructi armis pergeretis in montem,ait mihi Dominus,) Et ac-

cincti ſinguli armis veſtris bellicis,parati fuiſtis aſcendere in montem.Dixit autem Dominus ad me.

NE cadatis coram inimicis veſtris.) ne percutiamini ab inimicis veſtris.

LOCVTVS ſum) Addendum,vobis.

ADVERSANTES imperio Domini,) exacerbantes os Domini.Id eſt,repugnantes verbo Domini.

IN montibus,) in monte illo.

SICVT ſolent apes perſequi:) ſicut facere ſolent apes.Subaudi,irritatæ.

CECÎDIT) contriuit nos

SEDISTIS ergo in Cadeſ-barne multo tempore.) Habitaſtis ergo in Cades diebus multis:quanto tempore habitaueratis illic. Id eſt, diebus multis poſt reditum exploratorum manſiſtis illic, quot dies manſeratis ante regreſſum exploratorum.Hic Cades,pro Cadeſ-barnea poſitum eſt,vt & Numerorum cap.13.c. Dicitur & deſertum Pharan. Cades.

CAP. II.

PROFECTIQVE inde venimus in 'ſolitudinem, 'quæ ducit ad Mare-rubrũ,ſicut mihi dixerat Dominus: & circuiuimus montem Seir longo tempore. Dixítque Dominus ad me,Sufficit vobis 'circuire montem iſtum:ite cõtra Aquilonem.Et populo præcipe,dicens,'Tranſibitis per terminos fratrum veſtrorum filiorum Eſau, qui habitant in Seir, & timebunt vos: 'videte ergo diligenter ne moueamini contra eos. neque enim dabo vobis de terra eorum quantum poteſt vnius pedis calcare veſtigium: quia in poſſeſſionem Eſau dedi montem Seir. Cibos emetis ab eis pecunia, & comedetis: aquam emptam haurietis,& bibetis. 'Dominus Deus tuus 'benedixit tibi in omni opere manuum tuarum: nouit iter tuum, quomodo tranſieris ſolitudinem hanc magnam, per quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus,& nihil tibi defuit.

SOLITVDINEM,) Deſertum Sin intelligit.

QVAE ducit ad Mare-rubrum,) per viam Maris-rubri.

CIRCVIRE) circuiſſe.

TRANSIBITIS per terminos) Vel, Vos modo tranſituri eſtis per terminos fratrum &c.

VIDETE ergo diligenter ne moueamini contra eos.) cauete tamen ſummopere ne irritetis eos ad pugnam.Vel,ne lædatis eos.

DOMINVS Deus) Dominus enim Deus.

BENEDIXIT tibi in omni opere manuum tuarum:) Hebraiſmus,fauit tibi in omnibus quæ geſſiſti conſilio ſuo,non tuo. Benedicere in opere manuũ.

Cúmque tranſiſſemus fratres noſtros filios Eſau,qui

habitabant in Seir,per viam campeſtrem,de Elath,& de Aſion-gaber, venimus ad iter quod ducit in deſertum Moab.Dixítque Dominus ad me, Non pugnes contra Moabitas,nec ineas aduerſus eos prælium: nõ enim dabo tibi quicquam de Terra eorum,quia filiis Lot tradidi Ar in poſſeſſionem.'Emim primi fuerunt habitatores eius, populus magnus & validus, & tam excelſus vt de Enacim ſtirpe,quaſi gigantes,crederentur,& eſſent ſimiles filiorum enacim.denique Moabitæ appellant eos Emim. In Seir autẽ prius habitauerunt "Horrim: "quibus expulſis atque deletis habitauerunt filii Eſau, ſicut fecit Iſrael "in Terra poſſeſſionis ſuæ,quã dedit illi Dominus.

EMIM primi fuerunt &c.In Seir) Gigantes antea habitabant in ea, (ſub.terra Moabitarum) populus magnus & multus & proceræ ſtaturæ inſtar gigantum. Gigantes reputabantur etiam ipſi velut Enacim: & Moabitæ vocare ſolent tales,Emim.In Seir &c.

HORRIM:) Horrhæi.ita legit Complutenſis editio.

QVIBVS expulſis atque deletis,habitauerunt filii Eſau,) quorum poſſeſſiones adierunt filii Eſau,& perdiderũt eos à facie ſua,habitaueruntque loco ipſorũ.

IN Terra poſſeſſionis ſuæ,) Vel,in terra quam poſtea poſſedit.

'Surgentes ergo vt tranſiremus torrentem Zared,venimus ad eum.Tempus autẽ quo ambulauimus de Cadeſ-barne vſque'ad tranſitũ Zared,triginta & octo annorum fuit: donec conſumeretur omnis"congregatio hominum bellatorum de caſtris, ſicut "iurauerat Dominus: "cuius manus fuit aduerſum eos, vt interirent de caſtrorum medio.

SVRGENTES ergo vt tranſiremus torrentem Zared, venimus ad eũ.) Nũc ſurgite & tranſite torrentem Zared.Itaque tranſiuimus ipſum torrentem Zared. Subaudienda ſunt aliquot verba: cuiuſmodi, Dixíque eis. poſtea ſequatur, Nunc ſurgite &c.

AD tranſitum Zared,) ad tranſitum torrentis Zared.Sic etiam legunt vetera exemplaria S.Germani,& Dionyſii.

CONGREGATIO) generatio. ita legimus in vetuſtioribus Latinis codicibus S.Germani,Dionyſii & Victoris.

IVRAVERAT Dominus:) iurauerat eis Dominus.

CVIVS manus &c.Poſtquam) Et etiam manus Domini fuit in eis,vt perderet eos de medio caſtrorum, donec abſumerentur. Poſtquam &c. Manum Domini vocat virtutem ipſius qua perduxit eos per deſerta.

Manus Domini.

Poſtquam autem vniuerſi ceciderunt 'pugnatores,lo-

cutus eſt Dominus ad me, dicens, Tu tranſibis hodie terminos Moab, vrbem nomine Ar: & accedens in vicinia filiorum Ammon, caue ne pugnes contra eos, nec mouearis ad prælium. non enim dabo tibi de Terra filiorum Ammon, quia filiis Lot dedi eã in poſſeſſionem. Terra gigantum reputata eſt: & in ipſa olim habitauerunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zommim, populus magnus, & proceræ longitudinis, ſicut enacim, quos deleuit Dominus à facie eorum: & fecit illos habitare pro eis, ſicut fecerat filiis Eſau, qui habitãt in Seir, delens Horrhæos, & Terram eorum illis tradens, quam poſſident vſque in præſens. Heuæos quoque qui habitabant in Haſerim vſque Gazam, Cappadoces expulerũt: qui egreſſi de Cappadocia deleuerunt eos, & habitauerunt pro illis. Surgite, & tranſite torrentem Arnon: ecce tradidi in manu tua Sehon regem Heſebon Amorrhæum, & Terram eius incipe poſſidere, & committe aduerſus eum prælium. Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos qui habitant ſub omni cælo: vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiſcant, & dolore teneantur.

PVGNATORES, locutus eſt) pugnatores de medio populi, locutus eſt &c.
IN vicinia) in vicina. Accuſatiuo caſu pluralis numeri. Hoc pacto legitur in vetuſtiſſimis Latinis codicibus S. Germani & Dionyſii, in Complutenſi quoque & Baſilienſi editione.
AD prælium.) ad prælium contra eos.
DABO tibi) Adde ex Hebræo, hæreditatem aliquam.
REPVTATA eſt:) habita fuit etiam ipſa.
ZOMMIM,) Vtrunque Latum exemplar S. Dionyſii & Germani, item paruũ eiuſdem legunt Zomzommim.
POPVLVS magnus,) Adde ex Hebræo, multus: hoc modo, popul⁹ magnus, multus, & proceræ longitudinis.
SICVT enacim, quos) inſtar gigantum, quem. Scilicet populum.
ET fecit illos habitare pro eis,) ſucceſſeruntque eis in hæreditate, & habitauerunt loco ipſorum.
CAPPADOCES &c. Surgite) & Caphthorim qui egreſſi ſunt de Caphthor, perdiderunt, & ſedes eorum occupauerunt. Vel, Et Cappadoces qui egreſſi ſunt de Cappadocia, perdiderunt, & habitauerunt loco ipſorum.
ECCE tradidi in manu tuã Schon regem &c.) Alloquitur Moyſen.
ET in morem &c. Miſi) & timeant à facie tua. Miſi &c.

Num.21.c. ‖Miſi ergo nuntios de ſolitudine Cademoth ad Sehon regem Heſebon verbis pacificis, dicens, 'Tranſibimus per Terram tuam, publica gradiemur via: non declinabimus neque ad dextram, neque ad ſiniſtram. Alimenta pretio vende nobis, vt veſcamur: aquã pecunia tribue, & ſic bibemus. 'tantum eſt vt nobis concedas tranſitũ, ſicut fecerunt filii Eſau, qui habitant in Seir, & Moabitæ qui morantur in Ar: 'donec c veniamus ad Iordanem, & tranſeamus ad Terrã quam Dominus Deus noſter daturus eſt nobis. Noluítque Sehon rex Heſebon dare nobis 'tranſitum: quia indurauerat Dominus Deus tuus ſpiritum eius, & obfirmauerat cor illius, 'ita vt traderetur in manus tuas, ſicut nunc vides.

TRANSIBIMVS) Tranſibo. Singulari numero legitur etiam in Paruo exemplari S. Germani. ſic etiam verba ſequentia, gradiar, declinabo, vende mihi vt veſcar, bibam, veniam, & tranſeam. Singulare tamen eſt pro plurali. Vertendum autem futurũ præſentis per futurum optatiui, ſiue per præſens coniunctiui, Tranſeam per terram tuam. quaſi dicat, Tranſire nobis liceat per &c.

TANTVM eſt vt concedas nobis tranſitum,) tantummodo cõcede vt tranſeam pedibus meis.

DONEC veniamus ad Iordanem, & tranſeamus ad Terram) donec tranſiero Iordanem, vt ingrediar terram &c.

Per ſe. TRANSITVM: quia &c.) tranſitum per ſe: quia &c. Per ſe, id eſt per patriam ſuam.

ITA vt traderetur in manus tuas, ſicut nunc vides.) vt traderet eum in manu tua, ſicut eſt dies hæc. Id eſt, vt traderet eum tuæ poteſtati, ſicuti eſt hodie.

Amos 2.c. Dixítq; Dominus ad me, ‖Ecce, cœpi 'tibi tradere Sehon & Terram eius, incipe poſſidere eam. Egreſſúſque eſt Sehon obuiam nobis cum omni populo ſuo ad prælium in Iaſa. Et tradidit eũ Dominus Deus noſter nobis: percuſſimúſque eum cum filiis ſuis & omni populo ſuo. Cunctáſque 'vrbes in tempore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum, viris ac mulieribus & paruulis. 'non reliquimus in eis quicquã. Abſque iumẽtis, quæ in partem venere prædantium: & ſpoliis vrbium, quas cepimus ab Aroer, 'quæ eſt ſuper ripam torrentis Arnõ, 'oppido quod in valle ſitum eſt, vſque Galaad. Non fuit vicus & ciuitas 'quæ noſtras effugeret manus: omnes tra

didit Dominus Deus noſter nobis.'Abſque terra filiorũ Ammon,ad quam non acceſſimus: & cunctis quæ adiacent torrenti Ieboc,& vrbibus mõtanis,vniuerſiſque locis,à quibus nos prohibuit Dominus Deus noſter.

TIBI tradere) Hebraice legitur,dare coram te.Id eſt,in poteſtatẽ tuã tradere.

VRBES in tempore) vrbes eius in tempore &c.

NON reliquimus &c.quas cepimus) non reliquimus in eis ſuperſtitem. Verũ iumenta diripuimus nobis & ſpolia vrbium,quas cepimus &c.

QVAE eſt ſuper ripam torrentis) Vel,quæ ſita eſt ad oram vallis.

OPPIDO quod in valle ſitum eſt,) Præponendum eſt ET, ſic, Et oppido. Ita etiam legimus in Paruo exemplari S.Germani.Vertendum eſt autem,Imò ab ea vrbe quæ ſita eſt in ipſo torrente,vſque Galaad.

QVAE noſtras effugeret manus:) Hebraice legitur ad verbum, Quæ exaltauerit ſeſe à nobis.Id eſt, quæ ita natura loci munita fuerit, vt à nobis expugnata non fuerit.

ABSQVE terra filiorum &c.) Verum ad terram filiorũ Ammon non acceſſiſti,id eſt ad omnem tractũ torrentis Ieboc, neque ad ciuitates montanas, neque ad omnia quæ prohibuerat Dominus Deus noſter. Quòd ait,Non acceſſiſti: ſignificat,Non inuaſiſti terram Ammon,Nihil cepiſti de regione Ammonitarũ. Singulare eſt pro plurali,acceſſiſtis.

CAP. III.

ITAQVE conuerſi aſcendimus per iter Baſan: egreſſúſque eſt Og rex Baſan in occurſum nobis cũ populo ſuo ad bellandum in Edrái.Dixítque Dominus ad me,Ne timeas eũ:quia in manu tua'traditus eſt cum omni populo ac terra ſua: faciéſque ei ſicut feciſti Sehon regi Amorrhæorũ,'qui habitauit in Heſebon.Tradidit ergo Dominus Deus noſter in manibus noſtris etiam Og regem Baſan,& vniuerſum populum eius:percuſſimúſque eos vſque ad internecionem,'vaſtantes cũctas ciuitates illius'vno tempore.non fuit oppidũ quod nos effugeret: ſexaginta vrbes, omnem regionẽ'Argob regni Og in Baſan.'Cunctæ vrbes erant munitæ muris altiſſimis,portíſque & vectibus,abſque oppidis innumeris quæ non habebãt muros.'Et deleuimus eos,ſicut feceramus Sehon regi Heſebon,diſperdentes omnem ciuitatem,viróſque ac mulieres & paruulos: iumenta autem & ſpolia vrbium'diripuimus.Tulimúſq; illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, 'qui erant trans Iordanem: à torrente Arnon vſque ad

I.29.b. num.21.g. Num.21.e. Num.21.g.

montem Hermon, quem Sidonii Sarion vocant, & Amorrhæi Sanir: 'omnes ciuitates quæ ſitæ ſunt in planitie, & vniuerſam Terram-Galaad & Baſan vſque ad Selcha, & Edrái ciuitates regni Og in Baſan. Solus quippe Og rex Baſan 'reſtiterat de ſtirpe gigantum. 'Et monſtratur lectus eius ferreus, qui eſt in Rabbath filiorum Ammon, nouẽ cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad menſuram 'cubiti virilis manus.

TRADITVS eſt) tradidi illum. Vel, traditurus ſum illum.

QVI habitauit) qui habitabat.

VASTANTES) accipientes.

VNO tempore, &c. omnem regionẽ) in illo tempore non fuit vlla vrbs quã non cepérimus ab eis, nempe ſexaginta vrbes, omnem regionem &c.

Argob. ARGOB) Chaldæus paraphraſtes vertit pro Argob, Trachonitidem regionẽ. Quaſi dicat, ſexaginta vrbes cepimus, omne ſcilicet regnum Argob, id eſt regnum Og, qui regnabat in Baſan.

CVNCTAE vrbes) Cunctæ iſtæ vrbes.

ET deleuimus eos,) Et deleuimus ea. Id eſt, vrbes munitas, & non cinctas muro. Vel eſt relatiuum fœmininum, EAS, quod referet vrbes.

DIRIPVIMVS.) Adde ex Hebræo, nobis.

QVI erant trans Iordanem:) quæ (ſcilicet terra, ſiue regio) eſt vltra Iordanẽ. Habita ſcilicet ratione terræ ſanctæ Ieruſalem.

OMNES) Subaudiendum, Tulimus inquam: vt ſic legas, Tulimus inquam omnes ciuitates &c.

RESTITERAT de ſtirpe gigantum.) reliquus erat de reſiduo gigantum.

ET mõſtratur &c.) cuius lectus, erat lectus ferreus: nõnne eſt in Rabbath &c.

CVBITI virilis manus,) cubiti viri. Vel, virilis. Id eſt, cubiti vulgaris, non ipſius gigantis.

Num. 32. f. ¶Terrámq; poſſedimus tempore illo ab Aroer, quæ eſt 'ſuper ripam torrentis Arnon, vſque ad mediam partem montis Galaad: & ciuitates illius dedi 'Ruben & Gad. Reliquam autem partem Galaad, & omnem Baſan 'regni Og, tradidi mediæ tribui Manaſſe, 'omnem regionẽ Argob: cunctáque Baſan vocabatur Terra-gigantum. Iair 'filius Manaſſe 'poſſedit omnem regionẽ Argob vſque ad terminos Geſſuri & Machati. 'Vocauítq; ex nomine ſuo 'Baſan, Hauoth-Iair, 'id eſt Villas-Iair, 'vſque in præſentem diem. Machir quoque dedi Galaad. Et tribubus Ruben & Gad dedi 'de Terra-Galaad vſque ad torrentem Arnon, 'medium torrentis, & confinium, vſque ad torrentem Ieboc, qui eſt terminus filiorũ Am-

mon: & 'planitiem ſolitudinis atque Iordanem, & terminos Cenereth vſque ad mare deſerti, 'quod eſt ſalſiſſimum, 'ad radices montis Phaſga contra Orientem.

SVPER ripam torrentis) iuxta torrentem.

RVBEN & Gad.) Rubenitis & Gaditis. Id eſt, nepotibus Ruben & nepotibus Gad.

REGNI Og,) regnum Og. Per appoſitionem dictum.

OMNEM regionem &c. Iair) tota regio Argob per totam. Baſan, vocari ſolet Terra-gigantum. Iair &c. Id eſt, tota regio Trachonitis quæ extendit ſe per omnẽ regionem Baſſanitidem, vocari ſolet Terra-gigantum. Exemplar oblongum S. Dionyſii, & tria S. Germani legunt, vocatur, præſenti tempore.

FILIVS Manaſſe) filium pro nepote dicit, more Hebraico.

POSSEDIT) cepit. Id eſt expugnauit.

VOCAVITQVE ex nomine ſuo) vocauitque eos (vel, illa) ex nomine ſuo.

BASAN,) Aliquid ſubaudiendum eſt, cuiuſmodi, vocauit inquam: vt ſic legas, Vocauitq; eos ex nomine ſuo: vocauit inquã Baſan Hauoth-Iair, &c. Vel ſic, Vocauitque eos ex nomine ſuo, nempe Baſan &c.

ID eſt, Villas-Iair.) Iſtud ab interprete adiectum eſt.

VSQVE in præſentem diem.) Hæc particula videtur adiecta ab alio quàm à Moyſe, aut certe id ſcripſit ſpiritu prophetico.

DE terra Galaad,) Vel, à media parte Galaad.

MEDIVM torrentis, & confinium, vſque &c.) & internam partem torrentis, & regionem adiacentem, vſque ad &c.

PLANITIEM ſolitudinis atque Iordanem, & terminos Cenereth) ſolitudinẽ & Iordanem, & regionem adiacentem à Cenereth, &c. Id eſt, ſolitudinẽ quæ adiacet Iordani, & propinquam regionem à mari Genezareth &c.

QVOD eſt ſalſiſſimum,) quod eſt mare ſalis. Id eſt, mare mortuum.

AD radices montis Phaſga) Vel, ſub Aſdoth-Phaſga.

Præcepíque vobis in tempore illo, dicens, Dominus Deus veſter dat vobis Terram hanc in hæreditatẽ, expediti præcedite fratres veſtros filios Iſrael 'omnes viri robuſti; abſque vxoribus & paruulis atque iumẽtis (noui enim quòd 'plura habeatis pecora) & in vrbibus 'remanere debebunt, quas tradidi vobis: donec requiẽ tribuat Dominus fratribus veſtris ſicut vobis tribuit: & poſſideant ipſi etiam 'Terram quam daturus eſt eis trãs Iordanem: tunc reuertetur vnuſquiſque in poſſeſſionẽ ſuam quam dedi vobis. ‖Ioſue quoque in tempore illo Num. 27. d. præcepi, dicens, Oculi tui viderunt quæ fecit Dominus Deus veſter duobus his regibus: ſic faciet omnibus regnis ad quæ tranſiturus es. 'Ne timeas eos: Dominus enim Deus veſter pugnabit pro vobis.

OMNES viri robuſti:) quotquot ex vobis poterunt geſtare arma.

PLVRA) multa.

REMANERE debebunt,) remanebunt.

TERRAM quam daturus eſt eis trans Iordanem:) Terram quam daturus eſt vobis Dominus Deus veſter trans Iordanem.

NE timeas eos:) Ne timeatis eos.

Precatúſque ſum Dominum in tempore illo, dicens, Domine Deus tu cœpiſti oſtendere ſeruo tuo magnitudinem tuam, manúmque fortiſſimam. neque enim eſt alius Deus vel in cælo, vel in terra, qui poſſit facere opera tua, & cõparari fortitudini tuæ. Trãſibo igitur, & videbo Terrã hanc optimam trãs Iordanem, & mõtẽ
I.31.& 34.a. iſtũ egregiũ, & Libanum. Iratúſque eſt Dominus mihi propter vos, nec exaudiuit me, ſed dixit mihi, Sufficit tibi: nequaquam vltrà loquaris de hac re ad me. Aſcẽde cacumen Phaſgæ, & oculos tuos circunfer ad Occidentem, & ad Aquilonem, Auſtrúmque, & Orientem, & aſpice. nec enim tranſibis Iordanem iſtum. Præcipe Ioſûe, & corrobora eum atque conforta: quia ipſe præcedet populum iſtũ, & diuidet eis Terram quam viſurus es. Manſimúſque in valle contra phanum Phogor.

NEQVE enim &c. Tranſibo) quis enim eſt Deus in cælo & in terrra qui facere poſſit opera ſimilia tuis, & facinora fortia ſimilia tuis? (Vel, ſtratagemata qualia facere ſoles?) Tranſibo &c.

TRANSIBO igitur, & videbo) Tranſeam quæſo, vt videam.

ET montem iſtum egregium, & Libanum.) Id eſt, vt videam montẽ illum optimum in quo ædificata fuit Ieruſalem: & templum quod conſtructum fuit ex lignis cedrinis captis in Libano. Hæc dicta ſunt in ſpiritu prophetiæ.

SVFFICIT tibi:) Sufficiat tibi.

PRAECIPE Ioſûe,) Sed præcipe ipſi Ioſûe. Id eſt, mandatis inſtrue ipſum Ioſûe de agendis.

ET diuidet eis) & forte diuidet eis. Vel, tradet illis poſſidendam terram &c.

MANSIMVSQVE in valle contra phanum Phogor.) Manſeramus autem
Gai. in Gai, è regione templi Phogor. Gai, nomen eſt vallis montis Phaſgæ.

CAP. IIII.

ET nunc Iſrael audi præcepta & iudicia quæ ego doceo te: vt faciens ea, viuas, & ingrediens poſſideas Terrã quam Dominus Deus patrũ veſtrorum daturus
I.21.d. eſt vobis. Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: cuſtodite mandata Domini Dei
Num.25.a. veſtri quæ ego præcipio vobis. Oculi veſtri viderunt omnia quæ fecit Dominus cõtra Beel-phegor, quomo-

do contriuerit omnes cultores eius de medio veſtri. Vos autem qui 'adhæretis Domino Deo veſtro, viuitis vniuerſi vſque in præſentem diem.

PRAECEPTA) ritus. Vel, ſtatuta.
DOCEO) doctùrus ſum.
LOQVOR,) præcepturus ſum mox.
CVSTODITE mandata) in hoc vt cuſtodiatis præcepta Domini &c.
VIDERVNT omnia) dictio OMNIA, non habetur in Hebræo.
CONTRA Beel-phegor,) propter idôlum Phegor. Chaldæus paraph. Contra cultores Beel-phegor. Ammonitarum fuit idôlum. Beel-phegor.
QVOMODO contriuerit) nam Dominus Deus tuus ſuſtulit. Vel, perdidit.
ADHAERETIS) Vel, adhæſiſtis.

'Scitis quòd docuerim vos 'præcepta atque 'iuſtitias, ſicut mandauit mihi Dominus Deus meus: 'ſic facietis ea in Terra quam poſſeſſuri eſtis. 'Et obſeruabitis, & implebitis opere: hæc eſt enim veſtra ſapientia, & 'intellectus 'coram populis, vt audiētes vniuerſi præcepta hæc, dicant, En populus ſapiens & intelligens, gens magna. 'Nec eſt alia natio tam grādis, quæ habeat deos 'appropinquantes ſibi, 'ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Quæ eſt enim alia gens 'ſic inclyta, vt habeat ceremonias, iuſtáq; iudicia, '& vniuerſam legem, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros?

SCITIS) Vide. vel, Videte.
PRAECEPTA) ritus. Vel, ſtatuta.
IVSTITIAS, ſicut mandauit) iudicia, ſicut præcepit mihi &c. Iudicia vocat leges. Iudicia.
SIC facietis ea in Terra quam poſſeſſuri eſtis.) vt ita faciatis in medio Terræ, ad quam ingredimini vt poſſideatis eam.
ET obſeruabitis, & implebitis opere:) Cuſtodite itaque, & facite. Subaudi, ea.
INTELLECTVS) Vel, prudentia.
CORAM populis, vt audientes vniuerſi præcepta hæc, dicant, En populus &c.) apud exteras gentes, quæ audituræ ſunt omnia ſtatuta iſta, & dicturæ, Certe populus iſte, eſt populus ſapiens &c.
NEC eſt alia natio) Quæ eſt enim alia natio &c.
APPROPINQVANTES ſibi,) Id eſt, fauorabiles. Appropinquans Deus.
SICVT Deus) ſicut Dominus Deus. Ita legunt exemplaria lata, & Paruum S. Germani, & Dionyſii.
SIC inclyta,) Vel, tam magna. Aut eximia.
ET vniuerſam legem,) qualis eſt tota lex iſta.

Cuſtodi igitur temetipſum, & animam tuam ſolicitè, ne obliuiſcaris 'verborum quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ: ⸿ docebis Exod. 19. c.

ea filios ac nepotes tuos,"Diem in quo ſtetiſti corã Domino Deo tuo in Horeb,quando Dominus locutus eſt mihi,dicẽs,Congrega ad me populum, 'vt audiant ſermones meos, & diſcant timere me omni tempore quo viuunt in terra, doceántque filios ſuos. Et acceſſiſtis ad radices montis qui 'ardebat vſque ad cælum: erántque in eo"tenebræ,& nubes,& caligo. Locutúſque eſt Dominus ad vos de medio ignis:vocem verborum eius audiſtis, '& formam penitus non vidiſtis. Et 'oſtendit vobis 'pactum ſuum quod præcepit vt faceretis, '& decẽ verba quæ ſcripſit in duabus tabulis lapideis. Mihíque'mãdauit in illo tempore vt docerem vos'ceremonias & iudicia quæ facere deberetis in Terra"quã poſſeſſuri eſtis.

VERBORVM quæ &c.) geſtorum quæ. Vel,eorum quæ viderunt &c.
DOCEBIS) ſed doce.
DIEM in quo) Die quo &c. Subaudiendum eſt aliquid, hoc modo, Quæ inquam viderunt oculi tui,die quo ſtetiſti &c.
VT audiant) vt audire faciam eum.
ARDEBAT vſque ad cælum:) ardebat igne vſque ad medium cælum.
TENEBRAE, & nubes,& caligo.) nubes tenebricoſa & caliginoſa.
ET formam penitus non vidiſtis.) at imaginem nullam vidiſtis.
OSTENDIT) annuntiauit.Vel,expoſuit.
PACTVM ſuum) Vel,conditiones pacti ſui vobiſcum initi.
Decẽ verba. Decalogus. ET decem verba.) nempe decalogum.Græci enim decem verba,ſiue decem fœderis conditiones,appellant voce compoſita δεκάλογον.
MANDAVIT) præcepit.
CEREMONIAS) Vel,ſtatuta.
QVAM poſſeſſuri eſtis.) quam ingreſſuri eſtis vt poſſideatis eam.

'Cuſtodite igitur ſolicitè animas veſtras ('Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis:) 'ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinẽ, aut imaginẽ maſculi vel fœminæ,ſimilitudinem"omnium iumentorum quæ ſunt ſuper Terram, vel auium 'ſub cælo volantium, atque reptilium quæ mouentur in terra, ſiue piſcium qui 'ſub terra morantur in aquis : ne forte eleuatis oculis ad cælum,videas ſolem '& lunam,& omnia aſtra cæli, '& errore deceptus adores ea & colas, quæ 'creauit Dominus Deus tuus"in miniſterium cunctis

gentibus quæ ſub cælo ſunt.

CVSTODITE igitur ſolicite animas veſtras.) Id eſt, Cauete vobis diligenter. Cuſtodire animam.

NON vidiſtis) Non enim vidiſtis &c. Hic verſus debet legi per parentheſin, hoc pacto, Cuſtodite igitur ſolicite animas veſtras, (non enim vidiſtis &c.) cuſtodite inquam vos, ne forte decepti &c.

NE forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem) ne forte corrumpatis (ſub. vos) & faciatis vobis ſculptile aliquod, aut ſimilitudinē cuiuſcunque ſimulachri, hoc eſt imaginē &c. Vel, ne forte corrupti faciatis &c.

OMNIVM iumentorum quæ ſunt ſuper terram,) cuiuſuis beſtiæ terreſtris.

SVB cælo) per cælum. Id eſt per aerem.

SVB terra Vel, infra terram. Iuxta opinionem eorum qui dicunt aquam eſſe inferiorem terra.

ET lunam, & omnia aſtra cæli,) & lunam, & ſtellas, & omnia aſtra cæli.

ET errore deceptus) & impellaris, ita vt corruas. Sub. à fide priſtina.

CREAVIT) diſtribuit. Vel, impertiuit.

IN miniſterium) Hæc non leguntur Hebraice.

Vos autem tulit Dominus, & eduxit 'de fornace ferrea AEgypti, 'vt haberet populum hæreditarium, ſicut eſt in præſenti die. ‖Iratúſque eſt Dominus contra me S.1.f. propter ſermones veſtros, & iurauit vt non tranſirē Iordanem, nec ingrederer Terram optimam quam 'daturus eſt vobis. 'Ecce morior in hac humo, non tranſibo Iordanem: 'vos tranſibitis & poſſidebitis 'Terrã egregiã.

DE fornace ferrea) Id eſt, de ſeruitute duriſſima. Fornax ferrea.

VT haberet populum) vt haberet vos populum &c.

DATVRVS eſt vobis.) Adde ex Hebræo, in hæreditatem. Id eſt, quam traditurus eſt vobis poſſidendam iure hæreditario.

ECCE morior) Ego enim moriturus ſum. Complutenſis editio legit MORIAR, futuro tempore.

VOS tranſibitis) vos vero tranſibitis.

TERRAM egregiam.) Adde ex Hebræo pronomen ISTAM, Terram egregiam iſtam.

'Caue nequando obliuiſcaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum: & facias tibi 'ſculptam ſimilitudinem eorũ quæ fieri Dominus prohibuit. quia Dominus Deus tuus‖'ignis conſumens eſt, Deus æmulator. Si ge- Hebr.12.g. nueritis filios ac nepotes, & morati fueritis in Terra, 'deceptíque feceritis vobis 'aliquam ſimilitudinem, patrantes malum coram Domino Deo veſtro, 'vt eum ad iracundiam prouocetis: teſtes inuoco hodie 'cælum & terram, cito perituros vos eſſe de Terra quam tranſito

Iordane poſſeſſuri eſtis. non habitabitis in ea longo tẽpore, ſed delebit vos Dominus, atque diſperget in omnes Gentes, & remanebitis pauci in nationibus ad quas vos ducturus eſt Dominus, ibíque ſeruietis diis qui hominum manu fabricati ſunt, ligno & lapidi, qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur.

CAVE nequando obliuiſcaris) Plurali numero hæc legũtur Hebraice, Cauete nequando obliuiſcamini &c.

SCVLPTAM ſimilitudinem eorum quæ fieri Dominus prohibuit.) & facias tibi ſculptile aliquod, aut ſimilitudinem cuiuſcunque rei, quemadmodum Dominus Deus tuus tibi prohibuit.

Ignis conſumens Deus. AEmulator Deus.

IGNIS conſumens eſt, Deus æmulator.) Id eſt, perdet te, non aliter quàm magnus ignis, qui omnia vorat: eſt & zelotes qui non patitur riualem, vult ſolus ſumme coli.

DECEPTIQVE,) corruptíque. Sub. animis.

ALIQVAM ſimilitudinem,) ſculptile aliquod, aut ſimilitudinem.

VT eum ad iracundiam prouocetis:) prouocando eum ad iram.

Cælũ & terra.

CAELVM & terram,) Adde ex Hebræo, contra vos. Cælum & terram pro creaturis cæleſtibus & terreſtribus accipit.

IN omnes Gentes,) inter populos. Quibus ſcilicet eſtis inuiſi.

Cúmque quæſieris ibi Dominum Deum tuum, inuenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ. Poſtquam te inuenerint omnia quæ prædicta ſunt, nouiſſimo autem tempore reuertêris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem eius. (quia Deus miſericors Dominus Deus tuus eſt) non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliuiſcetur pacti in quo iurauit patribus tuis.

IBI) illinc.

Inuenire Deũ

INVENIES eum:) Id eſt, aderit tibi, & fauebit.

Quærere Deũ tota anima.

ET tota tribulatione animæ tuæ. Poſtquã te inuenerint &c.) & ex tota anima tua. Cum incideris in calamitatem, & te inuenerint &c. Tota anima quærere Deum, eſt eum toto ſtudio ſuo quærere.

NOVISSIMO autem tempore &c. non dimittet) Vel, ſi tandem conuertaris ad Dominum Deum tuum, & parueris voci eius, (quia Dominus miſericors Deus tuus eſt) non dimittet te &c.

PACTI in quo) pacti quod.

Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die quo creauit Dominus Deus hominem ſuper terrã, à ſummo cælo vſque ad ſummum eius, ſi facta eſt aliquãdo huiuſcemodi res, aut vnquam cognitum eſt, vt

audiret populus'vocem Domini Dei loquentis de medio ignis,ſicut tu audiſti, & 'vidiſti. 'ſi fecit deus vt ingrederetur, & tolleret ſibi Gentem de medio nationũ, per tentationes,ſigna atque portenta, per pugnã & robuſtam manum,extentúmque brachium, & 'horribiles viſiones 'iuxta omnia quæ fecit pro nobis Dominus Deus noſter in AEgypto,vidẽtibus oculis tuis ? 'vt ſcires quoniã Dominus ipſe eſt Deus,& nõ eſt alius 'præter vnum. De cælo te fecit audire vocem ſuam vt doceret te: & in terra oſtendit tibi ignem ſuum maximũ, & audiſti verba illius de medio ignis. Quia dilexit patres tuos, '& elegit ſemen eorum poſt eos. ſeduxítque Exod.13.d.
te præcedẽs in virtute ſua magna ex AEgypto, 'vt deleret nationes maximas,& fortiores te in introitu tuo: & introduceret te,darétque tibi Terram earum in poſſeſſionem,ſicut cernis in præſenti die.

INTERROGA de diebus &c.) Interroga enim dies antiquos,&c. Vox Hebræa IAMIM,pro qua DIES vertimus,hic accipitur pro diariis &ãnalibus:quaſi dicat,Conſule annales ſeu diaria priſca quæ continent res geſtas ante tua tempora, ex quo creauit Deus hominem &c. יָמִים

CREAVIT Dominus Deus) Dictio DOMINVS, neque in vetuſtioribus ſcriptis codicibus Latinis S.Dionyſii & Germani,neque in Moguntinenſi editione legitur.Id etiam admonet Correctorium Sorbonicum.

A ſummo cælo vſque ad ſummum eius,) & ab extremo cæli vſque ad extremum eius.Id eſt,ab Oriente in Occidentem,in toto orbe terrarum.

HVIVSCEMODI res) Addendum ex Hebræo,magna.

COGNITVM eſt,) auditum fuerit aliquid tale.

VOCEM Domini Dei) Hæc dictio DOMINI, non legitur in veteribus S. Germani & Dionyſii codicibus.

VIDISTI.) vixiſti. Præteritum à viuo. atque ita legitur in Latis, & Paruo exemplari S.Germani & Dionyſii,& in Complutenſi editione.

SI fecit Deus &c.per tentationes) Aut nunquid tentauit deus aliquis vt veniret ereptum ſibi gentem aliquam de medio gentis alterius per tentationes &c.

HORRIBILES viſiones) terrores magnos.

IVXTA omnia quæ fecit pro nobis Dominus Deus noſter) prorſus vt fecit pro vobis Dominus Deus veſter.Vetera Latina exemplaria S.Dionyſii,Germani, & Victori- in editione Complutenſi,legunt pronomen ſecundæ perſonæ.

VT ſcires,) Tibi oſtenſum eſt ſub à Deo variis ſignis) vt cognoſceres quòd Dominus &c. Quaſi dicat,Multis ac variis exemplis cognoſcere potuiſti quòd Dominus &c.Vel,Didiciſti multis exemplis Deum eſſe verum Deum.

PRAETER vnum.) præter eum.Sic in Complutenſi editione legitur,& lato S.Dionyſii,oblongóque S Germani:admonet & de hoc Correctoriũ Sorbonicũ.

ET elegit ſemen eorum poſt eos.) delegit ſemen eius poſt eum.Id eſt,delegit ſemen Iacob,ipſo Iacob mortuo.

montis Phaſga.

ISTA eſt lex &c.) Præfatio eſt in decalogum. Primo anno ab exitu Dominus tulit decem leges filiis Iſrael per Moyſen: quarum memoriam anno quadrageſimo poſt, idem refricuit, vt hic docet.

IN valle) in Gai.

QVEM percuſſit &c. Et terram) quem percuſſit Moyſes, & filii Iſrael egreſſi ex AEgypto. Et poſſederunt terram eius, & terram &c.

SVPER ripam) iuxta ripam.

PLANITIEM) ſolitudinem.

CAP. V.

VOCAVÍTQVE Moyſes omnem Iſraelem, & dixit ad eum, Audi Iſrael ceremonias atque iudicia quæ ego loquor in auribus veſtris hodie: diſcite ea, & opere cõplete. ¶Dominus Deus noſter pepigit nobiſcum fœdus in Horeb. Nõ cum patribus noſtris iniit pactum: ſed nobiſcum qui impræſentiarum ſumus & viuimus. Facie ad faciem locutus eſt nobis in mõte de medio ignis, (ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, vt annuntiarem vobis verba eius. timuiſtis enim ignem, & non aſcendiſtis in mõtem) & ait, Exod.19.b.c.

¶Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Terra AEgypti de domo ſeruitutis. Non habebis deos alienos in conſpectu meo. Exod. 20.a. leuit.25.a. pſal.96.b.

VOCAVITQVE Moyſes) Itaque accerſiuit Moyſes &c.

CEREMONIAS) Vel, ſtatuta. Id eſt, leges quæ cõtinent ceremoniam & ritũ quo vult coli Deus. Id ſignificat vox Hebræa HVKIM. Ceremoniæ. חקים

IN auribus veſtris) Id eſt, vobis audientibus. In auribus veſtris.

HODIE:) Hoc erat anno XL ab exitu AEgypti.

NON cum patribus noſtris iniit pactum:) Subaudiendum eſt aduerbium TANTVM vel SOLVM, Non tantum cum patribus noſtris iniit pactum, ſed etiam nobiſcum &c. Similis loquendi modus eſt Gen.32.f, Non vocabiur nomen tuum Iacob, ſed Iſrael. Pro, Non tantũ vocabitur &c. ſed etiam &c. Intelligi etiã poteſt, Non cum maioribus noſtris qui mortui ſunt in AEgypto, ſed cum nobis ipſis qui viuimus. Non cum patribus. Non vocabitur.

PACTVM) Addendũ ex Hebræo, iſtud Dominus: vt ſic legatur, Non tantum cum patribus noſtris iniit pactum iſtud Dominus.

FACIE ad faciem) Id eſt coram.

NOBIS) vobiſcum. Pronomen ſecundæ perſonæ.

EGO ſequeſter &c.) Iſtud Ego ſequeſter, vſque ad hæc verba, Et ait, Ego Dominus &c. debet legi per parentheſin: vt præcedentia ſequentibus iungantur ad hunc modum, Facie ad faciem locutus eſt vobis in monte de medio ignis, & ait, Ego Dominus Deus tuus &c.

TIMVISTIS enim ignem,) timebatis enim propter ignem.

nn.I.

Domus ſeruorum. DE domo ſeruitutis.) de domo ſeruorum. Id eſt, de loco vbi ſeruiebas ſeruitutem duriſſimam.

In conſpectu meo. NON habebis deos alienos in conſpectu meo.) Hoc eſt, nullum deum præter me adorabis, me ſpectante, quem nihil latet. Hæc futura verti debent per imperatiuum, Ne habeto, Ne fac, Ne occide, &c. Ecce primum præceptum.

Non facies tibi ſculptile, 'nec ſimilitudinem omniũ quæ in cælo ſunt déſuper, & quæ in terra deorſum, & quæ verſantur in aquis ſub terra. Nõ adorabis ea, & nõ
Exod.34.a. coles: ‖Ego enim ſum Dominus Deus tuus, Deus 'æmulator, 'reddens iniquitatem patrum ſuper filios in tertiã & quartam generationem his 'qui oderunt me, & faciẽs miſericordiam in multa millia diligentibus me, & cuſtodientibus præcepta mea.

AEmulator Deus, zelotes. NEC ſimilitudinẽ omniũ quæ &c.) nec ſimilitudinem vllam eorum quæ &c.
AEMVLATOR,) zelotes. Id eſt, qui in amore ſocium non fero, nec patior conſortem amoris: ſed ſolus volo amari & coli.

Viſitare iniquitatem. REDDENS iniquitatem patrũ &c. his qui) viſitans iniquitatem patrum in filiis (vel nepotibus) & pronepotibus, & abnepotibus, his qui &c. Hi dicuntur quartani ab Hebræis, quòd quarti ſint à patre. Viſitans autem, in memoriam reuocans.

QVI oderunt me,) Id eſt, in filiis qui imitati fuerint iniquitatem patrum.

Exod.20.b. leuit.19.c. matth.5.c. ezech.20.b. ‖'Non vſurpabis nomen Dei tui 'fruſtra: quia 'non erit impunitus, qui ſuper re vana nomen eius aſſumpſerit.

NON vſurpabis nomen Dei tui) Nõ vſurpabis nomẽ Domini Dei tui. Ita in vetuſtioribus Latinis ſcriptis codicibus legitur S. Germani, Dionyſii, & Victoris. Periphraſis autẽ eſt, pro, Ne peieres. ita hunc locum Dominus IESVS reddidit apud Matthæum capite quinto, Non periurabis.

FRVSTRA:) in vanum. Id eſt, mentiens.

NON erit impunitus, &c.) non inſontem faciet Dominus eum qui vſurpauerit nomen eius in vanum. Id eſt, pro innocente non habebit eum qui peierauerit, nec abſoluet eum.

Exod.20.b. Obſerua diẽ Sabbathi, 'vt ſanctifices eum ſicut ‖præcepit tibi Dominus Deus tuus. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: 'ſeptimus dies Sabbathi eſt,
Gen.2.a. hebr.4.b. id eſt ‖requies Domini Dei tui. Non facies in eo quicquam operis, tu & filius tuus & filia, ſeruus & ancilla, 'bos & aſinus, & omne iumentum tuũ, & peregrinus qui eſt 'intra portas tuas: vt requieſcat 'ſeruus & ancilla tua, ſicut & tu. Memento quòd & ipſe ſeruieris in AEgypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento, idcirco præcepit tibi vt obſeruares diem Sabbathi.

VT ſanctifices eum) ſanctificando eum.

SEPTIMVS dies Sabbathi eſt, id eſt requies) at die ſeptimo erit Sabbathum Domini, &c. Id eſt, die ſeptimo requieſces in honorem Domini Dei tui.

BOS & aſinus,) Hebraice legitur, & bos & aſinus. Sic etiam legitur in vetuſtioribus codicibus S. Germani, Dionyſii, & Victoris.

INTRA portas tuas:) Id eſt, in vrbe tua.

SERVVS & ancilla tua,) ſeruus tuus & ancilla tua. Sic etiam habet Oblongum & Paruum exemplar S. Germani.

¶Honora patrẽ tuum & matrẽ, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt longo viuas tempore, & bene ſit tibi in Terra quã Dominus Deus tuus daturus eſt tibi. Exo.20.c.eccli 3.b.matth.15.a marc.7.b. epheſ.6.a.

ET matrem,) Addendum, tuam. Honorandós præcipit parentes, quia Deum nobis referunt.

VT longo viuas tempore,) vt prolongentur dies tui. Id eſt, vt protrahatur tẽpus vitæ tuæ, & diutiſſime viuas. Vel, vt diu te incolumem teneant dies tui, longóque tempore viuas incolumis.

¶Non occídes. Matth.5.c.d.

Neque mœchaberis.

Furtúmque non facies.

Nec loquêris cõtra proximũ tuum falſum teſtimoniũ.

¶Non concupiſces vxorem proximi tui: non domum, non agrum, non ſeruum, nõ ancillam, non bouem, non aſinum, & vniuerſa quæ illius ſunt. Rom.7.b.

NON occídes.) Per imperatiuum vertenda ſunt iſta præcepta, Ne occide. Vel, Ne occidas.

NEQVE mœchaberis.) Ne mœchare. Ne habeas rem cum vxore aliena.

FVRTVMQVE nõ facies.) Ne furare. Vel, Ne ſurripias facultatẽ proximi tui.

NEC loquêris &c.) Vel, Ne dic in proximum &c. Id eſt, Non peccabis in famam proximi tui.

NON concupiſces) Ne concupiſce. Vel, Ne concupiſcas. Non ſolum commercium, ſed etiam concupiſcentiam vetat.

NON domum,) nec teneberis deſyderio domus proximi tui, nec agri &c.

ET vniuerſa quæ illius ſunt.) neque quicquam eorum quæ poſſidet proximus tuus.

Hæc verba locutus eſt Dominus ad omnem multitudinem veſtram in monte de medio ignis & nubis, & caliginis, voce magna, nihil addens amplius, & ſcripſit ea in duabus tabulis lapideis quas tradidit mihi. Vos autẽ poſtquam audiſtis vocẽ de medio tenebrarum, & montem ardere vidiſtis, acceſſiſtis ad me omnes principes tribuum & maiores natu, atque dixiſtis, Ecce oſtendit nobis Dominus Deus noſter maieſtatem & magnitudinem ſuam. vocem enim eius audiuimus de medio i-

gnis,'& probauimus hodie quòd loquente Deo cũ homine,vixerit homo. 'Cur ergo moriemur, & deuorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus vltra vocẽ Domini Dei noſtri, moriemur. 'Quid eſt omnis caro, vt 'audiat vocem Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur,ſicut nos audiuimus,'& poſſit viuere? Tu magis accede: & audi cuncta quæ dixerit Dominus Deus noſter tibi:'loquerísq; ad nos,& nos audiẽtes faciemus ea.

ET montem ardere vidiſtis,) nã mons ardebat igne. Per parentheſin legẽdũ.

ET maiores natu,) Addendum,qui inter vos ſunt.

MAIESTATEM & magnitudinem ſuam.vocem enim eius) gloriam ſuam, & magnitudinem ſuam,& vocem eius audiuimus &c. Id eſt, nubem illam quæ occupabat montem ipſum, & fulgura: præterea loquentem cum audiuimus de medio ignis.

ET probauimus &c.Cur) hoc die vidimus quòd loquatur Dominus cum homine,& viuat.Cur &c.Id eſt,deprehendimus hodie quòd Dominus loqui poſſit cum homine,nec tamen ſtatim moriatur homo.

Cur ergo moriemur,& deuorabit nos ignis hic maxim9?) Nũc ergo quare moriemur?deuorabit enim nos magnus iſte ignis,ſi audiuerimus &c.Id eſt,Cur exponemus nos morti,cur ſubibimus diſcrimen vitæ noſtræ,iterum adeundo eum?

QVID eſt omnis &c.) Quid enim eſt omnis &c.

AVDIAT) Vel, audire poſſit.

ET poſſit viuere?) Id eſt,& non ſtatim moriatur?

LOQVERISQVE ad nos,) Addendum,omnia quæ dixerit Dominus Deus noſter.

Quod cum audiſſet Dominus,ait ad me,Audiui vocem verborum populi huius quæ locuti ſunt tibi: bene omnia ſunt locuti. 'Quis det talem eos habere mentẽ vt timeant me, & cuſtodiant vniuerſa mandata mea in omni tempore, vt bene ſit eis & filiis eorum in ſempiternum? 'Vade ergo,& dic eis, Reuertimini in tentoria veſtra.Tu verò hîc ſta mecũ, & loquar tibi omnia'mãdata mea,& ceremonias atque iudicia:quæ docebis eos vt faciant ea in Terra quam dabo illis in poſſeſſionem. Cuſtodite igitur & facite quæ præcepit'Dominus Deus vobis:non declinabitis neque ad dexteram,neque ad ſiniſtram: ſed per viam quam præcepit Dominus Deus veſter ambulabitis,vt viuatis,& bene ſit vobis,'& protelentur dies veſtri in Terra poſſeſſionis veſtræ.

Quis det &c. QVIS det talem eos habere mentem) Id eſt, Vtinam eſſet cor tale in eis. Id eſt,Vtinã ſemper habeant talem mentẽ.Hebraiſmus. Laudat hîc propoſitũ eorũ,

VADE ergo,) Vetera exemplaria Latina ſcripta S. Germani, Dionyſii, & Victoris non legunt ERGO.

MANDATA mea, & ceremonias,) Vel, præcepta & ſtatuta.

DOMINVS Deus) Addendum, veſter.

ET protelentur dies veſtri) & producetis dies. Id eſt, longo tempore viuetis.

CAP. VI.

HAEC ſunt præcepta '& ceremoniæ atque iudicia quæ 'mãdauit Dominus Deus veſter vt docerẽ vos, vt faciatis ea in Terra 'ad quam tranſgredimini poſſidẽdam, Vt timeas Dominum Deum tuum, & cuſtodias omnia 'mandata & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi, '& filiis ac nepotibus tuis cunctis diebus vitæ tuæ, vt prolongentur dies tui. 'Audi Iſrael & obſerua vt facias 'quæ præcepit tibi Dominus: & bene ſit tibi, & multipliceris amplius, ſicut pollicitus eſt Dominus Deus patrũ tuorum tibi, 'terram lacte & melle manantem.

CEREMONIAE) Vel, ſtatuta, aut ritus.

MANDAVIT) præcepit.

AD quam tranſgredimini poſſidendam,) ad quam iamiam tranſituri eſtis vt poſſideatis eam.

MANDATA) ſtatuta.

ET filiis ac nepotibus tuis) tu & filius tuus, & filius filii tui.

AVDI Iſrael) Audi igitur Iſrael.

QVAE præcepit tibi Dominus:) Neque Hebraice, neque in vetuſtioribus Latinis codicibus S Germani, & Dionyſii leguntur hæc verba.

TERRAM lacte & melle manantem.) in terra fluente lacte & melle. Id eſt, abundante omnibus rebus ad victum pertinentibus.

‖Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, 'Deus vnus eſt. Matth.22.d. marc.12.c.luc.
'Diliges Dominum Deum tuum 'ex toto corde tuo, & 10.c.
ex tota anima tua, & ex tota 'fortitudine tua.‖Erúntque 1.11.c.
verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, 'in corde tuo: & 'narrabis ea filiis tuis, & 'meditaberis 'ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, 'dormiens, atque conſurgẽs. Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, 'erúntque & mouebuntur inter oculos tuos, ſcribéſque ea 'in limine & oſtiis domus tuæ.

DEVS vnus eſt.) Dominus vnus eſt. Ita in oblõgis exemplaribus S. Germani, & Dionyſii, & in Complutenſi editione legitur. Hic verſus eſt appendix ad primum præceptum.

DILIGES Dominum) Et diliges Dominum. Sic legit Paruum exemplar S. Germani. Verti autẽ debet illud ET, in IGITVR, hoc modo, Dilige igitur Do-

minum &c.

EX toto corde tuo,& ex tota anima tua,) Vel, ex toto animo tuo,& ex toto affectu tuo.

Fortitudo. FORTITVDINE tua.) Quidã referũt ad bona externa, id eſt, ex omnibus tuis facultatibus. Alii referunt ad vires animi, id eſt, quantum à te diligi poteſt.

IN corde tuo:) Id eſt, in mente tua, in memoria tua, nunquam excident mente tua.

NARRABIS) inculcabis. Vel, identidem repetes. Chaldæus paraphraſtes, Repetes ea. Vox Hebræa שָׁנַן SANAN, acuere ſignificat qua hic vtitur Moyſes per trãſlationem. Metaphora ducta à gladio, qui dũ acuitur, ſæpius impellitur ad cotẽ.

MEDITABERIS) loquêris de eis. Vel, commentaberis, aut verba facies de eis.

SEDENS in domo tua,) Id eſt, quando domi manebis, vel cõtinebis te domi. Cui contrarium eſt, ambulare in itinere, ſiue iter facere.

DORMIENS,) iacens in lecto tuo. Id eſt, veſperi & mane indeſinenter de illis verba facies. Quaſi dicat, domi & foris, mane & veſperi, noctu & interdiu.

In ſignum. QVASI ſignum) in ſignum. Id eſt, vt ſint tibi vice ſigni & brachialis. Vt in ea, tanquam in ſcopum, perpetuo coniicias oculos. Metaphora à ſagittariis. lege Eſa. 49 verſu 15.

ERVNTQVE, & mouebuntur) eruntque vt frontalia. Hoc eſt, facies tibi ex illis frontalia & brachialia, vt redeant tibi in memoriam. Aut verſabuntur inter oculos tuos veluti frontalia quædam in interſtitio quod eſt inter oculos.

מְזוּזוֹת IN limine) in poſtibus. Vox Hebræa MEZVZOTH, ſignificat latera oſtii & ingreſſus domus. Les iambes de l'huiſſerie d'une maiſon Hoc præcipiebat Dominus, vt quotieſcunque quis ingrederetur domũ, videret ill[illegible], & reminiſceretur.

Cúmque introduxerit te Dominus Deus tuus in Terram pro qua iurauit patribus tuis Abraham, Iſaac, & Iacob: & dederit tibi ciuitates magnas & optimas quas non ædificaſti, domos plenas multarum opum quas nõ extruxiſti, ciſternas quas non fodiſti, vineta & olìueta quæ non plantaſti, & comederis, & ſaturatus fueris: caue diligenter ne obliuiſcaris Domini qui eduxit te de Terra AEgypti, de domo ſeruitutis.

ET dederit tibi ciuitates) ſe daturum eam tibi, & ciuitates &c.

MVLTARVM) editio Moguntinenſis, conſentientibus ſcriptis codicibus Latinis S. Germani & Dionyſii, legunt cunctarum.

EXTRVXISTI,) repleſti. Id eſt, quibus implendis operam non impendiſti.

Matth. 4. b. Luc. 4. b. Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, ac per nomen illius iurabis.

ILLI ſoli ſeruies.) Hæc vox SOLI, neque Hebraice, neque in Latis, neque in paruo S. Germani & Dionyſii legitur. Verti poteſt, illum coles.

Iurare per nomen Dei. AC per nomen illius iurabis.) Id eſt, quando voles aliquid affirmare, aut inire fœdus cum aliquo, quando cogêris iurare à magiſtratu, vel in vſum proximi, nõ dabis honorem alii quàm Deo: memoriam Dei facies, non idolorum.

Non ibitis poſt deos alienos cunctarum Gentium, quæ in circuitu veſtro ſunt: quoniam Deus æmulator Dominus Deus tuus in medio tui: nequando iraſcatur

furor Domini Dei tui contra te, & auferat te de ſuperficie terræ.

NON ibitis poſt deos alienos) Id eſt, non ſectabimini cultum deorum quos colunt Gentes. *Ire poſt deos alienos.*

CVNCTARVM gentium, quæ &c.) ex diis populorum, qui &c. Vel, è numero deorum populorum qui ſunt vobis vicini.

AEMVLATOR) zelotes. Id eſt, qui non patitur conſortem amoris.

Non tentabis Dominum Deum tuum, ſicut tentaſti in loco tentationis. *Matth 4.b. Lu. 4.b. num. 21.b. Exod. 17.b.*

TENTABIS) pluralis numeri eſt, tentabitis. Quaſi dicat, Credetis Deum eſſe omnipotentem. *Non tentare Deum.*

IN loco tentationis) in Maſſa. Nomen loci. Id eſt, in loco qui poſtea dictus eſt Maſſa, à tentatione. Exod. 17.b. *Maſſa.*

Cuſtodi præcepta Domini Dei tui, ac teſtimonia & ceremonias, quas præcepit tibi: & fac quod placitũ eſt & bonum in cõſpectu Domini, vt bene ſit tibi: & ingreſſus poſſideas Terram optimam, de qua iurauit Dominus patribus tuis, vt deleret omnes inimicos tuos coram te, ſicut locutus eſt.

CVSTODI) Cuſtodiendo cuſtodite. Id eſt, diligenter cuſtodite.
BONVM) gratum.
VT deleret) & ſe expulſurum.
CORAM te,) à facie tua. Id eſt, in aduentu tuo. Vel, ſub aduentum tuum.
LOCVTVS) Vel, pollicitus.

Cum interrogauerit te filius tuus cras, dicens, Quid ſibi volunt teſtimonia hæc, & ceremoniæ, atque iudicia, quæ præcepit Dominus Deus noſter nobis? dices ei, Serui eramus Pharaonis in AEgypto, & eduxit nos Dominus de AEgypto in manu forti: fecítque ſigna atque prodigia magna & peſſima in AEgypto, contra Pharaonem, & omnem domum illius in conſpectu noſtro, & eduxit nos inde, vt introductis daret Terram ſuper qua iurauit patribus noſtris. Præcepítque nobis Dominus vt faciamus omnia legitima hæc, & timeamus Dominum Deum noſtrum, vt bene ſit nobis, cũctis diebus vitæ noſtræ, ſicut eſt hodie. Erítque noſtri miſericors, ſi cuſtodierimus & fecerimus omnia præcepta eius, coram Domino Deo noſtro, ſicut mandauit nobis.

CRAS,) Id eſt, in poſterum, poſthac.

NOBIS) vobis: Secunda perſona. ſic legitur in Paruo S. Germani.

LEGITIMA) ſtatuta.

ET timeamus Dominum Deum noſtrum,) Antecedens pro relatiuo, more Hebraico: Latini ſic verterent, Et timeamus ipſum.

VT bene ſit nobis,) in bonū. Id eſt, vtilitatis noſtræ gratia: vt bene eſſet nobis.

Viuificare. VITAE noſtræ, ſicut eſt hodie.) vt viuificaret nos ſecūdum diem hanc. Id eſt, vt ſeruaret nos incolumes, vt in hac die ſumus.

ERÍTQVE noſtri miſericors,) Eríſque nobis iuſtitia. Verbis iſtis iungenda ſunt quæ ſequūtur, Corā Domino Deo noſtro: vt ſic legas, Erítq; nobis iuſtitia corā Domino Deo noſtro, ſi cuſtodierimus & fecerimus omnia præcepta iſta ſicut præcepit nobis. Id eſt, iuſti apparebimus corā Deo, pro iuſtis habebit nos Deus.

PRAECEPTA eius,) præcepta iſta.

CAP. VII.

J.31.a. CVM ‖verò introduxerit te Dominus Deus tuus in Terrā 'quā poſſeſſurus ingredieris, & deleuerit Gētes 'multas' coram te, Hethæum & Gergezæū & Amorrhæum, Chananæum, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebuſæum, ſeptem gētes multo maioris numeri quàm tu es, & robuſtiores te: tradiderítque eas Dominus Deus tuus 'tibi, percuties eas vſque ad internecionem. ‖ non Exod.21.d. 34.b. inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum. Neque ſociabis cum eis coniugia: filiam tuā non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo: quia ſeducet filiū tuū ne ſequatur me, '& vt magis ſeruiat diis alienis. iraſcetúrq; 'furor Domini, & delebit te cito. Quin potius hæc facietis eis, Aras eorū ſubuertite, & confringite ſtatuas, lucóſque ſuccidite, & ſculptilia comburite.

CVM verò) VERO, neque etiam legitur in exemplaribus S. Germani, Dionyſii & Victoris.

QVAM poſſeſſurus ingredieris,) quam ingreſſurus es vt poſſideas eam.

MVLTAS) Id eſt, innumeras, vel bellicoſas.

Coram te. CORAM te,) Hoc eſt, ſub aduentum tuum.

TIBI,) coram te. Id eſt, in poteſtatem tuam.

ET vt magis ſeruiat diis alienis.) & colent idola. Quia quod de vno dicitur, ad omnes pertinet, ideo plurali ſtatim vtitur.

FVROR Domini, & delebit te cito.) furor Domini in vos, & delebit vos cito.

J.14.a.26.d. ‖ 'Quia populus ſanctus es Domino Deo tuo: te elegit Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris de cunctis populis qui ſunt ſuper terram. Non quia cūctas gentes numero vincebatis, 'vobis iunctus eſt Dominus, & elegit vos, cum omnibus ſitis populis pauciores. Sed

'quia dilexit vos Dominus, & cuſtodiuit iuramentum quod iurauit patribus veſtris, 'eduxítque vos 'in manu forti,& redemit de domo ſeruitutis,de manu Pharaonis regis AEgypti. Et ſcies quia Dominus Deus tuus, ipſe eſt Deus 'fortis & fidelis,cuſtodiens pactũ & miſericordiam diligentibus ſe,& his qui cuſtodiũt præcepta eius, in mille generationes: & reddẽs odientibus ſe 'ſtatim, ita vt diſperdat eos,'& vltrà nõ differat, protinus eis reſtituens quod merentur.

QVIA populus ſanctus es) Nam populus ſanctus es. Id eſt conſecratus. Pendet hæc ſententia à præcedentibus.

VOBIS iunctus eſt) dilexit vos.

QVIA dilexit vos Dominus,& cuſtodiuit iuramẽtũ quod iurauit,quia diligebat vos Dominus,& ſeruare volebat iuramentum quod iurauerat patribus &c.

EDVXÍTQVE) Coniunctio QVE,vacat hoc loco,Eduxit vos &c.

IN manu forti.) Id eſt,virtute inuincibili,cui reſiſtere nõ potuerũt AEgyptii. In manu forti.

FORTIS & fidelis,) Deus inquã fidelis.Id eſt verax,qui nemini imponit,nec poteſt fallere.

STATIM,) in faciem eorum.Id eſt,dum adhuc viuunt. In faciẽ corũ.

ET vltra non &c.Cuſtodi) non tardat Dominus: ei qui ipſum oderit, referet.Cuſtodi &c. Vel,non ſolet Dominus moras nectere ei qui &c.

Cuſtodi ergo præcepta & 'ceremonias atque iudicia quæ ego 'mandabo tibi hodie,vt facias. 'Si poſtquã audieris hæc iudicia, cuſtodieris ea & feceris, cuſtodiet & Dominus Deus tuus pactũ tibi & miſericordiam quã iurauit patribus tuis: & diliget te ac multiplicabit, 'benedicétque fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, frumento tuo atque vindemiæ,oleo & 'armentis,gregibus ouium tuarum ſuper Terram, pro qua iurauit patribus tuis vt daret eam tibi. Benedictus eris 'inter omnes populos. ‖Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus, tam in Exod. 23.d.
hominibus quàm in gregibus tuis. Auferet Dominus à te omnẽ languorem: & infirmitates AEgypti peſſimas quas nouiſti,non inferet tibi,ſed cunctis 'hoſtibus tuis.

CEREMONIAS) Vel,ſtatuta.

MANDABO) præcipio. In vetuſtioribus ſcriptis codicibus S. Germani, Victoris, & Dionyſii,conſentiente Baſilienſi editione,legitur mando,præſenti tempore.

SI poſtquã audieris hæc iudicia,cuſtodieris ea) Et erit (ſub. merces) propterea quòd audieris iudicia iſta, & cuſtodieris ea, &c.

Benedicere. BENEDICET QVE fructui,&c.) Id eſt,fauebit liberis tuis,tuebitur liberos tuos,magna copia prouenire faciet frumentum tuum,vinum,oleum,&c.

ARMENTIS) fœtui boum tuorum. Vel,partui & emiſſioni boum tuorum. Quidam dicunt vocem Hebræam ſignificare quod optimum eſt in armentis,alii femellas.

INTER omnes populos.) præ cunctis populis.

HOSTIBVS tuis.) odientibus te.

Deuorabis omnes populos quos Dominus Deus tuus daturus eſt tibi: non parcet eis oculus tuus, nec ſeruies diis eorũ,"ne ſint in ruinam tui.Si dixeris in corde tuo, Plures ſunt gentes iſtæ quàm ego,quomodo potero'delere eas? noli metuere,ſed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni & cunctis AEgyptiis, 'plagas maximas quas viderũt oculi tui, & ſigna atq; portenta,' manúmq; robuſtam,& "extentum brachiũ 'vt educeret te Dominus Deus tuus. ſic faciet cunctis populis quos metuis. Inſuper & 'crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos,"donec deleat omnes atque diſperdat,qui te

Exod.23.c.33.a. iosue 24.c. fugerint,& latêre potuerint.‖Non timebis eos,quia Dominus Deus tuus"in medio tui eſt,Deus magnus & terribilis : ipſe 'conſumet nationes has 'in conſpectu tuo paulatim"atque per partes. Non poteris eas 'delere pariter: ne forte multiplicentur contra te beſtiæ"Terræ. Dabítque eos Dominus Deus tuus "in conſpectu tuo: & 'interficiet illos,donec penitus deleantur.Tradétque reges eorum in manus tuas, & diſperdes nomina eorũ ſub cælo : 'nullus poterit reſiſtere tibi, donec conteras

1.Mach.11 g. eos.‖Sculptilia"eorum igne combures: non concupiſces argentum & aurum "de quibus facta ſunt, neque aſſumes ex eis tibi quicquam,'ne offendas, propterea quia 'abominatio eſt Domini Dei tui. Nec inferes 'quippiã ex idolo in domum tuam,ne fias"anáthema, ſicut & 'illud eſt. 'Quaſi ſpurcitiam deteſtaberis,& velut inquinamentum ac ſordes abominationi habebis, quia anáthema eſt.

NE ſint in ruinam tui.) eſt offendiculum tibi. Subaudi, cultus idolorum.

DELERE) expellere.

PLAGAS) tentationes ingentes. Subaudiendum, recordare inquam.
EXTENTVM brachium) Id eſt, virtutem diuinam inſuperabilem.
VT educeret te) quo eduxit te &c.
CRABRONES) muſcas venenatas.
DONEC deleat omnes &c. Quia Dominus) donec pereát qui reliqui fuerint, & abſconderint ſe à facie tua. Ne ergo timueris tibi ab illis, quia Dominus &c
IN medio tui eſt,) Id eſt, nunquã te deſeret, ſemper tibi aderit, & fauebit tibi. In medio tui eſt.
CONSVMET,) expellet.
IN conſpectu tuo) à facie tua.
ATQVE per partes) Hæc verba non leguntur in Hebræo codice.
DELERE pariter:) perdere cito.
TERRAE.) agri. Id eſt, ne terra deſerta gignat feras multas, quæ te deuorent.
IN conſpectu tuo:) Id eſt, in poteſtatem tuam.
INTERFICIET illos) confringétque eas fractione maxima.
NVLLVS poterit &c. Sculptilia) Non conſiſtet quiſquam coram te, donec deleueris eos. Sculptilia &c. Id eſt, nemo tibi eſſe impedimento poterit quominus illos deleas.
EORVM) deorum ipſorum.
DE quibus facta ſunt,) quo illa tecta fuerint. Alii vertunt, Non concupiſces aurum & argentum pro conſeruandis illis.
NE offendas,) Addendum eſt, in ea re. Quaſi dicat, ſi id admiſeris, peccabis.
ABOMINATIO eſt Domini Dei tui,) Id eſt, Ab hoc enim maxime abhorret Dominus Deus tuus. Abominatio Dei.
QVIPPIAM ex idólo) abominationem. Id eſt, Idolum, à quo vnuſquiſque abhorrere debet.
ANATHEMA,) Id eſt, ne ſis Deo abominationi, ſicut & ille populus à quo idola ceperis. Anáthema eſſe.
ILLVD) ille. Sub. populus, à quo ſcilicet idola ceperis.
QVASI ſpurcitiam &c.) abominaberis omnino, & abhorrebis illud: quia anáthema eſt. Id eſt, ſpolia huius generis perdi & ad nihilum redigi debent.

CAP. VIII.

OMNE mandatum quod ego præcipio tibi hodie caue diligenter vt facias: vt poſſitis viuere, & multiplicemini, ingreſſique poſſideatis Terram, pro qua iurauit Dominus patribus veſtris. Et recordaberis cuncti itineris per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertum, vt affligeret te, atq; tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo verſabantur, vtrum cuſtodires mandata illius, an non. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu & patres tui: vt oſtenderet tibi quòd non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Domini. Veſtimentum tuum quo operiebaris, nequaquã vetuſtate defecit, & pes tuus nõ eſt ſubtritus en quadrageſimus annus eſt: Vt recogites in corde tuo quia Matth. 4 a. luc. 4 a. 1. 26 a.

ſicut erudit filium ſuum homo, ſic Dominus Deus tuus ᵉerudiuit te, ᶠvt cuſtodias mandata Domini Dei tui, ᵍ& ambules in viis eius, & timeas eum.

OMNE mandatũ &c Ingreſſique) omnia præcepta quæ ego precepturus ſum vobis hodie obſeruabitis, opere cõplendo: vt viuatis, & multiplicemini. Ingreſſique &c. Id eſt, vt ſitis incolumes & ſani, vt diu viuatis, & habeatis multos liberos. *Viuere.*

DEVS tuus quadraginta) Deus tuus iam quadraginta &c.

TENTARET, & nota fierent) probaret te, & ſciret quæ &c.

PENVRIA,) & fame te preſſit. Id eſt, reddidit te famelicum.

QVOD ignorabas tu & patres tui:) Vel, quod incognitum tibi erat, & patribus tuis.

VIVIT) viuat. Sic legitur in vetuſtioribus ſcriptis codicibus S. Dionyſii & lato S. Germani. Verti poteſt viuere poſſit.

IN omni verbo quod egreditur &c.) omni re quæ egreditur &c. Id eſt, quacunque re, ſi iuſſerit Dominus.

NON eſt ſubtritus) non fuit diſcalceatus. Id eſt, calcei tui non fuerunt conſumpti vetuſtate, ſpatio XL annorum.

VT recogites) Recogites ergo.

ERVDIVIT te,) erudit te. Vel, caſtigat te.

VT cuſtodias) Cuſtodies itaque.

ET ambules) vt incedas. Id eſt, vt imitêris eum.

ᵃDominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram ᵇriuorum aquarúmque, & fontium: in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyſſi: Terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus & malogranata, ᶜ& olиueta naſcuntur: terram ᵈolei ac mellis. ᵉVbi abſque vlla penuria comedes panem tuum, & rerũ omnium abundantia perfruêris: cuius ᶠlapides ferrũ ſunt, & de montibus eius æris metalla fodiuntur: ᵍVt cum comederis, & ſatiatus fueris, ʰbenedicas Domino Deo tuo pro Terra optima quam dedit tibi.

DOMINVS enim Deus tuus introducet) Quando Dominus Deus tuus introduxerit te &c.

RIVORVM aquarũmque,) torrentium aquarum. Id eſt, in qua ſint multi amnes, ſiue flumina. *Torrentes aquarum.*

ET oliueta) Iſtud non legitur Hebraice.

OLEI) oliuæ olei. Id eſt, oliuæ fructiferæ. *Oliua olei.*

VBI abſque &c. cuius) Terram inquam in qua non comedes panem in egeſtate, & in qua non egebis vlla re. cuius lapides, &c.

LAPIDES ferrum ſunt,) Hebraiſmus, pro, in qua ſunt fodinæ ferreæ. *Lapides ferrũ ſunt.*

VT cum comederis,) Et quum comederis.

BENEDICAS) benedic. Verti poteſt, Et cum comederis, & ſatiatus fueris, & benedixeris, &c. obſerua & caue &c.

Obſerua & caue nequando obliuiſcaris Domini Dei tui, ᵃ& negligas mandata eius atque iudicia & ceremo-

nĩas quaſego præcipio tibi hodie:ne poſtquã comederis & ſatiatus fueris,domos pulchras ædificaueris,& habitaueris in eis,habueríſque armenta boũ,& ouiũ greges, argẽti & auri, cũctarúmq; rerũ copiã, eleuetur cor tuũ, & non reminiſcaris Domini Dei tui, qui eduxit te de Terra-AEgypti,de domo ſeruitutis: & ductor tuus fuit in ſolitudine magna atq; terribili,in qua erat "ſerpens flatu adurens,& ſcorpio 'ac dipſas,& nullæ omnino aquæ: ‖qui eduxit "riuos de petra duriſſima,‖& cibauit te Manna in ſolitudine, 'quod neſcierunt Patres tui. Et poſtquam afflixit ac probauit, ad extremũ miſertus eſt tui, 'ne diceres in corde tuo,Fortitudo mea,& robur manus meæ,"hæc mihi omnia præſtiterunt.Sed recorderis Domini Dei tui,"quòd ipſe vires tibi præbuerit,vt impleret pactum ſuum, ſuper quo iurauit patribus tuis,ſicut præſens indicat dies.Sinautem oblitus Domini Dei tui,ſecutus fueris deos alienos, colueríſque illos & adoraueris: 'ecce nunc prædico tibi quòd omnino diſpereas.Sicut Gentes quas "deleuit Dominus in introitu tuo, ita & vos peribitis, 'ſi inobedientes fueritis voci Domini Dei veſtri.

Nu.20.b.11.a. Exo.16.d.17.a

ET negligas mandata eius) non obſeruando præcepta eius. Vel,Ita vt non obſerues præcepta eius. Hic declarat quid ſit obliuiſci Dominum: nempe præcepta eius non obſeruare. Obliuiſci Dominum.

SERPENS flatu adurens,& ſcorpio) magna multitudo ſerpentum flatu adurentium,& ſcorpionum.

AC dipſas) ac ſiccitas.Id eſt,in ſolitudine ſiticuloſa.

RIVOS) aquam.

QVOD neſcierunt &c.ne diceres) incognito patribus tuis, vt affligeret te, & probaret te: vt benefaceret tibi in nouiſſimo tuo. ne diceres &c. Id eſt, vt fide tua probata,tandẽ,ſiue ad extremũ,te afficeret beneficio nõ vulgari: vt tandẽ te mitteret in poſſeſſionem Terræ ſanctæ.Oblongum & Paruum exemplar S.Germani legunt,Probauit te.

NE diceres) caue ne dixeris.

HAEC mihi omnia præſtiterunt.) fecit mihi ſubſtantiam hanc. Id eſt, peperit mihi has opes.

QVÒD ipſe vires tibi præbuerit,vt impleret pactũ &c.) quia ipſe eſt qui dat tibi vires quibus pares tibi opes,vt impleat pactum ſuum quod iurauit &c.

ECCE nunc prædico tibi quòd omnino diſpereas.) teſtor (ſub.cælum & terram)contra vos hodie,quòd certiſſimè peribitis.

DELEVIT) perditurus eſt.

SI inobedientes) eo quòd inobedientes fueritis &c.

CAP. IX

AVDI Iſrael, Tu tranſgredieris hodie Iordanem, vt poſſideas nationes maximas & fortiores te, ciuitates ingentes, & ad cælum vſque muratas, populum magnũ atque ſublimem, filios enacim quos ipſe vidiſti & audiſti, quibus nullus poteſt ex aduerſo reſiſtere. Scies ergo hodie quòd Dominus Deus tuus ipſe trãſibit ante te, ignis deuorans atque conſumens, qui cõterat eos & deleat atque diſperdat ante faciem tuam velociter, ſicut locutus eſt tibi.

TV tranſgredieris) Tu tranſgrederis, Præſenti tempore, vt etiam legit Paruũ exemplar S. Germani. eſt tamen præſens pro futuro.

SVBLIMEM,) Vel, proceræ ſtaturæ.

FILIOS enacim &c. Scies ergo hodie &c.) filios gigãtum, quem (ſcilicet populum) tu noſti, & de quo tu audiſti, (ſub. ab exploratoribus quæ ſequuntur.) Quis reſiſtet aduerſus gigantes? Scito itaque hodie &c.

IGNIS) Subaudiendum eſt TANQVAM, aut ſimilis dictio, tanquam ignis.

QVI conterat &c. velociter,) Ipſe enim delebit eos, & idẽ humiliabit eos ante te: & ita expelles eos, & perdes velociter, &c.

Ne dicas in corde tuo cum deleuerit eos Dominus Deus tuus in cõſpectu tuo, Propter iuſtitiam meam introduxit me Dominus vt Terram hanc poſſiderem, cũ propter impietates ſuas iſtæ deletæ ſint nationes. Neq; enim propter iuſtitias tuas, & æquitatem cordis tui ingredieris vt poſſideas Terras earum: ſed quia illæ egerunt impiè, introeunte te deletæ ſunt: & vt compleret verbum ſuum Dominus, quod ſub iuramẽto pollicitus eſt patribus tuis Abraham, Iſaac & Iacob. Scito ergo quòd nõ propter iuſtitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi Terram hanc optimam in poſſeſſionem, cum duriſſimæ ceruicis ſis populus.

DELEVERIT) expulerit.

CVM propter impietates ſuas iſtæ deletæ ſint nationes.) & propter improbitatem ipſarum gentium expulit eas à facie mea.

INGREDIERIS) ingrederis, Præſenti tempore: vt etiã in Paruo S. Germani legitur. eſt tamen præſens pro futuro.

DELETAE ſunt:) expulit eas Dominus Deus tuus.

DEDERIT) dat. Vel, daturus eſt.

CVM duriſſimæ ceruicis ſis populus.) quia populus duræ ceruicis es. Id eſt, rebellis, qui non pares Domino Deo tuo.

Memento,& ne obliuiſcaris quomodo ad iracūdiam prouocaueris Dominum Deum tuum in ſolitudine: ' & ex eo die quo egreſſus es ex AEgypto vſque ad locum iſtum ſemper aduerſum Dominum 'contendiſti. Nam & in Horeb 'prouocaſti eum,& 'iratus delere te voluit, quando aſcēdi in montem, vt acciperem 'duas 'tabulas lapideas pacti quod pepigit vobiſcum 'Deus : & 'perſeueraui in monte quadraginta diebus ac noctibus, panē non comedens, & aquam non bibens. Dedítque mihi Dominus duas tabulas lapideas ſcriptas ' digito Dei,& continētes omnia verba quæ vobis locutus eſt in mōte de medio ignis, quando concio populi 'congregata eſt. Cúmque trāſiſſent quadraginta dies, & totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas,tabulas fœderis,dixítque mihi,Surge,& deſcende hinc citò: 'quia populus tuus quem eduxiſti de AEgypto, deſeruerunt velociter viam,quam 'demōſtraſti eis,' feceruntque ſibi cōflatile. Rurſúmque ait Dominus ad me,'Cerno quòd populus iſte duræ ceruicis ſit: dimitte me vt conteram eum,& 'deleam nomen eius de ſub cælo,& 'conſtituam te ſuper Gentem quæ hac maior & fortior ſit.

Exod.17.19.31.32.

ET ex eo die) Conjunctionem ET, Latina exemplaria ſcripta S.Germani, & Dionyſii hoc loco non legunt.

CONTENDISTI.) rebellis fuiſti.

PROVOCASTI) Vel,iraſci feciſti.

IRATVS delere,) iratus Dominus contra te, delere.Hebraice ad verbum legitur,Et iratus eſt Dominus contra vos ad delendos vos. Id eſt, iratus eſt ita vt interminaretur ſe deleturum vos.

DVAS) Ne in vetuſtioribus quidem codicibus S.Dionyſii,Germani,& Victoris legitur hoc loco hæc dictio.

TABVLAS lapideas pacti) Id eſt,in quibus ſcriptum erat pactum quod pepigerat &c.

DEVS:) Domin⁹.Sic in vetuſtiorib⁹ Latinis codicib⁹ S.Germani & Dionyſii.

PERSEVERAVI) ſedi.Vel,remanſi.

DIGITO Dei,) Id eſt,diuinitus.Digito Dei,pro,digito ſuo.Hebraiſmus. Digito Dei.

CONGREGATA eſt.) Id eſt, die quo congregati eſtis vt audiretis cōditiones pacti quod inire volebat vobiſcum.

QVIA populus) quia corrupit ſeſe populus. Ita habetur in Hebræo: Id eſt, lapſus eſt populus in idololatriam.

DEMONSTRASTI) præceperam. Legem intelligit qua vetatur idololatria.

FECERVNTQVE) fecerunt enim.

CERNO quòd &c. dimitte) Contemplatus ſum populum hunc, & ſanè populus duræ ceruicis eſt. Id eſt, immorigerus & rebellis.

DELEAM nomen eius de ſub cælo,) Id eſt, faciam vt ampliùs non nominentur ſub cælo.

CONSTITVAM te ſuper gentem) faciam te in gentem. Id eſt, faciam vt ex te prodeat gens numeroſior & robuſtior illo populo Iſraelitico.

Cúmque de monte ardente deſcenderem, & duas tabulas fœderis vtraque tenerem manu, vidiſſémque vos peccaſſe Domino Deo veſtro, '& feciſſe vobis vitulum conflatilem, ac deſeruiſſe velociter viam eius quam vobis oſtenderat: 'proieci tabulas de manibus meis, cõfregíque eas in conſpectu veſtro. Et procidi ante Dominũ ſicut prius, quadraginta diebus & noctibus panem non comedens, & aquam non bibens, propter omnia peccata veſtra 'quæ geſſiſtis contra Dominum, & eum ad iracundiam prouocaſtis. timui enim indignationem & iram illius, qua aduerſum vos concitatus, delere vos voluit. Et exaudiuit me Dominus etiam hac vice.

ET feciſſe) feceratis enim vobis &c.

PROIECI tabulas) Amplius legitur in Hebræo, Proieci duas illas tabulas.

QVAE geſſiſtis contra Dominum, & eum ad iracundiam prouocaſtis) quæ peccaueratis, faciendo malum in oculis Domini, vt eum prouocaretis ad iram.

Aduerſum Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum "contercre, & pro illo ſimiliter deprecatus ſum. 'Peccatum autem veſtrum quod feceratis, id eſt vitulũ, arripiens, igne combuſſi, & in fruſta comminuens, omninóque in puluerem redigens, proieci in torrẽtem qui de monte deſcendit.

CONTERERE,) perdere.

PECCATVM autem veſtrum quod feceratis, id eſt vitulum,) Hoc eſt, vitulum quem curaueratis fieri, peccantes in Deum.

'In Incendio quoque, & in Tentatione, & in Sepulchris-concupiſcentiæ prouocaſtis Dominum: & 'quando miſit vos de Cades-barne, dicens, Aſcendite, & poſſidete Terram quam dedi vobis. & contempſiſtis imperium Domini Dei veſtri, & non crediſtis ei: neq; vocem eius audire voluiſtis, ſed ſemper fuiſtis rebelles à die qua noſſe vos cœpi. Et 'iacui coram Domino qua-

draginta diebus ac noctibus,'quibus cum ſuppliciter deprecabar, 'ne deleret vos vt fuerat cõminatus: & orans dixi, Domine Deus, ne diſperdas populum tuum, & hæreditatem tuam, quam redemiſti 'in magnitudine tua, quos eduxiſti de AEgypto in manu forti. Recordare ſeruorum tuorum Abraham, Iſaac, & Iacob: ne aſpicias duritiam populi huius, & impietatem atque peccatum: ne fortè dicant habitatores terræ, de qua eduxiſti nos, Non poterat Dominus introducere eos in Terram quam pollicitus eſt eis, & oderat illos: idcirco eduxit, vt interficeret eos in ſolitudine. 'qui ſunt populus tuus & hæreditas tua, quos eduxiſti in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento.

IN Incendio quoque, & in Tentatione, & in Sepulchris-cõcupiſcentiæ) Id eſt, In eo loco qui dictus fuit cõflagratio, propter combuſtionẽ in eo factã, Num. 11.a. & in eo loco qui poſtea dictus eſt Tentatio, Exod. 17. b. & in alio loco qui poſtea cognominatus eſt Sepulchra-concupiſcentiæ, Num. 11.a.

QVANDO miſit vos de Cadeſ-barne) quum miſiſſet vos de Cadeſ-barne. De Cadeſ-barne miſſi ſunt exploratores: & quando redierunt, adhuc populus erat in Cadeſ-barne.

IACVI) prócidi.

QVIBVS cum ſuppliciter deprecabar,) quibus procidi. Id eſt, tanto autem temporis ſpatio corrui ante Deum, vt orarem.

NE deleret vos vt fuerat cõminatus:) quia dixerat Dominus quòd deleret vos.

IN magnitudine tua,) Id eſt, viribus tuis inſuperabilibus. Declarat quum ſtatim pòſt dicit, in manu forti.

QVI ſunt) ipſi autem ſunt &c.

CAP. X.

IN tempore illo dixit Dominus ad me, ‖Dola tibi duas tabulas lapideas, ſicut priores fuerũt, & aſcende ad me in montem: 'faciéſque arcam ligneam, & ſcribam in tabulis verba quæ fuerunt in his quas antè confregiſti, ponéſque eas in arca. Feci igitur arcam 'de lignis ſetim: cúmque 'dolaſſem duas tabulas lapideas inſtar priorum, aſcendi in montem, habens eas in manibus. Scripſítque in tabulis iuxta id quod prius ſcripſerat, 'Verba decem, 'quæ locutus eſt Dominus ad vos in mõte de medio ignis, quando populus congregatus eſt, & 'dedit eas mihi. Reuerſúſque de monte, deſcendi, & Exod. 34. a.

poſui tabulas in arcam quam 'feceram, quæ hucuſque ibi ſunt, ſicut mihi præcepit Dominus.

FACIESQVE arcam) & cura faciendam tibi arcam &c.
DE lignis ſetim:) de lignis cedrinis. Ea ligna non patiuntur putredinem.
DOLASSEM) Vel, curaſſem dolandas.
Verba decẽ. VERBA decem,) Id eſt, Decalogum.
QVAE locutus eſt) quæ locutus fuerat.
DEDIT) reddidit.
FECERAM,) Id eſt, curaueram faciendam.

Num. 33. d. ‖Filii autem Iſrael mouerunt caſtra 'ex Beroth-filiorum-Iacan in 'Moſera, ‖vbi Aaron 'mortuus & ſepultus Num. 20. d. eſt, pro quo ſacerdotio functus eſt Eleazar filius eius.

EX Beroth-filiorum-Iacan) Id eſt, ex Cades, vt Nume. 20, d. legitur.
Moſera. MOSERA,) Hic locus dicitur Nume. 20. d. Hor mons.
MORTVVS) Non eo anno mortuus eſt Aaron quo peccauit, ſed quadrageſimo anno pôſt.

Inde venerunt in Gadgad: de quo loco profecti, caſtrametati ſunt in Ietebatha, 'in terra aquarum atque torrentium. Eo tempore ſeparauit tribum Leui, vt portaret arcam fœderis Domini, & ſtaret coram eo in miniſterio, ac 'benediceret in nomine illius vſque in præſentem diem. Quam ob rem non habuit 'Leui partem, neque poſſeſſionem cum fratribus ſuis: quia ipſe Dominus poſſeſſio eius eſt, ſicut promiſit ei Dominus Deus tuus. Ego autem ſteti in monte, ſicut prius, quadraginta diebus ac noctibus: exaudiuítque me Dominus etiam hac vice, & te perdere noluit. Dixítque mihi, Vade, & præcede populũ, vt ingrediatur, & poſſideat Terram quam iuraui patribus eorum vt traderem eis.

Terra torrentium aquarũ. IN terra aquarum atque torrentiũm.) terra torrentium aquarum. Id eſt, patria in qua multi ſunt amnes. Per appoſitionem dictum.
Benedicere in nomine Domini. BENEDICERET in nomine) Id eſt, vt bene precaretur populo, inuocato nomine Domini.
LEVI) Leuitas intelligit nomine Leui: quaſi dicat, Non habuerunt Leuitæ partem.

Et nunc Iſrael quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas 'Dominum Deum tuum, & ambules 'in viis eius, & diligas eum, ac ſeruias Domino Deo tuo 'in toto corde tuo, & 'in tota anima tua: 'cuſtodiáſque mãdata Domini, & 'ceremonias eius quas ego hodie præci-

pio tibi, vt bene ſit tibi? En Domini Dei tui 'cælum eſt, & cælum cæli, terra, & omnia quæ in ea ſunt: '& tamen patribus tuis cõglutinatus eſt Dominus, & amauit eos, elegitque ſemen eorum 'poſt eos, id eſt vos, 'de cunctis Gentibus, ſicut hodie comprobatur.

DOMINVM Deum tuum,) Id eſt, ipſum. Hebraiſmus.
IN viis eius,) in omnibus viis eius.
IN toto corde tuo,) Vel, tota mente tua.
IN tota anima tua:) Id eſt, toto affectu.
CVSTODIASQVE) cuſtodiendo.
CEREMONIAS eius quas) ſtatuta eius quæ &c.
CAELVM eſt, & cælum cæli,) ſunt cæli, & cæli cælorum. Eadem vox hic ter repetitur, incremẽti cauſa: quaſi dicat, cæli vaſtiſſimi qui ſeſe latiſſime porrigũt. Vel, & cæli cælorum, id eſt, & omnia quæ in illis ſunt. Cælum cæli.
ET tamen &c. elegitque) Veruntamen (vel, Tantummodo) in patribus tuis beneplacitum eſt Domino, diligendo eos. Id eſt, Solum patres tuos vehementiſſime dilexit, non alias nationes: & propter eos ſolos te delegit quẽ amaret, & beneficiis omnis generis cumularet.
POST eos,) Id eſt, ipſis mortuis.
DE cunctis Gentibus, ſicut hodie comprobatur) præ cunctis populis, vt hodie videtis.

'Circuncidite igitur præputiũ cordis veſtri, & 'ceruicem veſtrã ne induretis amplius: quia Dominus Deus
veſter ipſe eſt 'Deus deorum, & 'Dominus dominantiũ,
Deus magnus, & potens, & terribilis, qui perſonam nõ 2. Paral. 19. c.
accipit, nec munera. 'Facit iudiciũ pupillo & viduæ, a- iob 34. b. ſapi. 6. b. eccli 35. b.
mat peregrinum, & dat ei victum atq; veſtitum. & vos rom. 2. b. gal. 2. b.
ergo amate peregrinos, quia & ipſi fuiſtis aduenæ in Terra AEgypti. Dominum Deũ tuum timebis, '& ei ſoli 5 6. e. matth. 4. b. luc. 4. b.
ſeruies: ipſi adhærebis, iurabiſque 'in nomine illius. Ipſe eſt 'laus tua, & Deus tuus, qui 'fecit tibi hæc magnalia
& terribilia quæ viderũt oculi tui. 'In ſeptuaginta ani- Gen. 46. c.
mabus deſcenderunt patres tui in AEgyptũ: & ecce nũc multiplicauit te Dominus Deus tuus ſicut aſtra cæli.

CIRCVNCIDITE igitur præputiũ cordis veſtri,) Id eſt, Tollite velũ & operimentum quo impeditur cor veſtrum & mens veſtra ne videat. Curate vt videat cor veſtrum, & cernat res agendas vobis. Circuncidere præputiũ cordis.
CERVICEM veſtram ne induretis amplius:) Hoc eſt, ne poſthac recuſetis Domino obſequi. Ceruicem indurare.
DEVS deorum,) Id eſt, vnicus eſt deus qui primas tenet inter omnes deos. Deus deorũ.
DOMINVS dominantiũ,) Quaſi dicat, longe maior & potentior eſt iis quos idololatræ deos vocant. Dominus dominantium.
FACIT iudicium pupillo) Vel, Ius reddit pupillo &c.

ET ei ſoli ſeruies:) illum coles. Dictio SOLI, hoc loco non legitur ne in vetuſtioribus quidem codicibus S. Dionyſii, Germani & Victoris.

IN nomine). per nomen eius. Non autem per nomen idóli cuiuſcunque.

Laus noſtra, Deus.

LAVS tua,) Hebraiſmus. Id eſt, de quo gloriari debes, iactan do eius beneficia erga te.

Facere magnalia.

FECIT tibi hæc magnalia) fecit tecũ hæc magna. Id eſt, tua cauſſa. In gratiam tuam fecit has res maximas. A quo tanta beneficia accepiſti.

Anima.

IN ſeptuaginta animabus) Id eſt, in ſeptuaginta perſonis deſcenderunt patres tui in AEgyptum. Id eſt, cum patres tui deſcenderunt in AEgyptum, tantum erant ſeptuaginta perſonæ. Hebraiſmus.

CAP. XI.

AMA itaque Dominum Deum tuum, & 'obſerua præcepta eius & ceremonias, iudicia atque mandata omni tempore.' Cognoſcite hodie ('quæ ignorant filii veſtri qui non viderunt) 'diſciplinam Domini Dei veſtri,'magnalia eius & robuſtam manũ, 'extentúmque brachium, ſigna & opera quæ fecit in medio AEgypti Pharaoni regi, & vniuerſæ terræ eius, omníque exercitui AEgyptiorum, & equis ac curribus: 'quomodo operuerint eos aquæ Maris-rubri, cum vos perſequerentur, & 'deleuerit eos Dominus vſque in præſentem diem: vobíſque quæ fecerit in ſolitudine, donec veniretis ad hũc

Num. 16. c.

locum: & ‖Dathan atque Abîron filiis Eliab, qui fuit filius Ruben: quos aperto ore ſuo terra abſorbuit cũ domibus & tabernaculis, & vniuerſa ſubſtãtia eorum, 'quã habebant in medio Iſrael.

Cuſtodire cuſtodiam.

OBSERVA præcepta eius & ceremonias,) cuſtodi cuſtodiã eius, nempe ſtatuta. Id eſt, cuſtodi ea quæ præcepit cuſtodienda, nempe, ritus eius &c.

COGNOSCITE hodie) Scitote hodie. Id eſt, opere oſtendite vos intelligere, & memoria tenere diſciplinam & caſtigationem qua erudiit vos Dominus. non enim loquor de rebus futuris, ſed de præteritis.

QVAE ignorant filii veſtri qui non viderunt) non enim (ſub. loquor) cũ filiis veſtris qui non nouerunt, neque viderunt, quæ ſcilicet fecit Dominus in gratiã Iſraelis. Paulo poſt ſequitur, Oculi enim veſtri viderũt omnia &c. tãquam reddat rationẽ quare eos alloquatur, nõ filios eorũ: quia filii veſtri non viderũt, ſed vos. Hæc legitur per parẽtheſin. Accuſatiuus DISCIPLINAM, regitur à COGNOSCITE, Cognoſcite hodie diſciplinam &c.

Diſciplina Domini.

DISCIPLINAM) Vel, caſtigationem, Id eſt, quibus modis vos erudiuit Dominus poſt egreſſum ex AEgypto.

Magnalia Dei

MAGNALIA eius) Id eſt, magnificentiam & magnitudinem eius.

Extẽtum brachium Dei.

EXTENTVMQVE brachium,) quaſi dicat, paratum ad feriendum.

QVOMODO operuerint eos aquæ Maris-rubri,) quãdo inũdare fecit aquas Maris-rubri ſuper facies eorum.

DELEVERIT) perdidit.

QVAM habebant in medio Iſrael.) quæ erat in pedibus eorũ in medio totius Iſraelis. Hebraiſmus eſt. pro, quam ſubſtantiam habebant præſentem. *Subſtantia pedibus.*

'Oculi veſtri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit, 'vt cuſtodiatis vniuerſa mandata illius, quæ ego hodie præcipio vobis,'& poſſitis introire,& poſſidere Terram ad quã ingredimini, multóque in ea viuatis tempore: quam ſub iuramento pollicitus eſt Dominus patribus veſtris, & ſemini eorũ, lacte & melle manantẽ.

OCVLI veſtri) Legendum eſt, Siquidem oculi veſtri. Poſſet ſubaudiri, Alloquor, hoc modo, Alloquor inquam vos, quorum oculi viderunt, &c. Vel ſubaudiatur verbum præcedẽs Cognoſcite, vel Scitote, & memoria tenete beneficia Dei quæ vos ipſi vidiſtis eum in vos contuliſſe, non filii veſtri.

VT cuſtodiatis vniuerſa mandata illius, quæ) Cuſtodite ergo omnia præcepta quæ ego &c.

ET poſſitis introire, & poſſidere Terrã ad quã ingredimini,) vt roboremini, & ingrediamini, poſſideatíſque Terram ad quam tranſituri eſtis vt poſſideatis eã. Paruum exemplar S. Germani legit, vt poſſitis.

Terra enim ad quam'ingredieris poſſidendam, nõ eſt ſicut Terra-AEgypti de qua exiſti, 'vbi iacto ſemine in hortorum morem aquæ ducũtur irriguæ: ſed montuoſa eſt & campeſtris,'de cælo expectans pluuias, quam Dominus Deus tuus'ſemper inuiſit,& oculi illius in ea ſunt à principio anni vſque ad finem eius.

INGREDIERIS) ingrederis. Præſenti tempore, vt etiam legit vetuſtiſſimũ Paruum exemplar S. Germani. Præſens tamen pro futuro poſitum.

VBI iacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ:) in qua ſeminabas ſemen tuum, & irrigabas pede tuo, inſtar horti olerum. Irrigare pede ſuo hortum, eſt deducere aquam quocunque quis vult per ſulcos. Quaſi dicat, humana ope irrigabatur: at terra Chanaan de cælo irrigabitur. *Irrigare pede hortum.*

DE cælo expectans pluuias,) de pluuia cæli bibens aquam. Id eſt, quæ irrigari ſolet aqua cæleſti, non aqua arte ducta per ſulcos.

SEMPER inuiſit, &c.) quærit, & ſemper oculi, &c. Id eſt, cuius curam habere ſolitus eſt, ſempérque reſpicit ſiqu id deſit.

Si ergo obedieritis mãdatis meis, quæ ego hodie præcipio vobis,'vt diligatis Dominum Deum veſtrum, & ſeruiatis ei in toto corde veſtro,& in tota anima veſtra: 'dabit pluuiam terræ veſtræ 'temporaneã & ſerotinam, vt colligatis frumẽtum,& vinum,&'oleum,'fœnúmque ex agris ad paſcenda iumenta,& vt ipſi comedatis ac ſaturemini.

VT diligatis Dominum Deum veſtrum, & ſeruiatis ei) Vel, diligendo Dominum Deum veſtrum, & colendo eum.

DABIT) dabo. Deus loquitur.

Pluuia tēporanea, TEMPORANEAM) Vel,tempeſtiuam. Pluuiam tempeſtiuam vocat eā quæ decidit ſemente facta,germinationis cauſa. Serotinam autem pluuiam intelligit
Serotina pluuia. eam quæ decidere ſolet in Martio,quum iam grandior eſt ſeges.

OLEVM) Addendum ex Hebræo,veſtrum.

FOENVMQVE &c. Cauete) dabo præterea fœnum in agro tuo pro iumentis tuis:comedéſque,& ſaturaberis.

Cauete ne fortè decipiatur cor veſtrum, & recedatis
'à Domino,ſeruiatíſque diis alienis,& adoretis eos:'ira-
túſque Dominus claudat cælum,& pluuiæ non deſcen-
dant,nec terra det germen ſuum,pereatíſque velociter
5.6.b. de Terra optima quā Dominus daturus eſt vobis. ‖Po-
nite hæc verba mea 'in cordibus & animis veſtris,& ſuſ
pendite ea pro ſigno in manibus,& inter oculos veſtros
'collocate.'Docete filios veſtros,'vt illa meditētur,quā-
do ſederis in domo tua, & ambulaueris in via, & accu-
bueris atq; ſurrexeris. Scribes ea ſuper poſtes & ianuas
domus tuæ:vt multiplicentur dies tui,& filiorum tuorū
in Terra quam iurauit Dominus patribus tuis vt daret
eis 'quandiu cælum imminet terræ.

A Domino.) Hæc addidit interpres,explicandæ rei gratia.

IRATVSQVE Dominus) Adde ex Hebræo,contra vos.

PONITE hæc verba) Hebraice legitur,Sed ponite hæc verba.

IN cordibus & in animis veſtris,) Id eſt,in animo & affectu veſtro.

COLLOCATE.) ſint vt frontalia.

DOCETE filios veſtros,) Et docete illa filios veſtros.

VT illa meditētur,) vt loquamini de eis. Vel, vt cōmētemini de eis quādo &c.

Dies cæli. QVANDIV cælum imminet terræ.) iuxta dies cæli ſuper terrā. Id eſt, quādiu cæli imminebunt terræ. Hoc eſt,in æternum.

Si enim 'cuſtodieritis mandata quæ ego præcipio vo-
bis,& feceritis ea,vt diligatis Dominum Deum veſtrū,
& ambuletis in omnibus viis eius, adhærētes 'ei,diſper-
det Dominus omnes gentes iſtas 'ante faciem veſtram,
& poſſidebitis eas quæ maiores & fortiores vobis ſunt.
Ioſue 1.a. ‖Omnis locus quem calcauerit pes veſter, veſter erit: à
deſerto,& à Libano,'& flumine magno Euphrate vſque
ad mare Occidentale erunt termini veſtri. 'Nullus ſta-
bit contra vos:'terrorem veſtrum & formidinem dabit
Dominus Deus veſter ſuper omnem terram quam cal-
caturi eſtis,ſicut 'locutus eſt vobis.

CVSTODIERITIS mandata) cuſtodiendo cuſtodieritis omnia præcepta
iſta. Cuſtodiendo cuſtodire, pro, ſollicite cuſtodire, more Hebraico dictum. Cuſtodiendo cuſtodire.
DISPERDET) expellet.
ANTE faciem veſtram.) Id eſt, ſub aduentum veſtrum.
ET flumine) à flumine. Sic in vetuſtis Latinis codicibus S. Dionyſii & Germani. quaſi dicat à deſerto Meridionali, & Libano qui eſt in parte Septẽtrionali, & Euphrate Orientali, vſque ad &c.
NVLLVS ſtabit contra vos:) Id eſt, nemo reſiſtet vobis. Stare contra aliquem.
TERROREM veſtrum &c.) Hebraiſmus, pro, Dominus reddet vos formidabiles incolis omnium terrarum quas calcaturi eſtis.
LOCVTVS) Vel, pollicitus.

En ʻpropono in conſpectu veſtro hodie ʻbenedictionẽ & maledictionem: benedictionem, ſi obedieritis mandatis Domini Dei veſtri, quæ ego hodie præcipio vobis: maledictionẽ, ſi nõ obedieritis mãdatis Domini Dei veſtri, ſed receſſeritis de via quã ego ʻnunc oſtendo vobis, ʻ& ambulaueritis poſt deos alienos, ʻquos ignoratis.

PROPONO) Vel, propoſiturus ſum.
BENEDICTIONEM & maledictionem:) Vel, fœlicitatem & infœlicitatẽ. Benedictio.
NVNC oſtendo) hodie præcipio.
ET ambulaueritis) ita vt eatis.
QVOS ignoratis.) Id eſt, quorum vires non eſtis experti, neque eorum miracula vidiſtis.

Cũ verò introduxerit te Dominus Deus tuus in Terram, ad quam pergis ʻhabitandam, ʻpones benedictionem ſuper montem Garizim, maledictionẽ ſuper montem Hebal: qui ſunt trans Iordanem ʻpoſt viã quæ vergit ad ſolis occubitum in Terra-Chananæi, qui habitat ʻin campeſtribus cõtra Galgalam, quæ eſt iuxta vallem tendentem & intrantẽ procul. Vos enim trãſibitis Iordanem, ʻvt poſſideatis Terram quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis, ʻvt habeatis & poſſideatis illã. Videte ergo vt impleatis ceremonias atque iudicia quæ ego hodie ponam in conſpectu veſtro. ſ.17.b.c.d.

HABITANDAM,) poſſidendam.
PONES) Vel, dabis. Id eſt, te hortatore & auſpice curabit Ioſue pronuntiandam benedictionem à Leuitis: cui reſpondebunt tribus quæ erunt in monte Garizim. Lege finem cap. XXVII huius libri, & Ioſue octauum caput. Ponere benedictionem ſuper montem.
POST viam quæ vergit ad ſolis occubitum) Vel, in latere viæ quæ vergit ad Occaſum.
IN campeſtribus &c. Vos) in planitie, è regione Galgala iuxta Elone More. Vos &c. Hic locus eſt iuxta Sichem.
VT poſſideatis,) vt pergatis ad poſſidendam Terram &c.
VT habeatis &c.) poſſidebitiſque eam, & habitabitis in ea. Cuſtodite ergo o-

pere complendo omnia ſtatuta,atque iudicia &c.

CAP. XII.

HAEC ſunt 'præcepta atque iudicia quæ facere debetis in Terra quam Dominus Deus patrũ tuorũ daturus eſt tibi,vt poſſideas eam,'cunctis diebus quibus ſuper humum gradicris. Subuertite omnia loca in quibus coluerunt gentes 'quas poſſeſſuri eſtis,deos ſuos,ſuper montes excelſos, & colles,& ſuper omne lignũ frõdoſum. Diſſipate aras earum,& confringite ſtatuas,lucos igne comburite, & 'idôla cõminuite:'diſperdite nomina earum de locis illis.

PRAECEPTA) ſtatuta.Vel, ritus.

CVNCTIS diebus quibus &c.) Subaudiendum, quæ inquam facere debetis: poſtea ſequatur, cunctis diebus &c. Id eſt, quæ facere debetis toto tempore quo vixeritis in Terra quam dederit vobis.

QVAS poſſeſſuri eſtis,) Vel,quarum poſſeſſiones adituri eſtis. Alii colebant idôla in montibus altiſſimis, alii in collibus,alii in locis frondoſis & opacis.

IDÔLA) ſculptilia deorum earum.

DISPERDITE nomina earum de locis illis.) Id eſt, ita ſubuertite locum, vt non relinquatur memoria idolôrum in eo.

Non facietis 'ita Domino Deo veſtro: ſed ad locum quem elegerit Dominus Deus veſter de cunctis tribubus veſtris, 'vt ponat nomen ſuum ibi,'& habitet in eo, venietis: & offeretis in loco illo holocauſta & victimas veſtras,decimas & 'primitias manuũ veſtrarum, & vota atque donaria,primogenita boũ & ouiũ.Et comedetis ibi in conſpectu Domini Dei veſtri:ac'lætabimini in cunctis ad quæ miſeritis manũ vos & domus veſtræ 'in quibus benedixerit vobis Dominus Deus veſter.

ITA) Id eſt,talia qualia faciunt gentes. quaſi dicat, non vbicunque libuerit, coletis Deum veſtrum,ſed conferetis vos ad eum locum quem &c.

VT ponat nomen ſuum ibi,) Id eſt,vt illic colatur.

ET habitet in eo,venietis:& offeretis) & locũ vbi habitatio eius fuerit, (Vel, & tabernaculũ eius) requiretis,& venietis illuc:afferetiſque eò holocauſta &c.

Primitiæ manuum.

PRIMITIAS manuũ veſtrarum,) oblationem manus veſtræ. Id eſt, primitias veſtras,quas ſoletis offerre Deo.Sic in ſequentibus intelligendum.

LAETABIMINI in cunctis &c.) Id eſt,poſtcaquã ſic feceritis,proſpere ſuccedet vobis quicquid tractaueritis,quia Deus benedicet vobis.

אֲשֶׁר כִּי

IN quibus) Vox Hebræa ASER, pro qua interpres vertit in quibus,poſita eſt pro QVI,quæ ſignificat quia. vertendum igitur,quia benedicet &c.

Non facietis 'ibi quæ nos 'hîc facimus 'hodie,ſinguli quod ſibi rectum videtur.Neque enim vſque in præſens

tempus veniſtis ad requiem, & poſſeſſionem quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis. 'Tranſibitis Iordanem, & habitabitis in Terra quam Dominus Deus veſter 'daturus eſt vobis, 'vt requieſcatis à cunctis hoſtibus per circuitum: & abſque vllo timore 'habitetis. in loco quem elegerit Dominus Deus veſter 'vt ſit nomen eius in eo, illuc omnia 'quæ præcipio, conferetis, 'holocauſta, & hoſtias, ac decimas, & primitias manuum veſtrarum: & quicquid præcipuum eſt in muneribus quæ vouiſtis Domino. Ibi 'epulabimini corã Domino Deo veſtro, vos & filii ac filiæ veſtræ, famuli & famulæ atque Leuites, qui 'in vrbibus veſtris 'commorantur. neque enim habet aliam partem & poſſeſſionem inter vos. Caue ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris: ſed in eo quem elegerit Dominus, in vna tribuum tuarum offeres 'hoſtias, & facies quæcunque præcipio tibi.

IBI) ſecundum omnia. Id eſt, Non facietis omnino vt nos &c.
HIC) Id eſt, extra Terram ſanctam.
HODIE,) Ante ingreſſum ſcilicet Terræ ſanctæ.
TRANSIBITIS) Hebraice legitur, Sed tranſibitis.
DATVRVS eſt vobis,) Adde ex Hebræo, iure hæreditario.
VT requieſcatis) dabitque vobis requiem.
HABITETIS.) habitabitis.
VT ſit nomen eius in eo,) Id eſt, vt colatur illic.
QVAE præcipio) Adde ex Hebræo, vobis.
HOLOCAVSTA,) Hebraice legitur, holocauſta veſtra. ita etiam legit Paruũ exemplar S. Germani.
EPVLABIMINI,) lætabimini. Vel, epulabimini cum lætitia.
IN vrbibus) Hebraice legitur, in portis. id eſt vrbibus. Hebraiſmus.
COMMORANTVR.) Singulariter legendum, cõmoratur: vt ad Leuites referatur. ſic etiã legitur in Paruo & Lato exẽplaribus S. Germani, & in Moguntinẽſi editione.
HOSTIAS,) holocauſta tua.

Vt ſit nomen eius in eo.

'Si autem comedere volueris, & te eſus carnium delectauerit, occîde, & comede iuxta 'benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi 'in vrbibus tuis: 'ſiue immundum fuerit, hoc eſt maculatum & debile: ſiue mũdum, hoc eſt integrũ & ſine macula, quod offerri licet: ſicut capream & ceruũ comedes, abſque eſu duntaxat ſanguinis, quem ſuper terram quaſi aquam effundes.

Non poteris comedere "in oppidis tuis decimam frumenti,& vini, & olei tui, primogenita armentorum & pecorum,& omnia quæ voueris,& ſponte offerre volueris,& primitias manuum tuarum:ſed coram Domino Deo tuo comedes ea in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, tu & filius tuus & 'filia, & ſeruus & famula, atque Leuites,qui "manent in vrbibus tuis : & 'lætaberis '& reficieris coram Domino Deo tuo in cũctis 'ad quæ extenderis manum tuam.

SI autem comedere volueris,& te eſus carniũ delectauerit,occide,& comede) Veruntamen iuxta omne deſyderium animæ tuæ mactabis (ſub. animalia munda) & comedes carnes &c.Id eſt, Siquando libuerit comedere carnes, occide & manduca.

Benedictio. BENEDICTIONEM) benedictionem pro opibus ponit. Id eſt,ſecundum opes tuas.

Intra portas tuas. IN vrbibus tuis:) intra omnes portas tuas.Id eſt, in quacũque vrbe habitaueris,vbicunque locorum fueris.

SIVE immundum &c.Non) Immundus & mundus veſci poterit illis,vt caprea & ceruo: ita duntaxat,vt ſanguinem non comedatis, verum in terram effundetis illum tanquã aquã.Non &c.Id eſt,vt ſolet effundi aqua.Ceruus & caprea munda erant animalia,ſed Deo non ſolent offerri.

Caprea. Ceruus.

IN oppidis) Ieroſolymis poterant comedere,non autem in aliis vrbibus.Altera pars decimarum debebatur Leuitis qui extra Ieruſalem agebant, & altera his qui Ieroſolymis erant.Et Ieroſolymis tum licebat edere cum Leuitis de decimis & primogenitis.Lege infrà cap.14.

FILIA,) Oblongum & Paruum exemplar S.Germani legunt filia tua.

MANENT) manet.Singulari numero,vt etiam legitur in antiquioribus exemplaribus S.Germani,Dionyſii,& Victoris.

LAETABERIS) Vel,epulaberis cum gaudio.

ET reficieris) Hæc verba non leguntur Hebraice.

AD quæ extenderis) ad quæ miſeris.Id eſt,In omnibus facultatibus tuis.

Caue ne derelinquas Leuiten in omni tempore quo verſaris "in Terra. Quãdo dilatauerit Dominus Deus tuus 'terminos tuos, ‖ſicut locutus eſt tibi, '& volueris veſci carnibus quas deſyderat anima tua: locus autẽ quem elegerit Dominus Deus tuus, 'vt ſit nomen eius ibi,ſi procul fuerit,"occides de armẽtis & pecoribus'quæ habueris,'ſicut præcepi tibi,& comedes in oppidis tuis, 'vt tibi placet.'Sicut comeditur caprea & ceruus,ita veſcẽris eis:'& mundus & immundus'in cõmune veſcẽtur.

Gen 28.c. 1.19 c.

IN Terra.) Hebraice legitur,in Terra tua.Id eſt,in Terra quam daturus eſt tibi Deus.

גְבוּל TERMINOS tuos,) Vel,regionem tuam.Vox enim Hebræa GEBVL, ter-

minum ſignificat & regionē,quòd regio finibus & terminis circunſcribi ſoleat.

ET volueris &c. Dominus) & dixeris, Volo edere carnes: quòd deſyderet anima tua veſci carnibus: omnino pro deſyderio tuo edere poteris carnes. Si autem locus quem elegerit Dominus &c.

VT ſit nomen eius ibi,) Id eſt, in quo volet ipſe inuocari & implorari.

OCCIDES) Hebraice legitur, Tunc occides.

QVAE habueris,) quæ dederit tibi Dominus.

SICVT præcepi tibi,) Id eſt, ſeruatis legibus quas præcepi tibi.

VT tibi placet.) ſecūdum omne deſyderium animæ tuæ. Id eſt, prorſus vt deſyderabis, & quantuncunque libuerit.

SICVT comeditur caprea) Verum ea lege, vt quemadmodum comedi ſolet caprea &c.

ET mundus) Hic ET, pro ID EST, poſitum eſt: declarat enim quod præcedit, Sicut caprea.

IN commune) pariter. Aut, ſimul. Id eſt, ſine diſcrimine veſci poterunt his carnibus, quia Deo non ſunt oblatæ.

'Hoc ſolum caue, ne ſanguinē comedas. ſanguis enim eorum pro anima eſt: & idcirco non debes 'animam comedere cum carnibus: ſed ſuper terram fundes quaſi aquam, vt bene ſit tibi & filiis tuis poſt te, 'cum feceris quod placet in conſpectu Domini. 'Quæ autem ſanctificaueris & voueris 'Domino, tolles, & venies ad locum quē elegerit Dominus: & offeres 'oblationes tuas 'carnem & ſanguinem ſuper altare Domini Dei tui: ſanguinem 'hoſtiarum fundes 'in altari, carnibus autē ipſe veſcêris. Obſerua, & 'audi omnia quæ ego præcipio tibi, vt bene ſit tibi & filiis tuis poſt te in ſempiternum, cum feceris quod bonum eſt & placitum in conſpectu Domini Dei tui.

HOC ſolum caue,) Sed roborare, vt ne &c. Id eſt, robuſtus eſto, vel conſtanter abſtine ab eſu ſanguinis, aut forti animo abſtine.

ANIMAM) Id eſt, ſanguinem qui eſt ſedes animæ. quia ſanguine alitur & ſeruatur vita, animam vocat vitam. Anima pro vita.

CVM feceris) Vel, facies enim quod placet, &c.

QVAE autem ſanctificaueris) Veruntamen ſanctificata tua quæ fuerint apud te. Id eſt, Ea quæ conſecraueris Domino Deo tuo.

DOMINO,) Hæc dictio adiecta eſt ab interprete, explicationis gratia.

OBLATIONES tuas) holocauſta tua.

CARNEM & ſanguinem) Id eſt, ex carne & ſanguine.

HOSTIARVM) Addendū pronomen TVARVM. ſic etiam legitur in Paruo exemplari S. Germani

IN altari,) Legitur in Hebraico codice, in altari Domini Dei tui.

AVDI omnia quæ) audi omnia verba hæc quæ &c.

Quando diſperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam Gentes ad quas 'ingredieris poſſidendas, &

poſſederis eas, atque habitaueris in Terra earum, caue ne imiteris eas, poſtquam te fuerint introeunte ſubuerſæ, & requiras ceremonias earum, dicens, Sicut coluerunt Gentes iſtæ deos ſuos, ita & ego colam. Nō facies ſimiliter Domino Deo tuo. omnes enim abominationes quas auerſatur Dominus, fecerunt diis ſuis, offerentes filios & filias, & comburentes igni. Quod præci-
53.d. prouer. 30.b. pio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.

INGREDIERIS) ingrederis. Præſenti tempore. Sic etiam legitur in Paruo exemplari S. Germani.

NE imiteris eas,) ne te in laqueum coniicias poſt eas. Id eſt, ne imiteris cultū illarum gentium.

ET requiras ceremonias earum,) & ne requiras deos earum. Id eſt, caue ne inquiras de cultu idolorum illarum gentium.

SICVT coluerunt) Qua ratione colebant Gentes &c. Præteritum perfectū pro imperfecto.

NON facies ſimiliter Domino Deo tuo.) Id eſt, Non afficies Dominum hac contumelia, vt cum eo vnà colas deos alienos.

OFFERENTES filios & filias, & comburentes igni.) nam etiam filios ſuos & filias ſuas comburebant igni diis ſuis.

QVOD præcipio tibi, hoc tantum facito Domino:) Quicquid igitur præcipio vobis, illud cuſtodietis, ita vt faciatis illud.

NEC minuas.) Hebraice legitur, nec minuas ex eo.

CAP. XIII.

SI ſurrexerit in medio tui prophetes, aut qui ſomniū vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignū atque portentū, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi, Eamus, & ſequamur deos alienos (quos ignoras) & ſeruiamus eis: nō audies verba prophetæ illius aut ſomniatoris: quia tētat vos Dominus Deus veſter, vt palàm fiat vtrum diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima veſtra. Dominum Deum veſtrum ſequimini, & ipſum timete, & mandata illius cuſtodite, & audite vocem eius: ipſi ſeruietis, & ipſi adhærebitis. Propheta autem ille aut fictor ſomniorum interficietur: quia locutus eſt vt vos auerteret à Domino Deo veſtro, qui eduxit vos de Terra AEgypti, & redemit vos de domo ſeruitutis: vt errare te faceret de via quā tibi præcepit Dominus Deus

tuus: & 'auferes malum de medio tui.

SVRREXERIT) Vel, extiterit.

AVT qui ſomniū vidiſſe ſe dicat,) aut ſomniās ſomniū. Id eſt, fictor ſomniorū. Quaſi dicat, ſiquis inter vos dicat ſe præditum prophetia, aut ſomniandi arte.

PRAEDIXERIT) dederit. Id eſt, ediderit aliquod miraculum.

QVOD locutus eſt,) ſignum aut portentum quod prædixit tibi.

VT palàm fiat,) Vel, vt ſciatur, aut, palàm ſit.

LOCVTVS eſt vt vos auerteret à Domino Deo veſtro,) dixit auerſionem contra Dominum &c. Id eſt, verbis voluit vos auocare à cultu Dei.

REDEMIT) Vel, liberauit.

ERRARE te faceret) depelleret te.

DOMINVS Deus tuus:) Addendum ex Hebræo, vt in ea ambulares.

AVFERES malum de medio tui.) Id eſt, delebis hominem huiuſmodi, ne amplius tecum verſetur.

Si tibi voluerit perſuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, ſiue vxor 'quæ eſt in ſinu tuo,' aut amicus quem diligis vt animam tuam, clàm dicens, Eamus, & ſeruiamus diis alienis, quos ignoras tu & patres tui, 'cunctarum in circuitu Gentium quæ iuxtà vel procul ſunt, ab initio vſque ad finem terræ: non acquieſcas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus vt miſerearis '& occultes eum, ſed ſtatim interficies: ſit primū 3.17.b.
'manus tua ſuper eum, & poſt te omnis populus mittat manum. 'Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abſtrahere à Domino Deo tuo, qui eduxit te de Terra AEgypti de domo ſeruitutis: vt omnis Iſrael audiens timeat, & nequaquam vltrà faciat 'quippiam huius rei ſimile.

QVAE eſt in ſinu tuo,) Id eſt, quæ dormire ſolet in ſinu tuo. Vel, quam amplecti ſoles.

CVNCTARVM in &c. non acquieſcas) ex diis quos colunt populi qui circum te habitant, ſiue ſint tibi vicini, ſiue procul à te abſint, ab extremo vno terræ (ſiue regionis) vſque ad aliud extremum: non acquieſcas &c.

NEQVE parcat ei oculus tuus vt miſerearis) neque parcat ei oculus tuus, neque miſerearis. Declarat quid ſignificet, non parcat ei oculus tuus: quum dicit, neq; miſerearis. Quaſi dicat, Non parcat ei oculus tuus, id eſt non miſerearis eius.

ET occultes eum,) neque teges illum. Vel, neque rem ſilentio tranſiges.

MANVS tua ſuper eum,) Addendum ex Hebræo, vt interficias illum. Id eſt, tu primus in eum iacies lapidem vt interficias illum. Manus ſuper aliquem.

LAPIDIBVS obrutus necabitur:) Lapidabis eum lapidibus, & morietur.

QVIPPIAM huius rei ſimile.) Hebraice legitur, quippiam huius rei peſſimæ in medio tui ſimile.

Si audieris in vna vrbium tuarum, quas Dominus

Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos, Egreſſi ſunt 'filii belial de medio tui,&'auerterunt habitatores vrbis ſuæ, atque dixerunt, Eamus, & ſeruiamus diis alienis quos ignoratis: quære ſolicitè, & diligenter rei veritate perſpecta, ſi inueneris certum eſſe quod dicitur, & abominationem hanc 'opere perpetratã, 'ſtatim percuties habitatores vrbis illius 'in ore gladii,& delebis eam,omniáque quæ in illa ſunt vſque 'ad pecora. quicquid etiam 'ſupellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius,& cum ipſa ciuitate ſuccendes, ita vt vniuerſa conſumas 'Domino Deo tuo, & ſit 'tumulus ſempiternus: non ædificabitur amplius. Et 'non adhærebit de illo anathemate quicquam in manu tua: vt auertatur Dominus ab ira furoris ſui, '& miſereatur tui, multiplicétque te, ſicut iurauit patribus tuis, quãdo audieris vocem Domini Dei tui, cuſtodiens omnia præcepta eius quæ ego præcipio tibi hodie, vt facias quod 'placitum eſt in conſpectu Domini Dei tui.

Filii belial. FILII belial de medio tui,) homines, filii belial, de medio tui. Id eſt, homines impii & nihili de congregatione tua.

AVERTERVNT) Nempe, à vero dei cultu.

OPERE perpetratam,) Adde ex Hebræo, in medio tui.

Percutiendo percutere. STATIM percuties) percutiendo percuties. Id eſt, ad vnum interficies.

In ore gladii. IN ore gladii,) in acie gladii. Id eſt, gladio.

AD pecora.) Hîc repetitur in Hebraico codice, in acie gladii.

SVPELLECTILIS) ſpoliorum eius.

DOMINO Deo tuo,) Id eſt, in honorem Domini Dei tui.

TVMVLVS ſempiternus: non ædificabitur amplius.) cumulus lapidum ſempiternus, neque ædificetur amplius.

NON adhærebit de illo anathemate quicquam in manu tua:) Id eſt, non retinebis apud te quicquam de facultatibus illis quæ cremari debent.

ET miſereatur tui,) & det tibi miſericordias, vt miſereatur tui.

PLACITVM) rectum. Id eſt, quod gratum eſt Domino.

CAP. XIIII.

ſ.7.a.ſ.26.d. FILII 'eſtote Domini Dei veſtri: non vos 'incidetis, 'nec facietis caluitium ſuper mortuo. quoniam populus 'ſanctus es Domino Deo tuo: & te elegit vt ſis ei in populum peculiarem de cũctis gentibus quæ ſunt

Leuit.11.a. ſuper terram.¶Ne comedatis quæ 'immunda ſunt. 'Hoc

eſt animal quod comedere debetis, Bouem,& ouem, & capram,ceruum & capream,bubalum,'tragelaphũ,'pygargum,'orygem,'camelopardalũ.'Omne animal quod in duas partes 'findit vngulam & ruminat,comedetis. De his autem quæ ruminant,&'vngulam non findunt, hæc comedere non debetis,camelum,léporem,'chœrogryllum: quia ruminant,'& non diuidunt vngulam,immunda erunt vobis.Sus quoque quoniam diuidit vngulam,& non ruminat,immunda erit.carnibus eorum nõ veſcemini,& cadauera non tangetis.

ESTOTE) eſtis.Vel,Cum filii ſitis Domini &c. Morem idololatrarũ fugiendum eſſe docet hic Moyſes.

INCIDETIS) Cultris ſcilicet,aut vnguibus.

NEC facietis caluitiũ ſuper mortuo.) Id eſt,quũ quis ex amicis veſtris vita functus fuerit,non tondebitis partẽ anteriorẽ capitis,quæ eſt inter oculos veſtros,ſicut Gentes faciunt quæ ſpem non habent. Caluitiũ facere ſuper mortuo.

SANCTVS) Id eſt,conſecratus.

IMMVNDA ſunt.) Id eſt,de carnibus cuiuſcunque animalis immundi.

HOC eſt animal quod,&c.) Hæc ſunt animalia,quorũ carnibꝰ veſci poteritis.

TRAGELAPHVM,) ibicem.Vel,hircum ſyluestrem.

PYGARGVM,) damam.

ORYGEM,) Vel,bouem ſyluestrem.

CAMELOPARDALVM) capram rupicolam.

OMNE animal) Omne etiam animal.

FINDIT vngulam & ruminat,) findit vngulam, finditque fiſſuram duarũ vngularum, & ruminat.Id eſt,diuiſas omnino habet vngulas.

VNGVLAM non findũt,) Hoc loco Hebraice nõ legitur cõiunctio negatiua.

CHOIROGRYLLVM:) cuniculum.

ET non diuidunt) at non diuidunt.

Hæc comedetis ex omnibus quæ morantur in aquis, Quæ habent pinnulas,& ſquamas,comedite : quæ abſque pinnulis & ſquamis ſunt,ne comedatis,quia'immũda ſunt. Omnes aues mundas comedite. 'Immundas ne comedatis: aquilam ſcilicet,& 'gryphem,& 'haliæetum,ixon,& vulturem ac miluum iuxta genus ſuum:& omne coruini generis,& ſtruthionem,ac noctuam, & larum,atque accipitrem iuxta genus ſuum: herodium ac cygnum,& ibin,ac 'mergulum,porphyriônem,&'nycticoracem,onocrotalum, & charadrium,ſingula in genere ſuo : vpupam quoque , & veſpertilionem. Et omne 'quod reptat & pennulas habet,'immundum erit, & nõ

comedetur.'Omne quod mundũ eſt,comedite. 'Quicquid autem morticinum eſt,ne vescamini ex eo: peregrino qui intra portas tuas eſt,da vt comedat,'aut vende ei, quia tu populus 'ſanctus Domini Dei tui es.

IMMVNDA ſunt.) Addendum ex Hebræo pronomen VOBIS.

IMMVNDAS ne comedatis:) Hæc verba non leguntur Hebraice,verum ab interprete adiecta ſunt,ne ex verbis præcedentibus,Omnes aues mundas comedite,ſequentes aues viderentur mundæ.Ex Leuitico,cap. 11.b,ſubaudire potes hæc verba,Hæc ſunt quæ de auibus comedere non debetis,& vitanda ſunt vobis. Aliquid enim neceſſario ſubaudiendum eſt.

GRYPHEM,) Vel,oſſifragam.

HALIAEETVM,) Vel,aquilam marinam.

MERGVLVM,) pelicanum.

NYCTICORACEM,oñocrotalum,) mergulum,ciconiam.

QVOD reptat & pennulas habet,) reptile volans.

IMMVNDVM erit,) Addendum ex Hæbreo pronomen VOBIS.

OMNE quod mundum eſt,) Omnem auem mundam.

QVICQVID autem morticinum eſt,ne veſcamini ex eo:) Non comedetis vllum cadauer.Id eſt,vllam auem per ſe mortuam.

AVT vende ei.) aut vẽde alienigenæ.Hebraiſmus,Antecedẽs pro relatiuo EI.

SANCTVS Domini Dei tui es.) ſanctus es Domino Deo tuo. Id eſt,conſecratus Deo.

Exod.23.c.34.d ‖Non coques hœdum "in lacte matris ſuæ. Decimam partem'ſeparabis de cunctis fructibus tuis quæ naſcuntur in terra per annos ſingulos,& comedes'in conſpectu Domini Dei tui,in loco quẽ elegerit'vt in eo nomen illius inuocetur,'decimam frumenti tui,& vini,& olei,& primogenita de armentis & ouibus tuis:vt diſcas timere Dominum Deum tuum omni tempore. Cum autem longior fuerit via,& locus quẽ elegerit 'Dominus Deus tuus,'tibíque benedixerit,nec potueris 'ad eũ hæc cuncta portare,vendes omnia,& in pretiũ rediges,portabíſque manu tua,& proficiſcêris ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus: & emes 'ex eadem pecunia quicquid tibi placuerit,ſiue ex armentis,ſiue ex ouibus, vinum quoque, & ſiceram,& omne quod deſyderat anima tua : '& comedes coram Domino Deo tuo,& 'epulaberis tu & domus tua,& Leuita qui intra portas tuas eſt : caue ne derelinquas eum, quia non habet 'aliam partem in poſſeſſione tua..

IN lacte matris ſuæ.) Id eſt, non elixabis hœdillum vnà cũ matre. nam crudele eſſet. Vel, non parabis hœdillum in ea re quæ illi vnicum alimentum & vitæ profugium eſſe ſolet, quod eſt lac caprarum. hoc enim crudele eſſet.

DECIMAM partẽ ſeparabis de cunctis fructibus tuis quæ naſcuntur in terra) Decimam partem dabis omnis fructus ſeminis tui quod prodierit ex agro tuo.

IN conſpectu Domini.) Id eſt, in Ieruſalem, non extra Ieruſalem: quod verbis ſequentibus declarat, cum dicit, In loco quem elegerit &c.

VT in eo nomen illius inuocetur,) vt in eo nomen ſuum collocet. Id eſt, vt illic colatur.

DECIMAM frumenti) Per decimam frumenti, intellige eam portionẽ quæ è decima debebatur Leuitis Ieroſolymitanis. Edebant autem de hac portione Ieroſolymis qui decimas perſoluebant.

DOMINVS Deus tuus,) Adde ex Hebræo, Vt ponat nomen ſuum ibi.

TIBI ſ QVI benedixerit,) Id eſt, copioſas opes tibi dederit. Benedicere.

AD eum) Subaudi, locum.

EX eadem pecunia) Pecunia quam contraxerant è decima & primogenitis diuenditis emebant Iſraelitæ Ieroſolymis quæ offerrẽt Domino. Præterea eadem pecunia emebant quod ederent coram Domino Ieroſolymis cum Leuitis ſuis & tota familia. Lege ſecundum caput Iohannis.

ET comedes coram) & comedes ibi coram.

EPVLABERIS) Vel, cum gaudio epulaberis.

ALIAM partem in poſſeſſione tua.) partem & hæreditatem tecum.

Anno tertio ſeparabis aliam decimam ex omnibus quæ naſcuntur tibi eo tempore: & repones intra ianuas tuas. Veniétque Leuites qui aliam non habet partẽ, nec poſſeſſionem tecum, & peregrinus ac pupillus & vidua, qui intra portas tuas ſunt, & comedent, & ſaturabuntur: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris.

ANNO tertio) Anno quoque tertio.

SEPARABIS aliam decimam ex omnibus quæ naſcuntur tibi eo tempore:) promes omnes decimas prouentus tui anno ipſo.

INTRA ianuas tuas.) Id eſt, in vrbibus tuis.

QVI aliam non habet partem, nec poſſeſſionem tecum,) qui non habet partem & hæreditatem tecum.

COMEDENT, & ſaturabuntur:) Id eſt, comedent ad ſaturitatem. Heb.

VT benedicat &c.) Id eſt, vt det Dominus fœlicem ſucceſſum operibus tuis.

CAP. XV.

SEPTIMO anno facies remiſſionẽ, quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre ſuo, repetere non poterit, quia annus remiſſionis eſt Domini. A peregrino & aduena exiges: ciuem & propinquum repetendi non habebis poteſtatem. Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in Terra

quam traditurus eſt tibi 'in poſſeſſionem. Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & cuſtodieris 'vniuerſa 'quæ iuſſit,& quæ ego hodie præcipio tibi,'benedicet tibi,vt pollicitus eſt. Fœnerabis Gentibus multis,& ipſe à nullo accipies mutuum. 'Dominaberis nationibus plurimis,& tui nemo dominabitur.

SEPTIMO anno) In extremitate ſeptimi anni.Id eſt,Initio ſeptimi anni:ſiue Septimo quoque anno.

FACIES remiſſionem,) Id eſt,facies remiſſionem debitoribus qui non ſunt ſoluendo.

QVAE hoc ordine &c.A peregrino) Hoc autem pacto remittentur debita. Omnis creditor qui mutuauit,id quod crediderit ſocio ſuo,non repetet(Vel,non poterit exigere)à ſocio ſuo,aut à fratre ſuo : quia promulgata eſt remiſſio Domino.A peregrino &c. Vel,Quia promulgabit, ſubaudi,is qui promulgare debet, ſiue hoc munere fungi debet,remiſſionem in honorem Domini.

EXIGES) Vel,repetere poteris.

CIVEM & propinquum) fratrem.

ET omnino indigens & mendicus non erit inter vos :) præterquam ſi nõ ſit
In te. pauper aliquis in te.Id eſt,in vrbe tua.Vel,Præterquam quum non erit pauper aliquis in te.Aut,Niſi quum non erit pauper &c.Quaſi dicat,Pauperibus fratribus remittes pecuniam creditam: verum diuites fratres excipio,quibus non remittes quod mutuum dederis,quum habeant vnde reddere poſſint.

VT benedicat) quoniam benedicendo benedicet.Subaudi, ſi hoc feceris.

DEVS tuus) Hæc duo verba non leguntur hoc loco Hebraice,neque in Latinis vetuſtiſſimis codicibus S.Germani,Dionyſii,& Victoris.

IN poſſeſſionem.) in hæreditatem vt poſſideas illam.

VNIVERSA quæ iuſſit,& quæ ego &c.) Hebraice tantum legitur,vniuerſa quæ ego &c.

BENEDICET tibi, vt pollicitus eſt. Fœnerabis Gentibus) Nam Dominus Deus tuus benedicet tibi ſicut pollicitus eſt tibi: & tunc accepto pignore dabis mutuum Gentibus,&c.Verti poſſunt hæc ad hunc modum, Cum autem Dominus Deus tuus benedicet tibi,ſicut pollicitus eſt,tum accepto pignore dabis mutuum Gentibus &c.

DOMINABERIS &c.Si vnus) Sed & dominaberis Gentibus multis, & ipſæ tibi non dominabuntur.

Si vnus de fratribus tuis qui morantur intra portas ciuitatis tuæ in Terra quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi; ad paupertatem deuenerit: non obdurabis cor tuum,'nec contrahes manum,ſed aperies eam pau-
Matt.5.g.luc.6.c. peri, & ||dabis mutuum quo eum indigere perſpexeris. Caue ne fortè ſubrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo, Appropinquat"ſeptimus annus remiſſionis,'& auertas oculos tuos à paupere fratre tuo, 'nolẽs ei quod poſtulat mutuum commodare: ne clamet contra te ad

Dominum, & fiat tibi in peccatum. Sed dabis ei: 'nec
ages quippiam callidè in eius neceſſitatibus ſubleuan-
dis: 'vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni 'tē-
pore, & in cunctis ad quæ 'manum miſeris. ‖'Non dee- Matth.26.a.
runt pauperes 'in Terra habitationis tuæ: idcirco ego
præcipio tibi vt aperias manum fratri tuo egeno & pau
peri, qui tecum verſatur in Terra.

NEC contrahes &c. Caue) nec contrahes manum tuam à fratre tuo paupe-
re. Sed aperiendo aperies manum tuam ei: ſed accepto pignore mutuo dabis ei Aperiendo a-
ſufficientiam inopiæ eius quo indiguerit. Caue &c. Id eſt, Sed aperta manu acce- perire manū
pto pignore dabis illi mutuo id quo indiguerit. Poſterioribus verbis declarat pauperi.
quid intelligeret per hæc præcedentia, Aperiendo aperies illi manum.

SEPTIMVS annus remiſſionis,) Bis repetitur ANNVS in codice Hebraico, ſic, ſeptimus annus, annus remiſſionis.

ET auertas oculos tuos à paupere fratre tuo,) & improbus ſit oculus tuus er- Oculus im-
ga fratrem tuum pauperem. Id eſt, Caue ne auertas oculos tuos à fratre tuo pau- probus.
pere, vt ſolent qui nolunt miſereri pauperum. Eſa.58, ex Hebræo, Cum videris
nudum, operi eum: & à carne tua ne abſcondas te. Improbo oculo opponitur
benignus, Prouerb.22, ex Hebræo, Benignus oculo, & ipſe benedicetur, quia ipſe Oculus beni-
dedit de pane ſuo pauperi. gnus.

NOLENS ei &c. Sed) nolens ei dare: clametque ad Dominū aduerſum te, & Peccatum in
ſit in te peccatum. Sed &c. Id eſt, & puniaris. eo.

NEC ages quippiam callidè in eius neceſſitatibus ſubleuandis:) nec malignū Malignū cor.
erit cor tuum dando illi. Vel, nec grauetur animus tuus dando illi. Aut, moleſtia
afficiatur. Id eſt, ne grauate, moleſte, ſiue ægre iuues illum.

VT benedicat) quia ob hanc rem benedicet tibi.

TEMPORE,) opere tuo. Sic etiam legitur in Complutenſi editione.

AD quæ manum miſeris.) Id eſt, in omnibus quæ habueris præ manibus, & tractaueris.

NON deerunt) Quia non deerunt. Hic locus de priuatis pauperibus intelligitur: quia apud Iudæos nulli ſunt mendici publici.

IN Terra habitationis tuæ:) in medio Terræ.

IN Terra.) Adde ex Hebræo pronomen TVA.

‖Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut He Exod.21.a.
bræa, & ſex annis ſeruierit tibi, in ſeptimo anno dimit- Ierem.34.c.
tes eum 'liberum: & quem libertate donaueris, nequa-
quam vacuum abire patieris: ſed 'dabis viaticum de gre-
gibus, & de area & torculari tuo, 'quibus Dominus De-
us tuus benedixerit tibi. Memēto quòd & ipſe ſeruieris
in Terra AEgypti, & liberauerit te Dominus Deus
tuus, & idcirco ego nunc 'præcipio tibi. Si autem dixe-
rit, 'Nolo egredi: eo quòd diligat te, & domum tuam, &
bene ſibi apud te eſſe ſentiat: aſſumes ſubulam, '& perfo-

rabis aurem eius in ianua domus tuæ, & ſeruiet tibi vſque in æternum. ancillæ quoque ſimiliter facies. Non auertas ab eis oculos tuos quando dimiſeris eos liberos: quoniam iuxta mercedem mercenarii per ſex annos ſeruiuit tibi: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus quæ agis.

LIBERVM:) liberum à te. Id eſt, donabis eum libertate, & ſines eum ire quò volet.

Onerando onerare.

DABIS viaticum) onerando onerabis eum &c. Id eſt, dabis illi oues, frumētum &c.

Benedicere Dei.

QVIBVS Dominus Deus tuus benedixerit tibi.) Hoc eſt, dabis illi de iis quæ Dominus ſua liberalitate impenderit tibi.

PRAECIPIO tibi.) præcipio tibi iſtud. De ſeruis ſcilicet.

NOLO egredi:) Addendum ex Hebræo, à te.

ET perforabis aurem eius in ianua domus tuæ,) & eam per aurem eius in portam adiges.

ANCILLAE quoque ſimiliter facies.) Id eſt, ancillam donabis libertate quēadmodum & ſeruum. De libertate donanda ancillæ loquitur: non autem de perforanda illi aure: non enim perforabantur aures ancillarum.

Grauari in oculis ſuis.

NON auertas ab eis oculos tuos quando dimiſeris eos liberos:) Non grauaberis in oculis tuis quum dimittes eum donatum libertate. Id eſt, Non erit tibi moleſtum dimittere illum donatum libertate, vt diſcedat quocunque volet.

IVXTA mercedem mercenarii per ſex annos ſeruiuit tibi:) duplo mercedis mercenarii ſeruiuit tibi ſex annis. Id eſt, bis tanto tempore ſeruiuit tibi, quàm ſeruire ſolet mercenarius: nēpe ſex annis. Mercenarii enim ſerui apud Hebræos operas ſuas locabant in tres annos.

VT benedicat tibi) & benedicet tibi &c. Id eſt, ſecundabit omnia operà tua

De primogenitis quæ naſcuntur in armentis, & ouibus tuis, quicquid eſt ſexus maſculini, ſanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bouis, & non tondebis primogenita ouium. In conſpectu Domini Dei tui comedes ea per annos ſingulos in loco quem elegerit Dominus, tu & domus tua. Si autem habuerit maculam, & vel claudum fuerit vel cæcum, aut in aliqua parte deforme vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo. ſed intra portas vrbis tuæ comedes illud: tam mundus quàm immundus ſimiliter veſcentur eis quaſi caprea & ceruo. Hoc ſolum obſeruabis, vt ſanguinem eorum non comedas, ſed effundes in terram quaſi aquam.

Leuit.22.c. eccli 35.b.

Sanctificare Domino.

SANCTIFICABIS Domino Deo tuo.) Id eſt, velut rē ſacram Deo offeres.

PRIMOGENITA ouium.) Addendum ex Hebræo pronomen TVARVM.

NON operaberis &c.) Id eſt, Non vtêris opera primogeniti generis bubuli.

MACVLAM,) Id eſt, vitium aliquod.

AVT in aliqua parte deforme vel debile, non immolabitur) aut quouis alio vitio deturpatum, non ſacrificabis illud.

INTRA portas vrbis tuæ) intra portas tuas. Id eſt, in vrbibus in quibus habitaueris.

SIMILITER) pariter. Vel, ſine diſcrimine.

QVASI caprea & ceruo.) Id eſt, quemadmodum comedere poſſunt capreā & ceruum.

HOC ſolum &c.) Verum ea lege quòd ſanguinem eorum non comedes, ſed eum effundes in terram quaſi aquam.

CAP. XVI.

OBSERVA menſem 'nouarum frugum, & verni primum temporis, vt facias phaſe Domino Deo tuo: quoniam 'in iſto menſe eduxit te Dominus Deus tuus de AEgypto nocte. Immolabíſque phaſe Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt 'habitet nomen eius ibi. Non comedes 'in eo panem fermentatum. Septem diebus comedes 'abſque fermento 'afflictionis panem: quoniā 'in pauore egreſſus es de AEgypto: 'vt memineris diei egreſſionis tuæ de AEgypto omnibus diebus vitæ tuæ. Non apparebit fermentatum in omnibus terminis tuis ſeptem diebus, & non remanebit de carnibus eius quod immolatum eſt veſpere in die primo, vſque mane. Non poteris immolare phaſe 'in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus eſt tibi: ſed in 'loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi: 'immolabíſque phaſe veſpere ad ſolis occaſum, 'quando egreſſus es de AEgypto. Et coques, & comedes in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, 'manéque conſurgens vades in tabernacula tua. Sex diebus comedes azyma: & 'in die ſeptima, quia collecta eſt Domini Dei tui, non facies opus.

NOVARVM frugum, &c. Quoniam) primarum ariſtarum, & fac paſcha Domino Deo tuo: quoniam &c. Id eſt, menſem Martium, vel Aprilem obſerua & cuſtodi, in quo ariſtæ erumpere ſolent: in eo menſe macta agnum paſchalē Domino Deo tuo.

IN iſto menſe) in menſe nouarum ſpicarum. Antecedēs pro relatiuo, quod docte vertit interpres. Id eſt, in iſto menſe primo, qui menſis interdum noſtro

Martio reſpondet, interdum Aprili.

HABITET nomen eius ibi,) Id eſt, vt illic colatur & imploretur: vt illic habitet cum populo ſuo.

IN eo) vnà cum illo. Scilicet, agno paſchali.

ABSQVE fermento) cum illo infermentata.

Panis afflictionis. AFFLICTIONIS panem:) Per appoſitionem dictum: quaſi dicat, monimenta afflictionis quam tuliſtis in AEgypto.

IN pauore) cum trepidatione. Quaſi dicat, cum tanta trepidatione & feſtinatione, vt non licuerit tibi permiſcere fermentum tuæ conſperſioni.

VT memineris) Rurſum ſubaudiendum, comedes infermentatos panes, vt memineris &c.

IN qualibet vrbium) in aliqua vrbium.

IMMOLABISQVE) Sine coniunctione legẽdum eſt, Immolabis phaſe. Atque ita legitur in vetuſtis Latinis codicibus ſcriptis S. Germani, Dionyſii, & in Moguntinenſi editione.

QVANDO) tempore quo. Vel, eo menſe quo &c.

MANEQVE conſurgens) reuerteriſque mane, & vades &c.

IN die ſeptima, quia collecta eſt Domini Dei tui,) die ſeptima erit ſolennitas Domino Deo tuo. Id eſt, ſeptimus dies celebrabitur in honorem Domini Dei tui.

Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in ſegetem miſeris, & celebrabis diem feſtum hebdomadarum Domino Deo tuo, 'oblationem ſpontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui: & 'epulaberis 'coram Domino Deo tuo, tu & filius tuus, & filia tua, & ſeruus tuus, & ancilla tua, & Leuites qui eſt intra portas tuas, & aduena ac pupillus & vidua, qui morantur vobiſcum: 'in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, 'vt habitet nomen eius ibi: & recordaberis quoniam ſeruus fueris in AEgypto: cuſtodíeſque ac facies 'quæ tibi præcepta ſunt.

OBLATIONEM ſpontaneam &c. & epulaberis) quantum potuerit ſpontanea manus tua, erit quod dabis ſecundum quod benedixerit tibi Dominus Deus tuus, & epulaberis &c. Id eſt, pro opibus tuis. vel, ſecundum facultates tuas dabis ſpontaneam oblationem.

EPVLABERIS) Vel cum gaudio epulaberis.

Coram Domino. CORAM Domino) Id eſt, in ea vrbe in qua fuerit tabernaculum Domini.

IN loco) Subaudi, celebrabis inquam, in loco &c.

VT habitet nomen eius ibi:) vt ponat nomen ſuum ibi. Id eſt, vt illic colatur

QVAE tibi præcepta ſunt.) ſtatuta hæc. Pronomen TIBI, nõ legunt vetera exemplaria S. Germani, Dionyſii & Victoris, neque Moguntinenſis editio.

Solennitatem quoque tabernaculorum celebrabis per ſeptem dies quando collegeris 'de area & torculari fruges tuas: & 'epulaberis in feſtiuitate tua tu & filius tuus & filia, & ſeruus tuus & ancilla, Leuites quoque, & adue-

na,& pupillus ac vidua qui intra portas tuas ſunt. Septem diebus Domino Deo tuo feſta celebrabis in loco quem elegerit Dominus: 'benedicétque tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis,& in omni opere manuum tuarum,'eríſque in lætitia.Tribus vicibus per annum apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu Domini Dei tui in loco quem elegerit, in Solennitate azymorum,& in Solennitate hebdomadarum,& in Solennitate tabernaculorum.‖'Non apparebit ante Dominum vacuus: ſed offeret vnuſquiſque ſecundum quod habuerit 'iuxta benedictionem Domini Dei ſui, quam dederit ei. Exod.23.b.34.c eccli 16.d.

DE area & torculari fruges tuas:) de area tua, & de torculari tuo. Id eſt, cum frumenta tua collegeris,& vinum tuum.

EPVLABERIS) lætaberis.

BENEDICETQVE) quum benedixerit.Id eſt, cum facultates tuas auxerit.

ERISQVE in lætitia.) tum (Vel,vtique) eris lætus.

NON apparebit) Subaudi,quiſquam.

IVXTA benedictionem) Id eſt,pro facultatibus ſuis.

Iudices & 'magiſtros conſtitues in omnibus 'portis tuis,quas Dominus Deus tuus 'dederit tibi,per ſingulas tribus tuas: 'vt iudicent populum iuſto iudicio, 'nec in alteram partem declinent.‖Non accipies perſonam,nec munera: quia munera excæcant oculos ſapientum, & 'mutant verba iuſtorum. 'Iuſtè quod iuſtum eſt perſequêris: vt viuas, & poſſideas Terram quam Dominus Deus tuus 'dederit tibi. 'Non plantabis lucum & omnẽ arborem iuxta altare Domini 'Dei tui. 'Nec facies tibi atque cõſtitues ſtatuam:quæ odit Dominus Deus tuus. Ȝ.1.c. leuit.19. c. exod.23.a. eccli 20.d.

MAGISTROS) præfectos.Id eſt,ſapientes homines qui præſint iuri dicendo.

PORTIS tuis,) Id eſt,vrbibus. Porta pro vrbe.

DEDERIT) daturus eſt.

VT iudicent populum) qui iudicabunt populum.Vel,ius dicent populo.

NEC in alteram partem declinent.) non inclinabis iudicium. Hoc eſt,tu qui iudicio præfectus es,non inclinabis in alteram partem amore aut odio. Inclinare iudicium.

MVTANT.) peruertunt.

IVSTE quod iuſtum eſt perſequêris:) Iuſtitiam iuſtitiam ſequêris.Id eſt,Quod maxime iuſtum eſt.Nihil aliud quàm iuſtitiam ſequêris. Iuſtitiam iuſtitiam ſequi.

DEDERIT) daturus eſt.

NON plantabis lucum & omnem arborem) Non plantabis lucum ex vllis

arboribus.

DEI tui.) Addendum ex Hebræo, quod (ſcilicet altare) facturus es tibi.

NEC facies &c) Non eriges tibi ſtatuam, quod odit &c.

CAP. XVII.

NON immolabis Domino Deo tuo bouem & ouem in quo eſt macula aut quippiã vitii: quia abominatio eſt Domino Deo tuo. Cumque reperti fuerint apud te intra vnam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier qui faciant malum in conſpectu Domini Dei tui, & tranſgrediantur pactũ illius vt vadant & ſeruiant diis alienis, & adorent eos, ſolem & lunam, & omnem militiam cæli, quæ non præcepi: & hoc tibi fuerit nuntiatum, audiénſque inquiſieris diligenter, & verum eſſe repereris, & abominatio facta eſt in Iſrael: educes virum ac mulierem qui rem ſceleratiſſimam perpetrarunt, ad portas ciuitatis tuæ, & lapidibus obruentur. In ore duorũ aut trium teſtium peribit qui interficietur. Nemo occidatur, vno contra ſe dicente teſtimonium. Manus teſtium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur: vt auferas malum de medio tui.

ſ.19.d. matth. 18.b.2. corint. 13 a.ſ.13.c.

ET ouem) aut ouem.

ABOMINATIO eſt Domino) Id eſt, ab ea re abhorret Dominus.

CVMQVE) Sine coniunctione legendum, Cum reperti &c. Sic etiam legitur in vetuſtioribus codicibus S. Germani, Dionyſii, & Victoris.

ET tranſgrediantur) ita vt tranſgreſſi fuerint.

PACTVM illius) Id eſt, conditiones fœderis eius, hoc eſt leges.

VT vadant) & iuerint. ET, pro id eſt, hoc loco ponitur, ſic, Ita vt tranſgreſſi fuerint leges pacti eius, id eſt iuerint & ſeruierint diis alienis &c.

PACTA eſt) facta fuerit.

AC mulierem) aut mulierem.

LAPIDIBVS obruentur.) lapidabis eos ita vt moriantur.

In ore duorũ. IN ore) Id eſt, teſtimonio.

PERIBIT qui interficietur.) interficietur qui moriturus eſt.

OCCIDATVR,) interficietur.

Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non leprã, & iudicum inter portas tuas videris verba variari: ſurge, & aſcende ad locum quem

2. Paral. 19.c. elegerit Dominus Deus tuus, veniéſque ad ſacerdotes

Leuitici generis, & ad iudicem qui 'fuerit illo tempore: quæréſque ab eis, qui indicabunt tibi 'iudicii veritatem. Et facies 'quodcunque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus, '& docuerint te iuxta legem eius, ſequeríſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, 'qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo : 'ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael: cunctúſque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.

SI difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris) Si latuerit te quippiam in iudicio. Id eſt, Si tibi ſit iudicandum de re aliqua tibi ambigua, vt pote inter ſanguinem & ſanguinem, hoc eſt, inter nocentem & innocentem, qui aliis rationibus videtur tibi eſſe innocens, & aliis nocens: inter litem actoris & litem defenſoris, ſiue in cauſa ciuili, aut de vulnere inflicto.

LEPRAM &c. Surge) inter plagam & plagam, in rebus cõtrouerſis in portis tuis: tunc ſurge &c.

FVERIT illo tempore:) Subaudi, ſupremus iudex.

IVDICII veritatem.) rem iudicii. Id eſt, quam ſententiam ferre debeas: quid ſis pronuntiaturus.

QVODCVNQVE dixerint qui præſunt loco) quodcunque annuntiabunt tibi è loco illo. Id eſt, iudicabis vt indicauerint tibi iudicandum eſſe.

ET docuerint te &c. Qui) & ſatages facere prorſus vt docuerint te: iuxta legem quam docuerint te, iuxtáque iudicium quod dixerint tibi, facies: non recedes à ſententia, quam annũtiauerint tibi neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem &c. Neque ad dextram, neque ad ſiniſtram recedere à ſententia, ſignificat nullo pacto recedere.

QVI eo tempore miniſtrat Domino) qui conſtitutus fuerit vt illic miniſtret coram Domino.

EX decreto iudicis) aut iudici. Subaudi, noluerit obedire. Per iudicem ſummum, intellige ſummum ſacerdotem. Summus iudex.

Cum ingreſſus fueris Terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaueríſque in illa, & 'dixeris, Conſtituam ſuper me regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes: eum conſtitues quẽ Dominus Deus tuus elegerit 'de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius Gentis hominẽ 'regem facere, qui non ſit frater tuus. 'Cúmque fuerit cõſtitutus, 'non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in AEgyptũ, 'equitatus numero ſubleuatus, præſertim cum Dominus præceperit vobis vt nequaquam amplius 'per eandem viam reuertamini. Non habebit vxores plurimas

'quæ alliciant animũ eius, neque argenti & auri immẽſa pondera. 'Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi 'Deuteronomiũ legis huius in volumine, 'accipiens exemplar à ſacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legétque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt 'diſcat timere Dominũm Deum ſuum, '& cuſtodire verba & ceremonias eius, quæ in Lege præcepta ſunt. 'Nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, 'neque declinet in partem dexterã vel ſiniſtram, vt longo tempore regnet ipſe & 'filius eius ſuper Iſrael.

Dicere. DIXERIS,) Id eſt, conſtitueris apud te.

DE numero fratrũ tuorum.) de medio fratrũ tuorũ. Id eſt, de fratribus tuis.

REGEM facere,) Addendum ex Hebræo, ſuper te.

CVMQVE fuerit conſtitutus, non multiplicabit) Hebraice tantum legitur, Veruntamen non multiplicabit &c.

NON multiplicabit ſibi equos,) Id eſt, non alet equos multos.

EQVITATVS numero ſubleuatus,) vt comparet ſibi equitatũ numeroſũ.

PER eandem) per eam.

QVAE alliciant animum eius,) vt non deficiat cor eius. Subaudi, à lege Dei.

POSTQVAM autem ſederit in ſolio regni ſui,) Id eſt, Quũ cœperit regnare.

DEVTERONOMIVM) exemplar. Id eſt, curabit ſibi deſcribi exemplar legis huius. vulgo, tranſumptum. Vng double de ceſte loy.

ACCIPIENS exemplar à ſacerdotibus Leuiticæ tribus,) in conſpectu ſacerdotum Leuitarum. Id eſt, ad exemplar libri ſacerdotum Leuitarum. quaſi dicat, ad exemplar caſtigatiſſimum, ad exemplar eorum qui ſunt periti in ea lege, quales ſunt Leuitæ.

DISCAT) aſſueſcat.

ET cuſtodire &c. Nec) vt cuſtodiat quæcunque hac lege comprehendũtur, & ſtatuta iſta, opere illa complendo. Nec &c.

NEC eleuetur cor eius in ſuperbiam) Vt non eleuet cor ſuum. Subaudi, Leget inquam legem, vt &c.

NEQVE declinet in partem dexteram) Hebraice legitur, neque declinet à mandatis in partem dexteram, &c.

FILIVS) filii. Plurali numero, vt etiam legit Complutenſis editio & Baſilienſis, & Latum S. Germani exemplar.

CAP. XVIII.

NON habebunt 'ſacerdotes & Leuitæ, & omnes qui de eadem tribu ſunt, partem & hæreditatem

3.10.b. num. 18.c.d.1.corin. 9.b. cum 'reliquo populo Iſrael, ‖'quia ſacrificia Domini, & 'oblationes eius comedent, '& nihil aliud accipient de

Num.18.c. poſſeſſione fratrum ſuorũ: ‖Dominus enim ipſe eſt hæreditas eorum, ſicut 'locutus eſt illis.

SACERDOTES & Leuitæ,) Legendum ſine coniunctione, ſacerdotes Leuitæ.

RELIQVO populo) Ne in vetuſtioribus quidem Latinis codicibus S. Dionyſii & Germani, leguntur hæc verba, neque in Moguntinenſi editione.
QVIA ſacrificia) ſed ſacrificia.
OBLATIONES) hæreditatem. Id eſt, id quod iure hæreditario pertinebit ad eum.
ET nihil aliud accipiet de poſſeſſione fratrum) hæreditas non erit eis in medio fratrum &c.
LOCVTVS) Vel, pollicitus.

'Hoc erit iudicium ſacerdotũ à populo,'& ab his qui offerunt victimas: ſiue bouem, ſiue ouem immolauerint, dabunt ſacerdoti 'armum ac ventriculũ: primitias frumenti, vini & olei, & lanarum partem ex ouium tonſione. 'Ipſum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, vt ſtet, '& miniſtret nomini Domini 'Dei tui ipſe & filii eius in ſempiternum.

HOC erit iudicium) Hoc autem erit ius. Id eſt, Hoc autẽ ſacerdotes iure ſuo capient à populo qui offert victimas. Iudicium. Ius.
ET ab his) Coniunctio ET, non legitur Hebraice.
ARMVM ac ventriculum:) armum, & vtranque maxillam, ac ventriculum.
IPSVM enim) Illam enim. Subaudi, tribum.
ET miniſtret) ad miniſtrandum.
DEI tui) Ne in vetuſtis quidem Latinorũ codicibus S. Germani, Dionyſii, & Victoris leguntur hæc duo verba.

Si 'exierit Leuites ex vna vrbium tuarum ex omni Iſrael in qua habitat,'& voluerit venire, deſyderans locum quem elegerit Dominus, miniſtrabit 'in nomine Domini Dei ſui, ſicut omnes fratres eius Leuitæ, qui ſtabunt eo tempore coram Domino. Partẽ ciborum eandem 'accipiet quam & cæteri: 'excepto eo quod in vrbe ſua ex paterna ei ſucceſſione debetur.

EXIERIT) venerit.
ET voluerit venire, deſyderans) & venerit toto deſyderio animæ ſuæ ad locũ &c. Id eſt, pro voto, ſiue, prout voluerit. Toto deſyderio animæ.
IN nomine Domini Dei ſui,) Id eſt, miniſtrabit Domino Deo ſuo. Miniſtrare in nomine Dei.
ACCIPIET) comedet.
EXCEPTO &c. Quando) præter venditiones eius per patres. Id eſt, niſi maiores eius vendiderint ius poſterorum ſuorum. Vel, præter ius illud quod venditum fuit tempore maiorum.

Quando ingreſſus fueris Terram quã Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne 'imitari velis abominationes illarum Gentium. ‖nec inueniatur in te qui 'luſtret filiũ Leuit. 20. d. ſuum, aut filiam, ducens per ignem: aut 'qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia atque auguria. nec ſit ma-

leſicus nec incantator, neq; qui pythónes conſulat,'nec
1.Reg.18.a. diuinos,‖& quærat à mortuis veritatē. omnia enim hæc
abominatur Dominus,& propter iſtiuſmodi ſcelera de
lebit eos in introitu tuo:'perfectus eris,& abſque macu-
la cum Domino Deo tuo. 'Gentes iſtæ quarum poſſi-
debis Terram, augures & diuinos audiunt: 'tu autem à
Domino Deo tuo aliter inſtitutus es.

IMITARI velis) diſcas facere.

LVSTRET filium ſuum,aut filiam,) Id eſt,qui cremet filium,aut filiā ſuam in honorem idoli alicuius.

QVI ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia atque auguria.) diuinus, aut augur.

NEC diuinos,& quærat) neque magus, neque qui quærat &c.

PERFECTVS eris,& abſque macula cum Domino Deo tuo.) Id eſt,perfecto & ſynceero corde & mente pura cole Dominum Deum tuum.

GENTES iſtæ) Gentes enim iſtæ.

TV autem à Domino Deo tuo aliter inſtitutus es.) tu autē non ſic:dabit tibi Dominus Deus tuus.Quaſi dicat, tu autem non ſic facies, non conſules diuinos: quia daturus eſt tibi Dominus Deus tuus terram illarum gentium in hæreditatem,propterea quòd diuinos conſuluerunt.

Ioh.1.g. act.3. d.7.c. PROPHETAM 'de gente tua,& de fratribus tuis
'ſicut me,ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus,ipſum au-
dies: 'vt petiſti à Domino Deo tuo in Horeb, quando
Exod.20.d. concio cōgregata eſt, atque dixiſti,‖Vltrà non audiam
vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximū am-
plius non 'videbo,ne moriar.Et ait Dominus mihi,'Be-
Iohan.1.g. ne omnia ſunt locuti, ‖Prophetam ſuſcitabo eis de me-
dio fratrum ſuorum ſimilem tui: '& ponam verba mea
in ore eius, loquetúrque ad eos omnia quæ 'præcepero
illi. qui autē verba 'eius quæ loquetur in nomine meo,
audire noluerit,ego vltor exiſtam.

DE gente tua,) è medio tui.Id eſt,de populo tuo.Recte interpres.

SICVT me,) Vel,ſimilem mei.Id eſt,quo interprete alloquetur te ipſe Deus, quemadmodum me interprete alloquutus eſt vos in hunc vſque diem.

VT petiſti) repetendum verbum præcedens, Suſcitabit inquam,prorſus vt petiſti à Domino &c.

VIDEBO,) videam.

BENE omnia) Bona ſunt quæ &c.Id eſt,AEquū & iuſtum eſt quod petiuerūt.

Ponere verba ſua in ore alicuius.

ET ponam verba mea in ore eius,) Id eſt,per quem loquar,qui futurus eſt interpres meus.

PRAECEPERO illi.) precepturus ſum illis.Id eſt,vnicuique eorum.

EIVS) mea.

Propheta autem qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi vt diceret, 'aut ex nomine alienorum deorum, 'interficietur. 'Quòd ſi tacita cogitatione reſponderis, Quomodo poſſum 'intelligere verbum quod Dominus non eſt locutus? 'hoc habebis ſignum, Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non euenerit: hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorē animi ſui propheta confinxit, & idcirco 'non timebis eum.

AVT ex nomine) quiſque locutus fuerit ex nomine.

QVÒD ſi tacita cogitatione reſponderis,) Quòd ſi dixeris in corde tuo. Id eſt, apud te cogitaueris.

INTELLIGERE) cognoſcere. Id eſt, qua ratione cognoſcam Dominum non fuiſſe locutum id quod propheta aliquis dixerit?

HOC habebis ſignum,) Hæc addidit interpres, vt res melius intelligeretur.

NON timebis eum.) non timebis tibi ab illo. Subaudi, verbo, ne timueris tibi ab illa prophetia.

CAP. XIX.

CVM 'diſperdiderit Dominus Deus tuus Gentes, quarum tibi traditurus eſt Terram, & poſſederis eam, habitaueríſque in vrbibus 'eius & 'in ædibus: tres ciuitates ſeparabis tibi 'in medio Terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in poſſeſſionem, 'ſternens diligenter viam: & in tres æqualiter partes totam Terræ tuæ prouinciam diuides: 'vt habeat è vicino qui propter homicidium profugus eſt, quò poſſit euadere. Hæc erit lex homicidæ 'fugientis, cuius vita ſeruanda eſt, Qui percuſſerit proximum ſuum 'neſciens, '& qui heri & nudiuſtertius nullum contra eum odium habuiſſe comprobatur: ſed abiiſſe cum eo 'ſimpliciter in ſyluam ad ligna cædenda, & in ſucciſione lignorum ſecuris fugerit manu, ferrúmque lapſum de manubrio 'amicum eius percuſſerit, & occiderit: hic ad vnam ſupradictarum vrbium confugiet, & 'viuet: ne forſitan proximus eius, cuius effuſus eſt ſanguis, 'dolore ſtimulatus, perſequatur, & apprehendat eum 'ſi longior via fuerit, & 'percutiat

animam eius qui non eſt reus mortis: quia nullum cõtra eum qui occiſus eſt, odium prius habuiſſe monſtratur. Idcirco præcipio tibi, vt tres ciuitates 'æqualis inter ſe ſpatii diuidas. Cum autem dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos, ſicut iurauit patribus tuis,

Gen. 28. c. & dederit tibi cunctam Terram ‖quam eis pollicitus eſt (ſi tamen cuſtodieris 'mandata eius, & feceris quæ hodie præcipio tibi, vt diligas Dominum Deum tuum, & am

Ioſue 10. c. bules in viis eius omni tempore) addes tibi ‖tres alias ciuitates, & ſupradictarum trium vrbium numerum duplicabis: vt non effundatur ſanguis innoxius 'in medio Terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi poſſidendam, "ne ſis ſanguinis reus.

DISPERDIDERIT) exciderit.

EIVS) earum. Sic etiam legitur in Paruo S. Germani.

IN ædibus:) Addendum pronomen EARVM.

IN medio Terræ,) Hebraicè legitur, in medio Terræ tuæ.

STERNENS diligenter:) ſternens tibi diligenter.

VT habeat &c. Hæc) quò confugere poſſit omnis homicida. Hæc &c.

FVGIENTIS, &c. Qui) qui confugiet illuc vt viuere poſſit, Qui &c.

NESCIENS,) Vel, non dedita opera.

ET qui heri & nudiuſtertius nullum contra eum odium habuiſſe comprobatur: ſed abiiſſe &c.) & qui heri & nudiuſtertius non habuerit eum odio: ſed abierit &c. Quod ait, ab heri & nudiuſtertius, ſignificat antea.

Ab heri & nudiuſtertius.

SIMPLICITER) Hæc dictio non legitur Hebraice.

AMICVM) proximum.

VIVET:) Id eſt, non interficietur.

DOLORE ſtimulatus,) quum calefecerit ſe cor eius. Id eſt, poſteaquam incaluerit ira, vel, motus ira.

SI longior via fuerit,) quòd longior via fuerit.

PERCVTIAT animam eius qui &c.) percutiat eum percuſſione animæ, qui &c. Id eſt, lethali vulnere.

Percuſſione animæ percutere.

AEQVALIS inter ſe ſpatii diuidas. Cum autem) ſeparas tibi. Quòd ſi dilatauerit &c.

MANDATA eius, & feceris) omnia præcepta eius, faciendo illa.

IN medio Terræ,) Addendum pronomen TVAE.

NE ſis ſanguinis reus.) & ſint ſuper te ſanguines. Id eſt, ne tibi imputetur effuſio illa ſanguinis & cædes. Hoc eſt, ne Deus pœnas ſumat de te pro homicidio illo: ne luas pœnas homicidii.

Sanguines ſuper eum.

Num. 35. c. ‖Siquis autem odio habens 'proximum inſidiatus fuerit vitæ eius, ſurgénſque percuſſerit illũ, & mortuus fuerit, fugerítque ad vnam de ſupradictis vrbibus: mittent ſeniores ciuitatis illius, & arripient eum de loco effugii,

tradéntque in manu proximi, cuius ſanguis effuſus eſt, & morietur. Non miſereberis eius, & auferes 'noxiũ ſanguinem de Iſrael, vt bene ſit tibi.

PROXIMVM) Hebraice legitur, proximum ſuum. Sic etiam legitur in vetuſtiſſimis Latinorum codicibus S. Germani, Dionyſii & Victoris.

NOXIVM) innoxium. Ita in oblongis S. Germani, & Dionyſii, & in Victorino legitur. Id eſt, expiabis peccatum ſanguinis innocentis: tolles de Iſrael effundentem ſanguinem innocentem. Sanguinem innocentem, pro interfectore innocentis poſuit. Auferre innoxium ſanguinem.

Non aſſumes, & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores, 'in poſſeſſione tua, quã Dominus Deus tuus dabit tibi "in Terra quam acceperis poſſidendam.

IN poſſeſſione tua,) in hæreditate tua, quam poſſidebis in Terra quam Dominus &c.

IN terra quam acceperis poſſidendam.) vt poſſideas eam.

‖Non ſtabit teſtis vnus contra aliquem, quicquid illud peccati, & facinoris fuerit: ſed in ore duorum aut trium teſtium 'ſtabit omne verbum. ſ.17.b. matth. 18.b. ioh. 8.c.

STABIT omne verbum.) Id eſt, accuſatio ipſa erit ſtabilis & rata, ſi duo aut tres teſtimonium dixerint. Stabit verbũ.

‖Si ſteterit teſtis mendax contra hominem, accuſans eum "præuaricationis, ſtabunt ambo, "quorum cauſa eſt, ante Dominum 'in conſpectu ſacerdotum & iudicum qui fuerint in diebus illis. Cúmque diligentiſſimè perſcrutantes inuenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendaciũ: ‖'reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitauit, & auferes 'malum de medio tui: vt audientes 'cæteri timorem habeant, & 'nequaquam talia audeant facere. 'Non miſereberis eius, ‖'ſed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges. 2. Corint. 13. a. hebr. 10. c. Daniel. 13. g. Matth. 5. f. exod. 21. c. leu. 24. a.

PRAEVARICATIONIS,) defectionis. Vel, rebellionis, ſiue impietatis.

QVORVM cauſa eſt,) qui inter ſe litigant.

IN conſpectu ſacerdotum) Exponit quod dixerat, ante Dominum: Id eſt, ante ſacerdotes & iudices qui vicem Dei obeunt. Ante Dominum.

REDDENT ei ſicut &c.) tunc facietis ei ſicut &c.

MALVM) Id eſt, teſtem fallacem.

CAETERI) qui remanſerint.

NEQVAQVAM &c.) nequaquam talia audeant facere mala in medio tui.

NON miſereberis eius,) Hebraice legitur, Non parcet ei ocul⁹ tuus. Inſtrumẽtum affectus pro affectu hic ponitur. Hebraiſmum reddidit interpres. Non parcet oculus.

Animam pro anima. SED animam pro anima &c.) Id eſt, eam pœnam ab eo exiges qua affectus fuiſſet is in quem dixit falſum teſtimonium ſi conuictus fuiſſet.

CAP. XX.

SI exieris ad bellum contra hoſtes tuos,& videris equitatus &'currus,& maiorem quàm tu habeas, aduerſarii exercitus multitudinem,non timebis eos: quia Dominus Deus tuus tecum eſt,qui eduxit te de Terra AEgypti. Appropinquante autem iam prælio,"ſtabit ſacerdos ante aciem,& ſic loquetur ad populũ, Audi Iſrael,vos hodie contra inimicos veſtros"pugnam committitis,nõn 'pertimeſcat cor veſtrum, nolite metuere,nolite 'cedere,nec formidetis eos:quia Dominus Deus veſter 'in medio veſtri eſt,& pro vobis contra aduerſarios dimicabit,vt eruat vos de periculo.

CVRRVS,) Subaudi,militares.
STABIT ſacerdos ante aciem,) accedet ſacerdos.
PVGNAM committitis,) conflicturi eſtis.
PERTIMESCAT) molleſcat.
CEDERE,) terreri.
IN medio veſtri eſt,) ambulat vobiſcum. Vel,iturus eſt vobiſcum.

1.Mach.3.g. ‖'Duces quoque per ſingulas turmas audienre exercitu proclamabunt, Quis eſt homo qui ædificauit domũ nouam,& nõ 'dedicauit eam? vadat,& reuertatur in domum ſuam, ne fortè moriatur in bello,& alius 'dedicet
Leuit.19.e. eam. Quis eſt homo qui plantauit vineam,‖'& necdum fecit eam eſſe cõmunem, de qua veſci omnibus liceat? vadat, & reuertatur in domũ ſuam : ne fortè moriatur in bello, & alius homo 'eius fungatur officio. Quis eſt homo qui 'deſpondit vxorem,& non accepit eam? vadat,& reuertatur in domum ſuam,ne fortè moriatur in bello,& alius homo accipiat eam.'His dictis addent reli
Iudic.7.a. qua,& loquẽtur ad populum,‖Quis eſt homo formidoloſus, & corde pauido? vadat, & reuertatur in domum ſuam : "ne pauere faciat corda fratrum ſuorum,ſicut ipſe timore perterritus eſt. Cúmq; ſiluerint duces exercitus, & finem loquendi fecerint,'vnuſquiſque ſuos ad

bellandum cuneos præparabit.

DVCES quoque &c.Quis) Præfecti quoque dicent populo,Quis &c.

DEDICAVIT eam.) Id eſt,& in ea nondum habitauit. Dedicare domum.

DEDICET eam.) Id eſt,incolat eam primus.

ET necdum fecit eam eſſe communẽ,de qua veſci omnibus liceat?) & nondum prophanauit eam? Vel,violauit eã? Id eſt,non vindemiauit eam, vt vuis eius veſci liceat omnibus? Prophanare vineam.

EIVS fungatur officio.) prophanet eam.Id eſt,vindemiet eam.

DESPONDIT vxorem,) Id eſt,mulieri alicui fidem dedit.

HIS dictis addent reliqua, & loquentur ad populũ,) Præterea addent præfecti vt alloquantur populum,& dicant,Quis &c.

NE pauere faciat &c.Cũque) ne diſſoluatur cor fratrũ eius,ſicut cor eius.Cũq;

VNVSQVISQVE ſuos ad bellandum cuneos præparabit.) tunc cõſtituent principes copiarum in capite populi. Id eſt, tunc aciem inſtruent pugnaturi cum hoſtibus. Præfecti conſtituent principes qui populum recenſeant, vel qui poteſtatem habeant capitis populi,ſiue qui ſummam dignitatem obtineant in populo: deſignabunt principes populo. In capite populi,pro, ſuper populum.Hebraiſmus. In capite populi.

Siquãdo acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, 'offeres ei primùm pacem.Si 'receperit,& aperuerit tibi portas,cũctus populus'qui in ea eſt,ſaluabitur,& ſeruiet tibi ſub tributo. Sinautem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum,oppugnabis eam. Cúmque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne quod in ea generis maſculini eſt,in ore gladii,abſque mulieribus & infantibus, iumentis & cæteris quæ in ciuitate ſunt.'Omnem prædã exercitui diuides,& comedes de ſpoliis hoſtiũ tuorum,quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. Sic facies cunctis ciuitatibus quæ à te procul valde ſunt, & non ſunt de his vrbibus quas in poſſeſſionem accepturus es.

OFFERES ei primùm pacem.) clamabis ad eam pro pace. Id eſt,inuitabis eã ad deditionem.

RECEPERIT,) pacem reſponderit.Id eſt,ſi pacificè reſponderit, ſi pacem receperit à te oblatam. Pacem reſpondere.

QVI in ea eſt,ſaluabitur,& ſeruiet) Hebraice tantum legitur,qui in ea eſt, ſeruiet &c.

OMNEM prædam exercitui diuides,) Quicquid in vrbe fuerit, id eſt ſpolia eius prædaberis tibi.

'De his autem ciuitatibus quæ dabuntur tibi,nullum omnino permittes viuere, ſed interficies in ore gladii, Hethæum videlicet, & Amorrhæum, & Chananæum, Pherezæum,& Heuæum,& Iebuſæũ,ſicut præcepit tibi

Dominus Deus tuus: ne fortè doceant vos facere cunctas abominationes quas ipſi operati ſũt diis ſuis,& peccetis in Dominum Deum veſtrum.

DE his autem ciuitatibus quæ dabuntur tibi,&c.) Verum de vrbibus populorum iſtorum,quos Dominus tibi tradet in hæreditatem, non ſines viuere vllã animam,ſed delebis illos prorſus.

Quando obſederis ciuitatem multo tempore,"& munitionibus circundederis vt expugnes eam, 'non ſuccídes arbores de quibus veſci poteſt, nec ſecuribus per circuitum debes vaſtare regionem: quoniam lignũ eſt, & non homo,'nec poteſt bellantium contra te augere numerum. 'Siqua autem ligna non ſunt pomifera, ſed agreſtia,& in cæteros apta vſus, ſuccîde, & inſtrue machinas,donec capias ciuitatem quæ contra te dimicat.

ET munitionibus circundederis) Hæc verba non leguntur Hebraice.

NON ſuccídes arbores de &c.Siqua) non ſuccides arbores eius,adigendo in eas ſecurim: quia illarum fructibus veſcêris.(vel comedere poteris.)nec illas ſuccides(ſunt enim hominis,ſub. victus,arbores quæ creſcunt in agris) vt veniat à facie tua in obſidionem. Siqua &c. Vt veniat,inquit,ſubaudi,vrbs illa,in obſidionem, id eſt, vt cingas illam obſidione. Hoc eſt,Non ſuccides arbores pomiferas,vt ex illis facias machinas,quarum ope expugnes vrbem quam oppugnas.

SIQVA autẽ &c.) Veruntamen arbores quas ſcies nõ eſſe pomiferas,perdes & ſuccides,fabricabíſque machinas aduerſus ciuitatem illam quæ contra te bellum gerit,donec corruat.Vel,donec expugnes eam.

CAP. XXI.

QVANDO inuentum fuerit in Terra quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, hominis 'cadauer occiſi, & ignorabitur cædis reus, egredientur maiores natu, & iudices tui, & metientur à loco cadaueris ſingularum per circuitum ſpatia ciuitatum :"& quam viciniorem cæteris eſſe perſpexerint, ſeniores ciuitatis illius tollent vitulam de armento, 'quæ non traxit iugum,nec terram ſcidit vomere,& ducent eam ad vallem aſperam atque ſaxoſam,quæ nunquam arata eſt, nec ſementem recepit, & cædent in ea ceruices vitulæ. accedéntque ſacerdotes filii Leui('quos elegerit Dominus Deus tuus vt miniſtrent ei,& 'benedicant in nomine eius)'& ad verbum eorum omne ne-

gotium pendet: & quicquid mundum vel immundum eſt, iudicetur. 'Et venient maiores natu ciuitatis illius ad interfectum, lauabúntque manus ſuas ſuper vitulã 'quæ in valle percuſſa eſt, & dicent, Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc, nec oculi viderunt. propitius eſto populo tuo Iſrael, quem redemiſti Domine, & 'ne reputes ſanguinem innocentẽ in medio populi tui Iſrael. Et auferetur ab eis 'reatus ſanguinis: 'tu autem alienus eris ab innocentis cruore qui fuſus eſt, cum feceris quod præcepit Dominus.

CADAVER occiſi,) Adde ex codice Hebræo, iacens in agro.

ET quam viciniorem &c.) & ciuitatis cadaueri vicinioris ſeniores tollent vitulam &c.

QVAE non traxit iugum, &c.) cuius opera nemo vſus ſit in agro colẽdo, nec traxerit iugum, & ducent &c.

QVOS elegerit &c.) eos enim elegit, &c. Per parentheſin.

'BENEDICANT) Subaudi, populo.

ET ad verbum eorum &c. Et venient) & iuxta ſermonem eorum erit omnis lis & omnis plaga. Et venient &c. Id eſt, Iuxta ſententiam eorũ terminabitur omnis controuerſia, & omnis ſpecies lepræ. Latina vetuſta exemplaria S. Dionyſii, Germani, & Victoris non legunt verbum PENDET.

ET venient maiores &c.) Et omnes ſeniores eius vrbis, viciniores cadaueri, lauabunt manus ſuas &c. Paruũ exemplar S. Germani legit Omnes maiores &c.

QVAE in valle percuſſa eſt,) cuius ceruix præciſa eſt in valle.

NE reputes) ne des. Id eſt, ne imputes cædẽ huius innocẽtis populo tuo Iſraeli. Dare.

REATVS ſanguinis:) ſanguis. Id eſt, pœna cædis. Sanguis.

TV autẽ alienus &c.) tu autẽ remouebis ſanguinem innocẽtem è medio tui, quum feceris quod erit gratum Domino. Sanguinem innocentem vocat pœnã homicidii hominis innocentis. Sanguis innocens.

Si egreſſus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, 'captiuóſque duxeris, & videris in numero captiuorũ mulierẽ pulchram, & adamaueris eam, 'volueríſque habere vxorem, introduces eam in domum tuam: quæ radet cæſariem, & circuncîdet vngues, & deponet veſtem in qua capta eſt: ſedénſque in domo tua, flebit patrem & matrem ſuam 'vno menſe, & poſtea intrabis ad eam, 'dormiéſque cum illa, & erit vxor tua. Si autem poſtea non 'ſederit animo tuo, 'dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecunia, 'nec opprimere per potentiam: quia 'humiliaſti eam.

Captiuam ducere captiuitatem.

CAPTIVÓSQVE duxeris,) Hebraice legitur, Et captiuam duxeris captiuitatem. Id eſt, ex eis captiuos aliquot abduxeris.

VOLVERÍSQVE habere vxorem,) ceperíſque eam in vxorem.

Menſis dierũ.

VNO menſe,) per menſem dierum. Id eſt, menſe integro, conſtante omnibus ſuis diebus.

DORMIESQVE cum illa, &c.) eríſque vir eius, & ipſa erit, &c.

Animæ ſuæ dimittere.

DIMITTES eam liberam) dimittes eam animæ ſuæ. Vel, pro voto ſuo. Id eſt, ſines liberam abire quocunque volet.

NEC opprimere per potentiam:) nec negotiaberis cum ea. Id eſt, nulla ratione poteris eam diſtrahere, ſiue cõmutare. Vel, non vtêris opera eius vt ancillæ.

Humiliare mulierem.

HVMILIASTI eam.) quaſi per vim rem habuiſti cum ea.

Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam, & alteram odioſam, 'genuerítque ex eis liberos, & fuerit filius odioſæ primogenitus, 'voluerítque ſubſtantiam inter filios ſuos diuidere: non poterit filium dilectæ 'facere primogenitum, '& præferre filio odioſæ, ſed filium odi-

1. Paral. 5. a.

oſæ agnoſcet primogenitũ, ‖dabítque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia. iſte eſt enim 'principium liberorum eius, & huic debentur primogenita.

GENVERÍTQVE ex eis) pepereríntque ei. Latina exemplaria vetera S. Germani & Dionyſii legunt plurali numero, genueríntque ex eo.

VOLVERITQVE ſubſtantiam inter filios ſuos diuidere:) die quo inſtituet hæredes filios ſuos earum rerum quas habuerit.

FACERE primogenitum,) Id eſt, dare ius primogenituræ filio dilectæ.

In conſpectu.

ET præferre filio odioſæ,) in cõſpectu filii odioſæ. Hoc eſt, viuẽte filio odioſæ.

Principium fortitudinis.

EST enim principium liberorũ eius,) eſt enim principiũ fortitudinis eius. Id eſt, primum illum genuit pater.

Si genuerit homo filium 'contumacem & proteruũ, qui nõ 'audierit patris ac matris imperium, & coercitus obedire contempſerit: 'apprehendent eum, & 'ducent ad ſeniores ciuitatis illius & ad portam 'iudicii, dicéntque ad eos, Filius noſter iſte proteruus & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, comeſſationibus vacat, '& luxuriæ atque conuiuiis. Lapidibus eum 'obruet populus ciuitatis, & morietur: vt auferatis malũ de medio veſtri, & vniuerſus Iſrael audiens pertimeſcat.

CONTVMACEM & proteruum,) deſertorem & rebellem.

AVDIERIT) audiat. Id eſt, qui non pareat imperio patris & matris.

APPREHENDENT eum,) Adde ex Hebræo, pater eius & mater.

DVCENT) educent. Sic in paruo & oblongo exemplari S. Germani legitur.

IVDICII,) loci eius. In quo ſcilicet habitauerit.

ET luxuriæ atque conuiuiis:) atque potationibus.

OBRVET populus) obruet omnis populus.

Quando peccauerit homo quod morte plectendum eſt,&'adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo:nō permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur: 'quia maledictus à Deo eſt qui pēdet in ligno, '& nequaquam contaminabis Terram tuam quā Dominus Deus tuus 'dederit tibi in poſſeſſionem. Galat.3.b.

ADIVDICATVS morti appenſus fuerit) interficiendus ſit,& ſuſpenderis eum in patibulo.

QVIA maledictus à Deo eſt qui pēdet in ligno,) quanuis maledictus ſit à Deo qui ſuſpenſus eſt in ligno.Id eſt,quanuis Deo admodū execrabilis ſit qui vitā ſuſpendio finit,tamen iure ſepulturæ non eſt defraudandus, neque debet cadauer eius pernoctare in patibulo.Suſpendium fuit grauiſſimum ſupplicium apud Iudæos:tantúmque in crucem agebantur ab Iſraelitis blaſphemi & idololatræ. Qui igitur vitam ſuſpendio finiebant,erant Deo execrabiles,vitam enim ita finiebant aut propter blaſphemiam,aut propter idololatriam. Pendere in ligno.

ET nequaquam contaminabis) vt non polluas Terram tuam. Quod facturus es,ſi,quando ita vitā finiuit,pernoctauerit in patibulo contra Dei voluntatē.

DEDERIT) Vel,daturus eſt.

CAP. XXII.

NON videbis bouem fratris tui,aut ouē errantem, & 'præteribis:ſed reduces fratri tuo. 'Etiam ſi non eſt propinquus frater tuus,nec noſti eum: 'duces in domum tuam, & erunt apud te 'quandiu quærat ea frater tuus,'& recipiat.Similiter facies de aſino,& de veſtimēto,& de omni re fratris tui 'quæ perierit:ſi inueneris eā, 'ne negligas quaſi alienam.Si videris aſinum fratris tui, aut bouem cecidiſſe in via,non 'deſpicies, ſed ſubleuabis cum eo. Exod.23.a.

PRAETERIBIS:) abſcondes te.Id eſt,diſſimulabis te eos videre. Hoc eſt,ſi videris eos errantes à via,non diſſimulabis te eos videre. Abſcondere ſe.

ETIAM ſi non eſt propinquus) Id eſt, Etiam ſi procul à te habitet.

DVCES) Subaudi TAMEN.quaſi dicat,Etiam ſi procul à te habitet,nec noueris eum:tamen deduces illos in domum tuam.

QVANDIV) donec.

ET recipiat.) reſtituéſque eos illi.Cum ſcilicet requiſierit.

QVAE perierit:) quam amiſerit.

NE negligas quaſi alienam.) non poteris occultare. Id eſt, non poteris diſſimulare,quaſi non videris illam.

NON deſpicies,) nō abſcōdes te ab eis. Id eſt,non diſſimulabis te videre illos.

Non induetur mulier veſte virili,nec vir vtetur veſte fœminea. abominabilis enim 'apud Deum eſt qui facit hæc. Si ambulans per viam,in arbore vel in terra 'ni-

dum auis inueneris, & matrem pullis vel ouis deſuper incubantem: 'non tenebis eam cum filiis, ſed abire patieris, captos tenens filios, vt bene ſit tibi, & longo viuas tempore. Cum ædificaueris domũ nouam, facies 'murum tecti per circuitum: 'ne effundatur ſanguis in domo tua, & ſis reus labente alio, & in præceps ruente.

APVD Deum eſt qui facit hæc.) apud Dominum Deum tuum quiſquis facit hæc.

NIDVM auis inueneris,) Addendum ex Hebræo, in quo ſint pulli, vel oua.

NON tenebis eam) non capies eam. Quia inhumanum eſt matrem nihil ſibi metuentem capere cum pullis.

מַעֲקֶה MVRVM tecti) murum tecto tuo. Vox Hebræa MAAACE, ſignificat murum altum tres pedes cũ dimidio. In Palæſthina, tecta domorum ſunt plana. Verti poteſt, clauſtra, vel cancellos, aut ſeptum.

NE effundatur &c. Non) vt non ponas ſanguinem in domo tua, ſi ceciderit cadẽs ex eo. Id eſt, ne ſis cauſa necis in domo tua, ſi corruerit aliquis è tecto tuo.

Non ſeres vineam tuam 'altero ſemine: ne & ſementis quam ſeuiſti, & quæ naſcuntur ex vinea, pariter 'ſanctificentur. 'Non arabis in boue ſimul & aſino.

ALTERO ſemine:). diuerſo ſemine. Id eſt, Non ſeminabis in interuallis quæ ſunt in vitibus, duas ſpecies ſeminis: vt triticum cum ſiligine, aut auenam cum hordeo. Quia enim Palæſthina calida eſt, ſeminabatur ſemper aliquid inter ordines ipſos vitium.

SANCTIFICENTVR.) Id eſt, polluantur. per antiphraſim dictum. Hoc eſt, ne pereant tibi fruges enatæ è diuerſis ſeminibus, & cum illis fructus vineæ.

NON arabis in boue ſimul & aſino.) Id eſt, arando non iunges bouem cum aſino: quia vires eorum ſunt inæquales: ſed iunges boues bobus, & aſinos aſinis.

'Non induêris veſtimento quod ex lana linóque con

Num. 15. d. textum eſt. ¶'Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui quo operiris.

NON induêris &c.) Quòd non vult hic Deus res confundi, vitari vult in omnibus confuſionem: ſimul duplices mores, ſiue animos taxat.

FVNICVLOS &c.) Fimbrias facies tibi in quatuor angulis pallii tui quo operiris. Id eſt, in quatuor partib⁹ inferioribus, Es quatre pãs. Vox Hebræa GVEDILIM, pro qua funiculos vertit interpres, ſignificat funiculos intricatos, intortos, & artificio catenarum concinnatos. גְּדִלִים

'Si duxerit 'vir vxorem, & poſtea odio habuerit eam, 'quæſieritque occaſiones quibus dimittat eam, obiiciens ei nomen peſſimum, & dixerit, Vxorem hanc accepi, & ingreſſus ad eam non inueni virginem: 'tollent eam pater & mater eius, & ferent ſecum ſigna virginitatis eius ad ſeniores vrbis qui in porta ſunt: & dicet pater, Filiam

meam dedi huic vxorem: quam quia odit, 'imponit ei nomen peſſimum, vt dicat, Non inueni filiam tuam virginē: & ecce hæc ſunt ſigna virginitatis filiæ meæ. 'Expandent 'veſtimentum corā ſenioribus ciuitatis: apprehendéntque ſenes vrbis illius, virum, & verberabunt illum, condemnantes inſuper centum ſiclis argenti, quos dabit patri puellæ, quoniā'diffamauit nomen peſſimum ſuper virginem Iſrael: habebítque eam vxorem, & non poterit'dimittere omnibus diebus vitæ ſuæ. Quòd ſi verum eſt quod obiicit, & non eſt in puella inuenta virginitas: eiicient eam extra fores domus patris ſui, & lapidibus obruent viri ciuitatis illius & morietur: quoniam fecit nefas in Iſrael, 'vt fornicaretur in domo patris ſui: & auferes 'malum de medio tui.

SI duxerit vir vxorem, & poſtea) Hebraice ſic legitur, Si duxerit vir vxorem: ingreſſúſque fuerit ad eam, & poſtea &c. Ingredi ad vxorem, pro rem habere cum ea, poſitum. *Ingredi ad vxorem.*

VIR) Id eſt, aliquis. *Vir.*

QVAESIERITQVE occaſiones quibus dimittat eam, obiiciens ei nomen peſſimum,) impoſuerítque ei occaſiones verborum, & eduxerit aduerſus eam nomen malum. Id eſt, dederit aliis occaſionem traducendi eam, ipſéque diffamauerit eam. *Imponere occaſiones verborum.*

TOLLENT eam) tollet. Sub. ſigna virginitatis: id eſt, lintea infecta ſanguine rupti hymenis, indéxque virginitatis, in quibus cōgreſſus primùm fuerat maritus cum virgine, quæ patres ſeruare ſolebant.

IMPONIT ei nomen peſſimum, vt dicat,) poſuit occaſiones verborum contra eam, dicendo. Id eſt, author fuit quòd male audiat filia noſtra, quòd alii male loquantur de ea. *Ponere occaſiones verborum.*

EXPANDENT) Et expandent.

VESTIMENTVM) Vel, linteum, in quo ſcilicet primum congreſſi fuerant.

DIFFAMAVIT nomen peſſimum ſuper virginem Iſrael:) eduxit nomen malum contra virginem Iſrael. Id eſt, traduxit virginem Iſraeliticam. *Nomen malum educere.*

DIMITTERE omnibus diebus) dimittere eam omnibus &c. Sic etiam legitur in codicibus S. Germani & Victoris.

VT fornicaretur) Vel, fornicando. Siue, quum fornicata eſt.

MALVM) Id eſt, occaſionem peccati.

¶'Si dormierit vir cum vxore alterius, vterque morietur, id eſt adulter & adultera: & auferes malū de Iſrael. *Leuit. 20. a.*

Si puellā virginem deſponderit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate, & concubuerit cum ea: 'educes vtrunque ad portam ciuitatis illius, '& lapidibus obruentur: puella, quia non clamauit cum eſſet in ciuitate: vir, quia

tra te Balaam filium 'Beor de Meſopotamia Syriæ, vt maledicerct tibi: & noluit Dominus Deus tuus audire Balaam, vertítque maledictionem eius in benedictionem tuam, eo quòd diligeret te. 'Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ, in ſempiternum. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt: nec AEgyptium, quia aduena fuiſti in terra eius. Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in eccleſiam Domini.

EVNVCHVS attritis vel amputatis teſticulis, &c.) qui cõtuſione fractos teſticulos habet, & amputata virilia, eccleſiã &c. Ingredi eccleſiam Domini, eſt habere commercium cum populo Dei, & habere ius ducendi Iſraelitidem. De lege enim & fide nulla hîc mentio. Quaſi dicat, Virgines Iſraeliticæ nõ nubent iis qui fractos habent teſticulos, & pudenda amputata. Inepti ad generandum non ducent Iſraelitidas in vxores. Ingredi eccleſiam Dei.

MAMZER, hoc eſt de ſcorto natus) Interpres vocem Hebræam reliquit, & eam interpretatus eſt. Satis fuerat, Non ingredietur ſpurius In &c.

VSQVE ad decimam generationem.) ne decima quidem generatione. Id eſt, nunquam poterit ducere Iſraelitidem in vxorem. Vſque ad decimam generationem.

AMMONITES & Moabites &c.) Id eſt, Filias veſtras non elocabitis Ammonitis aut Moabitis in æternum. Hoc de maribus, non de mulieribus intelligitur: propter Ruth, quæ cum eſſet Moabitis, nupſit viro Iſraelitæ.

CONDVXERVNT) conduxerit. Sub. Ammonita.

BEOR de Meſopotamia) Beor de Pethor è Meſopotamia.

NON facies eum eis pacem, nec quæras eis bona) Non quæres pacem eorũ, & vtilitatem eorum. Id eſt, Non curabis tranquillitatem eorum & vtilitatem.

Quando egreſſus fueris aduerſus hoſtes tuos in pugnam, cuſtodies te ab omni re mala. Si fuerit inter vos homo qui nocturno pollutus ſit ſomnio, egredietur extra caſtra, '& nõ reuertetur priuſquam ad veſperam lauetur aqua, & poſt ſolis occaſum regredietur in caſtra. Habebis locum extra caſtra ad quem egrediaris 'ad requiſita naturæ, gerens paxillum "in balteo." cúmque ſederis, 'fodies per circuitum, & egeſta humo operies 'quo releuatus es. Dominus enim Deus tuus ambulat in medio "caſtrorum, vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos. 'Et ſint caſtra tua ſancta, "& nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te.

ET non reuertetur priuſquam ad veſperam lauetur aqua,) appetente autẽ veſpera lauabit ſe aqua explatoria. Quæ ſcilicet in id præparata eſt.

AD requiſita naturæ,) Iſtud addidit interpres explicandæ rei gratia.

IN balteo.) cum armis tuis. Id eſt, cum enſe tuo.
CVMQVE ſederis,) Vel, cum voles deſidere vt egeras.
FODIES per circuitum,) fodies eo. Scilicet paxillo.
QVO releuatus es) egeſta tua. Vel, excrementa tua.
CASTRORVM,) Addendum pronomen, TVORVM. Sic in Paruo codice vetuſtiſſimo S. Germani legitur.
ET ſint) Erunt itaque.
ET nihil &c. Non) vt non videat rem vllã turpem in te, & deſeret te. Non &c. Vel, ne ſi viderit in te rem aliquam turpem, deſerat te.

Non trades ſeruum domino ſuo, 'qui ad te cõfugerit. habitabit tecum in loco qui ei placuerit, "& in vna vrbium tuarum requieſcet: ne contriſtes eum. Non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec 'ſcortator de filiis Iſrael.

Non offeres mercedem 'proſtibuli, 'nec pretium canis in domo Domini Dei tui, 'quicquid illud eſt quod vouerint: quia abominatio eſt vtrunque apud Dominum Deum tuum.

QVI ad te confugerit.) Addendum ex Hebræo, à domino ſuo. Sub. gentili.
ET in vna &c. Non) in aliqua ex vrbibus tuis: non affliges illum. Non &c.
SCORTATOR) ſcortum maſculum. Vel, puer meritorius.
PROSTIBVLI,) meretricis.
NEC pretium canis in domo Domini Dei tui,) Id eſt, animal datũ pro cõmutatione canis. Canis enim eſt animal immundum, vile & impudicum.
QVICQVID illud eſt quod vouerint:) in quocunque voto. Id eſt, pro quocunque voto adornando.

Non fœnerabis fratri tuo ad vſurã pecuniã, nec fruges, nec quamlibet aliã rem: 'Sed alieno: fratri autẽ tuo abſque vſura id quo indiget, cõmodabis: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in Terra ad quã 'ingredieris poſſidendam. Cũ votũ voueris Domino Deo tuo, nõ tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: "& ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. 'Si nolueris polliceri, abſque peccato eris. Quod autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſeruabis, & facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es.

SED alieno: fratri autem tuo abſque vſura id quo indiget, commodabis:) Externo fœnerabis: at fratri tuo non fœnerabis.
INGREDIERIS) ingrederis. Præſenti tempore. atque ita legitur in vetuſto Paruo S. Germani.
Peccatũ erit in te.
ET ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.) & erit in te peccatum. Id eſt, pœna peccati. hoc eſt, mulctaberis.

SI noluerís polliceri, abſque peccato eris.) Quòd ſi non voueris, non erit in te peccatum. Id eſt, non peccabis. Vel, non mulctaberis.

ET facies ſicut &c.) & facies quemadmodũ vouiſti Domino Deo tuo ſponte tua, poſteaquam locutus es ore tuo. Id eſt, poſteaquam id pollicitus es.

ᵃIngreſſus vineam proximi tui, comede vuas ᵇquantũ tibi placuerit: ᶜforas autem ne efferas tecum. Si intraueris ſegetem ᵈamici tui, franges ſpicas, & manu conteres: falce autem non metes.

INGRESSVS vineam proximi tui,) Id eſt, quum locaueris operam tuã tempore vindemiæ proximo tuo. Chaldæus paraphraſtes vertit, Si mercede conductus fueris in vineam fratris tui. De vindemiatoribus intelligitur.

QVANTVM tibi placuerit:) Hebraice legitur, ſecundum animam tuam ſatiando te. Id eſt, pro deſyderio tuo, ad ſaturitatem vſque. Secundum animã tuam.

FORAS autem ne efferas tecum,) at in vaſe tuo non pones. Id eſt, non efferes vuas in ſporta tua.

AMICI tui, &c.) proximi tui, decerpes ſpicas manu tua, & falcem non eleuabis ſuper ſegetem proximi tui. Id eſt, ſiquid efferre velis, manu colliges, nõ falce. De meſſoribus intelligitur qui tempore meſſis locant operas ſuas. Chaldæus paraphraſtes vertit, Si conductus fueris in meſſem proximi tui. Eleuare falcẽ ſuper ſegetẽ.

CAP. XXIIII.

Sᵃ I acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & ᵇnon inuenerit gratiã ante oculos eius ᶜpropter aliquam fœditatem: ᵈſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua: Cúmque egreſſa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, ᵉdederítque ei libellum repudii, & dimiſerit de domo ſua, vel certe mortuus fuerit: non poterit prior maritus recipere eam in vxorẽ: ᶠquia polluta eſt, & abominabilis facta eſt corã Domino: ne peccare facias Terrã tuam quã Dominus Deus tuus tradiderit tibi poſſidendam. Matth. 5. c. & 19. a. mar. 10. a.

SI acceperit homo vxorem, & habuerit eam,) Cum quis duxerit vxorem, & rem habuerit cum ea.

NON inuenerit gratiam ante oculos eius) Id eſt, non fuerit ei grata. Non inuenire gratiam.

PROPTER aliquam fœditatem:) propter aliquam in ea fœditatem.

SCRIBET libellum repudii, &c. Cúmque) ſcripſerítque ei libellum repudii, & dederit ei in manu, eiecerítque eã de domo ſua. Nõ eſt hic ſentẽtia abſoluta: ſed debet hic verſus iungi verbis ſequentibus, Non poterit prior &c. Libellus repudii, Hebraicè dicitur, libellus ſuccisionis: quòd eo libello velut excidebatur à domo mariti vxor. Formulam libelli repudii non tradunt ſacræ literæ. magiſtri autem Hebræorum in his libellis vtuntur hac forma, In quarta ſabbathi, in viceſima menſis Siuan, anno quinquies milleſimo ducenteſimo nonageſimo tertio à creatione mundi, hic & in hac ciuitate, ego Iacob, ſic cognominatus filius Rabi Iſaac, volui ex animo, atque citra vllã coactionẽ dimiſi, & eieci hãc quæ hactenus fuit vxor mea, filia illius Rabi, dóque ei facultatẽ & poteſtatẽ, vt pro animi ſentẽ- Libellus repudii.

tia eat quò voluerit, ducíque poſſit ab alio quocunque viro, nec eam quiſquam prohibeat. In cuius rei teſtimonium dedi ei libellum repudii, & ſchedam amiſſionis, atque ſignaculum diuortii, iuxta conſtitutionē Moyſi & Iſraelis. Formula autem libelli repudii qua vſi ſunt veteres Romani, fuit hæc, Res tuas curato, res tuas tibi habeto. Lege tractatum de diuortiis.

DEDERÍTQVE ei libellum repudii, & dimiſerit) ſcripſerítque ei libellum repudii, & poſuerit ei in manum, & dimiſerit.

QVIA polluta eſt, &c.) poſteaquā polluta eſt: (concubitu ſcilicet ſecundi mariti) quoniam abominabilis res eſt Domino: & non pollues Terram tuam quam Dominus Deus tuus traditurus eſt tibi poſſidendam.

Cum acceperit homo nuper vxorem, non procedet ad bellum, 'nec ei quippiam neceſſitatis iniungetur publicæ, ſed vacabit abſque culpa domui ſuæ, vt vno anno lætetur cum vxore ſua. 'Non accipies loco pignoris inferiorem & ſuperiorem molam: 'quia animam ſuam appoſuit tibi.

NEC ei quippiam &c. Non) nec tranſibit ſuper illum vlla res, immunis erit domi ſuæ anno vno, & delectabit vxorem ſuam quam duxit. Non &c. Id eſt, nullum iniungetur ei publicum negotium, ſed in domo ſua manebit immunis ab omni officio publico, & vacabit voluptati honeſtæ cum vxore ſua.

NON accipies) Non accipiet. Subaudi, Iſraelita. Id eſt, Nemo capiet.

Anima. QVIA animam ſuam appoſuit tibi.) quia animam ſuam caperet in pignus. Id eſt, victum ſuum. Quaſi dicat, caperet id vnde ſibi quæritat victum.

Si deprehenſus fuerit homo 'ſollicitans fratrem ſuum de filiis Iſrael, & vendito eo acceperit pretium: interficietur, & auferes malum de medio tui. 'Obſerua diligenter ne incurras plagam lepræ, ſed facies quæcunque docuerint te Sacerdotes Leuitici generis iuxta id quod

Num 12. a. præcepi eis, & imple ſollicité. ‖'Mementote quæ fecerit Dominus Deus veſter Mariæ in via cum egrederemini de AEgypto.

SOLLICITANS fratrem ſuum, &c. interficietur,) qui furatus fuerit aliquē è fratribus ſuis (id eſt, è filiis Iſrael) & negotiatus fuerit eum: interficietur.

OBSERVA diligenter ne incurras plagam lepræ,) Caue in plaga lepræ, vt cuſtodias ſollicite. Id eſt, Vide diligenter ne tranſgrediaris leges quas tuli in gratiam leproſorum.

MEMENTOTE quæ fecerit Dominus Deus veſter) Singulari numero legitur Hebraice, Memento quæ fecerit Dominus Deus tuus. Sic etiam legitur in Victorino codice.

Cum repetes à proximo tuo rem aliquam, 'quam debet tibi, non ingredieris domum eius vt 'pignus auferas: ſed ſtabis foris, & ille tibi proferet 'quod habuerit. Sin autem pauper eſt, 'non pernoctabit apud te pignus, ſed

ſtatim reddes ei ante ſolis occaſum: vt dormiens in veſtimento ſuo, benedicat tibi, & habeas iuſtitiam coram Domino Deo tuo.

QVAM debet tibi,) quam mutuatus ei fueris.

PIGNVS) pignus eius. Id eſt, id quod daturus eſt tibi in pignus. Hæc dicit, ne ingreſſu ſuo creditor faciat pudorem debitori.

QVOD habuerit.) pignus.

NON pernoctabit &c. Vt dormiens) non dormies cum pignore eius, ſed reddendo reddes ei pignus ad ſolis occaſum, vt dormiens &c.

IN veſtimento ſuo,) Quod ſcilicet dederat tibi loco pignoris.

BENEDICAT tibi,) Id eſt, bene precetur tibi. Benedicere alicui.

ET habeas) & habebis. Id eſt, hoc tibi reputabitur ad iuſtitiam, & opus tuum probabit Dominus. Habere iuſtitiã corã Deo.

¶Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, ſiue aduenæ qui tecum moratur in Terra, & intra portas tuas eſt: ſed eadem die reddes ei pretiũ laboris ſui ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, & ex eo ſuſtẽtat animã ſuam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatũ. ¶Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus: ſed vnuſquiſque pro peccato ſuo morietur.

Leuit. 19. c. tob. 4. c. 4. Reg. 4. b. 2. para. 25. b. ezech. 18. c.

NON negabis &c.) Non opprimes mercenarium pauperem & egenũ, ſiue ſit ille frater tuus, ſiue peregrinus, qui tecum moratur &c. Id eſt, non retinebis mercedem mercenarii pauperis.

INTRA portas tuas eſt:) Id eſt, in vna vrbium tuarum.

ET reputetur tibi in peccatum.) & ſit in te peccatum. Id eſt, & mulcteris, ſiue des pœnas.

OCCIDENTVR) Sententia ſcilicet iudicũ. Hanc legẽ tulit Deus iudicibus.

Non peruertes iudicium aduenæ & pupilli: nec auferes pignoris loco viduæ veſtimentũ. Memento quòd ſerujeris in AEgypto, & eruerit te Dominus Deus tuus inde. Idcirco præcipio tibi vt facias hanc rem, Quando meſſueris ſegetem in agro tuo, & oblitus manipulũ reliqueris, non reuertêris vt tollas illum: ſed aduenam, & pupillum, & viduam auferre patieris, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. Si fruges collegeris oliuarũ, quicquid remanſerit in arboribus, non reuertêris vt colligas: ſed relinques aduenæ, pupillo, ac viduæ. Si vindemiaueris vineam tuã, non colliges remanentes racemos, ſed cedent in vſus adue-

næ, pupilli, ac viduæ. 'Memento quòd & tu ſeruieris in AEgypto,& idcirco præcipio tibi vt facias hanc rem.

MEMENTO) Sed memento.

ERVERIT) redemerit.

VT benedicat tibi) Id eſt,reddat te fœlicem.

SI fruges collegeris &c. Sed) Cum decuſſeris oliuas ex oleis tuis, non decuties quod à tergo reliqueris,ſed &c.

MEMENTO.) Et memento.

CAP. XXV.

SI fuerit 'cauſa inter aliquos, '& interpellauerint iudices:quem iuſtum eſſe perſpexerint, illi iuſtitiæ palmam dabunt: quem impium,condemnabunt impietatis. Sinautem eum qui peccauit, dignum viderint plagis:proſternent,& coram ſe facient verberari. Pro menſura peccati, 'erit & plagarum modus: 'ita dúntaxat vt
2.Corint.11.f. quadragenarium numerum non excedant:ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.

CAVSA) controuerſia.

ET interpellauerint iudices:&c.Pro menſura) & acceſſerint ad iudicium,& iudicauerint eos,iuſtificauerint autē iuſtū, & cōdemnauerint impiū. Si quidem fuerit filius plagarum:tūc proſternet eum iudex, & cædere faciet eum coram ſe. Pro menſura &c Id eſt,ſi acceſſerint ad iudices, & de iure eorum ipſi pronuntiauerint, pronuntiauerint autem ſecundum iuſtum, & condemnauerint impium:ſi quidem cædendus fuerit improbus,tunc iudex curabit eum proſternendum,& percuti ſe præſente.

ERIT & plagarum modus:) iuxta numerum cædetur. Qui ſcilicet definitus eſt à lege.

ITA duntaxat vt &c.Non ligabis.) Quadragenis plagis cædere faciet eum, nec excedet:ne ſi addiderit percutere eum vltra plagas iſtas multas,vileſcat frater tuus in oculis tuis.Non ligabis &c. Id eſt, ne pluribus plagis ab eo percuſſus, moriatur coram te vt aliquod animal vile.

1.Corint 9.a. 1.timoth.5.c. 'Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas.

NON ligabis &c.) Non frænabis os bouis quando triturat in area tua.Id eſt, Non alligabis ori bouis inſtrumentum aliquod quo prohibeatur ſpicas carpere inter triturandum fruges tuas.

Matth.22.c. marc.12.b. luc 20.d. Quando habitauerint fratres ſimul,&vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit,vxor defuncti non nubet 'alteri:ſed 'accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui:'& primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit,vt nō deleatur nomē eius ex Iſrael. 'Sinautem noluerit accipere vxorem fratris ſui quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam ciuitatis, & interpellabit

maiores natu,dicétque, ‖Non vult frater viri mei ſuſci- Ruth 4.b.
tare 'ſemen fratris ſui in Iſrael:nec me in coniugium ſu
mere.Statímque accerſiri eum facict,& interrogabunt.
'Si reſponderit,Nolo eam vxorem accipere:accedet mu
lier ad eum coram ſenioribus, & tollet calceamentum
de pede eius, ſpuétque in faciem illius, & dicet, Sic fiet
homini qui non ædificat domum fratris ſui. Et vocabi
tur nomen illius in Iſrael,Domus diſcalceati.

ALTERI:) viro externo foras.Id eſt,tranſeundo in aliam familiam.

ACCIPIET eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui:) cognatus eius ingredictur ad eam,& ducet eam in vxorem,& affinitatem cõtrahet cum ea.Hoc eſt,Capiet eam in vxorem tanquã cognatã ſuam.Et ducet,ET,pro,id eſt poſitum.

ET primogenitum ex ea filiũ nomine illius appellabit,) primogenitus quem pariet,ſtabit nomine fratris ſui.Id eſt,dicetur filius mortui, & ad eum pertinebit defuncti hæreditas.Quidam pro STABIT, vertunt, ſuccedet in nomen fratris ſui.Alii,vocabitur de nomine fratris ſui.Eadem ſemper eſt ſententia, primogenitum illum cenſeri filium defuncti.

SI AVTEM noluerit &c.Non) Si autem noluerit accipere cognatam ſuam,aſcendet ipſa cognata eius ad portam,ad ſeniores,dicétque,Non &c.Portam vocat curiam,in qua erant ſenatores. Porta.

SEMEN) nomen.Sic etiam legitur in lato exemplari S.Dionyſii,& tribus S. Germani.Id eſt,filium qui de nomine patris dicatur. Nomen.

ACCERSIRI eum facient,) Addendum ex Hebræo, ſenatores vrbis illius. In qua ſcilicet illa habitauerit.

SI RESPONDERIT.) Si perſeuerauerit dicere.

MVLIER) cognata eius.

DOMVM) Id eſt,familiã.Hoc eſt,ei qui noluerit ſuſcitare ſemẽ fratri mortuo.

Si habuerint inter ſe iurgium viri duo, & vnus cõtra alterum rixari cœperit: voléntque vxor alterius eruere virum ſuum de manu 'fortioris, miſerítque manum,& apprehenderit verenda eius ; abſcindes manum illius, nec flectêris ſuper eam vlla miſericordia. Non habebis in ſacculo diuerſa pondera,maius & minus:nec erit in domo tua 'modius maior & minor. pondus habebis iuſtum & verum,& modius æqualis & 'verus erit tibi:vt multo viuas tempore ſuper Terram quam Dominus Deus tuus dederit tibi.abominatur enim Dominus tuus eum qui facit hæc,'& auerſatur omnem iniuſtitiam.

FORTIORIS,) percutientis ipſum.

MODIVS maior & minor.) diuerſus modius.

VERVS) iuſtus.

ET auerſatur omnem iniuſtitiam.) omnem inquam facientem iniquita-

tem. Declaratio præcedentium.

Exod. 17. c. ‖Memento quæ fecerit tibi Amalec in via quãdo egrediebaris ex AEgypto: quomodo 'occurrerit tibi, & extremos agminis tui, 'qui laſſi reſidebant, ceciderit, quando tu eras 'fame & labore confectus, & non timuerit Deum. Cũ ergo Dominus Deus tuus 'dederit tibi requiẽ, & ſubiecerit cunctas per circuitum nationes in Terra quam tibi pollicitus eſt: delebis nomen eius ſub cælo. caue ne obliuiſcaris.

OCCVRRERIT tibi,) Adde ex Hebræo, in via.

QVI laſſi reſidebant,) omnes debiles qui ſequebantur te.

FAME & labore confectus,) feſſus & fatigatus.

DEDERIT tibi requiem, &c.) dederit tibi requiem ab omnibus inimicis tuis, vndique in Terra quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi in hæreditatem, vt poſſideas eam: delebis memoriam eius de ſub cælo: ne obliuiſcaris. Id eſt, ne mandes obliuioni quod nunc dico. De ſub cælo. De ſub cælo, id eſt, de mundo, de animis hominum. Ita delebis eos vt nemo poſtea meminerit eos vixiſſe.

CAP. XXVI.

CVMQVE intraueris Terram quã Dominus Deus tuus tibi daturus eſt poſſidẽdã, & obtinueris eam, atque habitaueris in ea, tolles de cunctis 'frugibus tuis 'primitias, & pones 'in cartallo, pergéſque ad locũ quem Dominus Deus tuus elegerit 'vt ibi inuocetur nomen eius: accedéſque ad ſacerdotem qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum, Profiteor hodie 'corã Domino Deo tuo, quòd ingreſſus ſum in Terram pro qua 'iurauit patribus noſtris vt daret eam nobis.

FRVGIBVS tuis) fructibus terræ.

PRIMITIAS, & pones) primitias quas afferes de Terra quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi: & pones &c.

IN cartallo,) in caniſtro.

VT ibi inuocetur nomen eius:) vt habitare faciat nomen ſuum ibi. Id eſt, vt illic colatur, & inuocetur.

CORAM.) Hæc præpoſitio nõ legitur Hebraice, ſed tantum, Profiteor hodie Domino, &c.

IVRAVIT &c.) iurauerat Dominus patribus &c. Quaſi dicat, Fateor Deum ſtetiſſe promiſſis: habito enim in Terra quam promiſerat nobis. In Paruo exemplari S. Germani legitur, Iurauit Dominus.

Suſcipiénſque ſacerdos cartallum 'de manu eius, ponet ante altare Domini Dei tui. Et 'loquêris in conſpectu Domini Dei tui, 'Syrus perſequebatur patrem meum, qui deſcendit in AEgyptum, & ibi peregrinatus eſt

in pauciſſimo numero: creuítque in gentem magnam ac robuſtã '& infinitæ multitudinis. Afflixerúntque nos AEgyptii,& 'perſecuti ſunt,imponentes 'onera grauiſſima. Et clamauimus ad Dominum Deum patrum noſtrorum. qui exaudiuit nos,& reſpexit 'humilitatem noſtram & laborem,'atque anguſtiã:& eduxit nos de AEgypto in manu forti,& brachio extento, in ingenti pauore, in ſignis atque portentis: & introduxit ad locum iſtum, & tradidit 'nobis Terram lacte & melle manantem. Et idcirco nunc offero primitias frugum Terræ 'quam Dominus dedit mihi. Et dimittes eas in conſpectu Domini Dei tui: & adorato Domino Deo tuo,'epulaberis in omnibus bonis quæ Dominus Deus tuus dederit tibi,& domui tuæ,tu & Leuites, & aduena qui tecum eſt.

DE manu eius,) de manu tua. Hoc pacto legit etiam Complutenſis editio & Moguntinenſis.

LOQVERIS) Vel,reſpondebis,& dices. Subaudi,ſacerdoti interroganti ſequentia, Quid geſtas in caniſtro?

SYRVS perſequebatur patrem meum,) Syrus ille penuria laborans, fuit pater meus. Alii vertunt, Syrus quæſiuit vt perſequeretur patrem meũ. Verum prior interpretatio eſt verior. Quaſi dicat, Has diuitias non accepimus à parentibus, à patre noſtro Iacob,ſed à Deo noſtro. Nam pater noſter Iacob, qui habitauit in Syria,& illic laborauit penuria,ita vt Laban ſeruierit: poſtea idem in Terra-Chanaan laborans inopia deſcendit in AEgyptum tempore famis, &c. Hæc omnia eo tendunt vt oſtendat Moyſes filios Iſrael non accepiſſe terram ſanctam iure hæreditario,ſed dono Dei.

ET infinitæ multitudinis.) & multam.

PERSECVTI ſunt) afflixerunt.

ONERA grauiſſima.) ſeruitutem duram. Onus graue.

HVMILITATEM) afflictionem.

ATQVE anguſtiam:) & quòd nimium vrgerent nos.

NOBIS Terram lacte) Hebraice legitur, nobis Terram iſtam, Terram inquam lacte &c.

QVAM Dominus dedit mihi.) quam dediſti mihi Domine. Quaſi dicat, in memoriam tanti beneficii offero tibi primitias.

EPVLABERIS) lætaberis.

'Quando compleueris decimam cunctarum frugum tuarum, 'anno decimarum tertio dabis Leuitæ & aduenæ,& pupillo & viduæ,vt comedant 'intra portas tuas, & ſaturentur: 'loqueríſque in conſpectu Domini Dei tui,'Attuli quod ſanctificatum eſt de domo mea,& de-

rr.i.

ſ.14.d. di illud Leuitæ & aduenæ,& pupillo ac viduæ,‖ſicut iuſ-
ſiſti mihi: non præteriui mandata tua, nec ſum oblitus
imperii tui.Non comedi ex eis ᶦin luctu meo,ᶦnec ſepa-
raui ea in qualibet immunditia,nec expendi ex his quic
quam ᶦin re funebri.Obediui voci ᶦDomini Dei mei,&
Iſa.63.d. baruch 2.d. ᶦfeci omnia ſicut præcepiſti mihi.‖Reſpiceᶦde ſanctuario
tuo,& de excelſo cælorum habitaculo,& benedic popu
lo tuo Iſrael, & Terræ quam dediſti nobis, ſicut ᶦiuraſti
patribus noſtris,Terræ lacte & melle mananti.

QVANDO compleueris decimam) Quando compleueris dare decimam.Id eſt,Quum iam dederis decimam omnium frugum tuarum.

Decimæ quã- do dabantur. ANNO decimarum tertio) anno tertio, qui eſt annus decimarum. Id eſt, in quo decimæ dari debent pauperibus.Singulis enim annis decimæ Leuitis tantũ: at tertio quoque anno pauperibus dabantur & Leuitis.

INTRA portas tuas.) Id eſt,in vrbibus tuis quas inhabitas:in aliqua vrbium tuarum.

LOQVERISQVE) tunc dices.Agendo ſcilicet gratias, ingenue fateberis.Sic dices,Gratias ago Deo,quòd perſoluerim decimam &c.

ATTVLI quod ſanctificatum eſt de domo mea.) Extuli rem ſacram è domo mea.Id eſt,decimam ipſam quæ Deo ſacrata eſt.I'ay mis hors de ma maiſon.

Iuxta omne præceptum. SICVT iuſſiſti &c.Non) iuxta omne præceptum tuum quod præcepiſti: (id eſt,omnino vt præcepiſti) non ſum tranſgreſſus vllum ex præceptis tuis, neque oblitus ſum.

Luctus. IN luctu meo,) Id eſt,in calamitate mea.Vel,in paupertate mea, ſiue egeſtate preſſus.

NEC ſeparaui ea in qualibet immunditia,) neque extuli quicquam ex ea pro re immunda.Id eſt,vt inſumerem in rem immundam & prophanam.Nihil enim ex decimis in re prophana expendi debebat, quòd Deo ſacræ eſſent.

IN. re funebri.) Id eſt,in exequiis,curando funus,& parentando.

DOMINI Dei mei,) Antecedens pro relatiuo: Latine diceretur,voci tuæ.

FECI omnia &c.) Id eſt,impleui præceptum de decimis perſoluendis.

Sanctuarium Dei. Habitaculum Dei ſanctum. DE ſanctuario tuo,& de excelſo cælorum habitaculo,) de habitaculo ſanctitatis tuæ,de cælo ipſo.Hic declarat quid vocet habitaculum Dei ſanctum: nempe cælum.

IVRASTI) Id eſt,pollicitus fueras adhibito iuramento.

Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi vt facias
ᶦmandata hæc atque iudicia:ᶦvt cuſtodias & impleasᶦex
ſ.7.a. toto corde tuo,& ex tota anima tua.‖Dominũᶦelegiſti
hodie,vt ſit tibi Deus,& ambules in viis eius, ᶦvt cuſto-
dias ceremonias illius, & mandata atque iudicia, & o-
bedias eius imperio.ᶦEn Dominus elegit te hodie vt ſis
ei populus peculiaris, ſicut locutus eſt tibi, ᶦ& cuſtodias
omnia præcepta illius : ᶦ& faciet te excelſiorem cunctis

gẽtibus quas creauit, 'in laudẽ, & nomen, & gloriã ſuam: 'vt ſis populus ſactus Domini Dei tui, ſicut 'locutus eſt.

MANDATA hæc) ſtatuta hæc.

VT cuſtodias & impleas) cuſtodi ergo ea.

EX toto corde tuo,) Id eſt, ſponte, libenter, & ex animo. Ex toto corde.

ELEGISTI hodie, vt ſit tibi &c.) extuliſti (vel, exaltaſti) hodie, vt ſit tibi &c. Id eſt, magnificaſti hodie Dominum, ſeruando præcepta eius: ipſe quoque te exaltauit, vt ſit tibi Deus &c.

VT cuſtodias ceremonias illius,) & cuſtodias ſtatuta eius. Hoc loco ET, pro ID EST poſitum eſt, declarat enim quod dixerat, ambulare in viis eius: nempe cuſtodire ſtatuta eius & mandata &c. Ambulare in viis Dei.

EN) Etiam Dominus exaltauit te. Vel, Propterea &c. Vetera exemplaria S. Germani, & Latum S. Dionyſii legunt, Et Dominus.

ET cuſtodias) & vt cuſtodias. Extulit inquam te, vt etiam cuſtodias.

ET faciet te excelſiorem) & vt faciat te ſuperiorem.

IN laudem,) Subaudi, vt ſis. Fecit te ſuperiorem in laudem ſuam, id eſt, vt propterea laudetur, &c.

VT ſis) & vt ſis.

SANCTVS Domini Dei tui,) ſanctus Domino Deo tuo. Id eſt, dicatus.

LOCVTVS eſt.) Id eſt, promiſit.

CAP. XXVII.

PRAECEPIT autem Moyſes & ſeniores Iſrael populo, dicentes, Cuſtodite omne mandatum quod præcipio vobis hodie. Cúmque tranſieritis Iordanem 'in Terrã quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingẽtes lapides, & calce 'leuigabis eos, 'vt poſſis in eis ſcribere 'omnia verba legis huius, Iordane tranſmiſſo, 'vt introeas Terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, Terram lacte & melle manãtem, 'ſicut iurauit patribus tuis. Quando ergo tranſieritis Iordanem, erigite lapides quos ego hodie 'præcipio vobis in monte Hebal, & leuigabis eos calce: & ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus quos ferrum non tetigit, '& de ſaxis informibus & impolitis: & offeres ſuper eo holocauſta Domino Deo tuo, & immolabis hoſtias pacificas, comedéſque ibi, & 'epulaberis corã Domino Deo tuo. Et ſcribes ſuper lapides omnia verba legis huius 'planè & lucidé. Exod. 20. d. ioſue 8. f.

IN Terram) Vel, vt eatis in Terram.

LEVIGABIS) linies. Id eſt, dealbabis eos.

VT poſſis in eis ſcribere) & ſcribes in eis.

rr.ii.

OMNIA verba legis) Id eſt, decalogum.

VT introeas Terram) pergendo ad Terram.

SICVT iurauit patribus tuis.) ſicut promiſit Dominus Deus patrũ tuorum tibi. Id eſt, In gratiam tui, ſiue pro te.

PRAECIPIO) Subaudi, erigendos.

Lapides perfecti. ET de ſaxis informibus & impolitis:) & lapidibus perfectis. Id eſt, non ſectis. Toutes entieres, non taillees.

EPVLABERIS) lætaberis. Agendo ſcilicet gratias de beneficiis acceptis.

PLANE & lucidè.) explicando bene. Vel, litera bene picta, & ad vnguem ficta: litera legibili.

Dixerúntque Moyſes & ſacerdotes Leuitici generis ad omnem Iſraelem, Attende, & audi Iſrael, Hodie factus es populus Domini Dei tui. 'audies vocem eius, & facies mandata atque iuſtitias quas ego præcipio tibi.

Præcepítque Moyſes populo in die illo, dicens, Hi ſtabunt ad 'benedicendum Domino ſuper montem Garizim, Iordane tranſmiſſo: Simeon, Leui, Iudas, Iſſachar, 'Ioſeph, & Ben-iamin. Et è regione iſti ſtabunt 'ad maledicendum in monte Hebal; Ruben, Gad, & Aſer, &

Dan. 9. c. Zabulon, Dan, & Nephthali.‖ Et pronuntiabunt 'Leuitæ, dicéntque ad omnes viros Iſrael excelſa voce, Maledictus homo qui 'facit ſculptile & conflatile, 'abominationem Domini, opus manuum artificum, ponétque illud 'in abſcondito. & reſpondebit omnis populus, & dicet, 'Amen. Maledictus 'qui non honorat patrẽ ſuum, '& matrem. & dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui tranſfert terminos proximi ſui. & dicet omnis populus, Amen.

AVDIES vocem &c. Præcepítque) Audi igitur vocem eius, & fac præcepta & ſtatuta eius quæ ego præcipio tibi hodie. Dictionem HODIE legimus in Paruo exemplari S. Germani.

AD benedicendum Domino) ad benedicendum populo. Sic etiam legitur in Paruo veteri exemplari S. Germani. Verti poteſt, Iſtæ tribus ſtabunt ſuper montem Garizim, vt populo audiente recitentur benedictiones. Aut, Iſtæ tribus ſtabunt in monte Garizim ad audiendam benedictionem. Lege Numerorum caput 17. & 18.

IOSEPH,) Ioſeph ponitur pro duabus tribubus, Ephraim & Manaſſe.

AD maledicendum) propter maledictionem. Id eſt, ad maledictionem audiendam. Vel, vt populo audiente recitentur maledictiones.

LEVITAE,) Iſti erant in valle, in medio duorum iſtorum montium: omnis autem populus, & omnes maiores natu, duces quoque ac iudices ſtabant ex vtraque parte arcæ in conſpectu ſacerdotum. Ioſue 8.

FACIT) faciet. Vel, fecerit. Paruum exemplar S. Germani legit FACIET, futuro tempore.

ABOMINATIONEM Domini,) Id eſt, quod deteſtatur Dominus. Abominatio Domini.

IN abſcōdito.) Vel, in loco remoto. Vt ſcilicet ſecreto colat illud, & nō publicè.

AMEN.) Veritas ſit hoc. Id eſt, verum ſit illud quod dicit, Maledictus ſit qui colit deos alienos. Concedentis vel optantis eſt particula. Amen.

QVI non honorat) qui ſpernit. Vel, ignominia afficit.

ET matrem.) & matrem ſuam. Sic in Complutenſi editione legitur.

Maledictus qui errare facit cæcum 'in itinere. & dicet 'omnis populus, Amen. Maledictus qui 'peruertit iudicium aduenæ, pupilli & viduæ. & dicet omnis populus, 'Amen. Maledictus qui 'dormit cum vxore patris ſui, '& reuelat operimentum lectuli eius. & dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui dormit cum omni iumento. & dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui dormit 'cum ſorore ſua filia patris ſui, vel matris ſuæ. & dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui dormit cum ſocru ſua. & dicet omnis populus, Amē. Maledictus qui clàm percuſſerit proximum ſuum. & dicet omnis populus, Amen. 'Maledictus qui dormit cum vxore proximi ſui. & dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui accipit munera, vt percutiat 'animam 'ſanguinis innocentis. & dicet omnis populus, Amen. ¶Maledictus 'qui non permanet in ſermonibus legis huius, nec eos opere perficit. & dicet omnis populus, Amen. Galat.3.b.

IN itinere.) ab itinere ſuo.

PERVERTIT iudicium) Id eſt, qui peruerſe & inique pronuntiat aduerſus aduenam &c.

DORMIT cum vxore patris ſui,) Vel, rem habet cum nouerca ſua.

ET reuelat operimentum lectuli eius.) quia diſcooperit angulum pallii patris ſui. Id eſt, operimentum quo turpitudo patris tegebatur. Turpitudinem patris vocat pudenda nouercæ. Turpitudo patris.

CVM ſorore ſua filia patris ſui, vel matris ſuæ.) Id eſt, cum ſorore ſua, ſiue ea ſit ſoror ex parte patris, ſiue ex parte matris.

MALEDICTVS qui dormit &c.) Hanc maledictionem non legimus neque in vetuſtioribus S. Dionyſii & Germani, neque in editione Complutenſi & Moguntinenſi.

ANIMAM,) animæ. Subaudi, plaga: vt ſcilicet percutiat aliquem plaga animæ, id eſt lethali vulnere. Plaga animæ.

SANGVINIS innocentis.) ſanguinem innocentem. Id eſt, animam hominis innocentis. Sanguinem pro homine ponit. Sanguis.

QVI non permanet in ſermonibus legis huius, nec eos opere perficit.) qui non confirmauerit (vel, qui non oſtenderit ſe rata habere) verba legis huius faciendo illa.

CAP. XXVIII.

SI autẽ audieris vocẽ Domini Dei tui, 'vt facias atque cuſtodias omnia 'mandata eius quæ ego præcipio tibi hodie: faciet te Dominus Deus tuus 'excelſiorem cunctis gẽtibus quæ verſantur in terra. Veniéntque ſuper te vniuerſæ benedictiones iſtæ, & apprehendent te: 'ſi tamen præcepta eius audieris, 'Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro. 'Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructúſque iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum. 'Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. 'Benedictus eris ingrediens & egrediens. Dabit Dominus inimicos tuos 'qui conſurgent aduerſum te, 'corruentes in conſpectu tuo: per vnam viam venient contra te, & per 'ſeptem fugient à facie tua.

VT facias atque cuſtodias) Vel, cuſtodiendo & faciendo.

MANDATA eius) præcepta eius.

EXCELSIOREM) Vel, ſuperiorem.

SI tamen præcepta eius audieris,) ſi modo audieris vocem Domini Dei tui.

Benedictus. BENEDICTVS tu in ciuitate, & benedictus in agro.) Id eſt, Abundabis omnibus rebus neceſſariis, ſiue vrbem incolas, ſiue agrum. Aut, Fœlix eris, ſiue res vrbanas tractes, ſiue ruſticas.

Fructus vẽtris BENEDICTVS fructus ventris tui, &c.) Hoc eſt, Abundabis liberis, & terra gignet tibi copioſum fructum, abundabis iumentis, armento, & grege.

BENEDICTA horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ.) Benedictũ caniſtrum tuum, & benedicta arca panaria tua. Id eſt, Calathi tui in quibus reponere ſoles fructus arborum, nũquam erunt vacui, & ſemper erit panis in ciſta tua panaria.

BENEDICTVS eris ingrediens & egrediens.) Hoc eſt, Ingreſſus tuus in locum aliquem, & egreſſus ex loco aliquo, erit fœlix.

QVI conſurgent) qui conſurgunt. Præſenti tempore: vt etiam legitur in antiquis codicibus S. Germani, Dionyſii, & Victoris. Præſens tamen pro futuro.

Dare corruentes. CORRVENTES) percuſſos. Id eſt, permittet vt cædas eos.

SEPTEM) Numerus certus pro incerto.

'Emittet Dominus benedictionem ſuper cellaria tua, & ſuper omnia opera manuum tuarum: benedicétque tibi in Terra 'quam acceperis. 'Suſcitabit te Dominus ſibi in populũ ſanctũ, ſicut iurauit tibi: ſi cuſtodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaueris in viis eius. Videbúntque omnes terrarũ populi 'quòd nomen Domini inuocatũ ſit ſuper te, & timebũt te. Abundare te faciet

Dominus 'omnibus bonis, 'fructu vteri tui, & fructu iumentorum tuorum, fructu Terræ tuæ quam iurauit Dominus patribus tuis vt daret tibi. 'Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum, cælum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore ſuo: 'benedicétque cunctis operibus manuum tuarum. Et 'fœnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo fœnus accipies. 'Conſtituet te Dominus Deus tuus 'in caput, & non in caudam: & 'eris ſemper ſuprà, & non ſubter: ſi tamen audieris mandata Domini Dei tui quæ ego præcipio tibi hodie, '& cuſtodieris & feceris, ac 'non declinaueris ab eis nec ad dextrã nec ad ſiniſtram, 'nec ſecutus fueris deos alienos, neque colueris eos.

EMITTET Dominus &c. Benedicétque) Præcipiet Dominus vt ſit benedictio in cellariis tuis, & in omnibus ad quæ miſeris manus tuas. Id eſt, Dominus vt tibi, ita & cellariis tuis benedicet, & omnibus rebus quibus admoueris manum.

QVAM acceperis.) quam Dominus Deus tuus (id eſt, ipſe) daturus eſt tibi.

SVSCITABIT) Eriget. Id eſt, Faciet vt ſis ei populus ſanctus. Suſcitare.

QVÒD nomen Domini inuocatum ſit ſuper te,) Id eſt, intelligẽt te vocari de nomine Dei, vel te vocari populum Dei, & eſſe. Inuocare nomen Dei ſuper aliquem.

OMNIBVS bonis,) in bonum. Id eſt, fœliciter.

FRVCTV vteri tui,) Id eſt, liberis.

APERIET Dominus) Addendum pronomen TIBI.

BENEDICETQVE &c.) & benedicat cunctis operibus &c. Id eſt, pluuia ſua fœcundet agros, & vineas quas colueris.

FOENERABIS gentibus multis, & ipſe à nullo fœnus accipies.) mutuabis gentibus multis, & ipſe à nullo mutuum ſumes.

CONSTITVET te Dominus Deus tuus) Hoc loco, Deus tuus, neque in Hebræis, neque in Latinis ſcriptis codicibus S. Germani ac Dionyſii legitur.

IN caput, & non in caudam:) Hebraiſmus, pro, eris primus omnium populorum, & non abiectiſſimus. In caput conſtituere aliquem.

ERIS ſemper ſuprà, & non ſubter:) eris tantummodo in ſummo, & non in imo. Id eſt, ſuperior ſemper eris, & non inferior.

ET cuſtodieris & feceris,) vt cuſtodias & facias.

NON declinaueris ab eis) non declinaueris ab omnibus verbis quæ ego præcipio vobis hodie.

NEC ſecutus fueris deos alienos, neque colueris eos.) vt ſecteris deos alienos colendo eos. Id eſt, ſi non receſſeris à cultu veri Dei, colendo idola.

¶Quòd ſi audire nolueris vocem Domini Dei tui, 'vt cuſtodias & facias omnia mandata eius & 'ceremonias quas ego præcipio tibi hodie, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & apprehendent te. 'Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro. 'Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. 'Maledictus fructus Leuit. 26. b. thren. 2. f malach. 2. a. baruch 1. d.

ventris tui,& fructus terræ tuæ, arméta boum tuorum, & greges ouium tuarum.'Maledictus eris ingrediens,& maledictus egrediens.Mittet Dominus ſuper te'famem & eſuriem , & 'increpationem in omnia opera tua quæ tu facies:'donec conterat te & perdat velociter,'propter adinuentiones tuas peſſimas in quibus reliquiſti me. 'Adiungat tibi Dominus peſtilentiam,donec conſumat te de Terra ad quam 'ingredieris poſſidendam. 'Percutiat te Dominus egeſtate, febri & frigore , ardore & æſtu, & aere corrupto ac rubigine, & perſequatur donec pereas.

VT cuſtodias.) Vel, cuſtodiendo.

CEREMONIAS quas) Vel,ſtatuta quæ &c.

Maledictus. MALEDICTVS eris in ciuitate,&c.) Id eſt, Infœlix eris in rebus vrbanis gerendis & in ruſticis.

MALEDICTVM horreum tuum,& maledictæ reliquiæ tuæ.) Maledictus calathus tuus,& ciſta panaria tua. Id eſt,Calathus tuus & arca panaria tua erunt vacua.quaſi dicat,tu premêris fame.

MALEDICTVS fructus ventris &c.) Hoc eſt,Peribunt liberi tui &c.

MALEDICTVS eris ingrediens,&c.) Id eſt,Infœlix eris,ſiue aliquo proficiſcaris,ſiue domum reuertaris.

Confractio. FAMEM & eſuriem,) maledictionem & cõfractionem.Vel,penuriam & confractionem.Vox Hebræa, pro qua vertimus confractionem , ſignificat ſtrepitum terribilem,in quo omnia turbatione ſunt plena.

Increpatio. INCREPATIONEM) Hic vocabulum Hebraicum interpretantur Hebræi pro continuo terrore ſuperuenientium malorum, vt nunquam bono quis eſſe poſſit animo.

DONEC conterat te & perdat) Vel,ita vt perdaris & pereas.

PROPTER adinuentiones tuas peſſimas in quibus reliquiſti me.) propter mala ſtudia tua,per quæ deſeruiſti me.

ADIVNGAT) Adhærere faciet.Quaſi dicat,Dominus mittet tibi peſtẽ quæ tenaciſſime adhærebit tibi,ita vt ſeparari non poſſit.

INGREDIERIS) ingrederis.Præſenti tempore. ita etiam legitur in Paruo exemplari S. Germani.

PERCVTIAT te Dominus &c, Sit) Percutiet te Dominus macie(vel phthiſi) & febri,& ardore,& æſtu,& gladio,& rubigine, & aurugine: perſequẽturque te donec pereas.Sit cælum &c. Poſuit febrem & ardorem & æſtũ pro febri ardentiſſima & æſtuante.

'Sit cælum quod ſupra te eſt,'æneũ:& terra quam calcas,ferrea. 'Det Dominus imbrẽ terræ tuæ puluerem, & de cælo 'deſcendat ſuper te cinis, donec conteraris. Tradat te Dominus 'corruentem ante hoſtes tuos : '& per vnam viam egrediaris contra eos,& per ſeptem fu-

gias,'& diſpergaris per omnia regna terræ. Sítque cadauer tuum in eſcam cũctis volatilibus cæli & beſtiis terræ,'& non ſit qui abigat.

SIT cælum) Erit cælum. Sic omnia verba ſequentia vertenda ſunt per futurum.

AENEVM:) Vocat cælum æneum, quod non pluit: & terram ferream, quæ a- Cælum æneũ.
rari non poteſt, quaſi dicat, nulla aqua molliet & macerabit terram vt aretur. erit Terra ferrea.
inarabilis.

DET) Dabit. Id eſt, Loco pluuiæ cadet puluis. Quaſi dicat, Tanta erit caliditas, Puluis.
vt vice imbris deſcendat è cælo puluis Vis venti excitabit puluerem, qui poſtea
vice imbris decidet.

DESCENDAT ſuper te cinis, donec conteraris.) deſcendet ſuper te cinis ſulphureus, donec delearis.

CORRVENTEM) cæſum. Id eſt, permittet Dominus vt inimici te cædant.

ET per vnam &c.) Coniunctio ET, ne in vetuſtioribus quidem Latinis codicibus S. Dionyſii & Germani legitur.

ET diſpergaris per omnia regna terræ.) & eris in terrorem (vel, commotio- In terrorem
nem) omnibus regnis terræ. Id eſt, audita calamitate tua, contremiſcent regna eſſe.
terræ.

ET non ſit qui abigat.) & non ſit terrens. Id eſt, qui terrendo abigat.

Percutiat te Dominus 'hulcere AEgypti, '& partem corporis per quam ſtercora egeruntur, ſcabie quoque & prurigine: ita vt curari nequeas. Percutiat te Dominus amentia & 'cæcitate ac furore mentis, '& palpes in meridie ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris, '& non dirigas vias tuas. 'Omníque tempore calumniam ſuſtineas, & opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te. 'Vxorem accipias, & alius 'dormiat cum ea.

HVLCERE AEgypti,) Id eſt, hulcere quo percuſſit AEgyptios quãdo noluerunt permittere egredi Iſraelem.

ET partem corporis per quam ſtercora egerũtur, ſcabie quoque & prurigine:) & infirmitatibus ani: & ſcabie & prurigine. Scabiem ſiccam vocat, De la gratellè. Pruriginem intelligit impetiginem quæ coniuncta eſt pruritui. Per morbos ani, intellige hæmorrhoides, & mariſcas, & reliquos morbos ani.

CAECITATE ac furore mentis,) cæcitate, ac ſtupore cordis. Cæcitatem men Cæcitas.
tis intelligit. Percutiet autẽ (inquit) te ſtupore cordis: hoc eſt, reddet te attonitũ.

ET palpes &c.) & palpabis. Intelligitur de palpatione animi. quaſi dicat, excuties in re tam clara, quàm eſt lux meridiana. Id eſt, eris omniũ excæcatiſſimus.

ET non dirigas vias tuas.) & non ſecundabis vias tuas. Id eſt, non poteris effi- Dirigere vias.
cere vt proſperentur viæ tuæ. quaſi dicat, omnia infœliciter tibi ſuccedent.

OMNÍQVE tempore &c. Vxorem) eris etiam tantummodo oppreſſus & ſpo Tantummo-
liatus omni tẽpore: neque erit qui te adiuuet. Vxorẽ &c. Id eſt, Nihil aliud quàm do eris oppreſ
opprimêris, & ſpoliaberis toto vitæ tempore, nec erit qui ſuppetias tibi ferat. ſus.
Verti poſſet, Certe etiam opprimêris &c.

VXOREM accipias,) Vxori dabis fidem futuri matrimonii.

DORMIAT) dormiet. Id eſt, rem habebit cum ea.

Domum 'ædifices,& non habites in ea.Plantes vineã, &"non vindemies eam. Bos tuus immoletur coram te, & non comedas ex eo. Aſinus tuus rapiatur in conſpectu tuo,& non reddatur tibi. Oues tuæ dentur inimicis tuis, '& non ſit qui te adiuuet. Filii tui & filiæ tuæ tradantur alteri populo,videntibus oculis tuis,& deficientibus'ad conſpectum eorum tota die,'& non ſit fortitudo in manu tua.Fructus terræ tuæ,& omnes labores tuos comedat populus quẽ ignoras: '& ſis ſemper calumniam ſuſtinens, & oppreſſus cunctis diebus, '& ſtupens ad terrorem eorum quæ videbũt oculi tui. Percutiat te Dominus hulcere peſſimo in genibus & in ſuris, ſanaríque non poſſis à planta pedis vſque ad verticẽ tuum.

AEDIFICES,) ædificabis. Sic per futurum vertes omnia verba ſequentia.

NON vindemies eam) non facies eam communem primus. Ad verbum Hebraice legitur, Tu non deuirginabis eam. Id eſt, Primus non vindemiabis eam.

ET non ſit qui te adiuuet.) & non erit tibi ſeruator. Id eſt, non erit qui illas eripiat è manibus inimicorum, & reducat ad te.

AD conſpectum eorum) propter illos. Id eſt, oculi tui conſumentur, circunſpiciendo quotidie an reuertantur.

Non eſt fortitudo in manibus eius.

ET non ſit fortitudo) & non erit fortitudo, &c. Id eſt, non poteris liberare filios tuos è manu illius gentis.

ET ſis ſemper calumniam ſuſtinens, & oppreſſus) & eris tantũmodo oppreſſus & confractus. Id eſt, nihil aliud quàm opprimêris, ſiue perpetuò opprimêris.

ET ſtupens ad terrorem eorum quæ &c.) & corripiêris inſania propter ea quæ &c.

'Ducétque te Dominus, & regem quem conſtitues ſuper te,in gentem "quam ignoras tu & patres tui:'& ſeruies ibi diis alienis, ligno & lapidi.'Et eris perditus, in prouerbium ac fabulã omnibus populis,ad quos te 'introduxerit Dominus.‖Sementem multam iacies in terram,& modicum congregabis: quia locuſtæ deuorabũt omnia. Vineam plantabis & fodies, & vinum "non bibes, nec colliges ex ea quippiam : quoniam vaſtabitur vermibus. Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & non vngêris oleo: 'quia defluent & deperibunt. Filios generabis & filias,'& non fruêris eis:quoniam ducentur in captiuitatẽ. Omnes arbores tuas & fruges terræ tuæ

Mich.6.d. aggæi 1.b.

'rubigo conſumet.

DVCETQVE) Ducet. Sine coniunctione legitur etiam in vetuſtioribus Latinis codicib' S. Germani & Dionyſii. De hoc admonet & Correctoriũ Sorbonicũ.

QVAM ignoras) quam tu non noſti.

ET ſeruies &c.) Chaldæus paraphraſtes vertit, Seruies hominibus colentibus deos alienos, hoc eſt deos ligneos ac lapideos.

ET eris perditus, in prouerbium ac fabulam) Et eris in ſtuporem, & parabolam, & in fabulam. Id eſt, Audita calamitate tua obſtupeſcent omnes populi externi, omnes alios infœlices comparabunt tibi, tuam calamitatem aſſidue in ore habebunt. *In ſtuporem, prouerbium, & fabulam.*

INTRODVXERIT) abduxerit. Id eſt, ad quos authore & duce Domino commigrabis.

NON bibes,) Subaudi, ex ea.

QVIA defluent & deperibunt.) quia defluet oliua tua. Vel, decidet ex arbore, prius quàm colligatur, & ad maturitatem perueniat.

ET non frueris eis:) & non erunt tibi. Id eſt, quibus paulo poſt carebis.

RVBIGO) locuſta. Vel, exercitus hoſtium.

'Aduena 'qui tecum verſatur in Terra, 'aſcendet ſuper te, eríque ſublimior: tu autem deſcendes, & eris inferior. 'Ipſe fœnerabit tibi, & tu nõ fœnerabis ei. 'Ipſe erit in caput, & tu eris in caudam. Et veniẽt ſuper te omnes maledictiones iſtæ, & perſequẽtes apprehendent te, donec intereas: quia non audiſti vocem Domini Dei tui, 'nec ſeruaſti mandata eius & ceremonias quas præcepit tibi. 'Et erũt in te ſigna atque prodigia, & in ſemine tuo vſque in ſempiternum: eo quòd non ſeruieris Domino Deo tuo in gaudio, cordíſque lætitia, 'propter rerum omnium abundantiam.

QVI tecum verſatur in Terra,) qui in medio tui fuerit. Id eſt, qui habitauerit tecum.

ASCENDET ſuper te, &c. Ipſe) aſcẽdet ſuper te ſurſum ſurſum, tu autem deſcendes deorſum deorſum. Ipſe &c. Hebraiſmus, pro Multis modis, aut longe erit ſuperior te, tu autem eris eo longe inferior. *Surſũ ſurſũ. Deorſum deorſum.*

IPSE fœnerabit tibi, &c.) Ipſe mutuabit tibi, tu verò nõ mutuabis illi. Id eſt, Erit longe ditior te, ita vt poſſit tibi mutuo dare pecuniam. *Mutuabit tibi*

IPSE erit in caput, &c.) Id eſt, Euadet primus, tenebit primas: tu autem eris infimus, & ſortis poſtremæ. *In caput eſſe*

NEC ſeruaſti &c. Et erunt) cuſtodiendo præcepta eius, & ſtatuta eius quæ præcepit tibi. Et erunt &c.

ET erũt in te ſigna atque prodigia, & in ſemine tuo) Et erũt in te in ſignũ & prodigium & in ſemine tuo. Id eſt, Erunt in te vice prodigiorum. quaſi dicat, Hæc nota & infamia durabit perpetuo. *In ſignũ eſſe.*

PROPTER rerum omnium abundantiam.) Vel, præ abundantia omnium rerum.

Seruies inimico tuo quem 'emittet tibi Dominus, in

fame,& ſiti,& nuditate,& omni penuria, & ponet iugũ ferreum ſuper ceruicem tuam, donec te conterat. Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus 'in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu : cuius linguam intelligere non poſſis, 'gentem procaciſſimam, quæ non deferat ſeni, nec miſereatur paruuli,& deuoret fructum iumentorũ tuorum ac fruges Terræ tuæ, donec intereas : '& non relinquat tibi triticum,vinum & oleum,armenta boum & greges 'ouium,donec te diſperdat,'& conterat in cunctis vrbibus tuis,'& deſtruantur muri tui firmi atque ſublimes, in quibus habebas fiduciam in omni Terra tua. 'Obſideberis intra portas tuas in omni Terra tua quam dabit tibi Dominus Deus tuus:& comedes fructum vteri tui,'& carnes filiorum tuorum & filiarum tuarum,quas dederit tibi Dominus Deus tuus,'in anguſtia &vaſtitate qua opprimet te hoſtis tuus.

EMITTET) emiſerit.Vetuſtiora exemplaria Latina S.Germani, Dionyſii & Victoris legunt immittet.

In ſimilitudinem aquilæ. IN ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu:) Id eſt,citiſſime & celerrime. Hæc verba,cum impetu,non leguntur Hebraice.

Impudenti facie gens. GENTEM procaciſſimam,) gentem impudenti facie.Id eſt,barbaram & inhumanam,frontiſque perfrictæ.

ET non relinquat) gentem inquam quæ non relinquet &c.

OVIVM,) Adde pronomen TVARVM.

ET conterat) & obſidebit te.

ET deſtruantur &c.Obſideberis) donec corruant muri tui excelſi & muniti, in quibus fidis,idque tota regione tua. Obſideberis &c.

OBSIDEBERIS intra portas tuas) Cinget inquam te obſidione in omnibus vrbibus tuis.Id eſt,in tota patria tua.

Fructus vteri. ET carnes) Hoc loco coniunctio ET, pro id eſt, poſita eſt. Fructus enim vteri,vocat filios & filias.

IN anguſtia & vaſtitate) in obſidione & anguſtia. Vel,tempore obſidionis & anguſtiæ qua anget te inimicus tuus.

'Homo delicatus in te, & luxurioſus valde inuidebit fratri ſuo, & vxori quæ cubat in ſinu ſuo, ne det eis de carnibus filiorum ſuorum quas comedet,eo quòd nihil aliud habeat in obſidione & penuria qua vaſtauerint te inimici tui intra omnes portas tuas. Tenera mulier & delicata 'quæ ſuper terram ingredi non valebat,nec pe-

dis veſtigium figere propter mollitiē & teneritudinem nimiam, ˈinuidebit viro ſuo qui cubat in ſinu eius, ſuper filii & filiæ carnibus, & illuuie ſecundinarum quæ egrediuntur de medio feminum eius, & ſuper liberis qui eadem hora nati ſunt. comedent enim eos clàm propter rerum omnium penuriam, in obſidione & vaſtitate qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas.

HOMO delicatus &c. Tenera) Viri mollis in te, & delicati plurimum oculus erit nequam in fratrē ſuum, & in vxorē gremii ſui, & in reliquias filiorū ſuorum qui ſuperfuerint, ne det cuiquam eorum de carnibus filiorum ſuorum quos comedet: eo quòd nihil aliud ipſi reliquerit (ſub. inimicus) in obſidione & anguſtia qua premet te inimicus tuus in omnibus vrbibus tuis. Tenera &c. Id eſt, Molliſſimus & delicatiſſimus quiſque, qui niſi lectiſſimis & delicatiſſimis cibis veſcitur, inuidebit fratri ſuo & vxori ſuæ quæ dormit in ſinu ſuo, & reliquis ſuis liberis, ita vt illos non faciat participes carnium filiorum ſuorum quibus veſcitur. Malignum & nequam eſſe oculum alicuius, eſt illum illiberalem eſſe, tenacē & inuidum. Hæc verba, Eo quòd nihil aliud ipſi reliquerit: verti poſſunt etiā hoc modo, Eo quòd nihil ſibi reliquerit: id eſt, Eo quòd omnia abſumpſerit, premente obſidione & anguſtia. Oculus nequā Malignus & nequā oculus

QVAE ſuper terram ingredi non valebat, nec pedis veſtigium figere propter mollitiem & teneritudinem nimiam,) quæ non tentauit plātam pedis ſui figere ſuper terrā præ deliciis & teneritudine. Id eſt, quæ præ mollitie vix antea terram attingebat pedibus ſuis, ne impingeret.

INVIDEBIT viro ſuo &c. Niſi) malignum habebit oculum in virū ſuum qui dormit in ſinu eius, & in filium ſuum, atque in filiam ſuam, & in ſecundinas quæ egrediuntur è pedibus eius, & in filios ſuos quos peperit: quia deuorabit eos in penuria omnium rerum, clàm, in obſidione & anguſtia qua premet te inimicus tuus in vrbibus tuis. Id eſt, erit illiberalis & tenax erga maritum. illa enim ſeruabit ſibi carnes filiorum ſuorum interfectorum, neque illarum faciet participē maritum ſuum, filios & filias, ſiue paruuli fuerint illi, ſiue natu grādiores. Per ſecundinas figurate intelligit paruulos anniculos, bimos, aut trimos. Filios autem quos peperit, intelligit grandiores & adultos. Quod vero ait, E pedibus eius, eſt Hebraiſmus: pro, E medio femorum. Secundinæ. E pedibus ei⁹.

Niſi cuſtodieris, & feceris omnia verba legis huius quæ ſcripta ſunt in hoc volumine, ˈ& timueris nomen eius glorioſum & terribile, hoc eſt Dominum Deum tuum: augebit Dominus plagas tuas, & plagas ſeminis tui, plagas magnas & ˈperſeuerantes, infirmitates peſſimas & perpetuas. Et conuertet in te omnes ˈafflictiones AEgypti, quas timuiſti, & adhærebunt tibi. Inſuper & vniuerſos languores, & plagas quæ non ſunt ſcriptæ in volumine legis huius, inducet Dominus ſuper te, ˈdonec te conterat. Et remanebitis pauci numero, qui prius

eratis ſicut aſtra cæli præ multitudinē: quoniam non audiſti vocem Domini Dei tui. Et ſicut antè lætatus eſt Dominus ʹſuper vos, bene vobis faciens, vóſque multiplicans: ſic lætabitur diſperdens vos atque ſubuertens, ʹvt auferamini de Terra ad quam ʹingredieris poſſidendam. Diſperget te Dominus in omnes populos ʹà ſummitate terræ vſque ad terminos eius: & ſeruies ibi diis alienis quos & tu ignoras & patres tui, ʹlignis & lapidibus. In Gentibus quoque illis non quieſces, neque erit requies veſtigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pauidum, ʹ& deficientes oculos, & animam conſumptam mœrore. Et erit vita tua quaſi pendens ante te: timebis nocte & die, & ʹnon credes vitæ tuæ. Mane dices, ʹQuis mihi det veſperum? & veſpere, Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem qua terreberis, & propter ea quæ tuis videbis oculis. Reducet te Dominus claſſibus in AEgyptum per viam de qua dixit tibi ʹvt eam amplius non videres: ʹibi vendêris inimicis tuis in ſeruos & ancillas, & non erit qui emat.

ET timueris) timendo.

PERSEVERANTES,) Vel, permanentes & fixas.

AFFLICTIONES) morbos. Aut, dolores.

DONEC te conterat.) donec intereas.

SVPER vos, bene vobis faciens,) propter vos, benefaciendo vobis.

VT auferamini) & extirpabimini.

INGREDIERIS) ingredimini. Præſenti tempore. Vel, pergitis.

A SVMMITATE terræ vſque ad terminos eius:) ab vno angulo terræ vſque ad alterum angulum. Vel, Ab vna extremitate, vſque ad alteram extremitatem.

Lignum. LIGNIS & lapidibus.) ligno & lapidi. Id eſt, diis ligneis & lapideis.

Deficientes oculi. ET deficientes oculos) & defectum oculorum. Id eſt, ſpem & expectationem vanam: vt non poſſis cernere & vitare mala.

NON credes vitæ tuæ.) Id eſt, parum ſperabis de vita tua.

QVIS mihi det veſperum?) Id eſt, Vtinam eſſet veſpera. Hebraiſmus.

VT eam amplius non videres:) Poſthac non es viſurus illam.

IBI vendêris inimicis tuis) & quæres te vendere ibi inimicis tuis. Id eſt. Dabitis operam vt vendamini hoſtibus veſtris. Putabitis recte agi vobiſcum, ſi vendamini hoſtibus veſtris, ſi illi vos emere voluerint.

CAP. XXIX.

H¶AEC ſunt verba fœderis quod præcepit Dominus Moyſi vt feriret cum filiis Iſrael in Terra-Moab: præter illud fœdus quod cum eis pepigit in Horeb. Exod.19.a.

Vocauítque Moyſes omnem Iſrael, & dixit ad eos, Vos vidiſtis vniuerſa quæ fecit Dominus coram vobis in Terra-AEgypti Pharaoni, & omnibus ſeruis eius, vniuerſǽque terræ illius, tentationes magnas quas viderũt oculi tui, ſigna illa portentáque ingentia, '& non dedit vobis Dominus 'cor intelligens, & 'oculos videntes, & aures quæ poſſint audire, vſque in præſentẽ diem. ¶'Adduxit vos quadraginta annis per deſertum: non ſunt attrita 'veſtimenta veſtra, nec calceamẽta pedum 'veſtrorum vetuſtate conſumpta ſunt. 'Panem nõ comediſtis, vinum & ſiceram non bibiſtis: vt ſciretis quia ego ſum Dominus Deus veſter. ¶Et veniſtis ad hunc locũ: egreſſúſque eſt Sehon rex Heſebon, & Og rex Baſan, occurrentes nobis ad pugnam. Et percuſſimus eos, & tulimus Terram eorum, ac tradidimus poſſidendam Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manaſſe. ſ.8.a. ſ.3.a.

HAEC ſunt verba fœderis) Iſtæ ſunt conditiones fœderis. Verba fœderis

ET non dedit) neque tamen dedit.

COR intelligens,) Vel, mentem intelligentem. Cor Intelligẽs

OCVLOS videntes,) oculos ad videndum. Id eſt, oculos vidẽtes. Sic & in Euangelio, Qui habet aures ad audiendum. Id eſt, aures audientes. Aures ad audiendum.

ADDVXIT)) Deduxi. Prima perſona.

VESTIMENTA veſtra.) Adde, ſuper vos.

VESTRORVM) tuorum. Sic legunt Paruum exemplar S. Germani, & Latum S. Dionyſii.

PANEM non comediſtis,) Iſraelítæ non viuebant pane in deſertis, ſed manna, quod illis vice panis erat, & aliorum ciborum.

Cuſtodite ergo 'verba pacti huius, & implete ea: 'vt intelligatis vniuerſa quæ facitis. Vos ſtatis hodie cuncti 'coram Domino Deo veſtro, 'principes veſtri, & tribus, 'ac maiores natu, atque doctores, omnis populus Iſrael, liberi & vxores veſtræ, & 'aduenæ qui tecum morãtur in caſtris, 'exceptis lignorum cæſoribus, & his qui

comportant aquas: 'vt tranſeas in fœdere Domini Dei tui, & in iureiurando quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum:'vt ſuſcitet te ſibi in populum,& 'ipſe ſit Dominus Deus tuus ſicut locutus eſt tibi,& ſicut iurauit patribus tuis Abraham,Iſaac,& Iacob.Nec vobis ſolis ego 'hoc fœdus ferio,& hæc iuramenta cōfirmo, ſed 'cunctis præſentibus & abſentibus.

Verba pacti.

VERBA pacti huius,) Id eſt, conditiones & leges huius fœderis.

VT intelligatis vniuerſa quæ facitis,) vt fœlicia ſint quæcunque facturi eſtis. Vel,vt fœlicia reddatis & proſpera quæcunque &c.

CORAM Domino) Id eſt,coram arca fœderis Domini Dei veſtri.

Principes veſtri & tribus.

PRINCIPES veſtri & tribus,) Id eſt,principes tribuum veſtrarum.

AC maiores natu,atque doctores,) ſeniores veſtri,& præfecti veſtri.

ADVENAE qui tecum morantur) In antiquis codicibus, Oblongo S.Dionyſii,& Paruo S.Germani, legitur ſingulari numero, Aduena qui tecū moratur. Singulare tamen eſt pro plurali.

EXCEPTIS lignorum cæſoribus, & his qui comportant aquas:) ab eo qui cædit ligna veſtra,vſque ad eum qui haurit aquam veſtram. Neceſſariam ſcilicet exercitui.Id eſt,tam nobiles,quàm mediaſtini: tam ſerui,quàm domini.

Trāſire in fœdus Domini.

VT tranſeas in fœdere Domini Dei tui,& in iureiurando quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum.) Subaudiendū,ſtatis inquam,vel ſtas,vt tranſeas in fœdus Domini Dei tui, & ſecundum iuramentum eius quod Dominus Deus tuus feriet tecum hodie.Id eſt,vt ineas fœdus cum Domino Deo tuo, ſecundum promiſſionem eius iureiurando confirmatam. Vel, quod fœdus iureiurando firmabitur.

VT ſuſcitet.) Vel, vt erigat te hodie &c.

IPSE ſit Dominus) Hoc loco Dominus, ne in veteribus quidem codicibus S.Germani & Dionyſii legitur.

HOC fœdus ferio, & hæc iuramenta confirmo,) percutiam hoc fœdus, & iuſiurandum hoc.Id eſt,fœdus hoc quod iureiurando confirmabo.

CVNCTIS præſentibus & abſentibus.) cum eo qui eſt hîc nobiſcum ſtans hodie coram Domino Deo,noſtro, & cum eo qui non eſt hîc nobiſcū hodie. Id eſt, cum natis iam,& naſcituris.

Vos enim noſtis quomodo habitauerimus in Terra 'AEgypti,& quomodo tranſierimus per medium nationum,'quas trāſeuntes vidiſtis abominationes & ſordes, id eſt idôla eorum,lignum & lapidem,argentum & aurum quæ colebant. Ne fortè ſit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus 'cuius cor auerſum eſt hodie à Domino Deo noſtro: vt vadat & ſeruiat diis illarum gētium, '& ſit inter vos radix germinans fel & amaritudinem. Cúmque audierit'verba iuramenti huius,'benedicat ſibi in corde ſuo,dicens,'Pax erit mihi,'& ambulabo in pra

uitate cordis mei:& aſſumat ebria ſitientem.'Et Dominus non ignoſcat ei: ſed tunc quammaxime 'furor eius fumet,& zelus cõtra hominem illum: '& ſedeant ſuper eum omnia maledicta quæ ſcripta ſunt in hoc volumine:'& deleat Dominus nomen eius ſub cælo.'Et conſumat eum in perditionem ex omnibus tribubus Iſrael, 'iuxta maledictiones quæ in libro legis huius ac fœderis continentur.

QVAS tranſeuntes vidiſtis abominationes) ad quas tranſiuiſtis. Et vidiſtis abominationes &c.

CVIVS cor auerſum eſt) cuius cor auertat ſeſe &c.

ET ſit inter vos radix germinans fel & amaritudinem.) ne forte ſit inter vos radix aliqua producens toxicum & abſinthium. Id eſt, Ne anima aliqua peccet grauiſſime. Ne forte ſit aliquis inter vos qui peccet grauiſſime.

VERBA iuramenti huius,) verba maledictionis huius. Quando ſcilicet recitabuntur maledictiones prædictæ & ſcriptæ in hoc libro: vt illa, Maledictus qui nõ ſeruauerit præcepta legis huius:& illa, Maledictus qui colit idôla.

BENEDICAT ſibi in corde ſuo,) Id eſt, ſeipſum benedictum putet.

PAX erit mihi,) Id eſt, Non contingent mihi hæ maledictiones, etiam ſi peſſime egero. Pax.

ET ambulabo &c. Et Dominus) etiã ſi ambulauero in prauitate cordis mei, ita vt anteponat ebriam ſitienti. Et Dominus &c. Id eſt, Non euenient mihi iſtæ maledictiones, etiam ſi fecero ea ad quæ animus meus inclinatus eſt, ita vt det primas parti animæ concupiſcibili, quæ inebriatur rebus huius mundi, poſteriores autem parti rationali. Ebria. Sitiens.

ET Dominus non ignoſcat ei:) Nolet Dominus parcere illi.

FVROR eius fumet,) furor eius fumabit. Id eſt, iraſcetur. Furor Dei fumans.

ET ſedeant) & ſedebunt.

ET deleat) & delebit.

ET conſumat eum in perditionẽ ex omnibus tribubus) Et ſeparabit illum Dominus in perniciem illius, ab omnibus aliis tribubus &c.

IVXTA maledictiones &c. Dicétque) Iuxta omnes maledictiones fœderis ſcriptas in hoc libro legis. Dicétque.

Dicétque ſequens generatio, '& filii qui naſcẽtur 'deinceps,& peregrini qui de longe venerint, videntes plagas 'Terræ illius,& infirmitates quibus eã afflixerit Dominus,'ſulphure,& ſolis ardore comburens, ita vt vltrà non ſeratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum ‖ſubuerſionis Sodomæ & Gomorrhæ, Adamæ & Seboim, quas ſubuertit Dominus in ira & in furore ſuo. Gene.19.e.
‖Et dicẽt omnes Gẽtes, Quare ſic fecit Dominus Terræ huic? 'quæ eſt hæc ira furoris eius immenſa? Et reſpondebunt, Quia 'dereliquerunt pactũ Domini quod 3.Reg.9.b. ierem.22.c.

ſſ.i.

pepigit cum patribus eorum, quãdo eduxit eos de Terra-AEgypti: & ſeruierunt diis alienis, & adorauerunt eos quos neſciebant, & quibus non fuerant attributi: idcirco iratus eſt furor Domini contra Terram iſtam, vt induceret ſuper eam omnia maledicta quæ in hoc volumine ſcripta ſunt. Et eiecit eos de Terra ſua in ira & in furore, & in indignatione maxima, proiecítque in Terram alienam ſicut hodie comprobatur. Abſcondita, Domino Deo noſtro: quæ manifeſta ſunt, nobis & filiis noſtris vſque in ſempiternum, vt faciamus vniuerſa legis huius.

Sequens generatio.

ET filii) Hoc loco non legitur ET Hebraice. Verba enim hæc per appoſitionem dicta ſunt: declarat enim quid ſit ſequens ſiue poſterior generatio, nempe filii &c.

DEINCEPS) poſt vos. Vel, vobis mortuis.

TERRAE illius,) Terræ huius.

SVLPHVRE & ſalis &c. Gomorrhæ) nam ſulphur, & ſalſugo, & ardor erit omne ſolum eius, non recipiet ſementem, neque germinabit, neque naſcetur in eo vlla herba, vt in ſubuerſione Sodomæ & Gomorrhæ &c. Id eſt, totum ſolum eius regionis vertetur in ſulphur, hoc eſt, omnino erit aduſtum, ita vt nihil in eo naſciturum ſit, ſicut nec quicquam in eo loco in quo ſubuerſa eſt Sodoma germinat neque creſcit.

ET dicent) Dicent inquam. Mutat numerum. prius enim dixerat, Dicétque ſequens generatio. Quia autem longa ſententia interiecta eſt, nunc repetit, Dicent itaque.

QVAE eſt hæc ira furoris eius immenſa?) quid ſibi vult indignatio iſta magna?

DERELIQVERVNT pactum Domini quod pepigit cum patribus eorum,) violauerunt pactum fœderis Domini Dei patrum ſuorum, quod pepigit cum eis.

ET quibus non fuerant attributi:) & qui nihil impartiti erant illis. Id eſt, à quibus nulla beneficia acceperant.

EIECIT) extirpauit.

SICVT hodie comprobatur.) Vel, vt hodie res habet.

ABSCONDITA, &c.) Occulta, Domini Dei ſunt: aperta autem, noſtra ſunt, & filiorum hominum: vt faciamus vniuerſa verba legis huius. Id eſt, Dei eſt punire idololatriam occultam: ad nos autem pertinet punire idololatriã apertam: neque ſolum ad nos, ſed etiam ad poſteros noſtros vſque in ſempiternum. Debemus autem hæc facere, ſi velimus implere legem hanc. Dictio VERBA, in ſolo codice S. Victoris legitur.

CAP. XXX.

Pſal.105.d

CVm ergo venerint ſuper te omnes ſermones iſti, benedictio ſiue maledictio quam propoſui in conſpectu tuo: & ductus pœnitudine cordis tui in vniuerſis gẽtibus, in quas diſperſerit te Dominus Deus tuus, Et

reuerſus fueris ad eum, & obedieris eius imperiis,ʼſicut ego hodie præcipio tibi, cum filiis tuis, ʼin toto corde tuo, & in tota anima tua: ʼreducet te Dominus Deus tuus de captiuitate tua,ac miſerebitur tui,ʼ& rurſum cõgregabit te de cũctis populis in quos te antè diſperſit.ʼSi ad cardines cæli fueris diſſipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus,‖&ʼaſſumet, atque introducet in Terram quam poſſederunt patres tui, & obtinebis eam: ʼ& benedicens tibi,maioris numeri te eſſe faciet,quàm fuerint patres tui. 2.Mach.1.f.2.c

BENEDICTIO ſiue maledictio) Per appoſitionem dictum,quaſi dicat, Sermones iſti,nempe benedictio & maledictio.

ET ductus pœnitudine cordis tui) & reduxeris illos ad cor tuum. Id eſt, in memoriam tuam. Reducere ad cor.

DISPERSERIT) expulerit.Id eſt,ad quas contigerit te migrare,in quibuſcunque gentibus contigerit te exulem agere.

ET reuerſus fueris) Et conuerſus redieris.

SICVT ego) prorſus vt ego &c.

IN toto corde tuo,& in tota anima tua:) Id eſt,ex animo, & ex toto affectu tuo. Anima.

REDVCET te Dominus Deus tuus de captiuitate tua,) Tunc reuocabit Dominus Deus tuus captiuitatem tuam. Sic etiam legitur in Paruo & oblongo exemplari S.Germani,& Lato S.Dionyſii.Id eſt,Reducet captiuos tuos in patriam tuam. Captiuitas pro captiuis.

ET rurſum congregabit) & conuerſus congregabit te.Id eſt,mutata ſententia congregabit.

SI ad cardines cæli fueris diſſipatus.) Si fuerit expulſus tuus in extremitate cæli.Id eſt,Si ex vobis expulſi è patria,fuerint In extremo orbe. Si,qui ex te fuerint coacti migrare aliò,fuerint In extremitate orbis.

ASSVMET,) Vel,tollet.Aut accipiet te.

ET benedicens tibi &c.) Id eſt,faciet te ditiorem & copioſiorem illis.

Circuncîdet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui:vt diligas Dominum Deum tuum ʼex toto corde tuo,& in tota anima tua,ʼvt poſſis viuere.Omnes autẽ maledictiones has conuertet ſuper inimicos tuos, & eos qui oderunt te,& perſequũtur.ʼTu autẽ reuertêris,& audies vocem Domini Dei tui:faciéſque vniuerſa mandata quæ ego præcipio tibi hodie: Et abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum,in ſobole vteri tui,& in fructu iumentorum tuorum,ʼin hubertate terræ tuæ,& in rerum omni-

um largitate. Reuertetur enim Dominus, vt gaudeat ſuper te in omnibus bonis, ſicut gauiſus eſt in patribus tuis: ſi tamen audieris vocem Domini Dei tui, & cuſtodieris præcepta eius & ceremonias, quæ in hac lege cõſcripta ſunt: & reuertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua.

EX toto) in toto. Sic etiam legunt vetera exemplaria S. Dionyſii, Germani, & Victoris.

VT poſſis viuere) propter vitam tuam. Id eſt, vt viuas vitam æternam.

TV autem reuertêris, & audies vocem Domini Dei tui, faciéſque &c.) Tu ergo conuertere, & audi vocem Dei tui, & fac &c. Vel, Cum tanta ſit miſericordia Dei, reſipiſce igitur, & obedi voci eius &c.

In bonum. IN hubertate terræ tuæ, & in rerum omnium largitate.) in fructu terræ tuæ, in bonum. Id eſt, in vtilitatem tuam, ita vt fœlix ab omnibus dicaris. Quaſi dicat, Omnia hæc Dominus multiplicabit.

REVERTETVR) Vel, Conuertetur.

In bonum. IN omnibus bonis,) in bonum. Id eſt, benefaciendo tibi.

ET cuſtodieris) cuſtodiendo.

CEREMONIAS,) ſtatuta.

Rom. 10. b. ¶Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum, vt poſſis dicere, Quis noſtrum valet ad cælum aſcendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare poſitum: vt cauſeris, & dicas, Quis è nobis poterit tranſfretare mare, & illud ad nos vſque deferre: vt poſſimus audire, & facere quod præceptum eſt? Sed iuxta te eſt ſermo valde, in ore tuo & in corde tuo, vt facias illum.

MANDATVM hoc) Quoniam præceptum hoc. Hic verſiculus pendet ab illo præcedenti, Tu autem reuertere.

NON ſupra te eſt, neque procul poſitum,) non eſt tibi occultum, neque remotum eſt à te. Vel, Non eſt ſeparatum à te, neque in loco à te remoto. Tollitur his verbis occaſio citandi ignorantiam legis.

NEC in cælo ſitum,) Non in cælo eſt. His verbis declarat quod prius dixerat, Nõ eſt ſeparatũ à te, neque in loco à te remoto. Quaſi dicat, Illa præcepta nõ ſunt in cælo, vt ſint ſeparata à te, & tibi occulta.

QVIS noſtrum valet ad cælum aſcendere,) Quis aſcẽdat pro nobis in cælum. Pro nobis: id eſt, in gratiam noſtri.

VT cauſeris, & dicas, Quis è nobis poterit tranſfretare mare,) vt dicas, Quis traiiciet pro nobis mare &c.

SED iuxta te eſt ſermo valde,) Sed (vel, Nam) verbum hoc eſt tibi valde propinquum.

In ore tuo. IN ore tuo, & in corde tuo,) eſt enim in ore tuo, & in corde tuo. Quaſi dicat, Propinqua tibi eſt lex, nã eſt in ore tuo, Id eſt, tibi illa frequẽter recitatur, & velut in os ingeritur à Leuitis. Tu n'ois parler d'aultre choſe. Hoc dicit propter frequẽtẽ

recitationē quæ in os fit. In corde dicit, Quia legē cordibus Iudæorū inſcripſerat Dominus, prius quàm in tabulis illis lapideis decalogum inſculpſiſſet. Poſſet & ſic intelligi, In ore tuo: id eſt, in ore Leuitarum, qui è popularibus tuis ſunt. Nam labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiā, & legē ex ore eius requirent. Malach. 2. Præterea, infra cap. 33. committitur Leuitis cura docendi populum. Poſuit igitur legem in ore ſacerdotum & Leuitarum qui ſunt è tuis popularibus, vt ab illis requiras quæ ad bene viuendū pertinēt, & illi te doceant ſine vlla mora. Hunc locum accommodauit ad rem ſuam B. Paulus ad Romanos cap. x. nam quum proprie hic locus pertineat ad decalogum, transfertur eleganter & erudite à Paulo ad fidem, quæ os requirit, vt promulgetur: & cor, vt corde credamus.

Conſydera quòd hodie propoſuerim in cōſpectu tuo 'vitam & bonum, & econtrario mortem & malum: 'vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & cuſtodias 'mandata illius ac ceremonias atque iudicia: "& viuas, atque multiplicet te, benedicátque tibi in Terra ad quam 'ingredieris poſſidendam.

VITAM & bonum,) Id eſt, propono tibi præceptū: quod ſi feceris, non interficieris, & fœlix eris: ſi contrà, mortem &c.

VT diligas,) Hebraice legitur, Quando præcipio tibi hodie vt diligas Dominum &c. Declarat verſum ſuperiorem. quaſi dicat, Vitam & bonum, mortē item & malum propono in conſpectu tuo, quando ego præcipio tibi vt diligas Dominum &c. nam ſi dilexeris, viues: ſi contrà, morieris.

MANDATA illius ac ceremonias) præcepta illius & ſtatuta.

ET viuas, atque multiplicet te,) vt viuas, & multipliceris. Id eſt, abundes liberis & aliis rebus.

INGREDIERIS) ingrederis. Præſenti tempore. Sic etiam Paruum exēplar S. Germani legit. Hoc modo legendum & paulo poſt.

Si autem auerſum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atque "errore deceptus adoraueris deos alienos, & ſeruieris eis: 'prædico tibi hodie quòd pereas, & paruo tempore morêris in Terra ad quam Iordane tranſmiſſo ingredieris poſſidendam. Teſtes inuoco hodie cælum & terram, quòd propoſuerim vobis vitam '& bonum, benedictionem & maledictionem: elige ergo vitam, vt & tu viuas, & ſemen tuum. Et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci eius, & illi adhæreas ('ipſe eſt enim vita tua, & longitudo dierum tuorum) vt habites in Terra pro qua iurauit Dominus patribus tuis Abraham, Iſaac, & Iacob, 'vt daret eam illis.

ERRORE deceptus) impulſus per errorem. Vel, Impulſus in errorem. Perſuaſionibus quibuſdam ſcilicet.

PRAEDICO &c. Teſtes) denuntio vobis hodie quòd peribitis, nec prolongabitis dies (Id eſt, non eritis diu) in terra ad quam tranſmiſſo Iordane ingrede-

ris vt poſſideas illam. Teſtes &c.

Proponere vitã & mortem

ET bonum,) & mortem. Hoc modo legitur etiam in Paruo exemplari S. Germani, & Victoris. Propoſui, inquit, tibi mortem, id eſt, declaraui tibi fore vt cito interficiaris à Deo in Terra-Chanáan, niſi leges eius ſeruaueris.

IPSE eſt enim vita, & longitudo dierum tuorum) Per parentheſin legenda ſunt hæc verba. Significat autem, A Deo fieri vt diu viuamus.

VT daret eam illis.) ſe daturum eam illis.

CAP. XXXI.

ABIIT itaque Moyſes, & locutus eſt omnia verba hæc ad vniuerſũ Iſrael, & dixit ad eos, Cẽtum viginti annorũ ſum hodie, non poſſũ vltrà egredi & in-
s.3.d. num.27.c. gredi, præſertim cũ & Dominus dixerit mihi, ‖Non trãſibis Iordanem iſtum. Dominus ergo Deus tuus tranſibit ante te. ipſe delebit omnes gentes has in conſpectu tuo, & poſſidebis eas: & Ioſûe iſte tranſibit ante te, ſicut
Num. 21.e. locutus eſt Dominus. Faciétque Dominus eis ‖ſicut fecit Sehon & Og regibus Amorrhæorum, & Terræ eorum, delebítque eos. Cum ergo & hos tradiderit vobis,
s 7 a. ſimiliter facietis eis ſicut præcepi vobis. ‖Viriliter agite, & confortamini: nolite timere, nec paueatis ad cõſpectum eorum: quia Dominus Deus tuus ipſe eſt ductor tuus, & non dimittet, nec derelinquet te.

Egredi & ingredi.

NON poſſum vltra egredi & ingredi,) Id eſt, non poſſum vltra fungi munere ducis. non poſſum amplius egredi ad militiam è caſtris, & è militia ad caſtra. Ie ne puis aller ne venir.

OMNES) Hoc loco non legitur Hebraice hæc dictio.

IN conſpectu tuo,) à facie tua. Id eſt, te aduentante.

DELEBÍTQVE eos.) quos perdidit. Paruum exemplar S. Germani legit, deleuítque, præterito tempore.

CVM ergo & hos &c.) Cum ergo tradiderit eas Dominus ante faciẽ veſtram, facietis eis ſecundum omne præceptum quod præcepi vobis. Id eſt, Cum poteſtati veſtræ eas tradiderit, & permiſerit libidini veſtræ: facietis eis prorſus vt præcepi vobis.

Fortificare ſe. Confortamini.

VIRILITER agite,) Fortificate vos. Id eſt, Eſtote animo forti.

CONFORTAMINI:) Id eſt, eſtote fortes & robuſti.

Vocauítque Moyſes Ioſûe, & dixit ei coram omni Iſrael, Confortare, & eſto robuſtus: tu enim introduces populum iſtum in Terram quam daturum ſe patribus eorũ iurauit Dominus, & tu eam ſorte diuides. Et Dominus qui ductor eſt veſter, ipſe erit tecum: non dimittet, nec derelinquet te: noli timere, nec paueas.

CONFORTARE,) Eſto fortis. Vel, Eſto animo forti. Confortare.

TV enim introduces populum iſtum in Terram) tu enim ingredieris cum populo iſto Terram &c.

SORTE diuides.) ſorte illis diuides. Vel, tu trades eam illis iure hæreditario poſſidendam.

QVI ductor eſt veſter,) qui ambulat ante te. Vel, qui præcedet te. Id eſt, qui erit tibi vice ducis.

'Scripſit itaque Moyſes legem hanc, & tradidit eam ſacerdotibus filiis Leui, 'qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis ſenioribus Iſrael. Præcepítq; eis, dicens, 'Poſt ſeptem annos anno remiſſionis, in Solennitate tabernaculorum, conuenientibus cunctis ex Iſrael, vt appareãt in cõſpectu Domini Dei tui in loco quem elegerit Dominus: leges verba legis huius coram omni Iſrael, 'audientibus eis, & in vnum omni populo congregato, tam viris quàm mulieribus, paruulis & aduenis 'qui ſunt intra portas tuas: vt audientes diſcãt, & timeant Dominum Deum veſtrum, & cuſtodiãt, impleántque omnes ſermones legis huius. filii quoque eorum 'qui nunc ignorant: vt audire poſſint, & timeant Dominum 'Deum ſuum cunctis diebus quibus 'verſantur in Terra ad quam vos Iordane tranſmiſſo pergitis obtinendam.

SCRIPSIT itaque Moyſes legem hanc, & tradidit) Vel, Iam autem ſcripſerat Moyſes legem hanc (id eſt Deuteronomium) & tradiderat eam &c. Nõ enim ſeruatur ſeries rerum geſtarum in libris ſacris.

QVI portabant arcam fœderis Domini,) Id eſt, quorum munus erat portare humeris ſuis arcam in qua erant tabulæ illæ continentes conditiones fœderis Domini. Arca fœderis.

POST ſeptem annos) Septimo quoque anno. Vel, In principio ſeptimi anni. Siue, Ineunte ſeptimo anno.

AVDIENTIBVS eis,) in auribus eorum. Id eſt, audientibus eis, quaſi dicat, clara voce, non ſubmiſſa. In auribus eorum.

QVI ſunt intra portas tuas:) Id eſt, qui habitauerint in vrbe tua.

QVI nunc ignorant: vt audire poſſint,) qui non nouerunt, (ſubaudi, legem hanc) audiant.

DEVM ſuum) Deum veſtrum. Ita etiam legitur in vetuſtioribus Latinis exemplaribus S.Germani, & Lato S.Dionyſii.

VERSANTVR) victuri eſtis.

Et ait Dominus ad Moyſen, Ecce, propè ſunt dies mortis tuæ: voca Ioſûe, & ſtate in tabernaculo teſtimonii, 'vt præcipiam ei. Abierunt ergo Moyſes & Ioſûe, &

ſteterunt in tabernaculo teſtimonii:apparuítque Dominus ibi 'in columna nubis, quæ ſtetit in introitu tabernaculi. Dixítque Dominus ad Moyſen, Ecce tu 'dormies cum patribus tuis, & pópulus iſte conſurgens fornicabitur 'poſt deos alienos in Terra ad quam ingredietur vt habitet in ea:ibi derelinquet me,& irritum faciet fœdus quod pepigi cum eo. Et iraſcetur furor meus cōtra eum in die illo: & derelinquam eum,& abſcondam faciem meam ab eo,&'erit in deuorationem:'inuenient eum omnia mala & afflictiones: ita vt dicat in illo die, 'Verè quia non eſt Deus mecum , inuenerunt me hæc mala. Ego autem 'abſcondam, & celabo faciem meam in die illo propter omnia mala quæ fecit, 'quia ſecutus eſt deos alienos.

Præcipere alicui.

VT præcipiam ei.) & præcipiam illi. Id eſt, dabo ei aliquot præcepta.

Columna nubis.

IN columna nubis,) Id eſt, in nube quæ erat inſtar colūnæ. Erat autē ſignum præſentiæ Dei.

DORMIES cum patribus tuis,) Id eſt, breui moriturus es.

POST deos alienos in Terra ad quā ingredietur vt habitet in ea:) poſt deos alienigenarum habitantium in ea Terra ad quam pergit in medium eius. Id eſt, vt habitet in medio eius:ſubaudi, terræ. In oblongo codice S. Dionyſii legitur, ingreditur, præſenti tempore.

Erit in deuorationem.

ERIT in deuorationem:) Id eſt, ſinam illum deuorari ab aliis.

Inuenit eum malum.

INVENIENT eum omnia mala & afflictiones) inuenient eum mala multa & anguſtiæ. Id eſt, conficietur malis multis & anguſtiis.

VERE quia) Nónne quia. Aut, Propterea quòd &c.

Abſcondere faciem.

ABSCONDAM, & celabo) abſcondendo abſcondam. Id eſt, diligēter abſcondam. Quod ſolent facere irati.

QVIA ſecutus eſt deos alienos.) Id eſt, quòd me Deo vero relicto, deos alienos ſectatus ſit.

Nunc itaque 'ſcribite vobis canticum iſtud, & 'docete filios Iſrael:'vt memoriter teneant,& ore decantent, '& ſit mihi carmen iſtud pro teſtimonio 'inter filios Iſrael. Introducam enim eum in Terram pro qua iuraui patribus eius, lacte & melle manantem: cúmque comederint,& ſaturati,'craſſique fuerint, auertentur ad deos alienos,& ſeruient eis:'detrahéntque mihi,& irritum facient pactum meum. Poſtquam inuenerint eum mala multa & afflictiones,'reſpondebit ei canticum iſtud pro

teſtimonio, quod nulla delebit obliuio ex ore ſeminis tui. Scio enim cogitationes eius, quæ facturus ſit hodie, antequam introducam eum in Terram quam ei pollicitus ſum.

SCRIBITE vobis) Vel, curate deſcribendum vobis. Moſen & Ioſue alloquitur Dominus. Quaſi dicat, Vt hac ratione reuocemini à cultu idolorum, curate vobis tranſcribendum canticum iſtud quod ſequitur.

DOCETE filios) docete illud filios.

VT memoriter teneant, & ore decantent,) & pone illud in ore eorum. Iſtum Hebraiſmum docte reddidit interpres. Ponere in ore canticum.

ET ſit) vt ſit.

INTER filios Iſrael.) cōtra filios Iſrael. Cū ſcilicet ceciderint in idololatriā.

CRASSIQVE) impinguatíque.

DETRAHENTQVE mihi,) ſpernéntque me.

RESPONDEBIT ei canticū iſtud pro teſtimonio,) tunc reſpondebit canticum hoc in conſpectu eius pro teſtimonio. Vel, vice teſtimonii. Id eſt, tunc carmen hoc teſtabitur illos deliquiſſe, & à me deſciuiſſe: quum viderint ſibi ea mala accidiſſe quæ in ipſo prædicuntur deſertoribus meis.

SEMINIS tui.) ſeminis ſui. Sic legit Complutenſis editio, & Sorbonicum Correctorium.

COGITATIONES eius,) Vel, ingenium eius. Aut, imaginationē eius. Subaudi, gentis Iſrael.

QVAE facturus ſit) & id quod facere ſolet.

QVAM ei pollicitus ſum.) ſuper quam iuraui. Id eſt, quā iuraui me daturum illis. Hic Moyſes in perſona Dei loquitur. Aut ſunt verba Dei. Aut hæc dicit Moyſes, quaſi ſciret hoc Deo reuelante.

Scripſit quoque Moyſes cāticum, & docuit filios Iſrael. Præcepítque Dominus Ioſûe filio Nun, & ait, Confortare, & eſto robuſtus: tu enim introduces filios Iſrael in Terram quam pollicitus ſum, & ego ero tecum.

SCRIPSIT quoque) Scripſit ergo. Hoc modo legunt vetera exemplaria S. Germani, Dionyſii, & Victoris.

CANTICVM,) Ex Hebræo addendum, eo die. Vel, in die ipſa.

PRAECEPÍTQVE Dominus) Hoc loco, Dominus, non legitur Hebraice, neque etiam in vetuſtioribus Latinis codicibus S. Germani oblongo & paruo, & S. Dionyſii lato.

QVAM pollicitus ſum,) de qua iuraui illis.

Poſtquam ergo ſcripſit Moyſes verba legis huius in volumine, atque compleuit, præcepit Leuitis qui portabant arcam fœderis Domini, dicens, Tollite librum iſtum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei veſtri: vt ſit ibi cōtra te in teſtimonium. Ego enim ſcio contentionem tuam, & ceruicem tuam duriſſimam. Adhuc viuente me & ingrediente vobiſcum, ſemper contentioſè egiſtis contra Dominum: quanto magis cū

mortuus fuero? Congregate ad me omnes maiores natu per tribus veſtras, 'atque doctores, & loquar audientibus eis ſermones iſtos:'& inuocabo contra eos cælum & terram. Noui enim quòd poſt mortem meam'inique agetis, & declinabitis cito de via quam præcepi vobis: & occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum 'in conſpectu Domini,'vt irritetis eum 'per opera manuum veſtrarum. Locutus eſt ergo Moyſes audiēte vniuerſo cœtu Iſrael verba carminis huius, '& ad finem vſque compleuit.

POSTQVAM ergo ſcripſit) Poſtquam ergo finem feciſſet ſcribēdi.
LIBRVM iſtum,) Addendum ex Hebræo, legis.
Contentio. SCIO contentionem tuam,) noui rebellionem tuam. Id eſt, Noui te propenſum eſſe ad contentionem & rebellionem.
Ceruix dura. CERVICEM tuam duriſſimam.) Id eſt, tuam contumaciam, quàm impatiēs ſis Imperii & iugi.'
ADHVC viuente me, &c. quanto) Ecce, adhuc me viuente vobiſcum hodie rebelles fuiſtis Domino: quanto magis &c.
ATQVE doctores,) atque præfectos.
Inuocare cælum teſtem. ET inuocabo) & teſtes inuocem. Quaſi dicat, Volo creaturas permanentes citare teſtes contra vos: vt ſemper ferre poſſint teſtimonium aduerſum idololatriam veſtram.
INIQVE agetis,) corrumpendo corrumpetis vos. Vel, corrumpemini.
IN conſpectu Domini,) Vel. inſpectante Domino.
VT irritetis eum) prouocando eum ad iracundiam.
PER opera manuum veſtrarum.) Id eſt, faciendo idôla manibus veſtris.
ET ad finem vſque compleuit.) vſque ad finem eorum. Subaudi, verborum.

CAP. XXXII.

AVdite cæli'quæ loquor, audiat terra verba oris mei, 'Concreſcat in pluuiā doctrina mea, 'fluat vt ros eloquium meum, quaſi imber'ſuper herbam, &'quaſi ſtillæ ſuper gramina.

'Quia nomen Domini inuocabo: date magnificentiam Deo noſtro.

QVAE loquor,) & loquar. Id eſt, me loquēte, attendite ad ea quæ dicturus ſum. Quaſi dicat, Vos cælum & terra eſtote teſtes eorum quæ ſum dicturus.
CONCRESCAT in pluuiam) Deſcendat ſicut pluuia. Sub. in corda Iſraelitarum. Quaſi dicat, Vtinam doctrina mea efficiat quod in agris aqua: vt ea non ſit vana, ſed fructum afferat.
FLVAT) defluat. In animos ſcilicet audientium, vt ros gratiſſimus qui terram fœcundare ſolet.
SVPER herbam,) ſuper gramen. Vox Hebræa ſignificat herbam recentem & teneram.

QVASI ſtillæ ſuper gramina) quaſi imber dēſus & minutus ſuper herbam. Multis verbis eandem rem dicit : acſi tantum diceret, Vtinam doctrina mea, & ſermo meus non ſit inutilis in vobis.

QVIA nomen &c.) Quando nomen Domini prædico(vel, celebro)magnificate interim Deum noſtrum. Sub. in cordibus veſtris. Hic eſt finis procœmii.

Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ eius iudicia: Deus fidelis, & abſq; vlla iniquitate, iuſtus & rectus.

Peccauerūt ei & nō filii eius in ſordibus, generatio praua atque peruerſa.

Hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiēs? numquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?

DEI perfecta ſunt opera,) Commēdat Deum ab operibus. Quaſi dicat, Nulla ratione culpari & reprehendi poſſunt opera Dei.

ET omnes viæ eius iudicia:) omnes enim viæ eius ſunt æquæ. Id eſt, omnia opera eius ſunt iuſta & æqua. Viæ Dei iudicia.

FIDELIS,) in promiſſionibus ſcilicet. Fidelis Deus.

PECCAVERVNT ei &c.) Difficilis eſt locus, propter dictionum ordinem inuerſum. ſic autem conſtrui debet & verti: Generatio praua atque peruerſa, qui non ſunt filii eius, in ignominiam ſuam corrupit ſeſe illi. Id eſt, Generatio praua & peruerſa, appoſitiue quæ non eſt filii eius, quæ nō habet Deum pro patre, non agnoſcit Deum creatorē ſuū: corrupit ſe, deprauauit ingeniū ſuū, in ignominiā illi: ſcilicet Deo, hoc eſt, in dedecus Dei. Vel, in ignominiam ſuam: hoc eſt, quod eſt illi probro. Vetera exemplaria S. Germani & Dionyſii, Moguntinenſis item editio, legunt, Peccauerunt ei non filii eius, ſine coniunctione ET.

HAECCINE reddis &c.) Quaſi dicat, Quorſum hæc ingratitudo? debere's ne illum agnoſcere creatorem tuum, & gratias agere?

POSSEDIT te,) comparauit te. Id eſt, aſſeruit te in libertatē. Alludit ad ſeruitutem AEgyptiacam.

CREAVIT te?) præparauit te? Vel, concinnauit te? dedit tibi eam formam quam habes.

Memento dierum antiquorū, cogita generationes ſingulas: interroga patrem tuum, & annūtiabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.

Quando diuidebat Altiſſimus gentes: quando ſeparabat filios adam, cōſtituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Iſrael.

Pars autem Domini, populus eius: Iacob funiculus hæreditatis eius.

DIERVM antiquorum,) dierum perpetuorum. Id eſt, Reuoca in memoriam dies ex quo mundus eſſe cœpit: annos elapſos, priſca ſecula. Dies antiqui.

COGITA generationes ſingulas:) intellige annos generationis & generationis. Id eſt, annos multarum generationum, annos priſcos.

ANNVNTIABIT) indicabit. Subaudi, beneficia quæ contulit Dominus in hanc gentem.

QVANDO diuidebat &c.) Cum hæreditates diſtribuit Altiſſimus gentibus, cum ipſe ſeparauit filios hominum: ſtatuit fines populorũ pro numero filiorum Iſrael. Id eſt, Quando Altiſſimus diuiſit patrias & regiones, & aſſignauit eas cũctis gentibus: iam tum decreuerat dare filiis Iſrael terram ſeptem eorum populorum quos ſub aduentum ipſorum Iſraelitarum eiecit è Terra-Chanáan. Vel, tũc dedit ſeptem gentibus, Amorrhæis ſcilicet, Heuæis, &c. tantam regionis planitiem, quæ numero filiorum Iſrael ſufficeret.

PARS autem Domini,) Pars enim Domini. Vel, Quia hæreditas Domini eſt populus eius. Quaſi dicat, Non eſt mirum quòd expulſis illis populis dederit Dominus patriam eorum Iſraelitis: ſunt enim Iſraelitæ populus eius, & quidẽ tam proprius, quàm eſt alicuius portio, eius hæreditaria.

Funiculus hæreditatis. FVNICVLVS hæreditatis eius.) Id eſt, portio hæreditatis eius. Hoc dicit, quòd diuidantur hæreditates funibus.

'Inuenit eum in terra deſerta, 'in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis: circunduxit eum, & 'docuit: & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui.

Sicut aquila prouocans ad volandum 'pullos ſuos, & ſuper eos volitans expandit alas ſuas: '& aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis.

'Dominus ſolus 'dux eius fuit: & non erat cum eo deus alienus.

INVENIT &c.) Id eſt, Apparuit illi Dominus in nube cum erraret in deſerto, & cœpit eum deducere.

IN loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis:) in vaſtitate horroris deſerti. Id eſt, in vaſto & horrido deſerto.

DOCVIT:) legem ſcilicet.

Nidus. PVLLOS ſuos,) nidum ſuum. Id eſt, pullos ſuos. continens pro contento.

ET aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis.) & aſſumit illum, (pro illos, ſcilicet pullos. ſingulare pro plurali) & portat eos ſuper alas ſuas. Cum ſcilicet ſunt adhuc volandi expertes.

DOMINVS ſolus) Subaudiendum aduerbium ſimilitudinis, SIC.

DVX eius &c.) deduxit eum: & non fuit cum eo deus alienus.

Conſtituit eum 'ſuper excelſam Terram: 'vt comederet fructus agrorum, 'vt ſugeret mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo:.

'Butyrum de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum, '& arietũ filiorum Baſan, & hircos 'cum medulla tritici, '& ſanguinem vuæ biberent meraciſſimum.

SVPER excelſam Terram:) ſuper excelſa terræ. Id eſt, in regione excelſa & alta. Hoc dicit, quòd Terra ſancta ſit in medio climate mundi. Poſuit igitur eum in ſumma parte orbis. Obiter hîc deſcribit ſitum Terræ ſanctæ.

VT comederet &c.) & comedit fructus agri, & fecit vt ſugeret mel de rupe,
Præterita pro futuris. & oleum de petra duriſſima. Hîc præterita pro futuris poſita ſunt: quia eſt prophetia Fœcunditatem Terræ ſanctæ deſcribit. In rupibus apes & oliuæ, & oleum
Petra. ex oliuis. Quaſi dicat, Illic nullus locus eſt infœcundus & vacuus rebus bonis &

ſuauibus: nam in rupibus ipſis ſunt oliuæ & mel. Paruum exemplar S. Germani legit, & ſugeret.

BVTYRVM de armento,) Butyrum bouis. Subaudi, comedit.

ET arietum filiorum Baſan,) & arietes filios Baſan. Id eſt, educatos in regione Baſanitide. Subaudi, comedit. Arietes filii Baſan.

CVM medulla tritici,) vnà cum adipe renum (vel, teſtium) tritici. Id eſt, cum farina granorum tritici, quæ præ ſe ferunt ſpeciem teſtis & renunculi. Hoc eſt, cum farina optima tritici. Renes tritici.

ET ſanguinem vuæ biberent meraciſſimum.) & ſanguinem vuæ bibiſti merum. Succum vuæ vocat ſanguinem, quòd propter colorem videatur ſanguis. Merum autem per appoſitionem poſitum, Merum vinum bibiſti, pro bibes. Præterita pro futuris. Hoc eſt, vinum optimum & rubeum. Sanguis vuæ.

'Incraſſatus eſt dilectus, &'recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, 'dilatatus, dereliquit Deum factorē ſuum, '& receſſit à Deo ſalutari ſuo.

'Prouocauerunt eum in diis alienis, & 'in abominationibus ad iracundiam concitauerunt.

Immolauerunt dæmoniis '& non Deo, diis 'quos ignorabant: 'noui recentéſque venerunt, quos non 'coluerunt patres eorum.

INCRASSATVS eſt dilectus,) Iſrael factus eſt pinguis.

RECALCITRAVIT:) Id eſt, Deo rebellis fuit.

DILATATVS, dereliquit) operuiſti, & dereliquit &c. Mutatio perſonæ eſt, operuiſti pro operuit. ſubaudiendum, pinguedine cor ſuum. Id eſt, Animus eius pinguedine ſuffocatus eſt. Operuiſti.

ET receſſit à Deo ſalutari ſuo.) & depreſſit dignitatem Dei ſalutis ſuæ. Id eſt, deprimere conatus eſt Deum qui ſeruauerat ipſum.

PROVOCAVERVNT eum in diis alienis,) Ad æmulationem prouocauerunt eum in extraneis. Sub. diis. colendo deos alienos. Id eſt, Dederunt operam vt inuideret Deus diis alienis: nam ſummo ſtudio coluerunt eos. Vel, Non ſtetit per eos quin iraſceretur diis alienis Dominus qui immutabilis eſt. Prouocare Deum ad æmulationem.

IN abominationibus) propter abominationes. Colendo ſcilicet idôla.

ET non Deo,) non diis. Id eſt, qui non erant dii.

QVOS ignorabant:) Id eſt, quorum vires non erant experti.

NOVI, recentéſque venerunt,) nempe nouis, qui non ita pridem venerunt. Hoc eſt, quorum fama non eſt antiqua: quorum nomen nuper ad homines ipſos peruenit.

COLVERVNT) timuerunt.

'Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui.

'Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt: quia prouocauerunt eum filii ſui & filiæ.

Et ait, Abſcondam faciem meam ab eis, '& conſyderabo nouiſſima eorum: generatio enim 'peruerſa eſt, & infideles filii.

CVM furore trahentium &c.) cum veneno reptantiũ in terra. Hoc eſt, cum animalibus venenatis.

INTVS) Id eſt, domi. quaſi dicat, Non ſolum cruciabuntur qui erunt in bello, ſed terrebuntur etiam qui erunt in cubiculis.

VIRGINEM,) puellam.

'Et dixi, Vbinam ſunt? ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum.

Sed propter iram inimicorum diſtuli: ne forte ſuperbirent hoſtes eorum, & dicerẽt, 'Manus noſtra excelſa, & non Dominus, fecit "hæc omnia.

ET dixi, &c. Manus) Dixiſſem, Detrudam eos in angulum orbis: & ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum:
Niſi iram inimici timerem: ne forte non agnoſcant inimici eorum, & dicant, Manus &c. Id eſt, Decreuiſſem apud me in hunc modum, Abigam hanc gentem Iſraeliticam à me in angulũ orbis, & eximam ex hominibus memoriã eorum (Ie les enuoyeray ſi loing, qu'on n'oyra iamais parler d'eulx:) niſi timuiſſem inimicum iratum & infenſum illi populo meo: ne non ille inimicus agnoſceret me illud feciſſe, aut ſimularet ſe non agnoſcere quis id feciſſet. Quaſi dicat, Iam decreuiſſem omnino perdere eam gẽtem, niſi viderem quòd inimicus hoc ſibi tribueret quod mihi tribuendum eſt: ſe inimicos ſuos Iſraelitas viciſſe, quos ego ipſe deleuiſſem.

MANVS noſtra excelſa,) Id eſt, noſtris viribus ſuperauimus hanc gentem. Man' excelſa.

HAEC omnia.) excidium ſcilicet Iſraelitarum.

'Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia.

'Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent.

'Quomodo perſequebatur vnus mille, & duo fugarent decẽ millia? nónne ideo, quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos?

Non enim eſt Deus noſter vt dii eorum: & inimici noſtri 'ſunt iudices.

GENS abſque conſilio eſt,) Gens perditi conſilii eſt. Id eſt, Incõſulti ſunt inimici Iſraelis.

VTINAM ſaperent, &c.) Si ſapuiſſent, intellexiſſent iſtud, finẽ quoque ſuum intellexiſſent. Id eſt, Si prudentes fuiſſent, intellexiſſent vi diuina factũ eſſe, non humana, nempe quòd ego gentem hanc meam perdiderim, non ipſi: intellexiſſent præterea quis finis ſiue exitus eos maneat: intellexiſſent eadem ſibi euentura propter peccata propria, quæ ipſi meæ genti.

QVOMODO perſequebatur &c.) Qui fieri potuiſſet vt vnus perſequeretur mille (ſub. homines Iſraelitas) & duo vertiſſent in fugam decem millia: niſi quòd Deus eorum vendiderat eos, & Dominus tradiderat eos? Subaudi, hoſtibus. Hæc intelliguntur de ſupplicio quod tandem ſumet Dominus de Iſraelitis. Vetera exemplaria S. Germani, Latum item S. Dionyſii legunt perſequatur.

SVNT iudices) quòd ſcilicet dii eorũ nõ ſunt ſimiles Deo noſtro omnipotẽti.

'De vinea Sodomorum, vinea eorum, & "de ſuburba-

nis Gomorrhæ:ʹvua eorũ vua fellis,& botri amariſſimi.
ʹFel draconum vinum eorum,& venenum aſpidum ʹinſanabile.
Nónne ʹhæc condita ſunt apud me,& ſignataʹin theſauris meis?

De vinea Sodomorum.

DE vinea Sodomorum &c.) Quia de vinea Sodomorum &c. Quaſi dicat, Sicuti deus hoſtium noſtrorum non eſt conferendus cum Deo noſtro: ita ipſi nobis non ſunt comparandi: quia nati ſunt patribus iniquis, quales erant Sodomitæ & Gomorrhæi, vel, quia ſtudia Sodomitarum imitantur.

DE ſuburbanis) ex vitibus.

VVA eorum &c.) racemi eorũ ſunt racemi venenati, & vuæ amaritudinum ſunt illis. Id eſt, ferunt vuas amariſſimas. Peſſima ſunt eorum opera.

FEL draconum vinum eorum,) Id eſt, vinum eorum eſt ſimile feli draconum. Peſſima ſunt eorum opera.

INSANABILE.) crudele. Id eſt, cito enecat.

HAEC condita ſunt) illud repoſitum eſt. Subaudi, vinum. Quaſi dicat, Certe vinum eorum conditum eſt apud me: hæc omnia noui, & eorum memor ero ſuo tempore.

Theſauri.

IN theſauris meis) Id eſt, in pectore meo: ita vt mihi excidere non poſſit.

Eccli 28.a. rom.12.d. heb. 10.c.

¶ʹMea eſt vltio,ʹ& ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum:ʹiuxtà eſt dies perditionis,& adeſſe feſtinant tempora.
ʹIudicabit Dominus populũ ſuum,ʹ& in ſeruis ſuis miſerebitur: videbit quòd infirmata ſit manus,& clauſi quoque defecerunt, reſiduíque conſumpti ſunt.

Mea eſt vltio.

MEA eſt vltio,) Id eſt, Sumam de illis pœnas, quum id tempus exiget.

ET ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorũ:) & retributio in tempore quo nutabit pes eorum. Id eſt, vlciſcar, quum nutare cœperit pes eorum, quum corruere debebunt: id autem fiet propediem. Latum exemplar S.Dionyſii & tria S.Germani, cum Victorino non legunt EIS pronomen.

IVXTA eſt dies &c.) iuxta enim eſt dies interitus eorum, & feſtinabunt quæ euentura ſunt illis. Id eſt, propediẽ interibũt: cito accident quæ euẽtura ſunt illis.

Iudicat Deus populum.

IVDICABIT Dominus populum ſuum,) Quia iudicabit Dominus populum ſuum. Hoc eſt, Vlciſcetur Dominus populum ſuum de inimicis ſuis. Cõſolatio ſuccedit mœrori in propheticis.

Pœnitere Dei

ET in ſeruis ſuis miſerebitur &c.) & ſuper ſeruos ſuos pœnitebit eũ: quum videbit quòd abierit manus,& quòd non ſit clauſus & derelictus. Hoc eſt, mutabit ſententiã, quũ videbit populum ſuum redactum eſſe in ſummam miſeriam:

Manus abiit.

quum videbit manum, id eſt, robur populi ſui abiiſſe, hoc eſt, deſtitutum eſſe viribus: quum inquam videbit neminem eſſe clauſum in arcibus, quòd omnes ſint expugnatæ: & neminem derelictum, qui non abductus ſit in captiuitatem.

ʹEt dicet, Vbi ſunt dii eorũ, ʹin quibus habebãt fiduciã,
De quorũ victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum? ſurgant,& opitulentur vobis,ʹ& in neceſſitate vos protegant.

ET dicet,) Et quum dicet.Id eſt,Quum dicet hoſtis ridendo vos.
IN quibus) Deus inquam in quo &c.
ET in neceſſitate vos protegant.) ſit ſuper vos protectio.Id eſt,deus ille protegat vos.

Videte quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me:ego occidã,& ego viuere faciã: percutiam,& ego ſanabo,& non eſt qui de manu mea poſſit eruere. 1.Reg.2.b.tobiæ 13.a.ſapient.16.b.
Leuabo ad cælum manum meam,& dicam, Viuo ego in æternum.
Si acuero vt fulgur gladium meum,& arripuerit iudicium manus mea: reddam vltionem hoſtibus meis, & his qui oderunt me retribuam.
Inebriabo ſagittas meas ſanguine,& gladius meus deuorabit carnes,de cruore occiſorum,& de captiuitate, nudati inimicorum capitis.

VIDETE &c.) Quaſi dicat,Vos qui ita dicitis,videte quòd ego ipſe ſum ſolus Deus,& præter me non eſt alius. Id eſt,quòd non habeam parem & conſortem diuinitatis.
VIVERE faciam:) viuificabo. Id eſt,vitæ reſtituam.Signa diuinitatis ſunt iſta & ſummæ potentiæ.
LEVABO &c.) Cum eleuauerim in cælum manum meam,& dixerim,Viuo &c.Vel,Cum eleuauero manum meam in cælum.More iurantis.Per ſeipſum iurare ſolet Deus: ad Heb.6. Præcedenti verſui hic verſus iungitur, Non eſt qui de manu mea poſſit eruere,quum eleuauerim manum &c. Id eſt, quũ iurauero per me viuum & victurum in ſecula. Eleuare manum in cælũ.
VT fulgur gladium meum,) fulgorem gladii mei.Id eſt,gladiũ meũ fulgẽtem. Fulgor gladii
ET arripuerit iudicium manus mea:) Id eſt,& cœpero ſemel iudicium facere. Arripiunt iudiciũ manus.
REDDAM vltionem hoſtibus meis,) Id eſt,ſumam pœnas de hoſtibus meis.
INEBRIABO ſagittas meas) Vel,Tingam ſagittas meas. Subaudi,ſanguine inimicorum.Quaſi dicat,Conficiam ſagittis inimicos meos. Sagittas inebriare ſanguine.
GLADIVS meus deuorabit carnes,) Id eſt,corpora eorum perdam.
DE cruore occiſorum,& de captiuitate,) ſanguine interfectorum & captiuorum.Inebriabo inquam ſagittas meas ſanguine vulneratorum, qui abduci ſolent quòd vulnere accepto non interierint.
NVDATI inimicorum capitis.) de capitibus hoſtium in vltionibus inimici. Id eſt, quum ſumam vindictam de hoſtibus meis, tunc gladius meus deuorabit carnes de capitibus ipſorum hoſtium.Hoc eſt,enſe amputabo capita hoſtiũ meorum.Verti poteſt ,In principio in vltionibus inimici.Aut,in principio vindictarum inimici.Hoc eſt,Cum primùm ſumam pœnas de inimicis meis. Gladio deuorare carnes de capitibus inimicorum.

Laudate gentes populum eius,quia ſanguinem ſeruorum ſuorum vlciſcetur : & vindictam retribuet in hoſtes eorum,& propitius erit terræ populi ſui. 2.Machab.7.b

LAVDATE &c.) Verba ſunt Moyſi, Laudate igitur gentes populum Dei tanti &c.
PROPITIVS erit terræ populi ſui.) propitius erit terræ ſuæ & populo ſuo.

tt.i.

Id eſt, parcet terræ ſuæ, & populo ſuo.

Venit ergo Moyſes, & locutus eſt omnia verba cantici huius 'in auribus populi, ipſe & Ioſue filius Nun. 'Cõpleuítque omnes ſermones iſtos, loquens ad vniuerſum Iſrael, & dixit ad eos, 'Ponite corda veſtra in omnia 'verba mea quæ ego 'teſtificor vobis hodie: vt 'mandetis ea filiis veſtris cuſtodire & facere, & implere 'vniuerſa quæ ſcripta ſunt in volumine legis huius: 'quia non incaſſum præcepta ſunt vobis, ſed vt ſinguli in eis viuerent: quæ faciẽtes longo perſeueretis tempore in Terra ad quam Iordane tranſmiſſo ingredimini poſſidendam.

IN auribus populi,) Id eſt, audiente populo.

Complere ſermones. COMPLEVITQVE &c.) Id eſt, Tandem Moyſes finem fecit recitandi populo canticum.

Ponere cor. PONITE corda veſtra in omnia verba mea) Hebraiſmus, pro Attendite ad omnia verba mea.

VERBA mea) Pronomen MEA, non legitur neque in vetuſtis codicibus S. Germani, neque in Complutenſi editione.

TESTIFICOR vobis) teſtificor aduerſum vos. Vt ſcilicet ſint aliquando vice teſtimonii aduerſum vos.

MANDETIS) præcipiatis.

VNIVERSA quæ ſcripta ſunt in volumine legis huius:) vniuerſa verba legis huius. Hæc verba, in volumine: non leguntur in Oblongo S. Dionyſii, neque in Oblongo & Paruo S. Germani, neque in Victorino.

QVIA non incaſſum &c.) non enim eſt res vana vobis, ſed eſt vita veſtra, & hac re longo viuetis tempore in terra ad &c. Prior pars verti poteſt, Non enim eſt res vilior quàm vt illam audiatis.

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen in eadem die, dicens, Aſcende in montem iſtum Abarim, 'id eſt tranſituum, 'in mõtem Nebo, qui eſt in Terra-Moab 'contra Iericho: & vide Terrã-Chanáan, quàm ego tradam filiis Iſrael 'obtinendam. Et 'morere in monte, quem conſcendens iũgêris populis tuis, ‖ſicut mortuus eſt Aaron frater tuus in mõte Hor, & 'appoſitus 'populis ſuis: quia ‖præuaricati eſtis cõtra me 'in medio filiorum Iſrael ad 'Aquas-contradictionis in Cades deſerti Sin: '& nõ ſanctificaſtis me inter filios Iſrael. 'Ecõtra videbis Terram, & non ingrediêris in eam quam ego dabo filiis Iſrael.

Num. 20 d. 33. c.

Num. 20 a. 27. c.

ID eſt tranſituum,) Hoc addidit interpres, vt explicaret quid Abarim Latine ſignificaret.

IN montem Nebo,) Id eſt, vt eas in montem Nebo. Eſt autem Nebo, pars

montis Abarim.

CONTRA) Vel, eregione.

OBTINENDAM,) in poſſeſſionem.

MORERE) Imperatiuus pro futuro.

APPOSITVS) adiunctus.

POPVLIS ſuis.) Id eſt, maioribus ſuis.

IN medio filiorum Iſrael.) inter filios Iſrael.

AQVAS contradictionis) Aquas iurgii, aut contentionis.

ET non ſanctificaſtis me inter filios Iſrael.) propterea quòd non ſanctificaſtis me inter filios Iſrael. Id eſt, non impendiſtis mihi honorem.

E CONTRA) Sed eminus. Vel, eregione. Aut, ex oppoſito Terræ ſanctæ. E loco qui reſpondet Terræ ſanctæ.

CAP. XXXIII.

HAEC eſt benedictio qua benedixit Moyſes homo Dei filiis Iſrael ante mortem ſuam. Et ait, Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo ſanctorum millia: in dextera eius ignea lex.

HAEC eſt benedictio) Hæc autem eſt benedictio. Hoc caput continet in principio & fine benedictionem vniuerſalem totius populi: in medio benedictionem particularem, & commendationẽ beneficiorum Dei quæ cõtulit in patriarchas.

HOMO Dei) Id eſt, vir propheta, ſpiritu prophetico præditus. Homo Dei.

ANTE mortem ſuam.) ſub mortem ſuam. Hoc eſt, paulo antè quàm moreretur. Dicunt Hebræi has benedictiones factas fuiſſe die mortis Moſis. Ex cõtextu tamen non liquet vtrum ipſo die quo mortuus eſt, benedixerit filiis Iſrael, an pridie ſui obitus, an pluribus antè diebus.

DE Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis:) in Sinai venit, & ortus eſt in Seir. Id eſt. Dominus cœpit exerere vires ſuas, & oſtendere virtutem ſuam quando in Sinai dedit legem ſuam: & in monte Seir qui eſt in finibus Idumæorum, oſtendit claritatem ſuam vt ſol quando apparere ſolet mundo. Ex hoc monte alloquutus eſt Dominus Moyſen, quum illi præcepit vt ſerpentem æreum fabricaret. Nume. 21. b.

APPARVIT de monte Pharan,) & illuxit in monte Pharan. Id eſt, oſtendit gloriam ſuam in monte Pharan. Ex hoc monte alloquutus eſt Dominus Moſen quum illi coturnices eſt pollicitus. Nume. 11. g.

ET cum eo ſanctorum millia:) venit inquam cum myriadibus ſanctitatis. Id eſt, cum multis myriadibus ſanctorum angelorum.

IN dextera eius ignea lex.) & in dextera eius erat ignis legis illis. Hoc eſt, lex ignea quam daturus erat illis: quæ data fuit in fulgure cum ſignis mirabilibus: vt oſtenderet eam terrere homines, non aliter quàm ignis cæleſtis. Ignea lex.

Dilexit populos, omnes ſancti in manu illius ſunt: & qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius. Legem præcepit nobis Moyſes, hæreditatem multitudinis Iacob. Erit apud rectiſſimum rex, congregatis principibus populi cum tribubus Iſrael. Sapien. 3 b.

DILEXIT populos,) Etiam diligit populos. Id eſt, veros Iſraelitas.

IN manu illius ſunt:) ſub manu tua ſunt. Subaudi, Domine quaſi dicat, tuta-

tt.ii.

ris illos.

ET qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.) Ipſi adiunxerunt ſe pedibus tuis, & ſumpſerũt de verbis tuis. Id eſt, Ipſi quoque ſectati ſunt veſtigia tua, & memoriæ mandauerunt bonam partem verborum tuorum.

PRAECEPIT) Vt eam ſcilicet cuſtodiremus.

HAEREDITATEM multitudinis Iacob.) Hoc per appoſitionem poſitum: Id eſt, quæ quaſi iure hæreditario tranſiret ad poſtéros Iacob: quam ſeruaret ſibi ſynagoga tanquam ad ſe pertinentem iure hæreditario.

ERIT apud rectiſſimum &c.) Fuit autem (ſub. Moyſes) in Iſraele tanquã rex, quando congregati ſunt populi, (ſub. ad eum) & tribus Iſraelis.

Viuat Ruben, & nõ moriatur, & ſit paruus in numero.

ET ſit paruus in numero.) & non ſit populis eius numerus. Hoc eſt, Ruben viuat in hoc mũdo, & nõ moriatur morte æterna: ſintque nepotes eius innumeri.

Hæc eſt Iudæ benedictio, Audi Domine vocẽ Iudæ, & ad populum ſuum introduc eum: manus eius pũgnabunt pro eo, & adiutor illius cõtra aduerſarios eius erit.

HAEC eſt Iudæ benedictio,) Hæc autem fuit benedictio Iudæ, & dixit. Vel, Sic autem benedixit Iudam: & dixit. Aut, dicendo.

AVDI Domine vocem) Vel, Exaudi Domine deprecationem Iudæ.

ET ad populum &c.) Id eſt, da illi partem Terræ ſanctæ quam daturus es illi. Aut, reduc eum cum exierit in bellum. quaſi dicat, ſit victor.

MANVS eius &c.) manus eius ſufficient illi, & auxilium aduerſus hoſtes eius eris. Quaſi dicat, Non egebit humano auxilio, modo illi faueas. Neminem timebit, modo illi auxilieris aduerſus hoſtes eius.

Leui quoque ait, Perfectio tua, & doctrina tua à viro ſancto tuo, quem probaſti in tentatione, & iudicaſti ad Aquas-contradictionis. Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, Neſcio vos: & fratribus ſuis, Ignoro illos: & neſcierunt filios ſuos. Hi cuſtodierunt eloquiũ tuũ, & pactum tuum ſeruauerunt, iudicia tua ô Iacob, & legem tuam ô Iſrael: ponent thymiama in furore tuo, & holocauſta ſuper altare tuum. Benedic Domine fortitudini eius, & opera manuum illius ſuſcipe. Percute dorſa inimicorum eius: & qui oderint eum, non conſurgant.

LEVI) De Leui. Vel, De tribu Leui.

Perfectiones. Doctrinæ. PERFECTIO tua &c. Qui) Perfectiones tuæ & doctrinæ tuæ fuerunt viro miſericordi tuo (vel, ſancto tuo) quem tentaſti in loco tentationis, & permiſiſti vt contenderet ad Aquas-contradictionis. Qui &c. Hoc eſt Dediſti veſtem ſacerdotalem viro Aaroni, qui fuit ſanctus tuus, id eſt vir ſanctiſſimus: veſtem inquam in qua erãt perfectiones tuæ & doctrinæ tuæ, id eſt Vrim & Thummim: Leuit. 8 b. qui vir fuit ſanctiſſimus, præterquam quòd lapſus eſt in loco qui dicitur Maſſa, qui propterea dictus eſt Aquæ-Meribba, id eſt, Aquæ-contradictionis. Quaſi dicat, Tu dederas dignitatem ſacerdotalẽ homini Leuitici generis, Aaroni, qui erat alioqui vir ſanctiſſimus, præterquam quòd peccauit in hoc, quòd cõtendit apud

Aquas-contradictionis. Vetera exemplaria S. Germani & Dionyſii legunt, doctrina tua viro ſancto tuo: ſine præpoſitione á.

QVI dixit patri &c. Hi cuſtodierunt) Qui dixiſſet de patre ſuo & de matre ſua, ſe non agnoſcere illos, & qui non agnouiſſet fratres ſuos, neq̃ue filios ſuos. Hi cuſtodierunt &c. Quaſi dicat, erat iudex æquiſſimus, non accipiebat perſonam litigantis: etiam ſi pater & mater, fratres, aut filii eius cõtendiſſent, ipſo iudice, eos iudicaſſet, ſi contendiſſent inique.

HI) Homines ſcilicet Leuiticæ tribus, Moyſes & Aaron.

IVDICIA tua &c. Benedic) Docuerunt iudicia tua ipſum Iacob (.i. omnes Iſraelitas) & legem tuam ipſum Iſraelem: poſuerunt ſuffitum in nare tuo, & holocauſtũ in altari tuo. Benedic &c. Quaſi dicat, Moyſes & Aaron obtulerunt corã te incenſum. Si verbum DOCVERVNT, referas ad totam tribũ Leui, vertendum erit in futuro, Docebunt &c. Verum melius refertur ad Moyſem. In vetuſtioribus Latinis codicibus S. Germani & Dionyſii legitur holocauſtũ, ſingulari numero.

FORTITVDINI eius,) ſubſtantiæ eius. Scilicet tribus Leuitici generis. Hoc intelligitur de tota tribu. Quaſi dicat, Auge gratias tuas in ea tribu, & opus manuum eius accepta.

PERCVTE dorſa inimicorum &c.) Vulnera in renibus aduerſarios eius, & oſores eius, ita vt poſtea inſurgere nequeant.

'Et Ben-iamin ait, 'Amantiſſimus Domini habitabit 'confidẽter in eo: quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.

ET Ben-iamin ait,) Et de Ben-iamin ait.

AMANTISSIMVS &c.) Charus Domino habitabit ſecurus iuxta illum: ſit tegens eum tota die, & inter humeros eius habitet. Quaſi dicat, Vtinã Dominus habitet in medio Ben-iamin, & protegat eum omni tempore: faciat præterea vt in medio tribus Ben-iamin ædificetur templum Domini: quod factum eſt. Eſt autem Hebraiſmus, inter humeros, pro, in medio. nam quod eſt inter humeros, eſt in medio. Inter humeros.

'Ioſeph quoque ait, 'De benedictione Domini terra eius, de pomis cæli, & rore, atque abyſſo ſubiacente. 'De pomis fructuum ſolis ac lunæ, de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum, '& de frugibus terræ, & de plenitudine eius. Benedictio illius ‖ qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticẽ nazaræi inter fratres ſuos. 'Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius, 'cornua rhinocerôtis cornua illius: in ipſis 'ventilabit Gẽtes vſque ad terminos terræ. 'hæ ſunt multitudines Ephráim, & hæc millia Manaſſe. Exod. 3. a

IOSEPH) De Ioſeph.

DE benedictione Domini &c. De) Benedicta ſit (vel, erit) à Domino terra (vel, patria) eius, ob delicias cæli, ob rorem & ob abyſſum cubantem ſubter. De &c. Delicias cæli vocat rorem. quaſi dicat, Benedicta erit terra eius ob rorem delicatiſſimum quo ſuperne irrigabitur, tempore id exigente: item ob fontes è terra ſcaturientes & erumpentes. Deliciæ cæli.

DE pomis &c. Et de frugibus) Et propter delicias prouentuum ſolis, & ob de

licias influentiæ lunæ, ob delicias cacuminum montium antiquorum, & ob delicias colliũ æternorũ. Et de frugibus &c. Id eſt, propter fructus optimos qui prouenire ſolent beneficio caloris ſolis: & ob fructus delicatiſſimos quorũ maturitatẽ iuuat luna quæ ſingulis menſibus oritur: nam luna humectat noctu fructus qui torrentur die à ſole. item ob fructum prouenientem in cacuminibus montiũ & colliũ qui fuerunt ab initio mũdi. More ſuo repetit eandẽ ſentẽtiam aliis verbis, cũ dicit, Ob delicias colliũ æternorũ: quũ prius dixerit, Ob delicias cacuminũ &c.

Antiqui vel AEterni colles.

ET de frugibus terræ &c. Quaſi) Et ob delicias terræ arabilis, plenitudinémque eius: item propter fauorem eius qui habitauit in rubo, vẽniat (ſubaudi, benedictio hæc) in caput Ioſeph, & in verticem ſeparati à fratribus ſuis. Quaſi &c. Hoc eſt, Propter fauorem Dei altiſſimi qui apparuit Moyſi in rubo, vtinã benedictio hæc veniat ſuper totam tribũ Ioſeph, qui ſeparatus fuit à fratribus ſuis, quum ab eis venditus fuit Iſmahelitis, & abductus in AEgyptum.

QVASI primogeniti tauri pulchritudo eius,) Primogenitus bos eius, decor erit ei. Id eſt, Ephraim primogenitus ipſius Ioſeph, erit tam robuſtus quàm bos, erit etiam illuſtriſſimus.

Cornua rhinocerotis

CORNVA rhinocerotis, &c.) cornua vnicornis &c. Per cornua intelligit fortitudinem. quaſi dicat, erit inſuperabilis.

VENTILABIT) inuadet. Hoc eſt, Ea fortitudine inuadet populos, & dilatabit Imperium ſuum vſque ad finem terræ.

Ephraim primogenitus benedictione.

HAE ſunt multitudines &c) erunt enim decem millia Ephraim, & millia Manaſſe. Tribuuntur myriades ipſi Ephráim primogenito benedictione, & chiliades ipſi Manaſſe primogenito natura: quòd Ephráim maior futurus erat fratre ſuo Manaſſe, & infinitis populis dominaturus. Lege Gene.48. vbi de benedictione Ephráim & Manaſſe.

Et Zabûlon ait, Lætare Zabûlon in exitu tuo, & Iſſachar in tabernaculis tuis. Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas iuſtitiæ: qui inundationem maris quaſi lac ſugent, & theſauros abſconditos arenarum.

ZABVLON) Ipſi Zabulon.

Egredi.

IN exitu tuo,) cum egredieris. Subaudi, ad bellum. Significat eum futurum bellicoſum.

Tabernacula.

IN tabernaculis tuis.) Quaſi dicat, tu Iſſachar eris amator pacis & quietis.

AD montem) Dei ſcilicet. Id eſt, alias tribus inuitabunt vt eant ſecũ ad montem Domini, ad colendum Dominum.

Sacrificia iuſtitiæ.

VICTIMAS iuſtitiæ.) ſacrificia iuſtitiæ. Id eſt, ſacrificia quæ ſecundũ legem fieri debent.

QVI inundationem &c.) quoniam affluentiam maris ſugent, & theſauri abditi in arena. Sub. erunt illis. Ac ſi dicat, erunt opulentiſſimi ratione maris, ita vt è terra effodiant theſauros abditos in arena. Vel, Tantis opibus abundabunt, vt etiam in arena abdant opes ſuas.

Et Gad ait, Benedictus in latitudine, Gad: quaſi leo requieuit, cepítque brachium & verticẽ. Et vidit principatum ſuum, quòd in parte ſua doctor eſſet repoſitus: qui fuit cum principibus populi, & fecit iuſtitias Domini, & iudicium ſuum cum Iſrael.

ET Gad dixit,) Et de Gad dixit.

BENEDICTVS in latitudine, Gad:) Benedictus qui dilatare fecerit Gad, Id eſt, qui ceſſerit ipſi Gad: qui non reſtiterit ei.

QVASI leo requieuit, cepitque brachium & verticē.) ſimilis leoni habitabit: rapiet brachium & caput. Hoc eſt, In terra ſua nō erit aliter atque leo, quem reliqua animalia timent: erit omnibus formidoloſus: præterea interficiet principes & reges qui ei reſiſtent. Brachium. Caput.

ET vidit principatum &c. Dan) Et vidit primitias, quia illic erat portio legiſlatoris tecta: veniet autem cum principibus populi: iuſtitiam Dei facturus eſt, & iudicia eius cum Iſraele. Hoc eſt, Iam petiuit à me portionem & partem terræ quam habitaret, nempe terram Sehon regis Amorrhæorū, & Og regis Baſan, quæ citra Iordanem eſt ad Orientem Terræ ſanctæ: quòd illic videret multas arces tectas materia pretioſa: erant enim illic palatia legiſlatoris, id eſt principum. Legiſlator, Per legiſlatorem intelligit principem: quòd principis ſit condere leges. Nō habitabit autem illic ante quàm veniat vnà cum principibus ad ſubiugandam terram quam Dominus eſt pollicitus fratribus eius Iſraelitis: vt faciat iuſtitiam & iudicium Dei cum ipſis. Id eſt, vt quemadmodum illi præceperat Dominus vt faceret cum fratribus, faciat. Præceperat autem illi Dominus vt comitaretur fratres ſuos in Terram ſanctam, & iuuaret eos in debellandis Chananæis. quod ſe facturum receperat. Facere igitur Iudicium & iuſtitiam Dei, eſt facere quod præcepit Deus, & vt Deo promiſimus nos facturos. Iudicium & iuſtitiam Dei facere.

'Dan quoque ait, Dan 'catulus leonis, fluet largiter de Baſan.

DAN) De Dan.

CATVLVS leonis, fluet largiter de Baſan.) ſicut catulus leonis qui proſilit è Baſan. In Baſan erant fortiſſimi leones. Dicit autem Dan futurum fortiſſimum vt leones Baſan, & bellicoſiſſimum.

'Et Nephthali dixit, Nephthali 'abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini: 'Mare & Meridiem poſſidebit.

ET Nephthali) De Nephthali.

ABVNDANTIA perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini:) Per vocatiuum verti debet, ſatur (vel plene) fauore, & replete benedictione Domini. Id eſt, benedictione diuina. Fauorem, vocat Dei gratiam.

MARE & Meridiem poſſidebit.) partem Occidentalem & Orientalē poſſide.

'Aſer quoque ait, 'Benedictus in filiis Aſer, 'ſit placens fratribus ſuis, '& tingat in oleo pedem ſuum. 'Ferrum & æs calceamentum eius: 'ſicut dies iuuentutis tuæ, ita & ſenectus tua.

ASER quoque ait,) De Aſer quoque ait.

BENEDICTVS in filiis Aſer,) Benedictus es (vel, eris) propter nepotes, ô Aſer.

SIT placens.) erit gratiſſimus. Tranſitus à ſecunda perſona ad tertiam.

ET tingat) & tinget. Id eſt, abundabit oleo. erit oleum viliſſimum in patria eius, præ abundantia, ita vt etiam in eo lauet pedes. Tingere in oleo pedem.

FERRVM & æs calceamentum tuū.) Ferrū & æs calceamenta tua. Id eſt, calcatio tua. inſtrumentū pro actione. quaſi dicat, quicquid calcaueris calceamentis tuis, erit ferrum & æs. Eſt autem Hebraiſmus, pro, In regione tua erunt metalla ferri & æris. Ferrum & æs calceamētum tuum.

Iuxta dies tuos. SICVT dies iuuentutis tuæ,ita & ſenectus tua.) & iuxta dies tuos erit fortitudo tua.Hebraiſmus,pro,Quandiu vixeris eris fortis: vires tuæ tandiu durabunt quandiu viues : toto vitæ tuæ tempore eris fortis.

'Non eſt Deus alius vt Deus rectiſſimi: "aſcenſor cæli auxiliator tuus:magnificentia eius diſcurrũt nubes. 'Habitaculum eius ſurſum, & ſubter, brachia ſempiterna:
Ierem.33.b. eiiciet à facie tua inimicum,dicétque,Conterere.‖Habitabit Iſrael 'confidenter & 'ſolus,'oculus Iacob,in terra frumenti & vini, 'cælíque caligabunt rore. Beatus es tu Iſrael, quis ſimilis tui popule, 'qui ſaluaris in Domino? 'ſcutum auxilii tui, & gladius gloriæ tuæ. 'negabunt te inimici tui,& tu eorum colla calcabis.

NON eſt Deus alius vt Deus rectiſſimi.) Nullus eſt ſimilis Deo, ô Iſrael. Hic incipit commendare Deum.Lata exemplaria S. Germani & Dionyſii, Moguntinenſis item editio,& Complutenſis legunt,Non eſt alius,vt Deus &c.

ASCENSOR cæli auxiliator tuus:magnificentia eius diſcurrũt nubes:) qui equitat cælos,in auxilium tuum,& in magnificentia ſua nubes.Quaſi dicat,Non eſt Deus ſimilis deo tuo:nam Deus tuus habitat in cælo,vnde fert tibi opem. Nubes conſcendit, & illis inſidet, vt properet ad opem tibi ferendam. Maieſtatem ſuam oſtendendo inſidet nubibus,ſiue cælis.

HABITACVLVM eius ſurſum,& ſubter,brachia ſempiterna:) Vt habitaculum eſt Deus æternus:& ſubter,brachia ſempiterna.Id eſt,infatigabilia.Quaſi dicat,Deus æternus protegit populum ſuum,velut tugurium protegit habitatores ſuos ab iniuria cæli : ſub populo Iſraelitico ſunt brachia infatigabilia. A vertice ad calcem cuſtodit Iſraelem Dominus: totum Iſraelem diligenter cuſtodit.

Brachia ſempiterna.

CONTERERE) Dele illum. Id eſt,permittet vt deleas illum.

CONFIDENTER) Id eſt,neminem timebit.

SOLVS,) Hoc eſt,non admiſcebitur aliis gentibus.

Pons Iacob.

OCVLVS Iacob,) fons Iacob. Per appoſitionem vocat Iſraelem,fontem Iacob,& progeniem.

CAELIQVE caligabunt rore.) & cæli eius ſtillabunt rorem.Hoc eſt,de cælo cadent imbres in terram illam,vt fœcundent eam.

Saluari in Domino.

QVI ſaluaris in Domino?) Id eſt,qui ſeruaris ope diuina.

SCVTVM auxilii tui,& gladius gloriæ tuæ:) qui eſt clypeus auxilii tui,quíque eſt gladius excellentiæ tuæ. Id eſt,eſt clypeus vnde prouenit tibi auxilium,& gladius quo paratur tibi gloria,maieſtas,& ſplendor.

Excelſa pro principibus.

NEGABVNT &c.) propterea ſubiicientur inimici tui tibi, tu autem ſuper excelſa eorum ambulabis.Per excelſa intelligit principes. quaſi dicat,Tu calcabis ceruicem regum inimicorum tuorum.

CAP. XXXIIII.

ASCENDIT ergo Moyſes de campeſtribus Moab ſuper montem Nebo,'in verticem Phaſga'contra Iericho : ‖'oſtéditque ei Dominus omnem Terram,'
2.machab.2.a. 5.3.d. Galaad vſque Dan,& vniuerſum Nephthali,Terrám-

que Ephráim & Manaſſe, & "omnem Terram vſque ad 'Mare nouiſſimum,& Auſtralem partem,&'latitudinem campi Iericho,ciuitatis palmarum,vſque Segor. Dixítque Dominus ad eum, ‖Hæc eſt Terra, pro qua iuraui Gen.12.b.15.d.
Abraham, Iſaac,& Iacob,dicēs, 'Semini tuo dabo eam. 'Vidiſti eam oculis tuis,& non tranſibis ad illam.

ASCENDIT ergo) Dicunt Hebræi,hoc caput ſcriptum fuiſſe à Ioſūe,ſpiritu prophetico.

IN verticem Phaſga,) in verticem collis ipſius. Nebo eſt pars mōtis Abarim: eius vertex dicitur Phaſga, qua parte reſpicit Iericho: qua autem parte reſpicit Moabitidem regionem,dicitur Gai,id eſt vallis. Nebo. Phaſga. Gai.

CONTRA Iericho:) Vel,qui eſt ante faciē Iericho. Aut, E regione Iericho.

GALAAD) Subaudienda eſt præpoſitio, A Galaad vſque Dan.

OMNEM terram vſque &c.) omnem Terram Iuda, vſque &c. Sic legit Complutenſis editio,& Paruum exemplar S.Germani.

MARE nouiſſimum,) Id eſt, mare Occidentale & Mediterraneum, quod in parte Occidentali erat reſpectu Terræ ſanctæ. Mare nouiſſimum.

LATITVDINEM campi Iericho, ciuitatis palmarum,) planitiē vallis Iericho, vrbis palmarum. Subaudiendæ ſunt dictiones aliquot, hoc modo, planitiem vallis in qua ſita eſt Iericho vrbs quæ abundat palmis.

SEMINI tuo) Id eſt, nepotibus tuis.

VIDISTI eam oculis tuis,) Feci vt oculis tuis videres illam. Oſtendi eā tibi.

Mortuúſque eſt ibi Moyſes ſeruus Domini, "in Terra Moab,'iubente Domino:'& ſepeliuit eum in valle Terræ-Moab contra Phogor:‖& "nō cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem. Moyſes centum & viginti annorum erat quando mortuus eſt: non caligauit oculus eius, 'nec dentes illius moti ſunt. Iudæ c.

IN terra Moab,) Sic dicit, quòd vertex montis erat in terra Moab.

IVBENTE Domino:) ad verbum Domini. Vel, de ſententia Domini. Dixerat enim Dominus, Aſcende in montem,& morieris.

ET ſepeliuit eum in valle Terræ-Moab,contra Phogor:) Aut actiuū pro paſſiuo hîc poſitum eſt, Sepultus eſt. aut ſubaudiendum Deus, vel angelus Dei. In Gai ſepultus fuit, id eſt in valle quæ erat in vertice mōtis Nebo, qua parte reſpicit terram Moab, non Terram ſanctam, è regione phani Phogor idoli Moabitarum.

NON cognouit homo) non nouit quiſquam.

NEC dentes illius moti ſunt.) nec emarcuit viror eius. Quaſi dicat, ſenectus nullum incommodum ei attulit: valebat adhuc acie oculorum, & facies ei fuit ſemper ſucculēta. Il auoit touſiours le viſage fraiz. Solet enim ſenectus eſſe ſicca.

Fleuerúntque eum filii Iſrael in campeſtribus Moab triginta diebus:& cōpleti ſunt dies planctus lugentium Moyſen. Ioſūe verò filius Nun repletus eſt Spiritu ſapientiæ, quia Moyſes "poſuit ſuper eum manus ſuas. Et

obedierunt ei filii Iſrael, fecerúntque ſicut præcepit Dominus Moyſi. Et non ſurrexit vltrà propheta in Iſrael ſicut Moyſes, quẽ noſſet Dominus facie ad faciem, in omnibus ſignis atque portentis, quæ miſit per eum, vt faceret in Terra-AEgypti Pharaoni, & omnibus ſeruis eius, vniuerſǽque terræ illius, & cunctam manum robuſtam, magnáque mirabilia, quæ fecit Moyſes corã vniuerſo Iſrael.

POSVIT) poſuerat.

SICVT præcepit) quemadmodum præceperat &c. Paruerunt ipſi Ioſue tanquam principi & ſubſtituto à Moyſe de mandato Domini.

Non ſurrexit

NON ſurrexit) Hoc eſt, non natus eſt.

QVEM noſſet Dominus facie ad faciem, in omnibus ſignis atque portẽtis, quæ miſit per eum vt faceret &c.) qui cognouerat Dominũ facie ad faciẽ, in omnibus ſignis & prodigiis, ad quæ (ſub. facienda) miſerat eum Dominus in Terra &c.

Noſſe Dominum facie ad faciem.

Noſſe Dominum facie ad faciem, eſt de facie eũ noſſe, & cum eo conſuetudinem habere. Ante hæc verba, In omnibus ſignis: ſubaudienda ſunt præcedentia, Non ſurrexit inquam vllus propheta ſimilis Moyſi in omnibus ſignis &c.

ET cunctam manum robuſtam, magnáque mirabilia, quæ fecit) & propter omnem manum fortem, & propter omnem terrorem magnũ, quæ (ſub. omnia) fecit Moyſes &c. Manum fortem dicit ob ea quæ facta ſunt in Mari-rubro. Terrorem autem, propter legem quam Dominus dedit in monte Sinai.

1.004.830

ERRATA.

Folio	Verſu	
4	illa	formam ſerpentis.Hic tamen accipitur pro &c.
64	teſt	Dele hæc verba, Vel, Seceſſit ſecundum magiſtrũ arcus. Id eſt,quantum ſagittarius ſolet ſecedere quum collimat.
95	IN	vt eſſet illi vxor.
100	tes	tes,& verſus
112	HABITANTES	Hanc annotationem ſic lege, HABITANTES in terra &c.) per habitationes ſuas in terra poſſeſſionis ſuæ.Id eſt,Hi duces Idumæorum,qui habitauerũt in Idumæa per regiones ſuas, id eſt,in locis ſibi ad habitandum aſſignatis. Ante iſtam,aſcribe hanc ſequentem, HAEC ergo nomina &c.) Id eſt, Hæc ſunt nomina filiorum Eſau,qui duces fuerunt & capita cognationum: qui habitauerunt in terra Edom, per cognationes ſuas, & per regiones ſuas,Id eſt, per loca ſibi aſſignata:ſecundum nomina ſua,hoc eſt in regionibus quas de nominibus ſuis appellauerunt.
114	TVNICA	tunica illa compoſita ex variis particulis variorũ pannorum,qua tegebatur.
134	di debent	di debent.Primum præceptum.
	Quaſi	creaturarum.Secundum præceptum.
305	SANCTVM	KODES LIHOVA, Et in margine ſcribe לַיהוָה
310	abiret	[illegible],
325	&i ſui	&i ſui.) Pro peccato,&c.In ſolidum quod ait,id eſt, totum illud ipſum,hoc eſt fortẽ ipſam.Ad hunc &c.
373	cietis	ciatis vobis.
412	tranſtulimus,	locum habebat quum
529	SINAI	SINAI.) Iſta annotatio deleri debet: nam pagina præcedente ſuo loco legitur.

EXCVDEBAT ROBERTVS STEPHANVS TYPOGRAPHVS REGIVS PARISIIS, ANN. M. D. XLI. XII. CALEND. MAR.

L 6

LEGATORIA A. PANDIMIGLIO - ROMA -
1922